37
15 A
6

TERTULLIANUS PRÆDICANS,

ET

SVPRA QVAMLIBET MATERIAM omnibus Anni Dominicis, & Feſtis non ordinariis ſolùm, ſed etiam extraordinariis; ſingulisque Quadrageſimæ Feriis prædicabilem ordine alphabetico copiosè diſpoſitam,

SEX AD MINVS FORMANS CONCIONES, ingeniosè adinventas, bellè concinnatas, & trinâ ſubdiviſione illuſtratas.

CVM DVPLICI INDICE, CONCIONVM ſcilicet & Materiarum.

AVCTORE R. P. MICHAELE VIVIEN, Sacræ Theologiæ Lectore, Provinciæ Recollectorum in Aquitania alumno, nec-non antiquo Cuſtodum Cuſtode.

Editio, poſt binas Gallicas, tertia in Germania.

TOMVS SECVNDVS.

MANUELE VITTORIO BIBLIOTECA IN ROMA

B  A

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM Bibliopolam. ANNO M.DC.LXXXI.

37-15-A-6

PERMISSIO REVERENDI PATRIS PROVINCIALIS.

FRATER Agathangelus Petit Provinciæ Recollectorum in Aquitania Miniſter Provincialis, & ſervus, R. P. MICHAELI VIVIEN ejuſdem Provinciæ alumno, ſacræ Theologiæ Lectori, nec non antiquo Cuſtodum Cuſtodi, ſalutem. Cùm Liber *Tertullianus Prædicans* nuncupatus in ſex Tomos diſtributus, ſit jam maxima ex parte typis mandatus, & fœliciter à Doctoribus quibusque approbatus, licentiam tibi facimus, ut præclarum illud opus perficias, & denuo typis mandes, ſive in quarto, ſive in folio, prout melius tibi viſum fuerit. In cujus fidem præſentem Licentiam propria manu ſubſcripſimus, & parvo officii noſtri ſigillo munivimus. Datum in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ de Gratia Burdigalæ, die 19. Februarii, Anno 1677.

F. AGATHANGELVS PETIT
Miniſter Provincialis.

LIbri cui titulus eſt, Tertullianus Prædicans, *ſecundum & tertium Tomum fruſtra commendarem; Primus ſiquidem & reliquos & eorum authorem ſatis commendat; qui illum legerunt videndi quod in lucem edendum ſupererat vehementi flagrabant deſiderio; neque fallet eos opinio, ibi enim maximam ingenii ubertatem obſervabunt, ac materiarum abundantiam cum præclara methodo, quæ Tertulliani operibus deerat claritate mirabuntur. Hæc ipſe perlegendo miratus ſum, ideoq; Opus dignum judico quod typis quamprimum mandetur, utpote quod nihil contineat fidei aut bonis moribus contrarium, quin potius futurum ſit utiliſſimum tum cæteris omnibus, tum præcipuè divini verbi Præconibus. Quod teſtor in hoc Conventu Recollectorum ſanctæ Valeriæ propè Lemovicas, die 22. menſis Iulii Anni 1673.*

F. GERMANVS DEYR, Lector ſacræ Theologiæ, & Guardianus Conventus Recollectorum ſanctæ Valeriæ prope Lemovicas.

Ego

EGo infraſcriptus ſacræ Theologiæ Lector, ſumma cum delectatione attentè perlegi librum (cui titulus Tertullianus Prædicans*) in quo Tertulliani doctrina licèt ex ſe ſatis commendata, mirè tamen commendatur, tum ob ſelectas Patrum ſententias quibus adornatur, tum ob ſubtiles Theologorum rationes, quibus ab Authore ſolidatur. Ipſum ergo typis digniſſimum judico, non ſolùm quia nihil in ipſo, quod Catholicæ fidei ſectatoribus adverſetur, ſed etiam quia nihil in ipſo, quod Chriſtianæ veritatis Præconibus non multum patrocinetur, quibus Tertullianus Prædicans, erit Tertullianus docens methodum, clarè, breviter, & nervoſè ſermones conficiendi. In lucem igitur prodeat opus, & prælo quàm citius mandetur tanquam communi Concionatorum bono utiliſſimum, cenſeo & peropto. Datum in Conventu ſancti Leonardi, die 8. Iunii Anni 1673.*

F. GABRIEL BARRIERE S. Theologiæ Lector.

LICENTIA ET CENSVRA
Ordinarii.

TErtullianus Prædicans, ſive campus floridiſſimus ſelectiſſimorum conceptuum ac Diſcurſuum omni tempore prædicabilium; qui, cùm in Galliâ, non abſque ſingulari fructu binis vicibus impreſſus, & à diverſis Theologis approbatus fuerit, nihilque ab orthodoxâ Doctrinâ alienum complectatur, hiſce pro tertia vice imprimendi facultatem concedimus, Signatum Coloniæ Agrippinæ decimâ ſextâ Februarii.

F. THEODORVS DEGHENS, *SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor Ordinarius, Canonicorum Regularium S. Crucis Provincialis ad Rhenum, & Prior Coloniæ, Ordinarius Librorum Cenſor. m. p.*

IV

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA


Goſſens. ſcup.
DABIT VERBVM EVANGELIZANTIBVS VIRTVTE MVLTA.
Pſal. 67. v. 12.
VERBVM DEI
à Tertulliano Prædicante
in 6. Tomos divisum.

IDÆA CONCIONUM

QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

APOSTOLUS.

SCHOLIUM.

Apoſtoli ſunt; 1. A Chriſto vocati: 2. Chriſti amicitia donati: 3. In orbem miſſi: 4. Chriſtum teſtificati: 5. Mundi triumpho coronati: 6. Fidelium prole fœcundati.

CONCIO PRIMA.

Admiranda prorſus Apoſtolorum vocatio; ob 1. Vilitatem eorum qui vocantur: 2. Eminentem dignitatem ad quam vocantur; 3. Magnitudinem miniſterii propter quod vocantur.

I. PARS. Chriſtus vocavit Apoſtolos, 1. Ignobiles & demiſſos: 2. Imperitos & ignaros: 3. Pauperes & egenos. Fol 2

II. PARS. Apoſtoli à Chriſto vocati ſunt participes, 1. Potentiæ, quæ Patri accommodatur: 2. Sapientiæ, quæ Filio attribuitur: 3. Sanctitatis, quæ Spiritui ſancto appropriatur. 2

III. PARS. Vocati Apoſtoli, ut ſint, 1. Eccleſiæ fundamenta & baſes: 2. Fidelium capita & principes: 3 Orbis lumina & faces. 5

CONCIO SECUNDA.

Chriſti amicitia fuit Apoſtolis, 1. Utilis: 2. Delectabilis: 3. Honorabilis.

I. PARS. Utilis, ut conſtat ex 1. Benevoli amoris dilectione. 2. Secretorum manifeſtatione: 3. Donorum effuſione. 8

II. PARS. Delectabilis, ut patet ex Chriſti, 1. Conſpectu & viſione. 2. Colloquio & converſatione: 3. convictu & familiaritate. ibid.

III PARS. Honorabilis, ut comprobatur ex poteſtate, quam dedit eis Chriſtus: 1. Peccata dimittendi: 2. Corpus dominicum conficiendi: 3. Martyrium patiendi. 14

CONCIO TERTIA.

Apoſtolorum, 1.Miſſio, 2.Delegatio. 3. Ad procurandam humanam ſalutem deſtinatio. 19

I. PARS. Apoſtoli ſunt, 1. A Chriſto miſſi. 2.Primario ad Judæos miſſi. 3. Miſſionem ſuam miraculis teſtati. 20

II. PARS. Delegatio Apoſtolorum fuit officium, maximæ 1. Dignitatis, 2.Auctoritatis, 3.Poteſtatis. 26

III. PARS. Apoſtoli humanam procuraverunt ſalutem, 1.Prædicatione, 2. Operatione, 3 Paſſione. 28

CONCIO QUARTA.

Apoſtoli teſtati ſunt Chriſti, 1.Naturam. 2.Vitam. 3.Doctrinam. 31

I. PARS. Apoſtoli teſtati ſunt naturam Chriſti. 1.Divinam, 2. Humanam, 3. Glorioſam. 32

II. PARS. Apoſtoli teſtati ſunt, dominicæ vitæ; 1.Innocentiam, 2.Obedientiam, 3. Patientiam. 35

III. PARS. Chriſti doctrina ab Apoſtolis teſtata, docet 1.Pietatem, 2.Veritatem, 3.Probitatem. 38

CONCIO QUINTA.

Apoſtoli triumpharunt de idololatria, 1.Proſperitate floreſcente. 2.Viribus & præſidiis maxime pollente. 3.Conſuetudine & vitiis invaleſcente. 41

I. PARS. Chriſtianam Religionem prædicarunt Apoſtoli, idololatriâ 1. antiquiorem, 2.ampliorem, 3.Opulentiorem. ibid.

II. PARS. Apoſtolorum, 1.Stultitia, Philoſophorum vicit ſapientiam, 2.Infirmitas, rerum ſuperavit potentiam. 3.Simplicitas, dæmonum debellavit aſtutiam. 43

III. PARS. Apoſtoli debellarunt idololatriam, 1.Conſuetudine ſolidatam, 2. Vitiis vigoratam, 3.Pravo Deorum exemplo auctoratam. 47

CONCIO SEXTA.

Magna prole fœcundati ſunt Apoſtoli, 1.Verbi Dei prædicatione. 2.Sacramentorum adminiſtratione. 3.Sanguinis effuſione. 50

I. PARS. Apoſtoli ſua prædicatione, 1.Chriſto filios pepererunt 2. Chriſtum in fidelibus generaverunt, 3 Fideles in Chriſti corpus converterunt 51

II. PARS. Apoſtoli per adminiſtrationem, 1.baptiſmi, Chriſto filios pepererunt, 2. Pœnitentiæ, Deo filios generaverunt, 3.Ordinis Eccleſiæ filios parturierunt. 55

III. PARS. Apoſtoli, ſanguinis effuſione Chriſtianam religionem, 1. Seminaverunt: 2. Multiplicaverunt, 3 Dilataverunt. 57

AVARUS.

SCHOLIUM.

Conſideranda eſt Avari, 1.Inopia & egeſtas. 2.Servitus & captivitas. 3.Nequitia & improbitas. 4.Injuſtitia & iniquitas. 5.Sævitia & crudelitas. 6.Idololatria & impietas.

CON-

CONCIO PRIMA.

Quanta avari egeſtas, 1.*Cui non ſufficiunt bona quæ habet.* 2. *Qui in abundantia inops eſt, nec utitur bonis quæ habet.* 3.*Quj neceſſario amittit bona quæ habet.* 60

I. PARS. Avari inopia, oritur ex 1.Inſatiabili ejus cupiditate. 2. Rerum cupitarum vacuitate. 3.Rerum poſſeſſarum mendicitate. ibid.

II. PARS. Inopulentia inops avarus, quia 1.Suis non utitur. 2.Parce utitur, Aliena rapere nititur. 63

III. PARS. Avarus egenus quia in 1.Vita ſæpe amittit bona ſua, 2. Morte deſerit bona ſua, 3.Poſt mortem non defert ſecum bona ſua. 66

CONCIO SECUNDA

Captivus Avarus tria tormentorum genera patitur, 1.*Carcerem, in quo caligine obtenebratur.* 2.*Vincula quibus ligatur.* 3.*Supplicia, queis mulctatur.* 68

I. PARS. Avaritia, 1.Rationis lumen obſcurat, 2.Fidei lumen obnubilat, 3.Gratiæ lumen obtenebrat. 69

II. PARS Avarus, 1.Duro detinetur vinculo, 2.Gravi oneratur vinculo, 3.Illaqueatur bene indiſſolubili vinculo. 72

III. PARS Avarus, 1.In terra indeſinenter laborat, 2.A cœlo exulat, 3. In inferno ignem intolerabilem tolerat. 74

CONCIO TERTIA.

Avarus pro acquirendis divitiis, 1.*Omnia Dei mandata transgreditur.* 2.*Omnes virtutes aggreditur.* 3.*Omnia vitia proſequitur.* 78

I. PARS. Avarus tranſgreditur præcepta, quæ præcipiunt, 1.Pietatem erga Deum, 2.Sobrietatem erga ſemetipſum, 3 Æquitatem erga proximum. ibid.

II. PARS. Avarus aggreditur virtutes, 1.Theologales, 2.Cardinales, 3.Morales. 80

III. PARS. Avarus peccat, 1.Antequam comparet divitias, 2. Dum comparat divitias, 3 Poſtquam comparavit divitias. 82

CONCIO QUARTA.

Injuſtus Avarus, 1.*Erga Deum, cui debitum denegat famulatum.* 2. *Erga proximum, cui ſuum uſurpat patrimonium.* 3.*Erga ſeipſum, cui irreparabile affert damnum.*

I. PARS. Avarus injuſtus, 1.Deo eripit famulum, 2.Chriſto aufert ſervum, 3 Mammonæ præſtat debitum Deo & Chriſto famulatum. ibid.

II. PARS. Alienum injuſte captat avarus, 1.Simonia, 2.Uſura, 3.Negotiatione doloſa. 8

III. PARS Erga ſemetipſum injuſtus avarus, nam pro divitiis, 1. Conſcientiam perdit, 2.Peccata augeſcit, 3.Damnationem incurrit. 91

CONCIO QUINTA.

Avari crudeles erga 1.*Extraneos.* 2.*Suos.* 3.*Semetipſos.* 93

I PARS. Crudeles ſunt, 1.Judices in viduas & pupillos, 2.Divites in pauperes & egenos. 3.Exactores vectigalium in ruſticos & plebeios. ibid.

II. PARS, Avarus crudelis in 1.Fratres, quos patrimonio & hæreditate ſpoliat. 2 Parentes, quos poſt mortem ſuffragio fruſtrat. 3.Filios, quos per vim religioni conſecrat. 94

III. PARS. Avarus crudelis in ſeipſum: nam 1. Vivit anxius: 2. Moritur reus: 3. Torquetur in inferno damnatus.

CONCIO SEXTA.

Avarus impius, nam 1. Propter divitias Deum contemnit: 2. Divitias Deo præponit: 3. Divitias religioſe colit.
I. PARS Avarus 1, Deum negat, & divina mandata transgreditur: 2. Contra Deum divinis beneficiis abutitur: 3 Divinas perſonas aggreditur. 104
II PARS Avarus 1 Divitias pluſquam Deum exiſtimat: 2. In divitiis magis quàm in Deo ſperat: 3 Divitias plus quàm Deum amat. 105
III. PARS. Avarus, 1. Divitiis obtemperat: 2. Divitias adorat. 3. Divitiis ſacrificat. 107

BACCHANALIA.

SCHOLIVM.

Bacchanalium tempore ſex maxime vigent, 1. Ludus & alea: 2. Saltus & chorea: 3. Veſtium mutatio & pantonimia: 4. Theatrum & Comœdia: 5. Eſus & gula: 6. Propinatio nimia.

CONCIO PRIMA.

Aleator iniquus, 1. Nemo eſt aliis: 2. Nemo ſibi: 3. Nemo Deo. 109
I. PARS. Aleator criminoſus nemo eſt. 1. Familiæ, quam depauperat. 2. Reipublicæ, quam auxilio fruſtrat: 3 Eccleſiæ, cujus pacem turbat. 110
II. PARS. Aleator nemo eſt ſibi: nam perdit, 1. Tempus. 2. Facultates. 3. Conſcientiam. 111
III. PARS. Nemo eſt Deo, quia, 1. Divinam dedignans auctoritatem, ſeſe diabolo mancipat. 2 Divinam veritatem mendacio devenuſtat 3. Divini nominis ſanctitatem blaſphemando prophanat. 112

CONCIO SECUNDA.

Choreæ ſunt, 1. Scandaloſæ: 2. Periculoſæ: 3. Sceleroſæ. 114
I. PARS. Choreæ ſunt ſcandaloſæ, quia, 1 De diaboli gymnaſio procedunt: 2. Idololatriam ſapiunt: 3. Gravitatem Chriſtianam in inſaniam vertunt. ibid.
II. PARS. In choreis trinum incurritur periculum, 1. Famæ & honoris. 2. Pudicitiæ & caſtitatis: 3. Conſcientiæ & ſalutis. 117
III. PARS. Choreæ criminoſæ ſunt, 1. Gloriæ & vanitatis: 2. Laſciviæ & voluptatis: 3. Sacrilegii & impietatis. 119

CONCIO TERTIA.

Veſtium mutatio eſt contra, 1. Modeſtiam: 2. Verecundiam: 3. Pudicitiam. 121
I. PARS. Veſtium mutatio immodeſta, 1. Naturam pervertit: 2. Religionem dediſcit. 3. Virtutem deprimit. ibid,
II. PARS. Mulieres viriliter indutæ impudentiam oſtentant, in 1. Aſpectibus: 2. Sermo-

monibus. 3. Actionibus. 123
III. PARS. Viri & mulieres veſtes mutantes, habitu libidinem, 1. Lenocinantur: 2. negotiantur. 3. Scortantur. 125

CONCIO QUARTA.

Theatra ſunt, 1. Fomenta libidinis: 2. Alimenta impietatis: 3. Initia infelicitatis. 127
I. PARS. Theatra, 1. Oculos contaminant: 2. Aures maculant: 3. Animam fœdant. 128
II. PARS. In Theatro, 1. Mimus baptiſmi promiſſionem violat. 2. Seſe Chriſtianum negat. 3. Chriſto renuntiat. 134
III. PARS. Infauſta ſunt theatra, nam 1. Comœdi infames ab hominibus cenſentur. 2. Spectantes, ſæpe à dæmonibus poſſidentur: 3. Tum comœdi, tum ſpectantes à Deo odio habentur. 140

CONCIO QUINTA.

Gulonum convivia, 1. Noxia: 2. Criminoſa: 3. Impia. 141
I. PARS. Gulones in conviviis conſumunt 1. Fortunam: 2. Naturam, 3. Gratiam. 142
II. PARS. Gula, 1. Nebulonem diabolo ſubdit. 2. Eſt ſcaturigo, à qua omne vitium diffluit. 3. Guloſum à cœlo expellit. 145
III. PARS. Guloſus, 1. Spiritum ſanctum rejicit. 2. Chriſti crucem injuria afficit. 3. Deum ſibi ventrem efficit. 147

CONCIO SEXTA.

Ebrietas eſt, 1. Turpis & inhoneſta. 2. Pernitioſa & noxia. 3. Criminoſa & impia. 148
I. PARS. Ebrietas inhoneſta, ad 1. inſaniam ducit. 2. Vomitum compellit. 3. In belluas convertit. 149
II. PARS. Crateres quos propinant ebrioſi, ſunt. 1. Inhoneſti. 2. Morbidi. 3. Inimici.
III. PARS. Ebrietas ſceleroſa & rea, 1. Libidinoſæ voluptatis. 2. Furoris & crudelitatis. 3. Blaſphemiæ & impietatis. 154

BEATITUDO.

SCHOLIUM.

Beatitudo, 1. A terra peregrinatur: 2. In cœlo collocatur: 3. Beatitudinis objectum demonſtratur: 4. Perfectio declaratur: 5. Encomium prædicatur: 6. Poſſeſſio comparatur.

CONCIO PRIMA.

Terrena bona, 1. Satietatem non afferunt: 2. Triſtitia & mœrore permixta ſunt: 3. Mutationi & fini obnoxia ſunt. 158
I. PARS. Nunquam ſatiatus fuit, 1. Superbus dignitatibus, 2. Avarus facultatibus, 3. Li-

3 Libidinoſus, voluptatibus. ibid.
II. PARS. Temporalia bona afferunt. 1. Labores, dum acquiruntur, 2. Timores, dum poſſidentur, 3. Dolores, dum amittuntur. 160
III. PARS. In mundo, 1. bona mutantur, 2. Homines mutantur, 3. Rerum poſſeſſiones mutantur. 164

CONCIO SECUNDA.

Beati, 1. Habitant in domo Dei. 2. Habent poſſeßionem Dei. 3. Participes ſunt ſanctitatis Dei. 165
I. PARS. Domus Dei eſt, 1. admirandæ pulchritudinis, 2. Stupendæ jucunditatis, 3. Perpetuæ tranquillitatis. ibid.
II. PARS. Beati, 1. Deum poſſident, 2. Omnia in Deo poſſident, 3. Deum æternaliter poſſident. 168
III. PARS. Beati ſunt ſancti, ratione divinæ, 1 Unionis, 2. Viſionis, 3. Dilectionis. 171

CONCIO TERTIA.

Deus ſolus eſt objectum beatitudinis; quia eſt, 1. Infinitus. 2. Immutabilis. 3. Sufficiens. 174.
I. PARS. Deus eſt infinitus, quia 1. Nihil ei deeſt, 2. A nullo dependet, 3. Cuncta perfectiſſime continet. ibid.
II. PARS. Dei immutabilitas colligitur ex ejus, 1. Infinitate, 2. Simplicitate, 3. Æternitate. 177
III. PARS. Ad beandum hominem, 1. Mundus non ſufficit, 2. Solus Deus ſufficit, 3. Homo cæcus non in Deo, ſed in mundo, fruſtra ſufficientiam quærit. 180

CONCIO QUARTA.

In cœlo Beati habent, 1. Conſummationem, per unionem ad finem ultimum. 2. Quietem, per unionem ad centrum, 3. Fœlicitatem, per unionem ad objectum beatificum: 184.
I. PARS. In cœlo, beati aſſequuti ſunt finem, 1. Terminationis, 2. Conſumptionis, 3. Conſummationis. ibid.
II. PARS. Beati in cœlo uniuntur centro, 1. Ad quod cor naturaliter inclinatur, 2. A quo conſervatur, 3. In quo perpetua quiete potitur. 187
III. PARS. Beati in cœlo objectum beatificum poſſident, 1. Viſione, 2. Dilectione, 3. Fruitione. 191

CONCIO QUINTA.

In cœlo omnia ſunt, 1. Summa in perfectione. 2. Vera in æſtimatione. 3. Æterna in duratione. 194
I. PARS. In beatis eſt ſumma, 1. Viſio, 2 Dilectio. 3. Delectatio. ibid.
II. PARS. Bona cœli vera ſunt. In 1. ſeipſis, 2. Æſtimatione ſapientium, 3. Ore pollicentis Dei. 198
III. PARS. Beatitudo æterna eſt, 1. Integra ſine imperfectione, 2. Invariabilis ſine ſucceſſione, 3. Interminabilis ſine fine. 199

CONCIO SEXTA.

Beatitudo eſt à Chriſtianis, 1. Æſtimanda, 2. Deſideranda. 3. Comparanda. 203

I. PARS. Beatitudo eſt æſtimanda ex,1.Terrenorum comparatione: 2.Pretii valore: 3.Ejus magnitudine. 203
II. PARS. ad beatitudinem deſiderandam,1.Multiplex ratio ſtimulat: 2. Deſiderata & comparata fœlicitas,nullum faſtidium ingenerat: 3.Comparata & poſſeſſa fœlicitas, cordis deſiderium perfectiſſime ſatiat. 206
III. PARS Beatitudo eſt, 1.Corona,certaminibus & victoriis comparanda: 2. Margarita,negotiationibus acquirenda: 3.Merces meritis adipiſcenda. 210

CARO.

SCHOLIVM.

Conſideranda ſunt Carnis: 1.Sublimia. 2.Humilia, 3.Utilia. 4.Noxia. 5.Merita. 6.Demerita.

CONCIO PRIMA.

Carnis dignitas mutuanda eſt, à 1. magnitudine principii, à quo ſuam deſumpſit originem. 2.Gloria eorum,quibuscum contraxit affinitatem. 3. Sublimitate officiorum, quorum accepit dignitatem. 217
I. PARS. Lutum de quo figulata eſt caro,1 A Deo producitur: 2.Dei ingenio & cura producitur: 3.Ut Chriſti venturi effigies & pignus producitur. ibid
II. PARS. Caro nobilitatur ex affinitate quam habet cum divinitate, 1.Animi: 2.Angeli: 3.Humanati Verbi. 219
III. PARS. Caro coruſcat dignitate, 1.Regum: 2.Sacerdotum: 3 Martyrum. 221

CONCIO SECUNDA.

Caro eſt, 1.Vilis & terrena. 2.Triſtis & ærumnoſa. 3.Humilis & demiſſa. 223
I. PARS. Caro terram ſapit,in 1.Ortu. 2 Occaſu. 3. Interitu. ibid.
II. PARS. Caro eſt, 1 Frivola,quia multis indiget. 2. Moleſta ,quia miſeriis ſubjacet. 3. Infirma,quia morbis & ægritudinibus ſubeſt. 225
III. PARS. Caro humilis,hominem belluis inferiorem reddit: 2.Animam rationalem aggravat & deprimit: 3.Chriſtum infra Angelos dejicit. 226

CONCIO TERTIA.

Caro neceſſaria eſt vitæ, 1.Humanæ & rationali. 2. Politicæ & civili. 3.Chriſtianæ & fideli. 227
I. PARS. Neceſſaria eſt caro ad,1.Ratiocinandum. 2.Loquendum. 3.Humane operandum. ibid.
II. PARS. Caro neceſſaria eſt,ad 1.Scientias & artes. 2.Commercia & negotiationes. 3.Matrimonia & affinitates. 229
III. PARS. Neceſſaria eſt Caro,ad 1.Credendum: 2.Deum benedicendum. 3. Sanctificandum. 230

CONCIO QUARTA.

Caro eſt, 1.Infamis & ignominioſa. 2.Rebellis & ſeditioſa. 3.Peccatrix & ſceleroſa. 232

I. PARS

I. PARS. Caro infamis; 1. Seſe devenuſtat. 2. Animam dedecorat. 3. Hominem infamat. ibid.
II. PARS. Caro rebellis, 1. Obſequium animæ præſtare recuſat. 2. Cum anima continuo decertat. 3. Diabolum infenſiſſimum animæ inimicum ſibi ſociat. 235
III. PARS. Sceleroſa caro, 1. Ad peccatum allicit. 2. Peccatum committit. 3. Peccato ſervit. 239

CONCIO QUINTA.

Homo per carnem, 1. Deum honorat: 2. Chriſtum repræſentat: 3. Fœlicitatem ſibi comparat. 242
I. PARS. Carnis, 1 Afflictationes Dei juſtitiam honorant. 2. Orationes, Dei miſericordiam honorant. 3. Martyria, Dei majeſtatem honorant. 243
II. PARS. Chriſtum repræſentant Chriſtiani per, 1. Vitæ novitatem. 2. Diſciplinæ ſanctitatem. 3. Carnis mortificationem 244
III. PARS. Carnis fœlicitatem compararunt Sancti per, 1. Virtutes. 2. Bonas operationes. 3. Cruces & paſſiones. 247

CONCIO SEXTA.

Homo carnaliter agens eſt, 1. Deo odioſus. 2. Chriſto infenſus. 3 Sibi noxius. 251
I. PARS. Homo carnaliter agens à Deo. 1. Averſatur. 2. Damnatur. 3. Pœna mulctatur. ibid.
II. PARS. Homo carnalis, Chriſti 1. Diſciplinam dediſcit. 2. Spiritum rejicit. 3. Perſonam lædit. 253
III. PARS. Homo carnalis, 1. A paradiſo exulat. 2. Seſe beatitudine privat. 3. Æternæ morti mancipat. 257

CASTITAS.

SCHOLIUM.

Conſideranda eſt Caſtitas, 1. Generalis. 2. Matrimonialis. 3. Vidualis. 4. Virginalis. 5. Sacerdotalis. 6. Regularis.

CONCIO PRIMA.

Caſtitas eſt à Chriſtianis, 1. Sectanda. 2. Integranda. 3. Propugnanda, 259
I. PARS. Sectanda eſt caſtitas, quia eſt, 1. Flos morum. 2. Honor corporum. 3. Decus ſexuum. ibid.
II. PARS. Caſtitas integratur, 1. Cordis munditie. 2. Corporis puritate. 3. Exterioris gravitate. 267
III. PARS. Propugnanda eſt caſtitas, adverſus, 1. Carnem titillantem. 2. Dæmonem tentantem. 3. Hominem ſollicitantem. 271

CONCIO SECUNDA.

Uxoratus caſtitatem debet, 1. Supremo numini. 2. Sibi. 3. Conjugi. 278
I. PARS. Uxoratus caſtitatem debet Deo, 1. Imperanti. 2. Præmianti. 3. Vindicanti. 279

 IX

II. PARS. Conjux ſibi pudicitiam debet,ut conſervet, 1.Gratiam & ſanctitatem. 2 Famam & honorem.3.Concordiam & pacem. 289

III PARS. Conjux conjugi debet fidem,ob 1.Datam promiſſionem 2 Prolis unitatem. 3.Juſtitiæ æquitatem. 293

CONCIO TERTIA.

Ad viduitatem ſervandam,allicit vidualis, 1.Caſtitas.2.Libertas.3.Pietas. 298

I. PARS. Viduam ad caſtitatem ſtimulat, 1.Defuncti conjugis recordatio. 2.Gentilium, quæ viduitatem ſervarunt æmulatio. 3 Immunditiarum tempore conjugii commiſſarum reparatio. 300

II. PARS. Vidua à trina ſervitute liberatur,à 1.Studio viro placendi. 2. Cura prolis educandæ. 3.Sollicitudine providendi domui neceſſaria. 307

III. PARS. Viduæ pietas, 1 Bonis operibus vacat, 2 Deum laudibus prædicat. 3.Orationibus exorat. 312

CONCIO QUARTA.

Virgines, 1.Angelis adæquantur. 2. Chriſto deſponſantur. 3. Trinitati aſſimilantur, 315

I. PARS. Virgines, 1.Angelis aſſociantur: 2. Angelis adæquantur. 3.Angelis majores demonſtrantur. 317

II. PARS. Virgines per connubium cum Chriſto initum ſunt, 1.Multum honoratæ: 2.Opulenter dotatæ.3.Pulchre ornatæ. 322

III. PARS. Virgines aſſimilantur. 1.Patri æterno,in incorrupta fœcunditate. 2.Filio in nativa puritate. 3.Spiritui ſancto,in incontaminata ſanctitate. 327

CONCIO QUINTA.

Sacerdos ſibi, Spiritui ſancto , & Chriſto, debet caſtitatem, 1.Sibi ob acceptum miniſterium. 2.Spiritui ſancto,ut ejus ornet templum. 3.Chriſto,ob Euchariſtiæ ſacramentum. 330

I. PARS. Sacerdos debet vivere in caſtitate,ut 1.Miniſterium ſuum honorificet. 2.Deum glorificet. 3.Extraneos ædificet. ibid.

II. PARS. Sacerdos pudice vivens templum Spiritus ſancti, 1.Mundat. 2. in puritate conſervat 3.Pulchre & opulenter ornat. 336

III. PARS. Oportet ut ſacerdos ſit caſtus,quia Euchariſtiam, 1.Conſecrat. 2.Adminiſtrat. 3.Manducat. 339

CONCIO SEXTA.

Fœlix regularis caſtitas, 1.Auctorata. 2.Conſecrata. 3.Obſervata. 345

I. PARS. Regularis caſtitas auctorata,1.Patrum teſtimonio. 2.Chriſti exemplo. 3.Deiparæ propoſito. 340

II. PARS. Conſecratio regularis caſtitatis , æmulans proceſſionem Spiritus ſancti: 1.Sapiens & illuſtrata 2.Voluntaria & libera.3 .Ardens & ſufflammata. 347

III. PARS. Regularis caſtitas ſollicitè ſervanda quia eſt. 1 Connubium cum Chriſto initum. 2 Sacrificium Deo oblatum. 3 Sacramentum pudore velatum. 353

CHRISTIANUS.

SCHOLIVM.

Chriſtianus eſt, 1. Dignitatis ſuæ contemplator. 2. Criminis condemnator. 3. Sanctitatis demonſtrator. 4. Boni operator. 5. Temporis æſtimator. 6. Exempli ædificator.

CONCIO PRIMA.

Chriſtianus eſt titulus maximæ 1. Dignitatis. 2. Sanctitatis. 3. Pietatis. 360
I. PARS. Chriſtianus fulget dignitate, 1. Regia 2. Angelica. 3 Dominica 361
II PARS. Chriſtianus, 1. Gratia ſanctificatus. 2. A terra ſeparatus. 3. Divino cultui deputatus. 363
III. PARS Chriſtianus eſt, 1. Servus ex pietate Domino obtemperans, 2. Filius patri reverentiam præſtans, 3. Sacerdos Deo hoſtias immolans, 368

CONCIO SECUNDA.

Chriſtianus criminoſus, eſt 1. Nominis uſurpator. 2. Chriſti negator, 3. Religionis perſecutor. 370
I. PARS. Uſurpator nominis Chriſtiani, quod fert, 1. Vane. 2. Criminoſe 3. Damnabiliter. 373
II. PARS. Sceleroſus Chriſtianus, eſt 1. Fidei ſuæ interfector. 2. Chriſti negator. 3. Religionis deſertor, 375
III. PARS. Sceleroſus Chriſtianus crudelius Religionem perſequitur quam, 1. Pagani. 2. Judæi. 3, Hæretici, 378

CONCIO TERTIA.

Chriſtianus debet eſſe ſanctus, quia in baptiſmate, 1. Accepit ſancti Dei ſimilitudinem: 2. Profeſſus eſt ſanctam religionem. 3. Acquiſivit jus ad ſanctam beatitudinem. 379
I. PARS. Chriſtianus tenetur imitari Divinam ſanctitatem, 1, Eſſentialem. 2. Moralem. 3 Perſonalem. 380
II. PARS. Religio Chriſtiana eſt ſancta, quia in ea eſt ſanctum, 1. Sacramentum, 2, Præceptum. 3 Prototypum. 385
III. PARS. Beatitudo eſt, 1. Finis propoſitus ſanctis. 2. Hæreditas acquiſita ſanctis: 3. Corona propoſita ſanctis.

CONCIO QUARTA.

Chriſtianus boni operator, quia, 1. Defert imaginem Dei qui operatur. 2. Suſcipiens baptiſma, in bonis operibus creatur. 3. Ob bona opera, prædeſtinatur. 391
I. PARS. Homo Dei imagine inſignitus in agendo Deum imitatur, quia ejus opera, 1. Sunt à bono, 2. Terminantur ad bonum, 3. Fiunt propter bonum. 392

II. PARS. Chriſtianus à Deo adoptatus, divinitate donatus, ad hæreditatem cæleſtem deſtinatus, debet bona operari, ut 1. Genitoris majeſtati reſpondeat. 2. Divinitatis gloriam ſuſtineat. 3. Cæleſtem hæreditatem acquirat. 398

III. PARS Chriſtianus bene operatur, quia bona opera diſcriminant, 1. Chriſtianum ab Ethnico. 2. Catholicum ab hæretico. 3. Electum à reprobo. 404

CONCIO QUINTA.

Temporis, 1. Occupatio. 2. Depravatio. 3. Reparatio. 412

I. PARS. Deus homini dedit tempus, ut 1. Operaretur. 2. Bene operaretur. 3. Pro acquirenda fœlici æternitate operaretur. 418

II. PARS. Depravatur tempus, 1. Male agendo. 2. Nihil agendo. 3. Aliud agendo. 418

III. PARS. Reparatur tempus, 1. Pœnitentiam faciendo. 2. Virtuti ſtudendo. 3. Deo & cœlo vivendo. 426

CONCIO SEXTA.

Chriſtianus bonum debet præbere exemplum propter, 1. Deum. 2. Semetipſum. 3. Proximum, 430

I. PARS. Chriſtianus bonum Deo debet exemplum, ut ejus, 1. Voluntati obtemperet. 2. Majeſtatem magnificet. 3. Virtuti ſeſe conformet. 431

II. PARS. Chriſtianus bono exemplo, 1. Offert Angelis lætitiam. 2. Dæmonibus aufert tentandi materiam. 3. Hominibus confert bene operandi efficaciam. 435

III. PARS. Chriſtianus bono exemplo, 1. Extraneos erudit. 2. Pravos Chriſtianos confundit. 3. Probos Chriſtianos ad virtutis incrementum accendit. 436

CHRISTUS.

SCHOLIUM.

Chriſtus, 1. Naſcitur. 2. Circunciditur. 3. Rex agnoſcitur. 4. Crucifigitur. 5. De ſepulchro egreditur. 6. In cœlum evehitur.

CONCIO PRIMA.

Deus, 1. Magnus dejicitur, ut humanam condemnet ſuperbiam. 2. Dives pauper efficitur, ut vanam mundi condemnet opulentiam. 3. Impaſſibilis doloribus ſubjicitur, ut voluptuoſam mortalium condemnet lætitiam. 440

I. PARS. Deus magnus dejicitur ſuaque humilitate ſuperbiam, 1. Diabolicam debellat. 2. Humanam ſanat. 3. Mundanam condemnat. 441

II. PARS. Deus dives pauper efficitur, & ſua egeſtate, 1. Paupertatem commendat. 2. Hominem ditat. 3. Vanam mundi opulentiam damnat. 445

III. PARS. Deus impaſſibilis dolori ſubjicitur, & ſuis lachrymis, 1. Delicatulam mortalium arguit pravitatem. 2. Humanam oblectamenti confundit ſollicitudinem. 3. Veneream carnis damnat voluptatem 451

CONCIO SECUNDA.

In Circunciſione Chriſti, 1. Supremus Dominus obſequitur. 2. Deus ſanctus velut peccator conſpicitur. 3. Deus impaſſibilis patitur. 456
I. PARS. Chriſti Domini obedientia commendatur perfecta, 1 Libertate. 2. Charitate. 3 Humilitate. ibid.
II. PARS. In Circunciſione, 1 Chriſti ſanctitas ſub ſpecie peccati occultatur. 2. Chriſtus peccati ſignaculo notatur. 3. Velut peccator exiſtimatur. 461
III. PARS. Chriſtus in Circunciſione fudit ſanguinem, ut, 1. Hominis ſceleroſi maculas mundaret. 2. Hominem mortuum ad vitam revocaret. 3. Hominem mortalem immortalitate donaret. 464

CONCIO TERTIA.

Chriſtus eſt Rex, 1. Verus. 2. Magnus. 3. Beneficus. 471
I. PARS. Chriſtus Rex verus, non agnoſcitur. ibid.
II. PARS. Chriſtus Rex magnus contemnitur. 478
III. PARS. Chriſtus Rex beneficus proſequitur. 483

CONCIO QUARTA.

In Paſſione Chriſti trina concurrit conſummatio, 1. Perfidiæ & ingratitudinis. 2. Malitiæ & iniquitatis. 3. Sævitiæ & crudelitatis. 485
I. PARS Conſummatio ingratitudinis in, 1. Juda diſcipulo, 2. Malcho ſanato: 3. Populo Judaico obligato. 486
II. PARS. Conſummatio iniquitatis in, 1. Barabbæ prælatione. 2. Chriſti flagellatione, 3. Coronatione. 486
III. PARS. Conſummatio crudelitatis qua Chriſtus mulctatus eſt ſupplicio, 1. Infami & ignominioſo. 2. Crudeli & violento. 3. Univerſali & generico. 496

CONCIO QUINTA.

Chriſtus, 1. Vere reſuſcitatus. 2. Reſuſcitando in melius immutatus. 3. Poſt reſurrectionem non eſt amplius morti mancipatus. 505
I. PARS. Veritas reſurrectionis dominicæ probatur ex, 1. Terræ concuſſione. 2. Lapidis revolutione. 3. Cuſtodiæ disjectione. ibid.
II. PARS. Chriſtus per reſurrectionem immutatus eſt, 1. Ab humili forma ſervi, ad Dei ſublimitatem. 2. Ab ignominiæ forma, ad gloriam & honorem. 3. A paſſibili & mortali forma, ad impaſſibilitatem & immortalitatem. 507
III. PARS. Reſuſcitatus Chriſtus immortalitate inamiſſibili fruitur, quam ei confert: 1. Verbi divinitas. 2. Animæ fœlicitas. 3. Paſſionis dominicæ meritum & efficacitas. 511

CONCIO SEXTA.

In Aſcenſione eſt Chriſti, 1. Majeſtas manifeſtata 2. Humilitas exaltata. 3. Dilectio conſummata. 515
I. PARS. Chriſti majeſtas eſt manifeſtata, 1. Hominibus. 2. Supernis ſpiritibus. 3. Manifeſtanda in judicio Angelis & hominibus. ibid.
II. PARS. Dei Filius, 1 Humiliatur uſque ad terram, ad cœlum ſublimatur. 2. Humiliatur infra Angelos, ſupra Angelos ſublimatur. 3. Humiliatur ſub patris imperio, ad patris ſolium ſublimatur. 519
III PARS. Conſummatur Chriſti dilectio, 1. Cœlum aperiens hominibus. 2. In cœlo orans pro hominibus. 3. De cœlo largiens dona hominibus. 528

DEUS,

DEUS.

SCHOLIVM.

Divina 1. Exiſtentia probatur. 2. Majeſtas adoratur. 3. Auctoritas obſervatur. 4. Providentia vindicatur. 5 Trinitas explanatur. 6. Spiritus ſancti proceſſio declaratur.

CONCIO PRIMA.

Dei exiſtentia 1. Impie & irrationabiliter negatur. 2. Culpabiliter ignoratur. 3. Inconteſtabiliter probatur. 526

I. PARS. Dei negantes exiſtentiam redarguuntur, 1. Unanimi hominum confeſſione, 2. Pulchra mundi molitione 3. Virtutis remuneratione. ibid.

II. PARS Dei exiſtentia, 1. Non debet ignorari. 2. Non poteſt ignorari. 3 Nequit inculpabiliter ignorari. 530

III. PARS. Dei exiſtentia probatur, 1. Scripturarum oraculo. 2 Creaturarum depoſito 3. Naturali animæ teſtimonio. 532

CONCIO SECUNDA.

Deus unus, verus, ſanctus, adorandus eſt, 1. Unicè. 2. Verè. 3. Sanctè. 536

I. PARS. Criminoſus Chriſtianus, 1 Debitam Deo adorationem non præſtat, 2. Idola colit, & falſos Deos multiplicat 3. Plus falſos Deos, quàm Deum verum exiſtimat. ibid.

II. PARS. Ad verum Dei cultum requiritur: 1. Mentis cognitio, 2. Voluntatis demiſſio. 3. Humilis corporis compoſitio. 539

III. PARS. Deus ſanctè colitur: 1. Virtutum operatione. 2. Sancti ſacrificii oblatione. 3. Divinæ perfectionis imitatione. 542

CONCIO TERTIA.

Obſervanda ſunt Dei mandata, ob 1. Præcipientis auctoritatem. 2. Legis bonitatem. 3. Obſequentis utilitatem. 545

I. PARS. Deus 1. præcipit. 2. Per ſemetipſum præcipit. 3. Hortando ad obſequium præcipit. ibid.

II. PARS Divinæ legis bonitas integratur mandatorum, 1. Rationalitate. 2. Æquitate. 3. Poſſibilitate. 549

III. PARS. Deus ſubditos, 1. Sua lege in bonis moribus format. 2. Auxilium ad ſervandam legem eis ſubminiſtrat. 3 Obſervantes in cælo remunerat. 552

CONCIO QUARTA.

Dei providentia 1. Demonſtratur. 2. Univerſalis vindicatur. 3. Cum humana voluntate conciliatur. 554

I. PARS Dei providentiam, 1. Unanimis Philoſophorum conſenſus auctorat. 2. Scriptura ſacra prædicat. 3. Ratio probat. ibid.

II. PARS Univerſalis providentia Dei ſe extendit ad 1. Myſticum Eccleſiæ mundum. 2. Magnum univerſi mundum. 3. Microcoſmum ſeu parvum mundum. 562

III. PARS Dei providentia conciliatur cum 1. Hominis libertate, 2. Impii proſperitate. 3. Juſti adverſitate. 564

CONCIO QUINTA.

Creditam fide Trinitatem explanat ratio, ex Dei 1. Perfectione. 2. Intellectualitate. 3. Fœlicitate. 567

I. PARS. In Trinitate elucet, 1. Principii producentis perfectio. 2 Productionis perfectio. 3. Termini producti perfectio. 568

II. PARS. Trinitate nihil intelligentius perfecta ratio poteſt invenire. in qua 1. Pater Verbum generat 2. Pater cum Filio Spiritum ſanctum ſpirat. 3. Spiritus ſanctus Trinitatem complet & terminat. 575

III. PARS. Divinatum perſonarum. 1. Declaratur unitas. 2. Teſtatur Trinitas. 3. Commendatur fœlicitas. 578

CONCIO SEXTA.

Spiritus ſanctus 1. Productus. 2. Miſſus. 3. Deſpectus. 581

I. PARS. Spiritus ſanctus producitur ſpiratione, 1. Ardente. 2. Vivente. 3 Immanente. 582

II. PARS. Spiritus ſanctus miſſus oſtendit gratiæ, 1. Neceſſitatem. 2. Diverſitatem. 3. Suavitatem. 583

III. PARS. Spiritus ſanctus non 1. Agnoſcitur. 2. Non recipitur. 3. Receptus ejicitur. 586

EUCHARISTIA.

SCHOLIUM.

Euchariſtia eſt panis facierum, panis 1. Induſtriæ & inventionis, 2. Intellectus & credulitatis. 3. Dejectionis & humilitatis. 4. Convivii & ſumptuoſitatis, 5. Unionis & conſubſtantialitatis. 6. Munificentiæ & liberalitatis. 7. Vitæ & immortalitatis. 8. Cœli & fœlicitatis.

CONCIO PRIMA.

Euchariſtia 1. Veram Chriſti præſentiam præſtat. 2. Hanc præſentiam humanæ fragilitati contemperat. 3. Huic præſentiæ quamdam immenſitatis & æternitatis ſpeciem ſubminiſtrat. 592

I. PARS. Chriſtus in Euchariſtia ut fiat præſens, vim infert. 1 Cordi, motus ejus teneriores debellando 2. Corpori, ipſum ſitu privando. 3. Naturæ, accidentia abſque fulcro ſubſtantiæ conſervando ibid.

II. PARS. Suam gloriam occultat Chriſtus, ne nobis. 1. Horrorem ingerat. 2. Terrorem incutiat. 3. Mortem, vel cæcitatem afferat. 595

III. PARS. Quamdam immenſitatis & æternitatis ſpeciem Sacramento largitur Chriſtus, ut ubique & ſemper, 1. habeatur dominicæ paſſionis memoria. 2. Sua nos Dominus conſoletur præſentia. 3. Suaque ditet gratia. 599

CON-

CONCIO SECUNDA.

Euchariſtia fides eſt, 1. Victrix & triumphans, 2. Satisfaciens & reparans. 3. Erudiens & illuminans. 604

I. PARS. Fides Euchariſtiæ detriumphat philoſophiam, credens 1. Exiſtentiam accidentium ſine ſubjecto. 2. Quantum Chriſti corpus definitivo modo. 3. Ejuſque præſentiam multiplici in loco. ibid.

II. PARS. Fides Euchariſtiæ reparat, 1. Iniquam protoparentum credulitatem. 2. Impudentem gentilium impietatem. 3. Temerariam hæreticorum perverſitatem. 606

III. PARS Euchariſtia illuminat, 1. Fide ſacramenti. 2. Gratia ſeu charitate quæ eſt effectus Sacramenti: 3 Carne luminoſa Chriſti. 618

CONCIO TERTIA.

In Euchariſtia majeſtas Chriſti, 1. Imperans & domina dejicitur. 2. Subſtantialis ſplendeſcens velis tegitur. 3. Adorabilis & veneranda deſpicitur. 618

I. PARS. Chriſtus dependet, 1. In ſui productione à voluntate ſacerdotis, cujus imperio ſubſtratur. 2. In ſui conſervatione, ab ſpeciebus quibus occultatur. ibid,

II. PARS, Chriſtus in Sacramento, 1. Splendorem ſuum ſub ſpeciebus obnubilat. 2. Subſtantiam ſuam ſub figura accidentali occultat. 621

III. PARS. Chriſtus in Sacramento deſpicitur, 1. Ab hæreticis. 2. A Sacerdotibus pravis. 3. Ab impiis Chriſtianis. 627

CONCIO QUARTA.

Euchariſtia magnitudinem demonſtrat, 1. Dei invitantis majeſtas. 2. Ferculorum dignitas. 3. Convivarum nobilitas. 630

I. PARS. Deus 1. Ad grande convivium invitat 2. Invitatos in ſua menſa collocat. 3. Menſæ miniſtrat. ibid.

II PARS. In Euchariſtia præbet Deus cibos, 1. Regios. 2. Angelicos. 3. Divinos. 633

III. PARS. Sumentes Euchariſtiam debent eſſe, 1. Reges ob charitatem. 2. Angeli ob puritatem. 3. Dii ob ſanctitatem. 636

CONCIO QUINTA.

Digne Euchariſtiam ſumentes habent cum Chriſto, 1. Conſubſtantialitatem. 2. Unitatem. 3, Circuminſeſſionem. 640

I. PARS. In Euchariſtia largitur Chriſtus panem, 1. Conſubſtantialem. 2. Viventem. 3. Divinos characteres repræſentantem. ibid.

II. PARS. Digne accedentes ad Euchariſtiam habent cum Chriſto, 1 Unitatem. 2. Inſeparabilitatem. 3. Individuitatem. 643

III. PARS. Inter Chriſtum & digne communicantem eſt circuminſeſſio, 1. Mutua. 2. Sufflammata. 3. Fœcunda. 646

CONCIO SEXTA.

Chriſtus in Euchariſtia eſt, 1. Donum divinæ liberalitatis. 2. Donum quod externam liberalitatem exhaurit. 3. Donum quod Deus dat hominibus ex amore, & quod Deo dare debent homines ex gratitudine. 649

I. PARS. In Euchariſtia Chriſtum dat Deus, 1. Liberaliter hominibus. 2. Hominibus non poſtulantibus, neque deſiderantibus. 3. Hominibus indignis & non merentibus. ibid.

II. PARS.

II. PARS. Dat Christus, quod 1. A Matre in tempore habuit 2. A Patre ab æterno accepit. 3 In vita & morte meruit. 651

III. PARS Christus, 1. Dedit nobis bona ſua, demus ei mala noſtra. 2. Christus dedit nobis omnia bona ſua, demus ei omnia bona noſtra. 3. Christus ſemetipſum dedit ex amore, demus Christum ex gratitudine. 653

CONCIO SEPTIMA.

Eucharistia vitam 1. Rationalem perficit. 2. Supernaturalem augeſcit, 3. Ad cæleſtem & beatam conducit. 655

I. PARS. Eucharistia ſuffragatur rationi, quia. 1. Peccati tenebras diſſipat. 2. Ardores concupiſcentiæ temperat. 3 Paſſionum impetus ſedat. ibid.

II. PARS. Eucharistia indigne ſuſcipiente vitam gratiæ ſupernaturalem, 1. Expoſtulat. 2. Conſervat. 3. Incrementat. 660

III. PARS. Eucharistia digne ſumpta ſubminiſtrat, 1. Semen vitæ æternæ. 2. Jus vitæ æternæ. 3. Pignus vitæ æternæ. 664

CONCIO OCTAVA.

Per Eucharistiam digne ſumptam, 1. Cælum in terram deſcendit. 2. Terra in cælum aſcendit. 3. Per indignam communionem tum cælum, tum terra in infernum cadit. 666.

I. PARS. In Eucharistia, 1. Deus poſſidetur. 2. Cum Deo omne poſſidetur. 3. A ſingulis Deus poſſidetur. ibid.

II. PARS. Eucharistia, 1. Mentis cogitationes & cordis affectus in cœlum ſublevat. 2. Spem cœli præſtat. 3. Media ad comparandum cœlum ſubminiſtrat. 668

III PARS. Indigna Eucharistiæ ſumptio immutat, 1. In mortale venenum alimentum vitæ 2 In tribunal juſtitiæ, thronum gratiæ. 3. In viaticum damnationis æternæ, viaticum fœlicitatis æternæ. 670

FINIS.

APOSTOLUS.

SCHOLIUM.

Apoſtoli ſex illuſtrantur Concionibus : Sunt etenim, 1. A Chriſto vocati : 2. Chriſti amicitia donati : 3. In orbem miſſi ; 4. Chriſtum teſtificati : 5. Mundi triumpho coronati ; 6. Fidelium prole fœcundati.

CONCIO PRIMA.

MIRABILIS ubique DEUS, maximè in operibus quæ religionem ſpectant. Nam parvis utitur inſtrumentis, ad magnos producendos effectus; ut patet in Sacramentorum inſtitutione, & Apoſtolorum vocatione. Sacramenta inſtituit Chriſtus Dominus; *Tantâ ſimplicitate, ſine pompa, ſine apparatu novo aliquo, denique ſine ſumptu.* Quid aqua communius, quam elegit, ut in baptiſmate divinam hominibus conferret nativitatem? Quid ſimpliciùs verbis humano ore prolatis; queis ſacerdos, in Pœnitentiæ Sacramento, & peccata dimittit, & largitur gratiam? Quid magis familiare quàm panis, qui tamen in venerando Euchariſtiæ myſterio convertitur in corpus dominicum? Conſtat etiam in Apoſtolis nullius momenti apud homines, quos aſſumpſit Salvator, & ad idololatriam evertendam, & religionem Chriſtianam ſtabiliendam: Verùm, *Nihil adeò eſt, quod tam obduret mentes hominum, quàm ſimplicitas divinorum operum, quæ in actu videtur: & magnificentia, quæ in effectu repromittitur.* Sacramentorum efficacia, & miniſterium Apoſtolicum, admirationem ſimul & fidem ingenerare debent hominum mentibus; quæ tamen plerique mirantur & non credunt. *Cæterum incredulitas miratur, non credit. Miramur enim ſimplicia,* quaſi

Tert. lib. de Bapt. 1.

Tert. ibid.

quaſi vana; *magnifica, quaſi impoſſibilia.* Hanc incredulitatem eo magis deflendam cenſet Tertullianus, quo ſuas Deo denegat proprietates: *Prò miſera incredulitas; quæ DEO denegas proprietates ſuas, ſimplicitatem & poteſtatem!* Sicut increduli illi multum ſunt culpandi, ita fideles ſunt maximè laudandi; qui mirantur & credunt: & idcircò mirantur, quia credunt, ut ipſimet fatentur, *Nos quoq; ipſi miramur, ſed quia credimus*, divinam ſcilicet ſimplicitatem & poteſtatem. Præſertim in Apoſtolorum vocatione quæ fide ſimul & admiratione digna exiſtit; ſi attendatur. 1. vilitas eorum qui vocantur: 2. eminens dignitas ad quá vocantur: 3. magnitudo miniſterii ob quod vocátur.

I. PARS

L. de Idol. 18.

De Chriſto ſic fatur Tertullianus, *Ille Dominus in humilitate, & ignobilitate incesſit*; non ſolùm in ejus nativitate, vita & morte: verùm etiã in Apoſtolorum vocatione. Non enim vocavit homines genere & nobilitate claros, intellectu & ſcientiâ fulgidos; bonis & divitiis cumulatos: ſed piſcatores, 1. ignobiles & demiſſos: 2. imperitos & ignaros: 3. pauperes & egenos.

Tert lib de Ref. carn. 4. Hug Card. in cap. 4. Matth. Chryſol. Ser. 28. Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 2.

1. Haud aberraret à vero, qui Apoſtolos, ante vocationem ſuam, vocitaret *ignobilitatis elogium*, quod eis duplici de cauſa probè competit: 1. Quia erant de Galilæa oriundi; inter omnes autem Judææ terras gens Galilæa, erat maxime barbara, ruſtica, rudis, & ignobilis. 2. Quia etiam apud Galilæos erant Apoſtoli *loco humiles, viles arte, obſcuri vitá, labore communes, negati honoribus.*

Tert l. 2. ad Nat. 2. Tert. Apol. 47. Tert. lib. de An. 1 Tert. lib de Ref. Carn. 3 Tert. l. 5. adv. Marc. 14

2. Adde *ignorantes ſimpliciter*; id eſt, omnimoda inſcitia laborantes. Chriſtus Dominus, in quo ſunt omnes ſcientiæ & ſapientiæ theſauri abſconditi, quos, ut Deus ab æterno mutuatus eſt Patre: & ut homo accepit in tẽpore virtute hypoſtaticæ unionis, non vocavit Philoſophos; qui ſunt *ſapientia animal*, quiq; apud Gentiles, *in honore ſapientia perſeverant.* Ratio autem cur eos non vocaverit Salvator, eſt quia *Philoſophus gloriæ animal*, idcircò humilitatis magiſter Chriſtus, voluit gentes *de vulgi ignorantia inſtrui*: eligens in Apoſtolos non Græcos, non Sophiſtas, ſed Galilæos, piſcatores; ignaros, & egenos.

Chryſol. ſer. 28. Tert. l adv. Herm 28. D. Chryſoſto. in c. 28. G. n.

3. Salvator docens, *non altum ſapientes, ſed humilia ſectantes*, elegit in Apoſtolos, homines *pauperes cenſu.* At cur pauperes ad ſe vocavit Chriſtus? 1. Ut facilius ei ſubderentur, nam *nemo non ſubjicitur ei cujus eget.* 2. Ut validiores forent ad quæcunque aggredienda pericula: Nam pauper & inglorius cui nihil perire poteſt, animoſior & audentior eſt, quam dives & ſublimis, quem timor amittendi fœlicitatem, reddit puſillanimem & formidoloſum. 3. Quia inopia eſt *Apoſtolicus character*, quo ſuos voluit Chriſtus agnoſci diſcipulos, quos ad ſummum ſublimavit honorem.

II. PARS. L. de Exh. Caſt 14. D Aug. 1. Cor 12. Tert. l. 2 adv Marc. 3.

Apoſt. li faſtigium contemplatur meritò Tertull. Ut 1. in regno, ita & in Eccleſia, varii ſunt dignitatum gradus. Verùm ſicut dignitas regia eſt *culmẽ & faſtigium honoris*; ſic in Eccleſia poſuit Deus, *primum Apoſtolos.* Ratio autẽ hujus eminentiæ eſt; quia cùm Deus ſit *ſummũ mag ũ*; creata dignitas, tanto digni-

nior exiſtit, quanto magis divinæ fuerit particeps magnitudinis. Apoſtoli em participes ſunt: 1. potentiæ, quæ Patri accomodatur: 2. ſapientiæ, Filio attribuitur: 3. ſanctitatis, quæ Spiritui ſancto appropriatur.

1. *Cujus poteſtas ſumma, niſi DEI ſolius?* Divinæ & ſummæ hujus po- Tert. l. de atis participes ſunt, qui ad grande aliquod aſſumuntur negotium. Eis Teſt. An. 2 aque largitur DEUS virtutem patrandi miracula, quæ ſunt velut ſigilla næ omnipotentiæ, æquè eorum miniſterium evidenter demonſtrant; ut et in Moyſe, qui ſuam in Ægypto portentis firmavit miſſionem. Nam *us dedit eum in DEUM Pharaonis, munit ſignis, armat virtutibus, juſſu bella ugnat, militem ipſo verbo vincere tribuit, & præceptis triumphare concedit.* Chryſol. Ser. 147. ſicut in veteri Teſtamento, multa DEUS per Moyſen operatus eſt mira- ; ſic in novo teſtamento omnipotentiæ divinæ miniſtri fuerunt Apo- Tert. lib. 4. i: *Tam enim Apoſtolus Moyſes, quam & Apoſtoli Prophetæ: æquanda erit aucto- s utriusq; officii, ab uno eodemq; Domino, Apoſtolorum & Prophetarum.* Marc. 24. In ypto Moyſes Magorum præſtigia veris debellavit miraculis, Apoſtoli que terrarum de Magis inſignes reportarunt victorias. *Sic & alia illa ſpe-* Tert. l. de Idol. 9. *Magia quæ miraculis operatur, etiam adverſus Moyſem æmulata, patientiam traxit ad Evangelium usque. Nam exinde & Simon Magus jam fidelis quoniã uc de circulatoria ſecta cogitaret, maledictus ab Apoſtolo, de fide ejectus eſt. Al- Magus, qui cum Sergio Paulo, quoniam adverſabatur Apoſtolis, luminum amiſ- e mulctatus eſt.* Hæc aliaque portentoſa opera patraverunt Apoſtoli, tùm potentiam quam acceperunt à Patre; tùm per ſapientiam quam mutua- nt à Filio.

2. De quo ipſimet gloriantur. *Quid inſigne præferimus, niſi primã ſapi- am?* Tert l. 1. ad Nat. 4. Prima ſapientia eſt Verbũ divinũ, quod eſt ſapientia ab æterno geni- cujus participes facti Apoſtoli valent meritò ſapientes nuncupari. Si æcia ſuos aliàs decantavit ſapientes: tanto potiori jure prædicandi ſunt Tert. lib. de oſtoli, *quanto dignior Chriſtiana ſapientiæ aſſertio*, præſertim cũ inter utros- An. 1. nulla reperiatur æqualitas. *Neq; de ſcientia, neq; de diſciplina æquamur.* A- Tert. Apol. 46. toli ſiquidẽ Græciæ ſapientibus longè antiſtant: nam ſi 1. inquiramus, Tert. l. 1. ad de *ſcientia inſtructi* Græciæ ſapientes; ab hominibus didicerunt: Apoſtoli Nat. 19. ò ſunt edocti à Verbo divino, quod eos verum DEUM agnoſcere docuit. Tert. lib. 2. *noſcentes per ſapientiam DEUM.* 2. Græciæ ſapientes, ſuâ fucatâ ſapientiâ adv. Marc. 12. t Athenis illuſtrati, ſeu potius contenebrati. Verùm *quid Athenis & Hiero- mis, quid Academiæ & Eccleſiæ?* Tert. lib de Præſc Hær. 7. Apoſtolorum quippe ſapientia non terram, cœlum ſapit: *Hæc ſapientia de ſchola cœli.* 3. Græciæ ſapientes, multũ in- Tert. lib de An 1. mpſere temporis in acquirenda qua pollebant ſapientia. At Chriſtus, *pro itudine ſciẽtiæ*, in momẽto diſcipulos edocuit. *O quàm velox eſt ſermo ſapiẽ- & ubi DEUS magiſter eſt cito diſcitur quod docetur.* Tert. Apol. 45. 4. Græciæ ſapientes con- turis tantum, & incertis opinionibus, ſuam tuentur ſcientiam: *Viderint* S. Leo Ser. 1. Pent. *ur humanæ doctrinæ patrocinia, quæ conjectandi artificio ſcientiam men-* Tert. l. 1 ad Nat. 6.

 tiun-

tiuntur, Apoſtoli verò innituntur ſapientiæ ipſiuſmet Dei, quæ certa, infallibilis & tota eſt. *Quod à DEO diſcitur totum eſt.* 5. Græciæ ſapientes, hoc ſunt indigni titulo; cum ignorantiæ obvolvantur tenebris. Nam *mera ſapientia Philoſophorum, cujus infirmitas veniens de ignorantia veritatis: quis autem ſapiens expers veritatis?* At Apoſtoli ſapientes meritò nuncupantur: Ideoque ſe ſcire omnia audacter gloriantur, *ſimplices nos omnia ſcimus*. 6. Tandem ut concludam in gratiam Apoſtolorum, adverſus Græciæ Philoſophos: *Quid ſimile Philoſophus & Chriſtianus; Græciæ diſcipulus & cæli; famæ negotiator & ſalutis; interpolator erroris, & integrator veritatis; furator ejus, & cuſtos?*

Tert. lib. de An. 1. Tert. l. 2. ad Nat. 9. Tert. l. adv. Valent. 3. Tert. Apol. 27. Tert. lib. 2. adv. Marc. 21.

Verùm ut Apoſtolorum ſapientia melius eluceſcat, conferenda eſt adhuc cum vera Salomonis ſapientia. 1. Salomon eſt auctor canonicus, qui nonnullos Scripturæ ſacræ concinnavit libros. At *conſtituimus imprimis Evangelicum inſtrumentum Apoſtolos habere auctores, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipſo Domino fuit impoſitum.* 2. Fuit adhuc *Salomon omni ſapientiâ donatus à Domino*, verùm Apoſtoli non minori fuêre ſcientiâ illuſtrati. *Nam quis nunc medullas ſcripturarum magis noſcet, quàm ipſa Chriſti ſchola?* 3. Salomõ homines mortales docuit; Apoſtoli etiam ſunt homines *ſumma ſapientia*, qui immortales docuerunt Angelos. *Vt innoteſcat principibus & poteſtatibus per Eccleſiam.* Id eſt *per Apoſtolos prædicantes*, à quibus didicerunt Angeli circũſtantias redemptionis, & vocationis gentium, maximè à D. Paulo. *Paulus Angelorum Evangeliſta, hic eos illuminavit.*

Tert. lib. de Præſc. Hær. 3. Tert. Scorp. 12. Tert. Apol. 48. Ephes. 3. Gloſſ. D. Thom. Opuſc. c. 16. Chryſoſt. L. de Bapt. 4

3. Tertullianus divinum Spiritum S. neutraliter nuncupat, quia ſcilicet *ſanctitas propria eſt natura ejus*, Eſt ſiquidem ſanctitas eſſentialis, & *ſanctitas ſubſtantialis, & conſubſtantialis amborum.* Subſtãtialis, quia eſt ipſemet ſubſtantia divina, & non accidens ei ſuperadditum. Conſubſtantialis, quia eſt illi, Patri, Filioque cõmunis. Duplici tamen ratione divino Spiritui ſanctitas appropriatur: 1. Quia eſt terminus ſpirationis activæ, *genitoris, genitiq́; ſanctitas, ſpiritusq́;*: 2. Quia *creaturas per ſuã participationem ſanctificando perficit*, ſic perfectionem largitus eſt Apoſtolis, qui in die Pentecoſtes *Spiritũ biberunt ſanctitatis*. Ut enim optimè ad propoſitum ratiocinatur Tertullianus, *nemo perfectus ante repertum ordinem fidei: Nemo Chriſtianus ante Chriſtum cælo reſumptum: Nemo ſanctus ante Spiritum ſanctum de cælo repræſentatum, ipſius diſciplinæ determinatorem.* Chriſtus etenim in cœlos aſſumptus, miſit ad Apoſtolos Spiritũ ſanctũ, qui ſedens ſupra ſingulos eorũ, eos ſanctificando perfecit. Hujuſmodi autem *ſeſſio, regia in Spiritu ſancto dignitatis excellentiam deſignat: ejusq́; ſuper Sanctos requietem*, quia ut docet D. Auguſtinus, *Spiritus ſanctus in corda diſcipulorum venit, non viſitator ſubitus, ſed perpetuus conſolator, & cohabitator æternus.* Fuerunt namque in gratia confirmati, & tantâ ſanctitate repleti; ut eos contempletur Tertullianus, velut *Spiritu divino inundatos*, his verbis denotans ſanctitatis Apoſtolicæ tùm infuſionem, tùm effuſionem.

Tert. lib. de Mon. 3. D. Aug. l. 12. Civ. 24. D. Ambr. in Symb. Apoſto cap. 1. D. Cyrill. Alex. l. 3. Theſ. 4. Tert. Apol. 38. L. de Pud. 11. Act. 2. D. Greg. Naz. Orat. 44. Ser. 2. Pentec. Apol. 18 L. de Bapt. 4

De baptiſmi aquis ſic ratiocinatur Afer, *Supervenit enim ſtatim Spiri-*

ritus de cœlis, & aquis ſupereſt : ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificata vim ſanctificandi combibunt; Spiritus ſanctus de cœlis venit ad aquas : de cœlis etiam venit ad Apoſtolos. 2. Spiritus ſanctus ſupereſt aquis: & ſuper Apoſtolos requieſcit. 3. Spiritus ſanctus aquas ſanctificat : (Ideſt, ad cultum deſignat divinum, non enim ſunt juſtificationis capaces.) Spiritus ſanctus Apoſtolos ſanctificat, & juſtos formaliter efficit. 4. Spiritus ſanctus vim ſanctificandi confert aquis : baptiſmus ſiquidem eſt ſanctificationis inſtrumentum morale. Spiritus ſanctus tribuit Apoſtolis, uti Sacramentorum miniſtris, poteſtatem conferendi ſanctitatem. Idcircò dicuntur *ſanctitatis antiſtites*, tam grande eſt miniſterium, ob quod vocantur. D. Chryſoſto. ho. 8. de laud. D. Paul.

Duodenarii Apoſtolorum numeri tres perpulchras affert Tertullianus figuras : *Cur autem duodecim Apoſtolos elegit, & non alium quemlibet numerum ? hujus enim numeri figuras deprehendo, duodecim fontes olim ; & duodecim gemmas, in tunica ſacerdotali Aaron, & duodecim lapides ab Ieſu de Iordane electos, & in arcam Teſtamenti conditos ; totidem enim Apoſtoli portendebantur. Proinde ut fontes & amnes rigaturi aridum retro & deſertum à notitia orbem nationum: proinde ut gemmæ illuminaturi ſacram Eccleſiæ veſtem, quam induit Chriſtus Pontifex Patris : Proinde ut & lapides ſolidi fide, quos de lavacro Iordanis IESVS verus elegit, & in ſacrarium Teſtamenti ſui recepit.* His verbis Tertullianus & duodenarium Apoſtolorum numerum declarat, & miniſterium, ob quod vocati ſunt oſtentat. Nam eos elegit Chriſtus, ut ſint 1. Eccleſiæ fundamenta & baſes : 2. fidelium capita & principes : 3. orbis lumina & faces. III. PARS. Lib. 4. adv. Marc. 13.

1. *Et numquid ipſe tunc Paulus deſtinabatur de Iudæa, id eſt, de Iudaiſmo auferri, habens in ædificationem Chriſtianiſmi, poſiturus unicum fundamentū, quod eſt Chriſtus?* Solus Chriſtus eſt primariū Eccleſiæ fundamentū, & *fundamentū fundamentorū*. Ad primariū autem fundame[n]t[um r]equiritur, 1. Ut aliud non ſupponat fundamentū : aliàs non eſſet primū. 2. Ut ſit ſubtus terram abſconditū, nec videatur. 3. Ut ſit ſolidū, adhuc ut totū valeat ſuſtentare ædificium. Hæc tria perfectiſſimè in Chriſto reperiuntur, qui eſt 1. Fundamentum primarium ; nam ſeipſo ſubſiſtit, nec alio innititur fundamento : 2. Fundamentū abſconditū ; tùm quia ejus majeſtas humilitate occultatur ; tùm quia ejus nativitas ſive divina, ſive humana, haud à ratione cognoſcitur : 3. Fundamentū ſolidum, quod totum Eccleſiæ corpus, ipſos etiam Apoſtolos ſuſtentat. Hæc omnia innuit DEUS per Eſaiam, apud Tertullianum : *Ecce ego injicio in fundamenta Sionis lapidem pretioſum, honorabilem, & qui in eum crediderit, nō confundetur.* Addit Tertull. *Apoſtoli lapides ſunt, & fundamenta : ſuper quæ nos ædificamur*, & hujuſcemodi munus eis meritò tribuitur, tùm quia *fidem Apoſtoli induxerunt*, tùm quia *in confeſſione ipſorum fundatur Eccleſia*. Fundaméta ſunt quidē Apoſtoli, non primaria, ſed ſecundaria; fundati ſunt etenim ſuper Chriſtum, qui eſt primarium fundamentum. Unde nos ſumus *ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto IESV.*

Tert. l. 5. ad. Marc. 6. D. Aug. in Pſ. 86. Eſa. 28. Lib. 5 adv. Marc. 6. Lib. 4. adv. Marc. 10. Tert. l. 3. adv. Marc. 21. D. Chryſoſt Ser. 3. d'ent. Epheſ. 2.

Tert.lib 5. Marc. 18. 2. *Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* Ratio autem hujus moralis capitis explicanda eſt per analogiá ad caput naturale: Quod 1. ſupra cæteras corporis eminet partes: 2 In alia influit membra: 3. Membrorũ habet guberniũ, eo quod
D. Tho. in 1. Cor. 11. ſit rationis ſedes: 4. Totũ protegit. & conſervat corpus Nõ abſimiliter Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: 1. Ob dignitatem qua eminet; Virtute etenim hypoſtaticæ unionis, cunctos homines multũ dignitate antecedit; 2 Ob influentiam qua viget; nam in Eccleſiam ſuo ſanguine fundatã cõtinuos gratiæ largitur influxus: 3. Ob poteſtatẽ, qua valet; nam ſuper Eccleſiã ſpiritalẽ habet poteſtatẽ 4. Ob protectionẽ qua pollet; nam defenſat & conſervat Eccleſiã.

Amos 6. Ser. 5 de S. Petr. & Paul Apoſtoli etiam ſub Chriſti auctoritate, & ſubalternatim ad ipſum, ſunt *capita populorum*, quos fidei lumine illuſtrárunt; tùm quia Eccleſiæ ab eis fundatæ, ſunt eorum opus, & velut peculiare ſui Apoſtolatus territorium. Ut enim aſſeverat D. Bernardus; *Manent uſq; hodie in nobis Apoſtolorũ veſtigia: & eorũ religio, quæ ex DEO eſt, non poteſt diſſolvi;* Tùm quia ejuſcemodi Eccleſias ſuo ſanguine rigârunt. Unde D Bernardus: *Scimus quod viri iſti non ſibi mortui ſunt, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt. Magis autem nobis omnibus propter illum.* Tùm quia etiam nunc in tales Eccleſias proprio ſanguine fundatas & irrigatas, gratias influunt, quas ſuis precibus obtinent à DEO; quare addit D. Bernardus, *uſq; hodie conferre non ceſſant miſericordia pleni, quod eſt ſanctarũ fructus orationũ;* Tùm quia illas protegunt Eccleſias, earumq; conſervationi indeſinenter invigilant. Ut enim D. Bernardus proſequitur, *pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, etiam & mors ipſa.* Hæc omnia complectitur D. Chryſoſtomus, Apoſtolos nuncupans *Nubes, paſtores, duces, fundamenta ſidera, capita:*
Ser. 1. Pent. Etenim ſi Eccleſia eſt ager floribus coronatus, fructibus fœcundatus, Apoſtoli ſunt nubes, quæ eam irrigant; ſi Eccleſia eſt ovile, ovium nutritii, paſtores & propugnatores ſunt Apoſtoli; ſi Eccleſia eſt exercitus Apoſtoli ſunt duces, ſub quibus militat; ſi Eccleſia eſt domus DEI, Apoſtoli ſunt fundamenta &
Tert lib. 1. Marc. 21. *Columnæ*, quæ eã ſuſtentãt: Si Eccleſia eſt cœlũ, ſidera ſunt Apoſtoli, à quibus illuminatur; ſi Eccleſia eſt corpus, capita ſunt Apoſtoli variarũ Eccleſiarũ quæ Eccleſiã unã univerſalem conficiunt, ſub uno primario & principali capite
L. de Præſc. Hær. 20. Chriſto JESU. Quod ſic luculenter illuſtrat Tertullianus, *Apoſtoli Eccleſias apud unãquãq; civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & ſemina doctrina, cætera exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant. Ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ, ut ſoboles Apoſtolicarũ Eccleſiarũ, Omne genus ad originẽ ſuã cenſeatur neceſſe eſt. Itaq; tot ac tantæ Eccleſiæ, una eſt illa, ab Apoſtolis prima, ex qua omnes; ſic omnes Eccleſiæ, una eſt illa, dum una omnes probant unitatem: dũ eſt illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis & conteſſeratio hoſpitalitatis: Quæ jura non alia ratio regit, quàm ejusdem Sacramenti una traditio.*

Lib. 5. adv. Marc 9. 1. Theſſal. 2. 3. Acutè animadvertit Tertullianus, quod *myſticè factum eſt ut nocte Chriſtus naſceretur, lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris.* Has autem ignorantiæ tenebras fugavit Dominus, tùm *illuſtratione adventus ſui*, tùm per

per Apoſtolos, *quos & ſibi diſcipulos Dominus adoptavit, & omnes utique edocendos, & nobis magiſtros ordinavit.* Dedit ſiquidem eis omnia requiſita ad docendum. Aliàs culpanda eſſet ejus providentia, ignaros patiens Apoſtolos, *deſtinatos nationibus magiſtros.* Eos nuncupat D. Chryſoſtomus *communes orbis magiſtros*, nam etſi ante ſuam vocationem, nullâ eſſent ſcientia fulgentes, attamen *quia luci adhæſerunt, lux eſſe meruerunt*, ait Paſchaſius. Quapropter ut animadvertit D. Chryſoſtomus, *clarâ voce dicebat illis Dominus, Vos eſtis lux mundi*, innuens illuminatos fuiſſe, ut illuminarent: lux enim non ſemetipſam ſed alia illuminat, neque ad proprium, ſed ad aliorum commodum & beneficium ſplendoris ſui ſpargit radios. Apoſtoli Salvatoris propoſitum executioni mandantes, mirum in modum illuſtrârunt orbem. Quod admiratur D. Chryſoſtomus, *Intuere aſtra hæc, & illorum ſplendorem obſtupeſce.* Cherubinos vocat Tertullianus *Angelica lumina*, quia lucem quam immediatè accipiunt à Deo, inferioribus Angelis communicant. Cœleſtia lumina ſunt Apoſtoli, quia acceptam à Chriſto, & Spiritu ſancto lucem largiuntur aliis: Ut enim ait D. Auguſtinus: *Ipſe Spiritus ſanctus Apoſtolos ſuos vivæ lucis fonte perfudit: ut ipſi poſtmodum univerſum mundum, tanquam duodecim ſolis radii, & totidem lampades veritatis, illuminent.* Dilectus diſcipulus Eccleſiam duodecim ſtellis coronatam, & ornatam repræſentat; *& in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Ex D. Ambroſio duodecim ſtellæ Eccleſiæ diadema componentes, ejuſque caput coronantes, & corpus illuſtrantes, *duodecim ſtellæ, duodecim ſunt Apoſtoli*, ni potiùs dicamus cum Proclo Conſtantinopolitano antiſtite, quod ſicut ſol ſenſibus luſtrat Zodiaci ſigna, ut illuſtret mundum; ita ſol juſtitiæ Chriſtus progreditur, & reſplendet per Apoſtolos, ut Eccleſiam illuminet, *ille pergit per aſtra, iſte per Apoſtolos effulget.*

Ex prælibatis tres morales elicio concluſiones. 1. Quivis homo habet *humilitatis ſuæ ſarcinam*, tùm quia ejus nobilitas eſt *terreni cenſus*, tùm quia procedit *de uno utero ignorantia ejuſdem*, tùm quia peccator eſt. Ex D. autem Baſilio, *nihil eſt peccante pauperius*: 2. Honorandi ſunt Apoſtoli, ratione dignitatis quâ eminent: potentiæ quâ pollent; ſapientiæ quâ ſplendent; & ſanctitatis quâ fulgent: 3. Deo gratias agere debemus: quia *communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis*, quod eſt veræ fidei & religionis argumentum, quo ab hæreticis diſcernimur: *Conſtat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus & originalibus fidei conſpirat, veritati deputandam; ſine dubio tenentem quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à DEO accepit. Omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum Apoſtolorum Chriſti & DEI.* Viderint hoc Lutherani & Calviniſtæ, quorum doctrina contra Eccleſiam Apoſtolicam ſapit.

Tert. Scorp 12.
Tert. l. de Præſc. hæret. 20.
Argumen. in Ep. ad Philem.
In Cap. 5. Matth.
Hom. de S. Andr.
Li. adv. Valent. 7.
Ser. 185. de Temp.
Apoc. 12.
Orat. 18.
Tert. lib. de Cor. Mil. 14.
Tert. lib de Car. Chr. 15.
Tert. Apol. 39.
Tert. l. de Præſc. Hær. 21.
Tert. ibid.

CON-

CONCIO SECUNDA.

Tert.l.de Bapt: 18. DEI *dignatio ſuas præmittit prærogativas*, ut patet in Apoſtolis, quos ſuâ Chriſtus amicitiâ denotavit. Si terreni amicitia regis magno habetur in pretio apud homines; quanto pluris facienda amicitia Regis regum Chriſti Domini, qui Apoſtolos in ſuos adoptavit amicos? Tantam benevolentiam miratur meritò Gregorius magnus. *O mira divinæ bonitatis dilectio, ſervi digni non ſumus, & amici vocamur; quanta dignitas hominum.* Regum amicitia eſt ut plurimum vel inutilis & infructuoſa; vel triſtis & ærumnoſa; vel

InPſ. 121. vilis & inhoneſta: Unde D. Auguſtinus, *Quid tibi prodeſt hominis amicitia? fortè ibi non ſolum nullum auxilium, ſed & periculum invenies: Nã multi non periclitabantur, antequã majoribus jungerentur, excitaverunt amicitias, ut majora pericula incurrerent.* Dato etiã, quod amicitia principũ non ſit infructuoſa & inhoneſta; ſed aliqualem afferat utilitatẽ, jucunditatẽ & honeſtatẽ: Nulla ſanè re-

D. Aug. in Pſ. 121. peritur, in qua omnes boni ſpecies ſimul adunatæ videãtur, *ſecurus opta amicitiam Chriſti*, ab illa enim habebis bonũ utile, jucũdũ & honeſtũ ad inſtar Apoſtolorũ, quibus amicitia Chriſti fuit 1. utilis: 2. delectabilis: 3. honorabilis.

I. PARS. Tert.l.de Pat. 12. Cic.l.1. de Nat. deor. L.1. Offic. 7. *Dilectio magnanimis eſt*; quia non proprium, ſed alienum attendit bonum. Amicitia, quæ ſuum ſpectat cõmodũ, *negotiatio eſt, non amicitia*, quia ut ratiocinatur D. Ambroſius, *Non enim vectigalis amicitia eſt, ſed plena decoris, plena gratiæ. Virtus eſt enim amicitia, non quæſtus: quia non pecunia quæritur, ſed gratia: nec licitatione pretiorum, ſed concertatione benevolentiæ.* Verùm amico ſincero ut nihil charius, ſic nihil rarius. Ita enim à terra peregrinatur, & ab hominibus abalienatur, ut vix in uno ſæculo veri duo inveniantur amici: quare mo-

L. de Benefic. 31. Cap. 25. ralis Philoſophus, *amicitia res non domibus tantùm, ſed & ſæculis rara*, & ob hanc cauſam meritò pronuntiat Eccleſiaſtici auctor: *Beatus qui invenit amicum*, quem beati Apoſtoli, quos Chriſtus, non quæſtuoſa, ſed magnanima amicitia proſecutus eſt, quantũ verò fuerit eis utilis, conſtat, 1. ex benevoli amoris dilectione: 2. ex ſecretorum manifeſtatione: 3. donorum effuſione.

S.Aug.l.50 ho.ho. 38. Epiſt 155. D.Bern.Ep 42. L.1.deNat. deor. 1. *Amicus gratis diligendus eſt, propter ſe, non propter aliud.* Avara amicitia arcetur quivis concupiſcentiæ ardor. Quia, ut docet D. Auguſtinus, *amicitia eſt omniũ tã divinarum quàm humanarum rerum, cum benevolentia & charitate conſenſio.* Verã amicitiã non habent, *qui ſumptuoſis familiaritatibus, quæſtuoſas comparant amicitias.* In hos inſurgit Romanæ eloquentiæ princeps. *Amicitiã ſi ad fructum noſtrum referamus, non eſt iſta amicitia, ſed mercatura quædam utilitatum: prata, & arva, & pecudum greges diliguntur hoc modo.* Qui amore tã-

L. de Bapt. 12. tùm concupiſcentiæ feruntur, quantũ diſtant à Chriſto, qui Apoſtolos dilexit benevolo amore, & ut fatur Tertull. *prima adlectionis prærogativa*, quia non

ex

ex meritis, ſed ex gratia, non ex quæſtu, ſed ex charitate : non in ſuum com-
modum, ſed in illorum bonum. Gratuitum hunc amorem, nomine omniũ
fatetur Paulus. *Accepimus*, inquit, *gratiam, & Apoſtolatum.* Ubi Apoſtola Rom. 1.
tum, non ex meritis, ſed ex gratia, acceptum refert. Gratuitam hanc ele-
ctionem adhuc Evangeliſta teſtatur. *Vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim* Luc. 6.
ex ipſis. Ubi Cajetanus: *Ipſe eos elegit, & non è converſo*, & ſic amicitia Chriſti
erga Apoſtolos conſtat, & ex gratuita illorum electione, & ex ſecretorum
manifeſtatione.

2. Politici, qui perpetua diffidentia laborant, hominibus quantumvis
amicis ſecreta propalanda negant : Ideoque, inquiunt, cor eſt intra corpus
reſeratum, ne motus ejus pateant, niſi Deo ſoli, quia *DEVS conſpector eſt cor-* Tert. l. 2. de
dis. Natura quoq; idipſum docet, cùm dederit *os taciturnitatis honore ſigna-* Cult. Fœm.
tum. Quod etiam deſiderat ſecreti cõmiſſiratio, quod detegi nequit, niſi ſi- 13.
lentii frangatur fides: *Cum vel ex forma, omnibus myſteriis ſilentii fides debeatur.* Tert. l. de Pat. 13.
Aliter veri cenſent amici ; non ſine injuſtitia celare ſecretũ exiſtimãt amico,
cui cordis dedêre præcordia. Quapropter ne agant contra jus amicitiæ, ami-
co abſcondita quæq; *enubilanda* volunt. Probandi ſunt quidem amici, ut ve-
ri dignoſcantur: nec temerè & leviter cõmittenda ſunt ſecreta. Diu truti Tert. lib. de
nandũ, quid, quomodo & cui interni animi motus pateant. Verùm electo An. 3.
& probato amico fidendũ eſt, neq; ei quidquã occultandũ : *Diu cogita, an tibi* Senec Ep. 1
in amicitiã aliquis excipiendus ſit, cùm placuerit fieri, totum illo pectore admitte. in c. 15 Joan.
Quia ut ratiocinatur Doctor Angelicus, *verum amicitiæ ſignum eſt, quod amicus
amico ſuo cordis revelat ſecreta. Cùm enim amicorum ſit cor unum, & anima una;
non videtur amicus extra cor ſuum ponere, quod revelat amico.* Eodẽ ferè modo
aſſerit Mediolanenſis Antiſtes. *Nihil occultat amicus, ſi verus eſt. Effundit ani-* L. 3. Offic.
mã in amicum ſuum, ſicut effundebat myſteria Patris Dominus IESVS. Exemplum 19.
prodit Salvatoris, qui ex occultorũ manifeſtatione ſuã erga Apoſtolos demõ-
ſtrat amicitiã. *Vos autem dixi amicos, quia quæcunq; audivi à Patre meo, nota feci* Joan. 15.
vobis; Vel nota faciam, explicat D. Auguſtinus, per Spiritum ſanctum, qui eſt
adhuc miſſus à Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre, ut eſſet Doctor veritatis. Tert. l de

Tria ſecretorum genera habuit Salvator: quorum nonnulla reſpicie Præſc. Hær.
bant ejus divinitatem; quædam humanitatem; alia, ad ejus ſpectabant ſtatũ 28.
& miniſterium, quæ omnia, vel per ſe, vel per Spiritum ſanctum Apoſtolis re-
velavit: Per ſe ante paſſionem ſuam, ut enim ait Tertullianus: *Nec alius Patrem* L. de Præſc.
novit, niſi Filius, & cui Filius revelavit; nec aliis videtur revelaſſe Filius, quàm Apo- Hær. 21.
ſtolis, quos miſit ad prædicandum utiq; quod illis revelavit. Sublimato autem in
cœlum Chriſto, Spiritum ſanctum miſit ad Apoſtolos, ut eos doceret quod
ante deſcenſum ejus portare non poterant. Unde Tertullianus: *Quis integræ* L. de Præſc.
mentis credere poteſt, aliquid eos ignoràſſe, quos magiſtros Dominus dedit, quibus Hæret. 22.
*obſcura quæque ſparſim diſſerebat, illis dicens datum eſſe agnoſcere arcana, quæ
populo intelligere non liceret. Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Eccle-*

ſta Petram dictum, claves regni cœlorum conſecutum, & ſolvendi & alligandi in cœlis poteſtatem? latuit & Ioannem aliquid dilectiſſimum Domino, pectori ejus incumbentem, cui ſoli Dominus Iudam traditorem demonſtravit, quem loco ſuo, filium Mariæ, demandavit? quid eos ignoráſſe voluit, quibus etiam gloriam ſuam exhibuit. & Moyſem, & Eliam, & inſuper de cœlo Patris vocem, non quaſi cæteros reprobans, ſed quoniam in tribus teſtibus ſtabit omne verbum? Ignoraverunt utique & illis quibus poſt reſurrectionem quoque in itinere, omnes ſcripturas ediſſerere dignatus eſt. Dilexerat plane aliquando, Multa habeo vobis loqui, ſed non poteſtis modo ea ſuſtinere. Tamen adjiciens: Cùm venerit ille Spiritus veritatis, ipſe vos docet in omnem veritatem, oſtendit illos nihil ignoráſſe, quos omnem veritatem conſecuturos per Spiritum veritatis repromiſerat. Et utique implevit promiſſum, probantibus Actis Apoſtolorum deſcenſum Spiritus ſancti: qui Apoſtolis cœleſtia revelavit myſteria, & dona inſuper largitus eſt divina.

3. Chriſtus ſublimatus in cœlum, *acceptum à Patre munus effudit, Spiritum ſanctum tertium nomen divinitatis, & tertium gradum majeſtatis.* Spiritum ſanctum munus nuncupat, quia eſt donum increatum, à Patre Filioque procedens. Nam *Spiritui ſancto donum DEI eſſe, eſt à Patre Filioque procedere*, in quo à Filio diſtinguitur, qui in Trinitate, non eſt à Patre datus, ſed generatus. Quod ſi interdum dicitur datus, hoc de incarnatione, non de æterna ejus generatione debet intelligi. Donum ſiquidem propriè ſumptum, à voluntate procedit, at ſolus Spiritus ſanctus per voluntatem producitur, ſicut ſolus Filius per memoriam generatur.

Tert. l. adv. Prax. 30.

D. Aug. l. 4. Trin. 20

Spiritus ſanctus ut donum hominibus datum, duplicem importat reſpectum: Realem unum ad Patrem & Filium, à quibus datur: Rationis alterum ad homines quibus datur: Illum ab æterno, iſtum in tempore. Idcircò Spiritus ſanctus eſt donum ab æterno: ſed non eſt donatus niſi in tempore, cum homines quibus datur, non ſint ab æterno, ſed in tempore, *quia ſpiritus ab æterno ſic procedebat, ut poſſet donari, jam donum erat, antequam eſſet cui donaretur: aliter enim intelligitur, cùm dicitur donum: aliter cùm dicitur donatum; nam donum poteſt eſſe antequam detur, donatum autem niſi datum fuerit, non poteſt intelligi.*

D. Aug. l. 5. de Trin. 26.

Ex dono Filii, quem nobis æternus donavit Pater; rectè colligit Apoſtolus omnem donorum effuſionem, quæ ad vocationẽ, juſtificationẽ, & glorificationẽ ſpectant. *Qui etiam Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit.* Et idem Paulus aſſerit Filium elevatum in cœlum, ſimul cum Spiritu ſancto dato, dediſſe dona hominibus. *Data dedit filiis hominum; id eſt, donativa, quæ charismata diximus.* Chariſmata vocat Tertullianus gratias: tùm gratum facientes; quæ ſalutẽ poſſidentiũ eas ſpectãt: tũ gratis datas, quæ aliorũ reſpiciũt ſalutẽ. Utraſque in Apoſtolis agnoſcit Tertullianus: & quidem gratum facientes, dum aſſerit Chriſtum in cœlum ſublimatum, effudiſſe ſuper Apoſtolos *acceptum à*

Rom. 8.

Tert, lib. de Mon. 8.

Patre

Patre munus, Spiritum ſanctum. Nam cùm Spiritus ſanctus datur ad inhabi-
tandum, datur ſimul cum charitate & gratia ſanctificante, ex D. Paulo ete-
nim, *Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus* Rom. 5.
eſt nobis. Gratias etiam gratis datas, conceſſas Apoſtolis fatetur Tertullianus:
Propriè enim Apoſtoli, per Spiritum ſanctum, habent in operibus prophetia, & effi- L. de Exhor
cacia virtutum, documentuq́; linguarum, non ex parte, quod & cæteri. Caſt. 4.

Sicut pecunia, ita & voluptatis, concupiſcentia eſt, Chriſtiani ſceleratas II. PARS.
reſpuunt voluptates, homineſque qui eas ſectantur redarguunt: *Sed repro-* Tert. lib. de
bamus quæ placent vobis: alias præſumimus voluptates; quas ex Chriſti amicitia Spect. 14.
mutuamur. Ut enim ait doctor Angelicus: *Si vis verâ amicitiâ delectari, eſto* Tert. Apol. 38.
amicus Chriſti. Ex mente Philoſophi, verus amicus quatuor ſuo exoptat ami- 2.2.q.23.a.1.
co. 1. *Ipſum eſſe,* quod eſt bonorum omnium fundamentum. 2. *Vult ei bo-* l.8. Ethic.
num, nempe felicitatem, ſine qua ipſum eſſe non prodeſt: Bonæ vel malæ
fortunæ ſocietatem; nam *habet eaſdem delectationes & contriſtationes,* 4 *Læ-*
tam cum illo converſationem; etenim *convivit ei delectabiliter.* Sincerus
Apoſtolorum amicus Chriſtus, quibus quatuor illa contulit: 1. Ipſum eſſe
dedit, nimirùm Apoſtolicam dignitatem ad quam eos ex gratia ſublimavit,
& ut jam dixi cum Tertulliano: *prima adlectionis prærogativa.* 2. Ad felici-
tatem vocavit, *Amavit qui vocaverat in ſalutem invitare, & ad gloriam:* qua- L. de Bapt.
propter perſæpe eis dicebat Dominus; *In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis* 12.
ſubjiciuntur: Gaudete autem quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. 3. Paſſio- Tert. Scorp 13.
nis ſocietatem: Unde ſic apud Tertullianum fantur Apoſtoli: *Siquidem com-* Luc. 10.
patimur, uti & cum illo glorificemur. 4. Lætitiam & jucunditatem, quam ha- Scorp. 11.
buerunt 1. ex Chriſti conſpectu & viſione: 2. ex colloquio & converſatione:
3. ex convictu & familiaritate.

1. DEI Filium *variè viſum à Patriarchis, in Prophetis ſemper auditum,* L de Præſc.
aſſeverat Tertullianus; verùm multò feliciores Apoſtoli, qui Chriſtum vi- Hæret. 13.
derunt, audierunt, & tetigerunt, ut ipſimet gloriantur: *Quod audivimus,* 1. Joan. 1.
quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de
verbo vitæ. Ut de hac re nemo dubitare valeat, tres vocant ſenſus in teſti-
moniũ: videlicet viſũ, auditũ & tactũ, quos circa Chriſti corpus experti ſunt.
Quanta quæſo Apoſtolorum prærogativa, audiſſe & vidiſſe Chriſtum, pro
tot Juſtis, tot Patriarchis, tot Prophetis, qui tanto caruerunt privilegio?
Nam *multi Prophetæ & Iuſti, voluerunt videre, quæ videtis:* Attamen DEI Fi- Matt. 13.
lius, qui tempore legis Naturalis & Moſaicæ, inviſibilis fuit hominibus; *in* Abacuc.
terris viſus eſt, & converſatus cum Apoſtolis. Inde Chriſti erga ipſos amici-
tiam prædicat D. Chryſoſtomus; *Nihil tale unquam fuit, quale fuerunt Apoſto-* Serm. de S.
li, hi cùm verbi DEI eſſent miniſtri, attrectaverunt incarnatum illum, qui ut DEUS Andr.
eſt figuram non habet: ſecuti ſunt ambulantem eum, qui ubique præſens eſt: diſcu-
buerunt cum illo, qui nullo loco circumſcribitur: ejus vocem audierunt, qui verbo
fecit omnia.

Poſſidonius. S. Auguſtinus tria magno concupivit ardore: unum, poſſe cernere Romam in ſplendore imperii triumphantem; alterum, audire Paulum de cathedra tonantem; tertium, videre Chriſtum cum mortalibus converſantẽ. Idem habuêre deſiderium Patriarchæ, Prophetæ, & Juſti veteris Teſtamenti, Videre ſcilicet Meſſiam, inferni triumphatorem; mundi Doctorem, hominum Redemptorem. Verùm quod Patriarchis & Prophetis fuit denegatũ, conceſſum eſt Apoſtolis, ut de Chriſti viſu gauderent. Nam ſi Abraham, viſo Salvatore, vel per propheticam revelationem; vel per relationem ipſi in limbo factam; vel ut vult Tertullianus, per veram Chriſti apparitionem,

Lib. de Car. Chr. 8. *in carnis habitu nondum nata*, Evangeliſtâ teſte, *vidit, & gaviſus eſt*: quanto magis lætati ſunt Apoſtoli, qui cognoverunt Chriſtum; non per revelationẽ;

Joan. 8. nec per aliorum relationem: ſed per intuitivam ejus viſionem: qui viderunt eum, non ſemel, aut iterum, ſed millies; non in uno inſtanti, ſeu parvo tempore: ſed per plures annos lætati ſunt, tum de ejus conſpectu & viſione: tùm de ejus colloquio & converſatione?

Tert. lib. de Idol. 20. 2. *Converſatio divinæ diſciplinæ, non factis tantùm, verùm etiam verbis periclitatur*: Nam converſatio eſt vel 1. puerilis & terrena, qualis eſt eorum, qui infantium more converſantur; & de terrenis tantùm loquuntur. De qua

L. de Præſc. Hæret. 41. ſic fatur Tertull. *Non omittam ipſius converſationis deſcriptionem; quam futilis: quam terrena: quam humana ſit, ſine gravitate, ſine auctoritate, ſine diſciplina.* Vel 2. noxia & ſceleroſa, in qua proxim⁹ detractionibus denigratur, & Deus

Tert. l. 3. adv. Marc. 8. offenditur per *animorũ nocentiũ; & linguarum infeſtarum; & omnis malitia atq; blaſphemia ingenia.* Vel 3. incivilis & inurbana, in qua ita viget *præſtan-*

Tert. lib. de An. 2. *tia ambitio*, ut nemo verùm alteri deferat honorem; ſed omni ſtudio contendat, verbo ſcilicet, habitu, inceſſu, & quavis alia re, ut eniteat *eminentia ejus*

Tert. l. adv. Valent. 12. *inter coæquales.* Vel 4. ſapiens & alta, in qua *per ſapientiam converſationis* tra-

Tert. l. de Fug. in Perſ. 9. ctatur de cœleſtibus & divinis. Vel 5. utilis & fructuoſa: in qua Deus laudatur; honoratur proximus, & virtus cõmendatur. Quapropter ſic Uxorem hortatur Tertullianus; *colloquia DEO digna ſectare, memor illius verſiculi ſan-*

L. 1. ad Ux. 8. *ctificati per Apoſtolum; bonos corrumpunt mores congreſſus mali.* Vel 6. civilis & jucunda, in qua eſt *civilis, & non tyrannica dominatio*: ubi unus non infla-

Tert. Apol. 2. tur adverſus alterum: ubi ſublimis & dives non deſpicit humilem & egenũ: ubi unusquisque fratrem ſuum velut ſemetipſum conſiderat. *Cæterum inter*

Tert. l. de Pœn. 10. *fratres atq; conſervos, ubi communis ſpes, metus, gaudium, dolor, paſſio, quia communis ſpiritus, de communi domino & patre, quid tu hos aliud quàm te, opinaris?*

Tert. l. de Præſc. hæret. 22. Chriſtus Apoſtolos *individuos habens in comitatu, in diſcipulatu, & convictu*; converſatus eſt cum eis, ſapienter & altè, utiliter & fructuoſè, civiliter & jucundè: Sapienter & altè, quia loquebatur cum eis de regno Dei. Uti-

Tert. lib. 2. adv. Marc. 27. liter & fructuoſè, quia *converſabatur DEUS, ut homo divina agere doceretur.* 3. Tandem civiliter & jucundè, quia ut addit Tertullianus, *ex æquo agebat DEUS cum homine; ut homo ex æquo agere cum DEO poſſet.*

Inter

Inter amicos ſiquidem quædam reperiri debet æqualitas: Nam ut loquitur Tertullianus, *amicus, qui anima tuæ par eſt.* Scio Philoſophum veram inter DEUM & homines amicitiam negare; quia amicitia ſimilitudinem & æqualitatem vel ſupponit, vel ſaltem producit: at inter DEUM & homines nulla poteſt eſſe ſimilitudo ſeu æqualitas, cum ab invicem infinitè diſtent. Verùm licet ante humanationem Verbi inter DEUM & hominem nulla eſſet æqualitas, quia ut ratiocinatur Tertullianus, *Sed DEO nihil par eſt : Natura ejus ab omnium rerum conditione diſtat*, in Incarnatione tamen, quâ *naſcitur homo DEO mixtus*, hujuſcemodi ſtabilita fuit æqualitas; quia natura divina & humana, eadem Verbi perſona ſubſiſtunt, & ſicut Chriſtus eſt verus DEUS, ita eſt verus homo, qui nihil omiſit, quo veram Apoſtolis demonſtraret amicitiam: Nam 1. amicitia ex ſimilitudine oritur, & ut ait Tertullianus, *in ſimilitudine animorum conſtituta eſt.* At DEI Filius eſt; *in ſimilitudinem hominum factus.* Ex D. autem Auguſtino; *ut familiarius DEUS diligeretur ab homine, in ſimilitudine hominis DEUS apparuit.* 2. Amici ſimilibus utuntur indumentis: Idcircò Alexander Macedo, ut ſuam Perſis oſtentaret benevolentiam, Perſarum more indutus eſt. De quo Tertullianus, *Vicerat Medicam gentem, victus eſt Medicâ veſte.* Chriſtus autem eſt *habitu inventus ut homo.* 3. Amici familiares ſunt ad invicem, Chriſtus fuit familiaris Apoſtolis, ut de ejus convictu & familiaritate gauderent.

Scorp. 2. — L. de Carn. Chr. 3. — Tert. Apol. 21. — L. de Pœn. 4. — Phil. 2. — Manual. 26 — L. de Pall. 4 — Phil. 2.

3. Ubi eſt vel ſuperbia deprimens, vel ira erumpens, ibi nec lætitia, nec familiaritas reperitur. Nam *juſtitia indignationis omnem familiaritatis fidem rumpit.* A Chriſto autem exulat, tùm arrogantia, tùm indignatio. Imò ita humilitatis & mititatis amans eſt, ut harum virtutum exemplar ſemetipſum Apoſtolis proponat: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et ita nihil obſtat, quominùs ſeſe Apoſtolis præbeat benignum, *individuæ familiaritatis prærogativa.* Hac prærogativa, ſecreta eis manifeſtavit, dona effudit, ſocios ſecum itineris habuit. Ideoq; à Tertulliano, *Comites Chriſti* nuncupantur.

Tert. l. 1. ad Nat. 7. — Matth. 11. — Tert. lib. de Bapt. 12. — L. de Bapt. 12.

Abraham vocat Tertullianus, *divinæ familiaritatis virum*: at Abraham converſatus eſt duntaxat cum Angelis divinam majeſtatem repræſentantibus: Apoſtoli verò converſati ſunt cum Angelorum rege, cum unigenito DEI Filio, qui eſt paternæ majeſtatis *repræſentator.* DEUS cum Abrahamo contrahens amicitiam, eum fortunæ cumulavit bonis: & ob hanc cauſam Baſilius Seleucus illum vocitat *amicitiæ divinæ nundinatorem.* Chriſtus Apoſtolos ad ſui amicitiam & familiaritatem vocans, non ſolum eos cunctis exuit bonis: ſed etiam opibus & habendi deſiderio renuntiare fecit, ut omni terrena poſſeſſione, & ſpe adhuc depauperati, digniores forent divinæ amicitiæ & familiaritatis.

L. de an. 18 — Tert. l. adv. Prax. 24. — Orat. 7.

Sic eos quodammodo ad illum ſublimavit gradum, quo innocens fruebatur Adam; & quo fuit per inobedientiam deſtitutus. De Adamo ſic fatur Tertullianus: *Ideoque non habens fidem, etiam quod videbatur habe-*

Lib. 2. adv. Marc. 2.

habere adeptum eſt illi. Paradiſi gratia, & familiaritas DEI, per quam omnia DEI cognoviſſet, ſi obediſſet. Tria potiſſimùm habebat Adamus in innocentiæ ſtatu, nimirùm gratiam, ſcientiam, DEI amicitiam & familiaritatem: has tamen per inobedientiam amiſit prærogativas, quas Apoſtoli mutuati ſunt Chriſtum ſequendo, nam & gratia fuere decorati, ſcientia illuſtrati, Chriſti amicitia donati, & humanati Verbi familiaritate honorati.

III. PARS. Quærit acutè Tertullianus; *An ſervus DEI alicujus dignitatis aut poteſta-*
Lib. de Idol. 17. *tis adminiſtrationem capiat*; & licet loquatur de Apoſtolis ut de hominibus
ab omni gloria & dignitatis ardore frigentibus; attamen quia ad DEUM ſpectat,
Apol. 18. *ſublimitatem modulari ſpiritualem.* Chriſtus qui ſuâ Apoſtolos amicitiâ & fa-
Tert. lib. de Bapt. 8. miliaritate donavit, ut eis ſit honorabilis & glorioſa, illos mirum in modum
ſublimavit: 1. dando eis poteſtatem peccata dimittendi: 2. Corpus dominicum conficiendi: 3. Martyrium ſubeundi.

Tert. lib. de Pud. 20. 1. Agnoſce Chriſtiane, *ſummum ſacerdotem Patris Chriſtum*; atque *pariter ut dimiſſorem delictorum, Chriſtum recognoſce.* Habet autem virtutem
Tert. lib. 4. adv. Marc. 30. dimittendi peccata, non tantum ut DEUS per ſuam omnipotentiam: ſed etiã ut homo per poteſtatis excellentiam: at *IESVS ſummus Sacerdos & verus Filius*
Tert. lib. de Mon. 7. *Patris, de ſuo veſtiens ſacerdotes, DEO Patri ſuo fecit.* Siquidem Apoſtolos Sacerdotes inſtituit, deditque eis poteſtatem dimittendi peccata, dum *inſufflavit*
Joan. 20. *& dixit eis; Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur*
L. 1. de Pœn. 1. *eis.* Quapropter D. Ambroſius appellat *munus Spiritûs ſancti, officium Sacer-*
Tract. de Sacerd. *dotis.* Plus audet Theophanes, à quo *Sacerdotium opificialis DEI potentia* nuncupatur, id eſt, vicaria DEI omnipotentia cunctorum opifex. Hanc poteſtatem habuerunt Apoſtoli, non ex ſemetipſis, ſed à DEO: non principaliter, ſed miniſterialiter.

DEUS ſolus ex ſemetipſo & principaliter poteſtatem habet dimittendi
Tert. l. de Pud. 21. peccata: *Quis enim dimittit peccata niſi DEVS ſolus?* Hanc verò poteſtatem quæ humanum faſtigiũ ſuperat, dedit DEUS Apoſtolis ut Sacerdotibus: ideòq;
Inc. 1. Apo. Gregorius Taumaturgus ſic fatur: *Sacerdos DEVS eſt, & Deos efficit*, dum in remittendis peccatis vicarias DEI vices præſtat. Dicitur autem DEUS non
Tert. l. 1. adv. Marc. 3. eſſentialiter; quia *non aliter DEVS, niſi ſummum magnũ, niſi parem non habens*; *nec aliter parem non habens, niſi unicus fuerit*: ſed participativè.

Apoſtoli, ut ſacerdotes, participes erant dignitatis, poteſtatis, & ſanctitatis divinæ: & ſic trina ratione Dii erant: dignificativè ſcilicet, poteſtativè & adoptivè. 1. Dignificativè, ratione dignitatis ſacerdotalis: ideoq; Tertull.
Lib. 1. adv. Hermog. 5. ſacerdotii honore donatus, ſic fatur: *Dii erimus, ſi meruimus illi eſſe, de quibus prædicavit; Ego dixi, vos Dii eſtis*, per Deos autem, de quibus loquitur in Pſalmis Propheta, Innocentius ſumus Pontifex intelligit ſacerdotes, *qui per excellentiã ordinis, & officii dignitatem, Deorũ nomine nuncupãtur.* 2. Poteſtativè, ob poteſtatem quam habent dimittendi peccata; quare Petrus Damianus: *Dii*

&

& Chriſti, reperiuntur ſacerdotes, propter accepti miniſterii ſacramentum. 3. Adoptivè, ratione gratiæ, nam *DEI nomen, quaſi naturale divinitatis, poteſt in omnes communicari, quibus divinitas vendicatur.* Opuſc. 6 c. 10. Tert. l. 3. adv. Marc. 15.

Gratia adoptionis non convenit Apoſtolis, præciſe qua ſacerdotibus. (Multi namque ſunt mali ſacerdotes, gratiâ ſanctificante denudati, & quàm plures etiam ſunt laici, ſancti & Filii DEI) ſed qua ſancti & ita in ſanctitate confirmati; ut poſt acceptum in die Pentecoſtes Spiritum ſanctum, à gratia nunquam exciderint. Et licet *DEUS ſit ſolus qui Deos faciat*, ſacerdotes tamen habent poteſtatem Deos efficiendi, dum peccata dimittunt, & ſanctitatem conferunt. Verùm fateri debemus cum Tertulliano, *ex gratia ipſius, non ex noſtra proprietate:* à quo adhuc accepimus poteſtatē Euchariſtiā conficiendi. Tert. l. adv. Hermog. 5. Tert. l. adv. Jud 2. Tert. lib. 5. adv. Marc. 9.

2. *Melchiſedech ad ſacerdotium DEI adlectus eſt,* quia DEO panem & vinum obtulit. Chriſtus autem eſt *proprius & legitimus DEI Antiſtes*, non tantum ſecundùm Aaron, ſed etiam ſecundùm ordinem Melchiſedech, *& in Chriſtum conveniet ordo Melchiſedech.* Hujus autem Jeſuani ſacerdotii hæredes facti ſunt Chriſtianæ religionis ſacerdotes, qui conſecrant corpus Chriſti in Sacramento ſub ſpecie panis obnubilatum. DEUS, ut manna Iſraelitis præberet, Angelorum uſus eſt miniſterio: verùm in conficiendo ſacroſancto Euchariſtiæ myſterio, ſacerdotes aſſumit in miniſtros. De manna canit Vates Regius, *Panem Angelorum manducabit homo*: D. Bonaventura de Sacramento ita proclamat: *Panem ſacerdotum manducabit homo*; nam ſacerdotes, & Euchariſtiam conficiunt, & fidelibus ſubminiſtrant miniſtrantibus Angelis; nam *dum ſacerdos hoc admirabile Sacramentum conficit, Angelus conficienti tanquam famulus aſſiſtit.* Tert. ibid. In c. 16. Sapient. D. Aug. Conc. 2. in Pſ. 36.

Inſurgit Tertullianus in Chriſtianos idola fabricantes, quorum *manus matres idolorum* appellat, quas præcidendas exiſtimat: *O manus præcidenda!* Non præcidendæ, ſed honorandæ ſunt ſacerdotum manus, non idolorum contaminatæ contactu: ſed Euchariſtiæ conſortio ſacratæ. Mirandum ſanè, Chriſtum in ſuis manibus Chriſtum deferentem: Etenim in Sacramenti inſtitutione, *ipſe ſe portabat quodammodo, cùm diceret, Hoc eſt corpus meum.* At quotidie in myſterio altaris *manus Chriſti hoc operantur per manus ſacerdotū.* Quapropter D. Auguſtinus ſic ſacerdotes alloquitur, *Uno eodemq́ momento temporis, idem DEUS, qui præſidet in cœlis, in manibus veſtris eſt in Sacramento altaris. O verè nobilis ſanctitas manuum!* L. de Idol. 7 D. Aug in Pſ. 33. Rup. l. 2. de div. Offic. 5

Glorioſum profectò beatiſſimæ Virginis privilegium fuit, in ulnis ſuis Verbum detuliſſe humanatum; ſed multò glorioſius, divinum in utero concepiſſe Verbum. Verùm ſacerdotes divinæ humanationis quodam̄odo ſunt participes Quod magno cū ſtupore proclamat D. Auguſtinus: *O veneranda ſacerdotum dignitas, in quorū manibus velut in utero Virginis Filius DEI incarnatur!* Conc. 2. in Pſ. 26.

Ex S. Bernardino Senenſi, in quatuor excellit ſacerdotis poteſtas Virginis poteſtatem. In brevitate, in majoritate, in im̄ortalitate, in replicabili-

Tom.1.Ser 20.& 2.c.7

D.Tho.in3 d.3 q 5.

cabilitate. 1. *In brevitate*; nam in Incarnatione beatiſſima Virgo, ut ſuum Angelo præberet conſenſum, hæc octo protulit verba: *Ecce Ancilla Domini; fiat mihi ſecundùm verbum tuum*; Sacerdos verò his quatuor verbis; *hoc eſt corpus meum*, ſacroſanctum Euchariſtiæ conficit Sacramentum. *In majoritate*: nam Chriſtus dum fuit conceptus in utero Virginis, etſi fuerit omnibus membris abſolutus, unius tamen apiculæ quantitatem non exceſſit: at exiſtit in Sacramento, cum ea quantitate, quâ reſurrexit, & nunc regnat in cœlo. 3. *In immortalitate*; in utero namque Virginis fuit mortalis & paſſibilis Chriſtus; in altari verò eſt immortalis, & impaſſibilis. 4. *In replicabilitate*; nam etiamſi beatiſſima Virgo millies dixiſſet ipſiſſima ſui conſenſus verba; tamē DEI Filius amplius nunquā ſumpſiſſet de ea carnē: at quoties ſacerdos, ſupra materiā ſufficientem profert verba conſecrationis, toties Chriſtum reproducit.

Euſe.Cæſa. l.1.depræp. Evang.9

Nec tantum in illis quatuor, ſed in pluribus aliis, ſacerdotalis poteſtas, Marianæ poteſtati antiſtat. Nam 1. Maria nullo fuit charactere Ordinis inſignita: ſacerdotes verò ſunt *DEO ſacrati*, & in ſui inauguratione, ſacro charactere decorati, quo & à cæteris ſegregantur hominibus: & præ Angelis, DEO ſpecialiter devoventur. Maria fuit quidem gratiis cumulata, ſed non habuit poteſtatem conficiendi Euchariſtiam: ſacerdos verò ſacroſanctum hoc conficit myſterium. 3. Præcipua Mariæ laus in ejus maternitate conſiſtit: at ex beato Alano ſacerdotes ſunt *Chriſti quodammodo patres*: habent enim ſe activè in Sacramento, & dicuntur ſacra facere, ſacra operari. Ut autē ratiocinatur Tertullianus, *Capit itaq; & facturā dici generari, pro in eſſe poni: ſiquidem omne, quod quoq; modo accipit eſſe, generatur; nam & factor ipſe, parens facti poteſt dici.* Sicut enim DEUS creaturarū dicitur pater, quia eas de nihilo producit; ſic ſacerdos Chriſti quodammodo poteſt dici pater, quia eum in Sacramento reproducit.

P.4 Ser.3. c 16.

L.deAn.4.

Tert.lib.2. adv. Marc. 4.

Tert.lib.de Reſ.carn.5

D.Thom. Opuſc. 58.

In creaturarū productione uſus eſt DEUS *imperiali verbo*: Sacerdos etiā in cōſecratione corporis Chriſti, *imperiali verbo* utitur. In mūdi creatione, obſecuta ſūt cūcta creata, & proceſſerūt, *ut famula, juſſu & imperio, & ſola vocabili poteſtate*: & ſtatim ac ſacerdos protulit verba cōſecrationis, Chriſtus fit præſēs in Sacramēto *quaſi homo ſit DEI DEUS*. In mūdi creatione, DEUS produxit res dūtaxat; vel terrenas & corporeas; vel animatas, ſed corruptibiles; vel ſpirituales, ſed creatas: at ſacerdos reproducit, ſeu adducit Verbū humanatū DEUM & hominē; mūdi opificē; Angelorū regē, impaſſibilē & im̄ortalem: & ſic admirabilior videtur ſacerdotis potentia, Chriſtū in Sacramēto reproducentis; quàm DEI potentia in mūdi molitione, res perituras producētis. Verùm ne de tanta potētia, velut de re propria intumeſcat ſacerdos, viſū eſt Paſchaſio ejus detrahere poteſtati: *Unde ſacerdos nō ex ſe dicit, quod ipſe creator corporis & ſanguinis eſſe poſſit; quia ſi hoc poſſet, quod abſurdū eſt, creator creatoris fieret:* Hæc tamen ſacerdotalis potentiæ diminutio, ſacerdotalis laudis eſt exaggeratio:

L.de Corp. & Sangu. Dom.c.12.

geratio; quæ augetur magis, dum magis minuitur; & à detrimento accipit incrementum.

Sic fatur Tertullianus de Imperatore, cui in ſuperba triumphi gloria detrahitur. *Hominem ſe eſſe, etiam triumphans in illo ſublimiſſimo curru admonetur. Suggeritur enim ei à tergo; Reſpice poſt te, hominem te memento. Utiq; hoc magis gaudet, tanta ſe gloria coruſcare, ut illi admonitio conditionis ſuæ ſit neceſſaria: Minor enim erat, ſi tunc DEUS diceretur, quia vere non diceretur. Major eſt, qui revocatur, ne ſe Deum exiſtimet.* Summus profectò ſacerdotis honor, tam illuſtri gloria fulgere, tantâ fungi potentiâ, dum conficit corpus & ſanguinem Chriſti, ut illi conditionis ſuæ admonitio ſit neceſſaria, *ne Creator Creaturis eſſe videatur.* Sic ſuos ſublimavit Chriſtus Apoſtolos, dum eos in ſacerdotes conſecravit. Tot tantaq; contulit illis *ſacerdotalia inſignia, officia & privilegia*: tam ſublimi eos honoravit honore, ut præ ſtupore exclamet regius Vates: *Nimis honorati ſunt amici tui DEUS.* Planè nimis honorati Apoſtoli, utpote qui Regi regum aſſiſtebant in terra, non ſecus ac Angeli in cœlo. Mira & obſtupenda patrabant prodigia; totque illuſtrabant virtutibus mundum, quot DEUS ſideribus cœlum. At cum eos Chriſtus ſacerdotes inſtituit, cum eis Euchariſtiam conficiendi poteſtatem dedit, *honoratiores hac re ipſos conſtituit.* Digni quidem ab hominibus honorari, ut Chriſti diſcipuli, ut prædicatores verbi DEI, ut triumphatores mundi; ut prodigiorum opifices; ut virtutibus illuſtres. Verùm honoratiores ipſos conſtituit, cùm eos, & ad ſacerdotium ſublimavit, & Martyrii gloria coronavit. Apolog. 33 Tert. lib. de Idol. 18. Pſ. 138. D. Chryſoſt. hom. 50. in Matt.

3. Nam Apoſtolus Philip. 1. *utiq; beatos affirmavit, quibus donatum eſt, non tantum credere in Chriſtum: ſed etiam pro ipſo pati.* Pati pro Chriſto, donū Apoſtolis conceſſum prædicat, 1. quia Spiritus ſanctus qui eſt donorū auctor, eis inſpiravit patiendi deſiderium: Idcircò dicitur *exhortator omniū tolerantiarū*: 2. quia eis patiendi pro Chriſto vires & ſubſtantiā ſubminiſtravit. Ut enim ait Tertull. *quando & nos pro DEO pati non poſſumus, niſi Spiritus DEI ſit in nobis: non tamen ipſe patiens, ſed pati poſſe præſtans*: 3. quia tanto eos replevit gaudio, ut irent ad ſupplicia lætantes. Nam *infuſo in præcordiis ſuis Spiritu ſancto, ad dolores, ad ſupplicia, tanquā ad conſolationes, & præmia feſtinabant*: 4. quia hoc dono Chriſtus ſuam erga diſcipulos amicitiam demonſtravit. Alexander, Antiochi regis cognomento nobilis filius: ad Jonatham ſummum ſacerdotem *miſit purpuram & coronam auream*, in amicitiæ ſignum, quia *purpura, & corona aurea, honoris nomine conferebantur his qui familiaritatem regum merebantur. Unde & purpurati regum dicebantur.* QuareChriſtus veſtem ſuā, proprio cruore purpuratā dedit Apoſtolis, in benevolentiæ monumentum. Ut ipſi, ſuum effundendo ſanguinem Chriſti familiares & purpurati forent: ſuamque erga illum amicitiam, paſſionibus & martyrio comprobarent. Ut enim ait Romanus Orator. *Ut quid amicum paro? ut habeam pro quo mori poſſim; ut habeam, quem in exilium ſequar, cujus me morti apponam & im-* Tert. Scorp. 13. Tert. lib. de Fug. in Perſ. 14. Lib adv. Prax. 29. D. Aug. ſer. 185. de tem. L. 1. Macha. 10. Tert. lib. de Idol. 18.

pendam. Et ne ſacris prophana miſceam, amicitiæ magnitudinem à paſſio-
Joan. 15. nibus, & à morte commendat Salvator *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: quare & ipſe prior paſſus eſt, & Apoſtolos adhuc pati voluit, ut cum illis haberet amicitiam, etiam in paſſio-
Tert. Scorp. 9. ne fundatam. *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum, quia cùm Magiſter & Dominus ipſe perpeſſus ſit perſecutionem, & traditionem, & occiſionem, multo magis ſervi, & diſcipuli, eandem expendere debebunt, ne quaſi ſuperiores, exempti de iniquitate videantur: quando hoc ipſum ſufficere eis ad gloriam debeat, æquari paſſionibus Domini & Magiſtri.*

Suo autem Apoſtoli martyrio æquantur Chriſti paſſionibus, 1. in amicitia: nam ſicut paſſione Chriſtus ſuam Apoſtolis demonſtravit amicitiam; ſic Apoſtoli in paſſionibus, ſe veros Chriſti oſtentarunt amicos. Ex D. Auguſtino etenim; *nihil æque amicum probat, quemadmodum oneris portatio.* Secretorum
Ser. 11. de Verb. Apoſtol. manifeſtatio, blanda converſatio, ejuſdem domûs habitatio, mutua convivia, munera reciproca amicitiam probant, ſed non æque ac oneris portatio, & paſſionis toleratio. Quamobrem Salvator, ut filiorum Zebedæi exploraret
Matth. 20. amicitiã, eis ſuę paſſionis offert calicẽ: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* quẽ cæteris propinavit Apoſtolis, qui ut veri amici, *calicem Domini biberunt, & amici DEI facti ſunt.* Imò quia erant amici, calicem biberunt, & ex calicis hauſtu ſuam comprobarunt amicitiam: 2. in veritate paſſionis, quia ſicut Chriſtus verè eſt paſſus, ita Apoſtoli verè paſſi ſunt, quorum paſſionem
Scorp. 13. cõmemorat Tertull. *Paſſos Apoſtolos manifeſta doctrina eſt: hanc intelligo ſolum Acta decurrens. Nihil quæro; carceres illic & vincula, & flagella, & ſaxa, & gladii, & impetus Iudæorum; & cœtus nationum & tributorum elogia; & Regum auditoria; & Proconſulum tribunalia; & Cæſaris nomen, interpretẽ non habent. Quòd Petrus cæditur; quòd Stephanus opprimitur: quòd Iacobus immolatur: quòd Paulus diſtrahitur, ipſorum ſanguine ſcripta ſunt.* 3. in cauſa paſſionis: Nam ſicut Chriſtus innocens, ex hominũ dilectione cruci fuit affixus, ita innocui Apoſtoli, ob
Tert. Scorp. 13. Chriſti amorẽ martyriũ ſubierunt: ut ipſimet prædicant, *Virtute enim patimur ex dilectione in DEVM & ſana mente, cùm ob innocentiam patimur*, 4. in fructu paſſionis: nam Chriſtus propter paſſionem mortis, fuit gloriã & honore coronatus: Apoſtoli etiam gloriã & honorẽ, ex martyrio ſunt conſecuti, idcirco
Tert. lib. de Præſc. hær. 29. eorum ſupplicia, dicuntur *martyria coronata*, quia meruerunt gloriæ coronã.

Quàm felices Apoſtoli Chriſti amicitiâ donati! Felices in vita, in morte, & poſt mortem. Felices in vita cum Chriſto converſantes, & charismatibus Spiritûs ſancti abundantes. Felices in morte, pro Chriſti
Tert. Apol. 21. amore, & nomine martyria, queis conſecrantur, ſuſtinentes. Nam, *qui puniuntur conſecrantur, & Numina, eorum ſupplicia ſunt dicenda.* Felices poſt mortem, tum quia fruuntur in cœlo beatitudine ſuis meritis commenſurata: tum quia in terra honorantur, eorumque mors in Eccle-
Tert. Scorp. 8. ſia militante celebratur, *Honorata eſt apud DEVM mors religioſorum ipſius;*

non

non opinor, iſta communis, & omnium debitum: atqui juſta etiam ignominioſa eſt, ex reatu transgreſſionis, & merito damnationis: ſed illa, quæ in ipſo aditur, ex teſtimonio religionis, & prælio confeſſionis, pro juſtitia, & Sacramento.

Quàm infelices & infauſti peccatores, amicitiâ divinâ privati! 1. Amicitia ſimilitudinem quandã importat, & ipſi nullam cum Deo & Chriſto habent ſimilitudinem; Quare cuivis ſceleroſo exprobrandum eſt: *Tu es reſignaculum ſimilitudinis; qui ſcilicet integritatem imaginis & ſimilitudinis, reſignaveris*, quam vel in baptiſmate, vel in pœnitentiæ Sacramento acceperas: Tert. lib. 2. adv. Marc. 10. 2. Amicitia in unione animorum & voluntatum conſenſu ſita eſt: ſceleroſi Deo ſemper adverſantur. Ut autem aſſeverat Tertullianus, *inter contraria ſibi nulla eſt amicitia*: L. de Pœn. 3. 3. Quod eſt deflendum magis. contemptâ. & repudiatâ Dei amicitiâ, criminoſi peccatores cum diabolo ineunt amicitiam, *quorum individua, cum diabolo amicitia eſt.* Tert. lib. de Pœn. 5. Quæ eis affert non honorem, ſed dedecus; non lætitiam, ſed mœrorem; non fructum, ſed pernitiem & dampũ. 4. Et quia *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ſceleroſi illi, ob unionem & amicitiam quam cum dæmone contraxerunt, ad patranda crimina inter ſe confœderantur. Unde D. Auguſtinus: *Sunt amici ex certa amicitia, quæ nec amicitia dicenda eſt; quam facit mala conſcientia: ſunt enim homines, qui pariter mala committũt: & ideò ſibi videntur conjuncti; cõſcientia mala ſunt ligati.* L. 50. hom. hom. 38.

Diſſolvenda eſt noxia illa amicitia, & innocua Chriſti amicitia ſectanda. Nam *quis amantior noſtri quàm ipſe qui nobis corpus ſuum tradidit?* D. Ambroſ. in c. 11. Luc. Igitur ſi vis Chriſtiane, verâ amicitiâ potiri, eſto amicus Chriſti: 1. Amicus homo difficilè invenitur; at in tua eſt poteſtate, ut Dei fias amicus. *Amicus DEI, ſi voluero, jam fio.* S. Aug. lib. Confeſſ. 2. Hominum amicitia cum amaritudine captatur, & cum amaritudine poſſidetur. *In homine ſunt, quæ te offendunt, toleras tamen propter amicitiam: DEI amicitia, quibus rebus debet cogi, ut diſſolvatur à te non invenies: & non eſt DEUS qui te offendit, ſi tu DEUM non offendas. Nihil eo delectabilius, nihil pulchrius, nihil dulcius.* D. Aug. l. 50. hom. hom. 38. 3. Hominũ amicitia facile deperditur, & magno cum labore conſervatur: Dei amicitia, & facilè acquiritur, & facile uſque in finem conſervari poteſt, ut patet in Apoſtolis, Qui *perſeveraverunt in comitatu ejus, uſque in finem.* Tert. lib. de Præſc. Hær. 3.

CONCIO TERTIA.

APoſtoli *quos hæc appellatio miſſos interpretatur*: Tert. lib. de Præſc. Hær. 20. Apoſtolorũ autẽ miſſio mirũ in modũ cõmendatur ex ſimilitudine quã habet cũ miſſione Chriſti: Nã ut ipſemet innuit Salvator; *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Joan. 20. Hâc autẽ voculâ *ſicut*, Apoſtolos ſibi quodãmodo æquat, & pares efficit, præſertim in principio, officio, & fine miſſionis. Nam Chriſtus eſt, 1. à Patre miſſus: 2. ut

legatus Patris miſſus: 3. ad humanam operandam ſalutem miſſus. Non abſimiliter, 1. à Chriſto Apoſtoli ſunt miſſi: 2. ut Chriſti legati miſſi: 3. ad procurandam humanam ſalutem miſſi.

I. PARS. Apoſtolos miſit Chriſtus, non per originem, quomodo Pater & Filius mittunt Spiritum ſanctum: nec per obſecrationem; alias inferior eſſet Apoſtolis: ſed per imperium *juſſit ire, & docere nationes intinguendas in Patrem, in Filium, & in Spiritum ſanctum.* In tribus autem Apoſtolorum miſſio miſſioni Chriſti aſſimilatur. Nam Chriſtus eſt, 1. immediatè à Patre miſſus: 2. primariò ad Judæos miſſus: 3. miſſionem ſuam miraculis oſtendit. Apoſtoli etiam ſunt, 1. immediatè à Chriſto miſſi: 2. primariò ad Judæos miſſi: 3. miſſionem ſuam portentis comprobarunt.

Tert. lib. de Præſc. hær. 20.

1. Chriſtus dicitur *miſſus præter filii nomen.* DEI Filius, generatus ab æterno; in tempore à Patre miſſus: unde Paulus, *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à DEO tanquam Aaron: ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut pontifex fieret.* Exemplum proponit tùm Aaronis, qui eſt à DEO in Pontificem electus: tùm Chriſti, qui pontificiam non uſurpavit dignitatem; ſed ad eam eſt aſſumptus à Patre. Apoſtoli etiam à DEO ſunt electi, ut bene animadvertit Tertullianus, *Nobis nihil ex noſtro arbitrio inducere licet; ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent elegerunt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignaverunt.* De hac miſſione à DEO accepta gloriatur D. Paulus. *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neq; per hominē, ſed per IESVM Chriſtum, & DEVM Patrem,* præpoſito *ab* cauſā hic denotat principalē, *per* verò inſtrumentalē ſignificat. Vult autē dicere, ſe nō ab homine, neq; à DEO per hominē ſed im̄ediate à ſolo DEO fuiſſe vocatū.

Tert. l. 3. adv. Marc. 2.

Hebr. 6.

I. de Præſc. Hær. 6.

Miſſio etiam duplex eſt: Ordinaria una; extraordinaria altera. Miſſio ordinaria eſt mediate tantū à DEO, eſtque illa, in qua legati, prælati, ſacerdotes, prædicatores, mittuntur à DEO per homines: uti Joſue per Moyſem, & Paſtores, Concionatores, per Epiſcopos & Pontifices Chriſti vicarios, & Apoſtolorū ſucceſſores. Nā ſicut Magiſtratûs eſt, ordinare civilia, & civicos præfectos, ita ex Chriſti inſtitutione mittere Paſtores, & Prædicatores, pertinet ad Prælatos Antiſtites. *Apoſtolicos, non tamē ſolos, ſed cū Apoſtolis, & poſt Apoſtolos: quoniā prædicatio diſcipulorū ſuſpecta fieri poſſet de gloria ſtudio, ſi non aſſiſtat illi auctoritas magiſtrorum, imò Chriſti, qui magiſtros Apoſtolos fecit.* Miſſio extraordinaria eſt à ſolo DEO, à quo im̄ediatè oritur, quomodo miſſus fuit Moyſes in veteri Teſtamento: *Quomodo nationibus deſtinati Doctores, Apoſtoli.*

Tert l. 4. adv. Marc. 2.

Tert lib. de Præſc. hær. 8.

Miſſio vel ordinaria, vel extraordinaria, neceſſaria eſt ad hoc ut quis Paſtoris vel Prædicatoris fungatur officio: Nam *ſi Dominus IESVS Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores, quam Chriſtus inſtituit,* vel per ſe, vel per prælatos legitimè electos & ordinatos. Qui abſque ulla vocatione & miſſione ad prædicandum ſeſe immiſcent, ſunt

Tert lib de Præſc. hær. 21.

ſunt intruſi, & aſſimilantur falſis prophetis, de quibus conqueritur Deus, *Non* Jerem. 23.
mittebam Prophetas, & ipſi currebant: Non loquebar ad illos, & ipſi prophetabant. D. Cypr. l.
Cujusmodi ſunt Lutherani & Calviniſtæ, *qui ſe ultro apud temerarios con* de unit. Ec-
venas, ſine divina diſpenſatione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine ulla legis ordinatio- cleſ.
ne conſtituunt: nam contra Dei mandatum, Apoſtoli monitum, Chriſti exē-
plum, ſibi temerariè miniſterium aſſumunt: quibus dicendum eſt cum Ter-
tulliano: *Oſtendant mihi, ex qua auctoritate prodierunt:* etenim nullam habent L. de Præſc.
miſſionem, neque ordinariam, neque extraordinariam. Non ordinariam: Hæret. 20.
nam à quo Antiſtite & Pontifice miſſi ſunt Lutherus & Calvinus, ad pacem
Eccleſiæ turbandam, Catholicam veritatem impugnandam, hæreſim indu-
ducendam? *Proinde enim præceſſiſſe debuerat mittentis patrocinium, in teſti* Tert. lib. 3.
monium miſſi: quia nemo veniens ex alterius auctoritate, ipſe eam ſibi ex ſua affir- adv. Marc.
matione defendit, ſed ab ipſa defendi ſe potius expectat, præeunte ſuggeſtu ejus, qui 2.
auctoritatem præſtat. Quod ſi Lutherus & Calvinus novatorum Patriarchæ,
non habuerunt miſſionem ordinariam, eam aliis conferre non valuerunt:
quia nemo dat quod non habet: ac conſequenter miniſtri ipſorum ſucceſſo-
res, miſſionem nec accipere, nec conferre poſſunt. Unde *ordinationes eorū*
temerariæ, leves, inconſtantes. Nec neophytos conlocant; nunc ſæculo obſtrictos; Tert. lib. de
nunc Apoſtatas noſtros, ut gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam Præſc. hær.
facilius proficitur, quam in caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Ita- 41.
que alius hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter,
qui cras Laicus nam & Laici; ſacerdotalia munera injungunt. Conſtat igitur
miniſtros Lutheranos & Calviniſtas, ordinariam non habere miſſionem.
Neque etiam extraordinariam habent, etſi eam ſibi arrogent in ſuæ fidei cō-
feſſione; in qua neceſſarium fuiſſe aſſeverant, quod nonnullos extraordina-
riè ſuſcitaret Deus, ad erigendam de novo Eccleſiam, quæ deſolata & deva- Art. 3.
ſtata jacebat, quia miſſio extraordinaria eſt à ſolo Deo immediatè, & mira-
culis comprobatur. Sic Moyſes, ſic Chriſtus, ſic Apoſtoli, acceptam à Deo
miſſionem ſignis & portentis demonſtrarunt. Quis autem Lutheranorum
& Calviniſtarum aliquod unquam patravit miraculum in teſtimonium ſuæ
miſſionis? quos ideò pungit Tertullianus: *Probent ſe novos Apoſtolos eſſe: ſic* L. de Præſc
enim Apoſtolos ſolet facere Chriſtus: dare illis præterea virtutem, eadem ſigna eden- hær. 30.
di, quæ & ipſe. Volo igitur & virtutes eorum proferri. Niſi quod agnoſco maximam
virtutem eorum, qua Apoſtolos in perverſum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos
faciebant; iſti de vivis mortuos faciunt. Uti de facto accidit Genevæ, ubi cùm
Calvinus muneraſſet nonnullum, ut ſe mortuum fingeret, mortuus reipſa in- Bolſec. in
ventus eſt. Verùm hæreticis prætermiſſis, ad Apoſtolos redeamus miſſos à vit. Calv.
Chriſto, qui ad ipſius exemplū primario Judæis, deinde gentibus prædicarūt.

2. *Ideò ad Iſrael loquebatur; Non ſum, inquit, miſſus niſi ad oves* Tert. lib. de
perditas domus Iſrael. Nondum canibus jactabat panem filiorum: nondum Præſc. hær.
in viam nationum ire mandabat: ſiquidem in fine præcepit, ut vaderent ad 8.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

docendas, & tinguendas nationes, conſecuturi mox Spiritum ſanctum paracletum, qui illos deducturus eſſet in omnem veritatem. Chriſtus ſe ad filios Iſrael miſſum profitetur, quia Iſraelitis, quaſi ovibus paſcendis, fuerat à DEO promiſſus.
Rom. 15. Idcircò à Paulo *miniſter circumciſionis* nuncupatur ; ideſt circumciſorum, nempe Judæorum, Prædicator, Doctor. Verùm peragrata Judæa & Galilæa, Samaritanis prædicavit Chriſtus : Nazarenis dicens :
Luc. 4. *Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare verbum DEI, quia ad hoc miſſus ſum.*

Ad eundem finem Apoſtolos elegit Salvator, ut Judæis primò prædicarent verbum DEI, poſtea Evangelium nationibus annuntiarent.
Tertull. *Diſcipuli quoque diffuſi per orbem, præcepto DEI magiſtri paruerunt.* Nam poſt prædicatum Judæis Evangelium, univerſum perluſtrarunt orbem, ut gentes ad fidei veritatem adducerent. Tertulliano etenim teſte, *Apoſtoli primò per Iu-*
L. de Præſc. Hær. 20. *dæam, conteſtata fide in IESVM Chriſtum, & Eccleſiis inſtitutis: dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejuſdem fidei nationibus promulgarunt.*

Hunc miſſionis & prædicationis Chriſti, & Apoſtolorum ordinem præfiguratum vult Tertullianus in promiſſione Abrahæ à DEO facta; & in duabus gentibus, quæ ex utero Rebeccæ proceſſuræ erant. *Quanquam ha-*
Lib adv. Jud. 1. *beamus ipſum DEVM idoneum pollicitatorem, & fidelem ſponſorem, qui Abrahæ promiſerat quòd in ſemine ejus benedicerentur omnes nationes terræ; & quòd ex utero Rebeccæ duo populi, & duæ gentes eſſent proceſſuræ. Vtique Iudæorum, id eſt Iſrael, & gentium, id eſt noſter. Vterque ergo populus & gens eſt appellatus, ne de nominis appellatione privilegium gratiæ ſibi quis audeat defendere. Duos etenim populos, & duas gentes proceſſuras ex unius fœminæ utero DEVS deſtinavit, nec diſcrevit gratiam in nominis appellatione, ſed in partûs editione, ut qui prior eſſet de utero proceſſurus minori ſubjiceretur, id eſt poſteriori. Sic namque ad Rebeccam DEVS locutus eſt dicens: Duæ gentes in utero tuo ſunt, & duo populi de ventre tuo dividentur, & populus populum ſuperabit, & major ſerviet minori. Itaque cùm populus ſeu gens Iudæorum, ſit anterior tempore & major per gratiam primæ dignationis in Lege, noſter verò minor ætate temporum intelligatur, utique in ultimo ſeculi ſpatio, adeptus notitiam divinæ miſerationis, proculdubio ſecundum edictum divinæ locutionis prior & major populus, id eſt Iudaicus; ſerviat neceſſe eſt minori: & minor populus, id eſt Chriſtianus, ſuperet majorem. Nam populus Iudæorum major, id eſt antiquior, derelicto DEO idolis ſervivit: noſter verò populus minor, id eſt poſterior, relictis idolis quibus ante deſerviebat, ad eundem DEVM converſus eſt, à quo Iſrael abſceſſerat. Sic namq; populus minor, id eſt poſterior, populum majorẽ ſuperavit, dum gratiam divinæ dignationis conſequitur, à qua Iſrael eſt repudiatus.*

Longiusculè quidem Tertullianus Judaicam à DEO defectionem, & gentilem ad DEUM converſionem in Eſau & Jacob præfiguratam declarat : quam adhuc prophetatam, & Judæis perſæpe comminatam aſſe-
Apolog. 12 verat. *Cum hæ illis ſanctæ voces præminarentur, eadem ſemper omnes ingerebant,*

rebant, fore uti ſub extimis curriculis ſæculi, ex omni jam gente & populo, & loco,
cultiores ſibi allegeret DEVS, multò fideliores, in quos gratiam transferret, plenio-
rem: quidem ob diſciplina auctoris capacitatem : Quod factum ſcimus, ut præfi-
guratum, prophetatum, & comminatum fuerat. Nam *Iudæi retro penes* Tert. lib de
DEVM fuerant, dehinc ejecti ob delicta, extra DEVM eſſe cœperunt. In quo 1. ſe- Præſc. hær.
creta divinæ Providentiæ & prædeſtinationis adorare debemus; 2. recogno- 8.
ſcere Dei juſtitiam juſtè Judæos punientem; nam *nec Eccleſias habent, ſine* Tert ibid.
matre, ſine ſede, ſine lare vagantes. 3. Continuas Deo agere gratias qui nos
fidei lumine illuſtravit; veræ religionis charactere inſignivit; innumera di-
lectionis monumenta præbuit; & benevola & gratuita electione Judæis
prępoſuit.

3. Hæc Judæorum reprobatio & punitio nobis etiam metum ingene-
rare debet. Quis enim ſanæ mentis non pertimeſcat, ſi attente conſideret Ju-
dæorum repudium, qui fuerunt *inſigniſſima religionis* homines, ſpecialiter à Tert Apol.
Deo electi, & dilecti, *ex ipſis enim & ad ipſos ſemper prophetæ peroraverunt, ſci-* 21.
licet ad domeſticã DEI gentem, ex Patrum gratia apud quos Deus ſacrificia in- Tert. Apol.
ſtituerat: templum ædificaverat, & matricem religionis collocaverat : *Ut* 18.
ſcirent Hieroſolymis eſſe, & Sacerdotes, & Templum, & Matricem religionis, & Tert lib. 4. adv. Marc.
fontem, non puteum, ſalutis, quos Deus ſuis beneficiis cumulaverat: *Tantum* 35.
erat Iudæis apud DEVM gratia ob inſignem juſtitiam, & fidem originalium aucto- Tert. Apol
rum: unde illis & generis magnitudo, & regni ſublimitas floruit, & tanta felicitas, 21.
ut DEI vocibus de promerendo DEO, & non offendendo præmonerentur: ſed quanta
deliquerint, fiducia Patrum inflati, deviantes ab diſciplina in profanum modum, etſi
ipſi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipſorum. Diſperſi, palabundi, &
cœli & ſoli ſui extorres vagantur per orbem, ſine homine, ſine DEO rege, quibus
nec advenarum jure, terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur.

In Judæorum perfidia Chriſtianorum agnoſco ingratitudinem. Deus
Judæos peculiariter dilexit, & Chriſtianos ſpeciali amore proſecutus eſt: Ju-
dæis multa Deus contulit beneficia, Chriſtianis adhuc majora largitus eſt
dona: In gratiam Judæorum plura per Moyſem Deus operatus eſt miracula:
nec minora pro Chriſtianis patravit prodigia: Judæos de Amalecitis, Moa-
bitis, Ammonitis, Philiſthæis victores reddidit Deus. quorum regiones eis
poſſidendas tradidit; Chriſtianos ubique terrarum dilatavit. Judæi tot be-
neficiis ingrati, in Deum deliquerunt; Chriſtiani ſuis ſceleribus Deum ad ira-
cundiam provocaverunt. Deus ut criminoſos puniret Judæos, & ſolo & re-
gno, & dominatione deſtituit, & ut noxios caſtigaret Chriſtianos, tyranno-
rũ ſubdidit imperio. Religio Chriſtiana, quæ per totũ ferè orbem florebat,
ita eſt coarctata, ut nec centeſima univerſi pars, fidẽ Chriſti profiteatur. Nam
Aſia & Africa, quæ ſunt majores veteris mundi partes, quæq; alias tot illu-
ſtratæ fuerũt Doctoribus, tot purpuratæ Martyribus, decoratæ Virginibus, &
Anachoretarũ virtutib⁹ & exẽplis dotatę: modo vel idolis ſerviũt, vel Maho-

meti ſequuntur errores. Europæ maxima pars poſſidetur à Turca, qui Imperii ſui ſolium poſuit in civitate Conſtantinopolitana: Hæreſis Lutheri ferè Germaniam, Belgium & Angliam devaſtavit: Fides Catholica quæ viget adhuc in Italia, Hiſpania & Gallia, tantum abeſt ut habeat amplius vigorem illum & fervorem Eccleſiæ naſcentis; quin imò ita eſt novitatibus obnubilata, diffidiis exagitata, vitiis dehoneſtata ut nihil ſit aliud quam externa religionis ſuperficies. Faxit DEUS ut Chriſtiani de ſuis ſceleribus pœniteant: ſuâ pœnitentia DEUM iratum placatum reddant, & fideliter ſerviant & factis probent diſciplinam, quam Chriſtus & Apoſtoli miraculis ſolidârunt.

3. Chriſtum quem ex ſignis & miraculis verum Meſſiam credere debebant Judæi, magum falſo calumniabantur, ut enim ait Tertullianus:
Apol. 21. *Quem igitur ſolummodo hominem præſumpſerant de humilitate; ſequebatur ut magum exiſtimarent de poteſtate. Cum ille verbo dæmonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret; leproſos purgaret; paralyticos reſtringeret; mortuos denique verbo redderet vitæ; elementa ipſa famularet, compeſcens procellas, & freta ingrediens, oſtendens ſeſe verbum illud primordiale primogenitum, virtute & ratione comitatum, & ſpiritu fultum.* Judæos redarguit, qui Chriſtum magum exiſtimabant, & in nomine Belzebuth miracula edere clamitabant. Verùm quàm injuſta fuerit eorum calumnia, conſtat: Nam mira, quæ magi virtute dæmonum operantur, malum habent finem; Ordinantur ſcilicet vel ad idololatriam, vel ad religionis everſionem, vel ad hominum perniciem. Id-
L. de An. 57 circò vocitat Tertullianus: *Multiformem luem mentu humanæ, totius erroris artificem, ſalutis pariter animæque vaſtatricem, ſcientiam magiæ.* Chriſti autem miracula bonum intendebant finem: Nam ſpectabant vel DEI gloriam, vel veritatis fidem, vel corporis ſanitatem, vel animæ ſanctitatem, vel ſpecialem aliquam virtutem. Tantum abeſt ut ad hujuſmodi operationes uſus ſit dæmonum miniſterio: Quin eos velut inimicos ſemper inſecutus eſt, vel per
L. de An. 57 ſe, vel per ſuos diſcipulos, qui ſic fantur apud Tertullianum: *Spiritualia nequitiæ, non quidem ſauciâ conſcientiâ, ſed inimicâ ſcientiâ novimus: nec invitatoria operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus.*

Portentoſa illa edidit Chriſtus miracula, ut ſuam à Patre miſſionem
L. de Præſc. demonſtraret. Unde Tertullianus: *Credimus IESVM Chriſtum prædicâſſe no-*
Hær. 13. *vam legem; & novam promiſſionem regni cælorum; virtutes feciſſe.* Quapropter Joannis diſcipulis ſciſcitantibus, an eſſet Meſſias in Lege promiſſus, reſpon-
Matth. 15. dit Salvator: *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis: Cæci vident; claudi ambulant; leproſi mundantur; ſurdi audiunt; mortui reſurgunt.* Suſcitaturus etiã
Joan. 11. Lazarum, hoc miraculum adducit in teſtimonium miſſionis ſuæ: *Vt credant, quia tu me miſiſti. Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamavit, Lazare veni foras.* Poſt ſanatum adhuc ad piſcinam paraliticum, ſic loquitur Chriſtus: *ipſa opera, quæ ego facio teſtimonium perhibent de me; quia Pater miſit me.*

Tot ac tanta Chriſtus operatus eſt miracula, ut ſuã Judæis demõſtra-

ret

ret divinitatem! *licuerit & Chriſto commentari divinitatem rem propriam*. Commentantur libri ut quæ in illis obſcura ſunt, illuſtrentur: Chriſtus erat *hujus diſciplinæ magiſter, arbiter & illuminator*; qui notam ſuam faciebat divinitatē: quot operabatur miracula, tot erant faces quæ doctrinam ejus illuſtrabant: tot cōmentaria quæ occultam explicabant divinitatem: tot verba quæ manifeſtabant in tempore, Verbum illud ab æterno in ſinu Patris abſconditum. *Interrogemus ipſa etiam miracula quod nobis loquantur de Chriſto; habent enim, ſi intelligantur, linguam ſuam, nam quia ipſe Chriſtus Verbum DEI eſt, etiam factum Verbi verbum nobis eſt.* Itaque dum ſanat ægrotum, ſe & morbi & ægroti Dominum prædicat; dum poſſeſſum à dæmone liberat, ſuam in dæmones dominationem oſtentat; dum mortuum ad vitam revocat, mortem ſuo imperio ſubditam probat: dum elementis imperat, ſeſe elementorū auctorem declarat. Quapropter ut ſuam demonſtraret miſſionem, divinitatem notā faceret, & homines faciliùs adduceret ad veritatem, dicebat illis: *Si quominus, vel per opera credite: ea utiq;, per quæ Pater in Filio, ſenſu videbatur.* Portentoſa ſcilicet quæ patrabat opera; quæ vera eſſe etiam ſenſuum experientiâ cognoſcebantur. Quorum veritatem teſtabantur illi ipſi pro quibus fiebant. Cæcus ſe videre cognoſcebat; leproſus ſe mundatum ſentiebat; infirmus ſe videbat ſanatum; ſuſcitatus à mortuis ſe ſuſcitatum comprobabat. Quæ omnia, ſi apparentia tantum fuiſſent, & non vera, neq; cæcus vidiſſet, neque infirmus ſanatus fuiſſet, neq; leproſus mundatus, neq; mortuus ad vitā ſuſcitatus: nam licet quæ fiunt tantùm circa objecta ſenſuum, poſſint ex ſola apparētia decipere: quapropter magia illuſio ſenſuū & fallacia nuncupatur: *quidenim dicemus magiā quod omnes penè fallaciam*; tamē quæ fiunt in ipſis hominib⁹ qui ſentiunt, non poſſunt non eſſe vera. Quia cæcus videt per viſum, non apparentē ſed verū & vitalē: mortuùs itē vivit non per apparentē, ſed per veram vitam.

Tert. Apol. 21.
D. Aug. Tract. 24. in Joan.
Tert. l. adv. Prax. 24.
Tert. lib. de An 57.

Neque ſolus ipſe Salvator miracula edidit, ſed adhuc Apoſtolis patrandi miracula contulit poteſtatem. Nam *& mortuos ſuſcitaverunt, quod & DEUS ſolus: & debiles redintegraverunt, quod nemo niſi Chriſtus.* In Apoſtolis doctrinam à poteſtate diſtinguendam cenſet Tertullianus, *excernens inter doctrinam Apoſtolorum & poteſtatem.* Doctrina fuit eis à Chriſto tradita ad docendum & prædicandū: poteſtas verò conceſſa ad operanda miracula, quæ eorum miſſionem veram & à DEO acceptam demonſtrarent. *Illi autem profecti prædicaverunt ubiq; Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Conſtat igitur *illos maxime doctrinæ ſuæ fidem confirmaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, debiles reformaſſe, futura ſignificaſſe, ut meritò Apoſtoli crederentur.*

Tert. lib. de Pud. 21.
Marc. ult.
Tert lib de Præſc. Hær. 44.

Chriſti & Apoſtolorum miracula, verè facta fuiſſe certo credendum eſt. Nemo de eorum veritate dubitare valet, niſi de Evangelii dubitet teſtimonio. Nam *voces eorum, itemque virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant: in theſauris litterarum manent: nec iſta nunc latent.* Ejuſmodi virtutes tanti erant momenti apud Divum Auguſtinum, ut mundi con-

Tert. Apol. 17.

verſionem tribuendam velit miraculis,& ſe in Eccleſia miraculorum vinculis detineri fateatur Mundi converſio adeò grande eſt miraculū, ut cunctos
D. Aug. l. 22. civ. 22 rationis compotes debeat convincere. *Si per Apoſtolos, ut eis crederetur etiam iſta miracula facta eſſe non creduntur : hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit.* Profectò poſt tot tantaq; à Chriſto & Apoſtolis edita miracula nihil ampliùs poteſt deſiderari : poſt mundi converſionem, ad ſuadendam Chriſtianæ Religionis veritatem, nullum ne-
D. Aug. l. 22. civ. 17. ceſſarium eſt miraculum. *Quiquis adhuc prodigia, ut credat, requirit, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit,* ſed prodigium cæcitatis, ſtoliditatis, inſipientiæ & amentiæ : cùm inter tot rationes credendi non credit miracula, non credit miraculis, non credit Apoſtolis, non credit Chriſto, qui eſt legatus Patris, uti Apoſtoli ſunt Chriſti legati.

II. PARS. Chriſtus *ſemper ſe Dei Filium & à Patre veniſſe profitebatur*, ſcilicet ut ejus
Tert. l. adv. gereret vices, & legati officio fungeretur. Verùm quia ſpectabat ad Chri-
prax. 24 ſtum *legatum quodammodo prælegare*, legatos Apoſtolos miſit in mundum, ut perfecta reperiretur ſimilitudo inter legationem magiſtri & diſcipulorum
Joan. 17. legationem. Idcircò ſic Patrē alloquitur Salvator: *Sicut tu me miſiſti in mundum ſic eos miſi ego in mundum.* Nempè, ſicut ego tui gero vices, tuusq; ſum legatus; ſic mei diſcipuli mei erunt legati. Quod nomine omniū agnoſcit Pau-
Rom. 1. lus *per quem accepimus gratiam & apoſtolatum* Apoſtolat⁹ non tantùm ſignificat miſſionem & miſſionis functionem, ut ſonat ejus ethymon; ſed etiam legationem & legati munus, quod eſt officium maximæ 1. dignitatis: 2. auctoritatis: 3. poteſtatis.

Tert. l. adv. Prax. 24. 1 Patris legatus inſtitut⁹ fuit Chriſtus, *ut & Filius repræſentator Patris haberetur.* Scilicet ut repræſentaret Patris majeſtatem, ſermonem & voluntatem. Trinū eſt legati munus, 1. repræſentare perſonam, cujus eſt legatus, quia ejus gerit vices: 2 ejus nomine loqui, unde dicitur Orator: quia negotium, quod habet in mandatis, ore & ſermone perficere debet: 3 ejus negotia probè tractare: quia ej⁹ utilitatem & honorē procurare tenetur. Chriſtus legat⁹ Patris
Tert. l. adv. prax. 2 hæc tria perfectè executioni mandavit: *Secundùm hæc enim vicarium ſe Patris oſtenderat: per quem Pater videretur in factis, & audiretur in verbis; & agnoſceretur in Filio, facta & verba Patris adminiſtrante.* 1. Patris repræſentavit majeſta-
Tert. lib 1. adv. Marc. 21. tem: *Filius viſus eſt in Dei nomine, ut imago ejus:* & ut Dei filius crederetur à Judæis, *omni hora Patrē nominabat, & Patrem præferebat:* 2. nomine Patris locut⁹
Tert. l. adv. prax. 24 eſt: *Verba, quæ ego loquor vobis, non ſunt mea, utiq; quia Patris:* 3. Patris pertractavit negotia, ſcilicet mundi recōciliationem. *Sic & Apoſtolus etiam Dei & homi-*
Tertull. *num appellās ſequeſtrem:* per Chriſtum ſiquidē homines Deo reconciliati ſunt.
Tert. l. adv prax. 27 *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Chriſtus diſcipulos *majeſtatis ſuæ*
2 Cor. 5 *conſortio aſcivit*; quos ſuos effecit legatos, quod eſt in Eccleſia primæ dignita-
Tert. Apol. 21. tis munus. Unde benè ad propoſitum Cajetanus: *Solam ac primam Apoſtolatus dignitatem à Jeſu invenimus nominatam in Eccleſia ejus, quam nominavit à paſſiva*
In c. 6. Luc *miſſione.* Etenim ſi terreni regis nuntius eſt magni honoris officium; ſi legatus

ſummi Pontificis eſt munus majoris adhuc dignitatis; nonne Chriſti legatus ſupremum humanæ dignitatis meretur gradum? *Apoſtoli munus, res bonis inſ nitis exundans, gratiis omnibus majus, ac dona omnia complectens.* Quid namque majus poteſt concipi, quàm Chriſtum proferre; ejus ore loqui; & negotia ad eum ſpectantia tractare? Ejusmodi fuerunt Apoſtolorũ ut legatorum Chriſti munia: Nam 1. ſicut Regis nuntius Regem repræſentat; ſic Apoſtoli Chriſti repræſentabant perſonam: *pro Chriſto legatione fungimur:* 2. ore Chriſti loquuti ſunt, ſeu potiùs per eos loquutus eſt Chriſtus: *tanquam Deo exhortante per nos:* 3. Chriſti pertractârunt negotia, fueruntque negotiatores pacis inter Deum & homines: ut enim addit Paulus, *dedit nobis miniſteriũ reconciliationis.* S. Chryſoſt hom. 1. in Ep. ad Rom 2. Cor. 5

Tanta Apoſtolorum dignitas maximo veneranda eſt honore, uti Chriſtus Patris legatus ſummum meretur honorem, & qui eum honorant, Patrem honorant, cujus eſt legatus: qui verò debitum Chriſto denegant honorem, Patrem etiam deſpiciunt. Nam *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum:* Eodem modo qui Apoſtolos honorant, Chriſtum honorant; qui eos contemnunt, Chriſtum contemnunt; Uti rex in ſuis nuntiis honoratur vel contemnitur: ſic Chriſtus ab his honoratur, qui venerantur Apoſtolos; ab his verò deſpicitur, qui deſpiciunt Apoſtolos; eorum feſta non celebrant; encomia non prædicant; doctrinam non ſectantur; non imitantur virtutes. Nam ſi rex terrenus ſibi arrogat legati contemptum, de eoq; ſumit vindictam; contemnentes Chriſtum in ſuis Apoſtolis metuere debent, ne Deus eos puniat adinſtar Pharaonis: *Sed meruerat in exitium ſubminiſtrari, qui jam negaverat Deum; qui jam legatos toties ſuperbus excuſſerat.* Non minori ſunt plectendi ſupplicio Chriſti deſpicientes legatos, qui honorandi ſunt ratione dignitatis & auctoritatis, qua pollent. Joan. 5 Tert. l. 2. adv. Marc. 24.

2. *Caput viri Chriſtus, caput autem ad auctoritatem poſuit:* Suam tamen auctoritatem Apoſtolis demandavit Chriſtus: nam ſicut ſummus Pontifex ſuam legatis apoſtolicis largitur auctoritatem; *Sic ex diſcentibus duodecim præcipuos lateri adlegerat Chriſtus;* quos ut *authenticus Pontifex Dei Patris* in mundum miſit velut legatos à latere. *Erant quoque Apoſtoli, tanquam diſcipuli lateri ejus adhærentes:* & quia, ut ait Tertullianus, *ad exhibitionem obſequij prior eſt auctoritas imperantis,* ut Apoſtolis faciliùs mundus obſequeretur, Chriſtus primam poſt ipſum eis contulit authoritatem: quare Paulus, ut commiſſam ſibi à Chriſto commendaret auctoritatem, in initio ſuarum epiſtolarum ſic fatur: *Paulus ſervus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus:* uti Galliæ Rex præfatur: Ludovicus Francorum Rex; uti nuntius Pontificius ait: N. Legatus Apoſtolicus, *ita & Apoſtolus grandem inter Chriſtianos ſibi vendicans dignitatem, Apoſtolum ſe Chriſti titulo prænotavit, ut ex ipſa nominis auctoritate lecturos terreret; indicans omnes, qui in Chriſto crederent, debere ſibi eſſe ſubjectos.* Magiſtratus civiles auctoritatem habent & ſtatuta faciendi, & pœnas in inobſervantes decernendi: *Apoſtolatus eſt magiſtratûs appellatio,* Tert. l. 5. adv. Mar. 5 Tert lib de Præſc Hær. 20. Tert. l. 4. adv. Marc. 35. D. Bern. ſerm. 2 de palm. 1 de pan 4. Rom. 1. D. Hier. in c. 1. Ep. ad Tit.

D. Chryſoſt hom. 1 in Ep. ad Rom. *latio,& maximi magiſtratus;& magiſtratus maximè ſpiritalis*: idcirco Apoſtoli, ut Chriſti Legati, ſunt totius Eccleſiæ magiſtratus, & *pro juſtitia auctoritate* valent ſanctiones condere, præcipere, prohibere, punire: nam ſi Epiſcopi hoc

Tert. lib. de Præſc. hær. 53. jure potiuntur in ſuis diœceſibus, quantò magis Apoſtoli, qui ab ipſomet Chriſto ordinati ſunt totius orbis Epiſcopi?

Tert lib. de Idol. 17 3. Videamus *jam quæ ſunt poteſtatis*, tum Chriſti, tum Apoſtolorum. Chriſtus, ut Patris legatus, omnimodam accepit à Patre poteſtatem, ut ipſemet

Matth. 28 fatetur: *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Hujus autem poteſtatis

Tert. lib. de Idol 18 participes facti ſunt Apoſtoli. Quod *ſi poteſtatis jus* inquiramus, ultra poteſtatem patrandi miracula, dimittendi peccata, & conficiendi ſacro-ſanctum

Tert. lib. de Reſp. 30 Euchariſtiæ myſterium: poteſtatem acceperunt à Chriſto, 1. Evangeliũ concinnandi: *Apoſtolis nullũ aliud negotium fuit dumtaxat apud Iſraëlem, quàm veteris Teſtamenti reſignandi, & novi concinnandi.* 2. Concionandi per univerſum

Tert lib. adv. Jud. 5 orbem: *Indubitatè quod in omnem terram exire habebat prædicatio Apoſtolorum.*

L. de præſc. Hær. 36 3. Eccleſias fundandi: quod ſic declarat Tertullianus. *Ac jam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ; percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorũ ſuis locis præſident: apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur; ſonantes vocem & repræſentãtes faciem uniuscujuſq;. Proxima eſt tibi Achaia? habes Corinthum: ſi non longè es à Macedonia, habes Philippos; habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum: ſi autẽ Italiæ adjaces, habes Romã, unde nobis quoq; auctoritas præſto eſt.* 4. Presbyteros inſtituendi, Epiſcopos creandi, qua ratione utitur Tertullian⁹ ut confutet hæreticos:

L. de præſc. hær. 22 *Evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem & anteceſſorem.* 5. Inſtituendi ritum Sa-

1 Cor. 4 crorum, externum Eccleſiæ ordinem diſponendi: quod aſſeverat Paulus. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Diſpenſator, id eſt, œconomus, domûs curam habet, cunctaq; in ea regit, diſtribuit, ordinat, largitur dona, relaxat debita, quoties exiſtimat tale fore domino

L. adv. Prax. 30 utile, placidum vel honeſtum. Spiritum S. nuncupat Tertullianus *œconomiæ interpretatorem*; Eccleſiæ œconomi Apoſtoli, tum ratione poteſtatis quâ ordinãt & regunt; tum quia miſſi ſunt à Chriſto ad humanã procurandã ſalutẽ.

III. PARS. Humanæ ſalutis opus principaliter ad Chriſtum ſpectat: nullus etiam Angelorum fuit pariter cum eo Salvator hominum. Aliàs, *jam non unus ſalutificator, ſi duo ſalutis artifices; & utiq; alter altero indigens.* Verùm licèt Dei filius non indiguerit Angelo *tanquam ſatellite forti, cum quo ſalutem hominis opera-*

Joan. 3. *retur*; attamen ad humanam operandam ſalutem Apoſtolorũ uſus eſt miniſterio: nam *ſicut miſit Deus filium ſuum in mundum, ut ſalvetur mundus per ipſum*;

Tert. lib. de præſc. c. 8 ita ad eumdem finem miſit filius Apoſtolos: *ſiquidem in fine præcepit ut vaderent ad docendas & tinguendas nationes.* Quapropter Paulus nomine omnium

1. Cor. 3. ſic fatur: *Dei adjutores ſumus*; in procuranda ſcilicet humana ſalute: & ita quod

fuit

fuit Angelis denegatum , conceſſum eſt Apoſtolis , quos ad miniſterium
omnium maximũ ſibi ſociavit Chriſtus. *Ingens hæc angelica, imò divina digni-* D.Dion de
tas, Dei cooperatorem fieri in converſione animarum, divinamq́; in ſe operationem cœl. hier. 3
palam cunctis oſtendere. Tam grande ſalutis humanæ negotium pertractatum
eſt à Chriſto & Apoſtolis: 1. Prædicatione: 2. Operatione: 3. Paſſione.

1. *Prædicatorem annuntiatum Chriſtum* docet Tertullianus. Immò ipſemet L.adv. Jud.
Salvator ad prædicandum ſe miſſum aſſeverat. *Evangelizare pauperibus miſit* 9.
me. Et ut nullus valeat de ſua miſſione dubitare, ſignis eam & portentis com- Luc. 4.
probat. *Duplici, ni fallor, operatione diſtinctum Chriſtum legimus, prædicationis &* Tert.
virtutis: Et quia de ratione veri prædicatoris eſt, *ut tollat errorem, inſerat veri-*
tatem, nutriat charitatem; Chriſtus Concionatorum perfectiſſimus: 1. erroris S. Aug. l. de
fugavit tenebras : *Aſpice univerſas nationes de voragine erroris humani exinde* vidu. 18
emergentes ad Dominũ Deum Creatorem, & ad Deum Chriſtum ejus. 2. Mundum Tert. l. adv.
luce veritatis illuſtravit: *Ex quo gentes nos, dilucidata per Chriſtum veritate, pro-* Jud. 12 Tert l adv.
jecimus idola. 3. Corda hominum charitatis igne inflammavit: *Ignem veni mit-* Jud. 13.
tere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur? Quia verò mandata eſt Apoſtolis Luc.
prædicationis delegatio; etenim *Chriſtus miſit illos prædicare regnum Dei;* Diſcipuli Tert. l. 1. de
ſunt in prædicando magiſtrum imitati; nam 1. fugârunt à mundo ignorantiæ cult. fœm. 3
& erroris tenebras. *Cujus & prædicatores Apoſtoli in pſalmis David oſtenduntur:* Luc. 9 Tert. l. adv.
in univerſa, inquit, terra erit ſonus eorum, & uſq; ad terminos terræ verba eorum. Jud. 7
2. Acceptam à Chriſto veritatem prædicaverunt. *Omnia Apoſtoli utique ſecun-* Tert. l. de
dùm Deum docuerunt. 3. Ad Dei amorem homines accenderunt, idcircò Spi- fug. in perſ.
ritus S. in forma linguarum ignitarum ſuper eos deſcendit, ut eos incenſos 9.
& incendentes efficeret. *In linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes, quos re-* Greg. Mag.
pleverit, ardentes pariter & loquentes facit. Prædicator, qui Dei non ardet amo- hom. 30. in
re, aſſimilatur huic rhetori, de quo fatur Tertullianus *In ſcholis Carthaginen-* Evang. L. adv. Val.
ſibus fuit quidam frigidiſſimus Rhetor latinus; nec alios accendere valet: *Ardeat* 3.
orator, ſi judicem velit accendere. Ardentes erant Apoſtoli, & ardor eis erat ne- Cic. l. 2. de
ceſſarius, ut orbem gelidum & frigore torpentẽ inflammarent. *Linguas igneas* Orat.
doctores habent; quia dum Deum amandũ prædicant, corda audientium inflammãt: Greg.
nam & otioſus eſt ſermo doctoris, ſi præbere nõ valet incendium amoris. Seraphin in-
cendia & incenſores nuncupãtur: incendia, quia ardent igne Dei: incenſores,
quia divino illo igne alios incendũt Angelos. Apoſtoli Dei amore ardentes,
cor accenſũ & linguas ignitas habẽtes nõ fuerunt otioſi, ſed tũ prædicatione,
tũ ſancta operatione in procurãda humana ſalute Chriſto Dño miniſtraverũt

2. Ad ſalvandum hominem humanatum eſt Verbum. *Ut hominem geſtaret* Tert. l. de
Chriſtus ſalus hominis fuit cauſa: ſcilicet ad redimendum quod perierat; homo per- carn. Chr.
ierat; hominem reſtitui oportuerat. Conveniens erat ut miſero Deus ſubveniret 14.
homini; quia *nihil tam dignum Deo, quàm ſalus hominis.* Siquidem in redem- Tert. l. 2.
ptionis myſterio & divina relucent attributa, & perfecta Chriſti reſplendet adv. Marc.
obedientia paternam adimplentis voluntatem. *Non quæro voluntatem meam,* 27

Joan 5. *ſed voluntatem ejus, qui miſit me*: Hominum redemptio *ſumma eſt voluntatis*
Tert.lib.de Orat. 4. *ejus, ſalus eorum, quos adoptavit.* Ad tantum pertractandum negotium à Patre
Joan. 4. miſſus eſt filius, & in tali opere perficiendo ſeſe totum adhibuit Chriſtus. *Meus*
Tert lib. 4. *cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me: ut perficiam opus ejus.* Humana
adv. Marc. 12. redemptio & *opus ſalutis non eſt hominis, ſed Dei proprium.* Homo ſolus non potuit ex rigore juſtitiæ ſatisfacere Deo: nam offenſa Deo facta fuit objectivè infinita, omnes verò actus puri hominis finiti & limitati ſunt: & licèt Verbum præcisè ut Deus non fuerit capax ſatisfactionis faciendæ, Verbum tamen humanatum (cujus actiones ſunt theandricæ) condignam Patri obtulit pro
Tert.lib.4. homine peccatore ſatisfactionem. *Opus Dei etiam per hominem fieri poteſt in ſa-*
adv. Marc. *lutem animæ, à Deo tamen quod facturus fuerat, & Chriſtus homo, quia & Deus.* Si
12. Chriſtus fuiſſet Deus tantùm, & non homo, non fuiſſet obſequendo humanã operatus ſalutem: ſi fuiſſet homo tantùm, & non Deus, non perfeciſſet opus ſalutis per ſatisfactionem ex rigore juſtitiæ Deo condignam: ſed quia eſt ſimul Deus & homo, humanam perfectiſſimè conſummavit redemptionem; & Apoſtolos inſuper ſibi ſociavit Chriſtus velut operationis ſuæ miniſtros; ut quemadmodũ ipſe hominum operando ſalutem paternam adimplevit vo-
Tert.lib.de luntatem: *Eſt & illa Dei voluntas, quam Dominus adminiſtravit prædicando, ope-*
Orat.3 *rando, ſuſtinendo*; ſic Apoſtoli ſeſe divinæ conformârunt voluntati, & Chriſti
Tertull. Domini exemplum ſunt imitati. *Sine dubio, quæ faciebat, ea erat voluntas Patris; ad quæ nunc nos velut ad exemplaria provocamur, ut & prædicemus, & operemur, & ſuſtineamus ad mortem uſque.*

Tert.lib.de 3. *Chriſtus mori miſſus*, Apoſtoli quoque *morti deſtinati*; quos ſic alloquitur
carn.Chr.6 Chriſtus, *Ecce ego mitto vos ſicut oves inter lupos*: Luporum prædæ & hoſtium
1.Cor. 4. lanienæ velut oves inermes & agnos manſuetos exponit, ut quælibet ſuppli-
Luc. 10. cia, ipſam etiam mortem, humiliter, manſuetè & patienter ſuſtineant ad ex-
Tert.l.adv. emplum Domini & Magiſtri. *De hoc enim Propheta dixit: Homo in plaga poſitus,*
Jud. 9. *& ſciens ferre imbecillitatem: qui tanquam ovis ad victimam ductus eſt, & ſicut*
L. de pud. *agnus coram tondente ſe non aperuit os ſuum. Summum Patris ſacerdotem Chri-*
20. *ſtum* nuncupat Tertullianus. Etenim 1. verus eſt Sacerdos ad ſacerdotale mu-
D.Cyp.Ep. nus aſſumptus à Patre: *Qui magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus*
63 *Chriſtus?* 2. Sacerdos ſummus; pontificiam ſiquidem obtinuit dignitatem, ab hypoſtatica unione, quę fuit velut unctio, quâ ejus humanitas conſecrata eſt. 3. Summus Patris ſacerdos, quia neceſſaria eſt connexio inter ſacerdotem & ſacrificium, quod eſt præcipuum ſacerdotis munus; ſacrificium autem niſi
D.Aug lib. Deo non poteſt offerre ſacerdos *Quis ſacrificandum cenſuit, niſi ei, quem Deum*
10.Civ.4 *aut ſcivit, aut putavit, aut finxit?* Chriſtus ut paternam honoraret majeſtatem,
D.Cyp. Ep *Sacrificium Deo Patri obtulit*, & ſic hominum ſupplevit indignitati.
63. Homines Deo debebant offerre ſacrificia, nec Deo dignè valebant, ob duplicem indignitatem, quarum una ex parte ſacrificantium deſumebatur,
Apolog.30 quod Gentilibus exprobrat Tertullianus: *Ut mirer, cùm hoſtiæ probantur penes*

vos

vos à vitioſiſſimis ſacerdotibus; cur præcordia potius victimarum, quàm ipſorum ſacrificantium examinantur? Altera ex parte rerum, quas Deo offerebant ſacrificantes, ſcilicet *grana thuris unius aſſu; arabicæ arboris lachrymas; duas meri guttas; ſanguinem reprobi bovis mori optantis, & poſt omnia inquinamenta etiam conſcientiam ſpurcam.* Idcircò Chriſtus, ut duplici huic ſuppleret indignitati, ſacerdotis & victimæ munus adimplere voluit, *idem ſacerdos & hoſtia.* Sacerdos quidem & *Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*, quem ideò vocitat Tertullianus *ſalutis pontificem*; quia pro peccatorum ſalute Deo obtulit ſacrificium; ad quod aptus non eſt peccator, ſed ſanctus requiritur ſacerdos. Hoſtia eſt etiam Chriſtus ad immolandum Deo digniſſima. Quapropter ut poſſet immolari, in carne paſſibili venit: *Ieſus Chriſtus Dei patris ſummus ſacerdos, qui primo adventu ſuo humana forma & paſſibili venit in humilitate uſque ad paſſionem: ipſe etiam effectus hoſtia pro omnibus nobis.* Filius in forma Dei, neque ſacerdotis, neq; victimæ potuit obire munus, ideò in forma humana & paſſibili venit, ut utrumq; exercere valeret, eſſetq; *ſimul ſacerdos & agnus.* Duplex illud officium inchoavit in ara uteri virginalis, & conſummavit in ara crucis, ſed quia Apoſtolos ſacerdotalis dignitatis fecit participes, voluit eos ſuæ etiam miſſionis habere conſortes. *Præmittens itaque & ſubjungens proinde paſſum eſſe Chriſtum; æquè Apoſtolos eadem paſſuros pronuntiavit*; tum ad honorandum Deum. *Sciebat enim glorioſius eſſe pro Chriſto mori, quàm regnare in hoc ſeculo: quid enim præſtantius quàm fieri Chriſti hoſtiam?* tum ad cooperandum hominum ſaluti, per ſuum ſanguinem Chriſtianam religionem ſeminando. *Diſcipuli quoque diffuſi per orbem præcepto magiſtri Dei paruerunt; qui & ipſi à Iudæis perſequentibus multa perpeſſi, utique pro fiducia veritatis libenter Romæ poſtremò per Neronis ſævitiam ſanguinem Chriſtianũ ſeminaverunt.*

D. Amb. l. 3 Fid. 5 Heb. 7. L. de Carn. Chr. 5 Tert l. adv. Jud. 14 Greg. Nyſſ Orat. 1. de Reſ. Tert. lib. 3. adv. Marc. 22. D. Amb. l. de Bon. Mor. Tert. Apol. 21.

Paſſio Chriſti & Apoſtolorum urget nos ad patiendum: *Hæc ubicumque legero pati exopto; nec mea intereſt quos ſequar martyrii magiſtros:* In paſſionibus autem Chriſtianis & Chriſtianè toleratis duplex nobis proponendus eſt finis. Unus, *& ut glorificetur Deus:* Alter, ut ſalutem per paſſiones & cruces conſequamur.

Tert Scorp 13. Tert lib. de fug. in perſ. 9.

CONCIO QUARTA.

TEneo *teſtimonium cæcitatis*, ut evidentiſſimè in Judæis comprobatur; *quos mulctatos ſapientia, & intelligentia, & oculorum fruge* meritò exiſtimat Tertullianus: *Sciebant & Iudæi venturum eſſe Chriſtum, ſcilicet quibus Prophetæ loquebantur.* Chriſti etiam adventus fuerat manifeſtè comprobatus *ex temporibus præſcriptis; & ex ſignis competentibus; & ex operationibus ejus; & ex conſequentibus, quæ poſt adventum ejus futura demonſtrabantur: ut tam adimpleta omnia quam proſpecta credamus.* Non obſtantibus tot probationibus tanta claritate conſpicuis, venturum adhuc

Tert. lib. de Spect. 13 Apolog. 21 Tert. Tert. l. adv. Jud. 8.

huc Meſſiam ſperant Judæi, & inſurgentes in Chriſtum ejus, 1. naturam dedighantur: 2. vitam calumniantur: 3. doctrinam labefactare conantur. Nam

Tert. lib. de ſpect. 30

1. Chriſtus eſt Dei filius, & ut fabri filius habetur à Judæis; *Hic eſt ille fabri aut quæſtuariæ filius*: Chriſtus eſt innocens & ſanctus, & à Judæis prædicatur

Tert. apol. 20.

ſabbathi deſtructor, Samarites, dæmonium habens. 3. Chriſtus eſt veritatis doctor, & à Judæis ut ſeductor morti damnatur. *Ad doctrinam verò ejus quia revincebantur magiſtri primoreſq; Iudæorum, ita exaſperabantur; maximè quòd ad eum ingens multitudo deflecteret: ut poſtremò oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentiâ ſuffragiorum in crucem dedi ſibi extorſerint.* Judæorum calumniam volens confundere Salvator, in teſtes vocavit

Act. 9.

Apoſtolos: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, uſque ad ultimum terræ*; qui mandato Domini obtemperantes per orbem univerſum teſtati ſunt ejus, 1. naturam: 2. vitam: 3 doctrinam.

I. PARS.
Tertull.

De Chriſto multi variè ſentiunt, dicunt, & ſcribunt. Alii volunt eum eſſe hominem, non Deum; quidam Deum, non hominem: nonnulli mortuum, ſed non ſuſcitatum. Trinum tamen eſſe in Chriſto admittendū eſt, divinum, humanum & glorioſum Divinum accepit in ſinu Patris, humanum in ſinu matris, glorioſum in ſinu ſepulchri. Divinum eſſe Chriſto denegant Ariani; humanum Marcionitæ; glorioſum Judæi & Saducæi. Ad hos debellandos hęreticos Apoſtolorum ſufficit teſtimonium: qui teſtati ſunt eſſe Chriſti, 1. divinum: 2. humanum: 3. glorioſum.

Tert. lib. de Orat. 2
Tert. l. adv. Prax. 21
Tert. lib. 3. adv. Marc. 2.

1. Multiplici teſtimonió Chriſti declarata fuit divinitas: cujus aſſertio *incipit à teſtimonio Dei*; eam ſiquidem æternus teſtatus eſt Pater. *Et, qui me miſit Pater, ipſe teſtimonium dixit de me.* Quod ſanè teſtimonium neceſſarium erat; tum ut Chriſtus Dei exiſtimaretur Filius: tum ut à Patre miſſus crederetur: quia *nec filius agnoſcetur, quem numquam pater nuncupavit: nec miſſus credetur, quem numquam mandator deſignavit.* Hujuſmodi patris teſtimoniū præcipuè

Tert. lib. adv. Prax. 21.

enituit in monte Thabor: *Itaq; nec tunc nubes muta fuit, ſed vox ſolita de cœlo; & Patris novum teſtimonium ſuper Filio: Hic eſt filius meus.* Hoc patris teſtimonium ut verum fideles humiliter recipiunt. *Nos credimus teſtimonio Dei, qui teſtatus eſt de filio ſuo.* Filius teſtimonium perhibuit de ſemetipſo: *Opera, quæ ego facio*

Tert. lib. adv. Prax. 30.
Tert. l. adv. Prax. 21
Tert.

in nomine Patris mei, ipſa de me teſtimonium dicunt. Argumentatur Chriſtus ad hominem contra Judæos ex teſtimonio Joannis: Joannes me Dei filium teſtatur; vos recipitis Joannis teſtimonium ut irrefragabile: Ergo me Dei filiū credere debetis: *Ego autem habeo majus quàm Ioannis teſtimonium; opera enim, quæ Pater dedit mihi conſummare, illa ipſa de me teſtimonium perhibēt:* Vos minus teſtimoniū (nempe Joannis) recipitis, à fortiori recipere debetis majus, fortius, efficacius, magiſq; convincens teſtimonium; ſcilicet opera à me facta.

Euth

Joannis teſtimonium quiſpiam poterit calumniari *tanquam ad gratiam factum. verùm opera omni ſuſpicione libera cunctorum ora contentioſa obturant.* Spiritus S. à Patre Filioq; procedens, & miſſus, Chriſti adhuc teſtatus eſt divinitatem:

tem: nam cum Spiritus ſanctus Deus ſit, niſi à Deo neque procedere, neque mitti poteſt: Unde Salvator: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ille teſtimonium perhibebit de me.* Joan. 16 Teſtimonium Spiritus ſancti nemo ſanæ mentis poteſt recuſare, quia cum ſit Spiritus veritatis, nequit ullo modo mentiri. Quodſi *in tribus teſtibus ſtabit omne Verbum*; quanto magis *dum habemus arbitros fidei*, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum? Tert. l. de Bapt. 6 Et ita ad ſtabiliendam Chriſti divinitatem, *ſufficit numerus nominum divinorum*, Tert. ib. ſcilicet perſonarum divinarum quæ illam teſtantur.

Quam adhuc dæmones confitentur: *Itaque ſpiritus nequam, cum teſtimonio excedebant, vociferantes; Tu es filius Dei. Sed proinde increpabantur, & jubebantur tacere.* Tert. l. 4 adv. Marc. 8. At cur dæmones increpat Chriſtus, jubetque ut taceant? Quia *illius erat præconium immundi ſpiritus reſpuere, cui Sancti abundabant*: beati nimirum Angeli in gratia & ſanctitate confirmati, qui in die natalis divinitatis decantarant gloriam. 2. Quia *Chriſtus ab hominibus, non à ſpiritibus immundis, volebat ſe Filium Dei agnoſci.* Venerat enim ad homines, (non ad dæmones) redimendos & ſalvandos. 3. *Chriſto hoc congruebat, quia præmiſerat per quos poſſet agnoſci & utique digniores prædicatores*; nimirum Apoſtolos, *à quibus & teſtimonium ſui expectat.* Quod ſane teſtimonium certum & infallibile cenſendum eſt. Tertull. Scorp. 10 In teſte namque perfectiſſimo tria deſiderantur, ſapientia, bonitas & auctoritas. 1. Sapientia ut cognoſcat veritatem, & nequeat falli. 2. Bonitas ut ſincere cognitam propalet veritatem, neque ullo modo fallat aut decipiat. 3. Auctoritas, ut ſit omni exceptione major. Apoſtoli ſcientia illuſtri, in gratia & ſanctitate confirmati, & ſumma poſt Chriſtum authoritate donati, Chriſti teſtantur divinitatem apud Tertullianum, ubi ſic fantur: *Hunc ex Deo Prolatum diſcimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ; nam & Deus Spiritus, & ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus.* Apol. 21. Apoſtolorum teſtimonium *fidei teſtimonium* appellat Tertullianus, cui credere tenentur Chriſtiani. Lib. de Orat. 9

2. *Marcion phantaſma eum maluit credere, totius corporis in illo dedignans veritatem.* Tert. l. de An. 17 Veram carnem ex Maria Virgine natam Chriſto denegat Marcion: phantaſticam & innatam concedit. Hunc errorem (Apoſtolorum teſtimonio,) confutat Tertullianus. Evangelium namque ab ipſis conſcriptum humanæ Chriſti nativitatis plures refert circumſtantias. *Nos damus Evangelia, nocturna nativitate declarantia dominum: ut hoc ſit ante luciferum genitum, & ex ſtella magis intellecta, & ex teſtimonio angeli qui nocte Paſtoribus annuntiavit natum eſſe tum maxime Chriſtum, & ex loco partus, in diverſorium enim, ad noctem, convenitur.* L. 5. adv. Marc. 9. Eodem fere utitur argumento Petrus Damianus, & Chriſti humanam nativitatem, multimode teſtatam refert. *Chriſtus habuit teſtimonium antiquorum, quia in manibus Prophetarum aſſimilatus eſt: habuit teſtimonium modernorum, unde & ipſe Diſcipulis ſuis, Eritis mihi teſtes. Habuit teſtimonium lucis, quia claritas ſtellæ illuſtravit Magos. Habuit teſtimonium tenebrarum, quia tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram.* Serm. de Epiph. Tot allata à Damiano teſti-

monia ſigillatim ſunt expendenda. 1. Habuit teſtimonium tenebrarum, ſcilicet dæmonum, qui cum ſint tenebrarum principes, *illis competunt teſtimonia tenebrarum.* [Tert. l. de Idol. 15] Habuit adhuc teſtimonium tenebrarum, quia in Chriſti morte generalem ſol paſſus eſt eclypſim: nam *eodem momento dies medium orbem ſignante luce ſubducta eſt.* [Tertull. Apol. 21] Mors autem neceſſario ſupponit veram humanitatem, & carnis nativitatem; *non enim mori ſolet, niſi quod naſcitur.* [Tert. l. de Car. Chr. 6] 2. Habuit teſtimonium lucis, Angelorum ſcilicet, qui per lucem denotantur, & ſecunda divinitas nominantur. *Sufficeret ad auctoritatem carnis, ſecundæ divinitatis patrocinium.* [Tert. l. de R. ſ. 5] Vel habuit teſtimonium lucis, nimirum ſtellæ lucidæ quæ Magos duxit ad præſepe Salvatoris. *Mutus quidem teſtis, ſed omnibus vocem habentibus evidentior;* [D. Chryſoſt. hom. de Dav. & Saul.] licet Judæi radiorum loquelam, etiam in Scriptura adumbratam non perceperint. *Sed Magi & Aſtrologi ab oriente venerunt. Primi igitur ſtellarum interpretes, natum Chriſtum annuntiaverunt: primi muneraverunt, hoc nomine Chriſtum ſibi obligaverunt.* [Tert. l. de Idol. 9] 3. Habuit teſtimonium antiquorum, nempe Prophetarum, qui Chriſti humanationem, nativitatem, vitam, & mortem præfati ſunt. *Quoniam Chriſtus eſt ſignaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia quæ retro erant de eo nuntiata.* [Tert. lib. adv. Jud. 11] 4. Habuit teſtimonium modernorum, ſcilicet Apoſtolorum, qui trium ſenſuum experientiâ teſtati ſunt Chriſtum verum hominem ex anima & corpore compoſitum. *Atquin ne in Apoſtolis quidem ejus ludificata natura eſt. Fidelis fuit & viſus & auditus in monte: fidelis & tactus exinde creduli Thomæ. Recita Ioannis teſtationem: Quod audivimus, inquit, quod oculis noſtris vidimus, & manus noſtra contrectaverunt de ſermone vitæ: falſa utique teſtatio, ſi oculorum, & aurium, & manuum ſenſus, natura mentitur.* [Tert. l. de An. 17.]

[Tert. l. de Reſ. 2.] 5. *Chriſto etiam ſervabatur; omnia retro occulta nudare, dubitata dirigere, prælibata ſupplere, prædicata repræſentare, mortuorum certe reſurrectionem, non modo per ſemetipſum, verum etiam in ſemetipſo probare.* Mortuorum reſurrectionem per ſemetipſum probaverat Chriſtus, Lazarum mortuum quatriduanum & fœtidum ad vitam revocando. In ſemetipſo reſurrectionem adhuc probavit Chriſtus, propria reſurgendo virtute, & quia ſuam prædixerat Reſurrectionem. [Tertull. Apol. 21.] *Hunc Iudæi detractum, & ſepulchro conditum, magna etiam militaris cuſtodiæ diligentia circumdederunt, ne quia prædixerat tertia die reſurrecturum ſe apertè, diſcipuli furto amoliti cadaver fallerent ſuſpectos. Sed ecce die tertia concuſſa repente terra, & mole revoluta, quæ obſtruxerat ſepulchrum, & cuſtodia pavore disjecta, nullis apparentibus diſcipulis; nihil in ſepulchro repertum eſt præterquam exuviæ ſepulchri. Nihilominus tamen Principes, quorum intereat, & ſcelus divulgare, & populum vectigalem & famularem ſibi à fide revocare, ſubreptum à diſcipulis jactitaverunt.* Quanta Judæorum veſania denegare fidem Prophetis, qui reſurrecturum Meſſiam prædixerant, denegare fidem Chriſto, virtutibus & portentis famoſiſſimo, qui corporis ſui affirmarat reſurrectionem: & tamen malitia excæcati ſepulchrum ſigillo muniunt, cuſtodes adhibent, & Chriſto præter ſpem redivivo, & è ſepulchro propria

virtute

virtute egreſſo, falſos corrumpunt teſtes, qui Chriſtum furtim à diſcipulis
ſublatum affirment? *Et dati ſunt peſſimi pro ſepultura ejus, qui ſcilicet ſubre-* Tert. l. 3
ptum aſſeverent; & locupletes pro morte ejus, qui ſcilicet & à Iuda traditionem adv.
redemerant, & à militibus falſum teſtimonium cadaveris ſubrepti. Idem eſt Ju- Marc. 23.
dæorum animus pro morte & reſurrectione Chriſti: in utraque ad malum
locupletes ſunt; nam & Judam pecunia depravant, ut ſuum eis vendat & ad
necem tradat magiſtrum, & milites adhuc auro & argento corrumpunt, ut
Chriſtum furtim à diſcipulis ſublatum teſtentur: *Hic eſt quem clam diſcentes* Tert. l. de
ſubripuerunt, ut reſurrexiſſe dicatur: vel hortulanus detraxit, ne lactucæ ſuæ fre- Spect. 30.
quentia commeantium adlæderentur. Excogitatam Judæorum malitiam, &
falſam teſtium calumniam retundere voluit Salvator Apoſtolorum depoſi-
tione, qui eam & verbis & ſcriptis teſtati ſunt. Scriptis quidem; nam *reſurre-* Tert. l. de
ctionem apoſtolica inſtrumenta teſtantur. Illam & Evangelium continet, & in Reſ 39
ſuis Epiſtolis Paulus multoties affirmat: *Apoſtolus per totum fere inſtrumen-* Tertull.
tum, fidem hujus corroborare curavit: Verbis etiam Apoſtoli Salvatoris reſur-
rectionem propalarunt: nam Petrus ſtans cum undecim levavit vocem ſuam
& ſic locutus eſt Judæis: *Viri Iudæi & qui habitatis Ieruſalem univerſi: Ieſum* Act. 2
Nazarenum definito conſilio & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum
affligẽtes interemiſtis. Hunc Ieſum reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus.

Chriſtianos hortatur Tertullianus, ut in ſuis moribus Chriſti in terra viven- II. PARS.
tis deferant imaginem: *Proinde & cæleſtis imaginem geſtemus in nobis, non jam* Lib. de
Dei, nec jam in cælo conſtituti, ſed ſecundum lineamenta Chriſti incedentes in Reſ. 49
ſanctitate & juſtitia & veritate Chriſtum opponit Adamo à cujus converſa-
tione multum diſcrepat. Nam 1. Adamus ex dæmonis converſatione fuit ſce-
leroſus: 2. impatientia dejectus: 3. inobedientia crimionoſus. Chriſtus è con-
verſo fuit, 1. innocens: 2. patiens: 3. obſequens. *Cum igitur imaginem & choici &*
cæleſtis in converſatione conſtituat, illam ejerandam, hanc vero ſectandam vult
Paulus. Quod egerunt Apoſtoli, qui ſceleroſam Adami ejerantes converſatio-
nem, & innocuam Chriſti ſectantes imaginem, teſtati ſunt ejus 1. immunem
à peccatis vitam: 2. humilem obedientiam: 3. invictam patientiam.

1. *Solus Deus ſine peccato, & ſolus homo ſine peccato Chriſtus.* Erat Chriſtus Tert. l. de
impeccabilis, tum ut Deus, tum ut homo. Ut Deus eſſentialiter; ut homo ra- An. 41
tione 1. unionis hypoſtaticæ; 2. beatitudinis animæ: 3. gratiæ ſummæ ſibi col-
latæ: 4. redemptionis humanæ ab ipſo faciendæ. Nam *oportet ſine peccato eum* D. Bern.
eſſe qui tollit peccata mundi: & licet fuerit ejuſdem naturæ cum aliis hominibus Ser. 28. in
peccato obnoxiis, fuit tamen in converſatione, *ſegregatus à peccatoribus*; qui- Cant.
buſcum converſans, pravos eorum non eſt imitatus mores. Ut enim ait D. Heb. 7
Ambroſius, *Chriſtus immaculatus ad Patrem rediit à quo immaculatus exivit:* In Pſ. 10
unde dicit ei Pater: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Hoc eſt generationis mea
in te privilegium recognoſco quam nulla macula potuit inquinare peccati; ita
inter peccatores converſatus es quaſi inter angelos verſareris. Chriſtus convi-
vens & converſans inter peccatores, quaſi inter Angelos verſaretur, impecca-

bilis manſit, nequitiam eorum à malo exemplo non imitans. In quo æternæ
generationis privilegium agnoſcit Ambroſius. Æternus Pater generat filium,
contemplans non ſolum divinas perfectiones, ſed etiam homines; cunctaſque
D. Thom. in univerſum creaturas. Generat *in ſplendoribus Sanctorum*, quaſi ſuam ab ho-
1. p. Pſ. 109 minibus ſceleratis avertens cogitationem & ad ſolos homines probos inten-
Bellar. dens animum; quia *Sancti homines dici poſſunt ſplendores Sanctorum*. Chriſtus
converſans cum hominibus, æternæ generationis ſapit perfectionem ſeſe à
peccatorum moribus avertens.

Sanctam & immaculatam Chriſti vitam & converſationem teſtati ſunt
D. Chryſ. Apoſtoli: quos *miſit Chriſtus quaſi ſol radios ſuos; quaſi roſa ſuavitates odoris ſui,*
in c. 10 *quaſi ignis ſcintillas ſuas diſperſit: ut ſicut Sol in radiis apparet, ſicut roſa in odo-*
Matth. *ribus ſuis ſentitur, ſicut ignis in ſcintillis ſuis aſpicitur, ſic in illorum virtutibus,*
Chriſti potentia agnoſcatur, quis enim videns diſcipulos bene inſtructos, non ſcien-
tiam magiſtri collaudet? In Apoſtolis ſuis Chriſtus velut Sol in ſuis radiis ap-
Tert. l. de paret. *Sane Sol & in cloacam radios ſuos defert, nec inquinatur*: Chriſtus eſt Sol
Spect. 10 juſtitiæ, Apoſtolos uti lucis ſuæ radios miſit ad Judæos criminoſos, Gentiles
idololatras, quibuſcum ſunt converſati, nec ab hujuſmodi cloacis ullo modo
inquinati. Lux non infeſtatur ab aliquo quominus ſplendeat, indemnis luſtrat
loca aliis infeſta, neque ullam ſumit ex eis contagionem. Lux mundi ſunt
Tert. lib. Apoſtoli: *Nam & lucere in mundo oportebat ut filios lucis unum Deum & Do-*
adv. *minum colentes & nominantes*: Ita autem luxerunt in mundo ut nullam à
Prax. 13. peccatoribus ſumpſerint contagionem, ſed eos potius ad puritatem & inno-
Lib. adv. centiam adduxerint. Agnoſcit Tertullianus *pectines Solis*. Pecten comam
Valent. 3 emundat, expolit & venuſtat; radii, ſunt pecten ſolis, quibus ſol omnia quæ
intra elementa continentur emaculat: quaſi eorum mundicies à luce ſit, & lu-
ce conſtet. Lux mundi & pectines ſolis juſtitiæ Apoſtoli criminoſos à ſuis
ſceleribus revocarunt, puritate mundum exornarunt, & ſuis moribus teſtati
ſunt humilem & demiſſam Chriſti obedientiam.

Tert. l. de 2. *Filius nihil ex arbitrio ſuo gerit, ſed paternis imperiis omnibus & præceptis*
Trinit. 31 *obedit*. Perfectiſſimam obedientiæ ſpeculum Chriſtus, qui uſque ad mortem
Tert. l. de & mortem crucis *voluntati Patris ſe tradidit*. Magiſtri imitatores diſcipuli,
Orat. 4. ſuo obſequio Chriſti teſtati ſunt obedientiam: *Siquidem in fine præcepit ut va-*
Tert. l. de *derent ad docendas & tinguendas nationes*. Hujuſcemodi præceptum videtur
Præſc. Apoſtolorum ſuperare vires; præſertim ſi attendamus quos miſerit, ad quid
Hæret. 8 miſerit, & quo miſerit. Quos mittebat Chriſtus erant piſcatores, in lacubus
enutriti, pauperes, agreſtes, imperiti, idiotæ. Verum ad quid eos mittebat? ad
tumentium Philoſophorum extricandas argutias, & Evangelicam ſuaden-
dam doctrinam, ad regum faſtum crucis humilitati ſubjiciendum; ad efferas
gentes domandas. At quò ſuos diſcipulos mittebat Chriſtus? non ad aliquam
dumtaxat regionem, ſed in mundum univerſum. Quis Apoſtolos tanto ob-
Tertull. eundo muneri non judicaret impares, & tamen nihil cauſantes? *Diſcipuli quo-*
Apol. 21 *que diffuſi per orbem, præcepto Domini Dei paruerunt*. Quis eorum non miretur
obſe-

obſequium? Pauculos mittit Chriſtus ad cunctas mundi gentes,qui vix unam
noverant regionem; nec quiſquam ſe à tanto excuſavit negotio, dicens cum
Abacuc: *Babylonem non vidi,& lacum neſcio.* Imperitos ad ſapientes arguen-
dos mittebat,nec fuit qui ſuam prodiret inſcitiam ; diceretque cum Moyſe
quòd linguæ eſſet imperitioris: ſed omnes obſequio exprompti,injunctum Tert. l. de
ultra vires munus abundè præſtiterunt. Nam *memores præcepti Domini, in* Fug.in
viam abierunt,ut in totam ſcilicet terram exiret ſonus eorum,& in terminos or- Perſ.6
bis voces eorum. Ubique prædicaverunt,ſapientes convicerunt,Reges Chriſti
imperio ſubdiderunt: & quia *ipſum quoque obſequium de patientia trahitur,* Tert. l. de Pat. 4
ſuam obtemperando diſcipuli demonſtrârunt patientiam, & magiſtri adhuc
patientiam teſtati ſunt.

3. Chriſtus à *Prophetis prædicabatur omnem patientiam exhibiturus.* Adim- Tert.l. adv.Jud.9
plevit autem Salvator cuncta, quæ de ejus patientia prædixerant Prophetæ: Tert. l. de
Nec enim mentitus fuerat Propheta, imò ipſius Dei conteſtatio Spiritum ſuum in Pat. 4
Filio,cum omni patientia collocantis. Patientia ad Deum ita pertinet,ut Tertul-
liano videatur *patientiam Dei eſſe naturam, & præſtantiam ingenitæ cujuſdam* lib. de Pat. 3.
proprietatis. Hanc patientiæ præſtantiam Pater dedit Filio, qui adeò patiens
extitit,ut nulla fuerit ejus operatio, quæ non fulgeret prærogativâ patientiæ:
Quia in his omnibus niſi majeſtas invicta patientia claruit. Multa quidem alia Pet. Dam. Serm. 3
clarent in Chriſto;nempe virtutes,miracula,gratia,doctrina,ſanctitas;verùm
hæc omnia ſumunt quodammodo à patientia claritudinem,quam in cunctis
oſtentavit Salvator. Ab utero matris uſque ad crucem adeo fuit patiens, ut
exindè fuiſſet cognitus à Judæis,niſi malitia eorum excæcâſſet mentes; quos l.de pat. 3
ideò ſic alloquitur Tertullianus: *Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſce-*
re debuiſſetis, patientiam hujuſmodi nemo hominum perpetraret. Comparat
Chriſti patientiam cum cæteris vitæ ſuæ operibus, quæ magno orbis ſtupore
patravit ad ſuæ divinitatis probationem. Et quamvis operata ab eo miracula
Phariſæorum mentibus debuerint ipſius ingenerare notitiam; patientia ta-
men, quam Chriſtus per omnes vitæ periodos, præſertim in paſſione exhi-
buit,magis adhuc debuit ad ſui cognitionem adducere Judæos.

Chriſti patientia,quæ ad ejus notitiam adduxit Centurionē, multum pro-
fuit Apoſtolis ad chriſtianam propagandam diſciplinam: quare fidei ſtabi- l.de Pat. 6
liendæ adjutrix & præſes nuncupatur à Tert. *Cùm fides in nationes ſeminaretur;*
ampliandæ adimplendæq; legi adjutricem ſuam patientiam præfecit: Apoſtoli Tertull.
namque eruditi à Chriſto *Domino patientiæ & magiſtro*, magiſtri & domini
exemplum imitantes,in cunctis operationibus ſuis magnam oſtentârunt pa-
tientiam: *Et utique ex diſciplina patientiæ divina agere nos, ſatis manifeſtum* Tert. l. adv. Scap.
eſſe vobis poteſt. Per patientiā moriens Chriſtus verum ſe Meſſiam demonſtra- 2.
vit,quam ſuo martyrio teſtati ſunt Apoſtoli: *Patientia adverſus omnem ſubver-* Tert l.de
tendæ fidei paraturam, ut ignem,ut cruces, beſtias, gladium, conſtantiſſimè tole- Pat.13
rat,quæ Apoſtoli ſuſtinendo vicerunt. His namque patientiæ viribus Petrus ſu-
ſtinuit crucem, Paulus gladium, Joannes oleum, & cætera alia ſuppliciorum
genera,quibus Chriſti doctrinam teſtati ſunt.

III PARS Magnum ſanè intercedit diſcrimen inter Gentiles & Chriſtianos : illorum
Tert.l.de Spect.21 ſiquidem doctrina imperfecta, neque pietatem, neque veritatem, neque bonitatem docet : *Ethnici apud quos nulla eſt veritatis plenitudo, quia nec doctor*
Tert. Apol.21 *veritatis Deus.* Chriſtianorum verò doctrina perfectiſſima, quia Filius Dei *hujus gratiæ diſciplinæq; arbiter & magiſter, illuminator, atque deductor*, docet 1. pietatem. 2. veritatem. 3. bonitatem.

1. Chriſtianos inſequebantur Martyres, velut reos læſæ religionis, quos meritò Tertullianus à falſa illa accuſatione vindicat, & Ethnicos inſuper impios & irreligioſos oſtentat. Etenim ſi Gentilium numina non ſunt dii Chriſtiani ſuum illis denegantes cultum non ſunt rei religionis læſæ ; Gentiles è contra verè irreligioſi ſunt, pro diis colentes vel homines criminoſiſſimos, vel
Apol.24 dæmones qui dii non ſunt : *Si enim non ſunt dij pro certo, nec religio pro certo eſt, quia nec dij pro certo, nec nos pro certo rei ſumus læſæ religionis : at è contrario in vos exprobratio reſultavit, qui mendacium colentes, veram religionem veri Dei non modò negligendo, quin inſuper expugnando, in verum committitis crimen veræ irreligioſitatis.* Deus eſt religionis & pietatis objectum, ideoque qui verum non colunt Deum, irreligioſi ſunt, neque veram religionem habent: qui verò Deum colunt verè religioſi ſunt, veram profitentes religionem. Irreligioſi & impii Gentiles, qui ſuos vero Deo non deferebant cultus, ſed vel dæmones, vel homines criminoſiſſimos, vel fabricata à mortalibus idola im-
Tert.l.de Idol.4 piè venerabantur: *Omnia colit humanus error præter ipſum omnium conditorem.* Religioſi è contra Chriſtiani verum colentes Deum, veram religionē & pietatem profitentes, pro qua ſuum fuderunt ſanguinem Apoſtoli, qui ſic alloquuntur Gentiles:
Tert. Apolog.21 *Dicimus, & palam dicimus, & vobis torquentibus lacerati & cruenti vociferamur, Deum colimus per Chriſtum, per eum, & in eo ſe cognoſci vult & coli.*

Lib.1.de cult. fœ.1 2. Bellè ad propoſitum Tertullianus: *Nihil verum in his, qui neſciunt Deum præſidem & magiſtrum veritatis*, ut patet in Gentilibus, qui à mendaci diabolo decepti verum non cognoverunt Deum, & à pravo illo magiſtro mendacium
Tert.l. adv.Prax.1. didicerunt: *Diabolus à primordio mendax eſt, & ſi quem hominem de ſuo ſubornavit.* Ethnicos ſubornavit diabolus, & mendaces eos effecit, non in re parvi momenti, ſed in re omnium maxima, ſcilicet in notitia veræ divinitatis. *Si enim mendacium divinitatis diabolus operatur, in hac etiam ſpecie à primordio*
Tert.l.de Cor.mil.7. *mendax, ſine dubio & eos ipſe proſpexerat, in quibus in mendacium divinitatis ageretur.* Nec mirum, ſi dæmon hominibus ingenerat mendacium, cùm ſit pater mendacii: *quia non eſt veritas in eo; cùm loquitur mendacium, ex proprijs lo-*
Joan.8 *quitur: quia mendax eſt, & pater ejus.* Modum autem quo diabolus parit mendacium, acutè explicat D. Auguſtinus: *Quomodo Deus Pater genuit Filium ve-*
Tract. 42 in Joan. *ritatem, ſic diabolus lapſus genuit quaſi filium mendacium. Illi ergo Iudæi apud patrem ſuum viderunt quod loquebantur: quid niſi mendacium? Dominus autem apud Patrem ſuum vidit quid loqueretur: quid niſi ſeipſum? quid niſi Verbum Patris? quid niſi veritatem æternam, & Patri coæternam?* Judæi, quos ex patre dia-

diabolo generatos aſſeverat Chriſtus : *Vos ex patre diabolo eſtis*; ſunt diaboli proles, *non utique ſucceſſione carnis, ſed criminis.* Pater æternus generando Verbum, communicat illi veritatem; diabolus generando Judæos & Gentiles illis ingenerat mendacium, Dei Filius acceptam à Patre veritatem loquitur; diaboli filii mutuatum à patre mendacium loquuntur.

D Ambr. l. 4. in Lucam.

Ante humanationem Verbi veritas in cœlo duntaxat regnabat, dominabatur in terra mendacium; at in ejus corporatione *veritas de terra orta eſt, Chriſtus de fœmina proceſſit, Filius Dei de carne proceſſit*: Dei Filius, qui in æterna generatione accepit à Patre veritatem, aſſumpſit in tempore terram, id eſt, carnem, quæ terrenam ſapit originem, ut hominibus terrenis acceptam à Patre largiretur veritatem; ad hoc enim natus eſt, & venit in mundum: *Non qui rupices & adhuc feros homines, multitudine tot numinum demerendorum, attonitos efficiendo ad humanitatem temperaret, quod Numa; ſed qui jam expolitos & ipsâ urbanitate deceptos, in agnitionem veritatis ocularet.* Mutatus eſt ordo rerum. Ante Incarnationem, mendacium fructus erat terræ; at poſt Incarnationem *veritas de terra efflorsuit*: terra ante veritatem ſterilis, & mendaciorum fœcunda matrix, efflorescere fecit veritatem, quæ in Verbi humanati ore reſidet velut in ſolio majeſtatis, ubi oracula pronuntiat: *Ut homo fidentius ambularet ad veritatem, ipſa veritas Dei Filius homine aſſumpto, non tamen Deo conſumpto conſtituit fidem*, quæ erat homini neceſſaria ut divinis poſſet aſſentiri myſteriis: *Cui enim veritas comperta ſine Deo? cui Deus cognitus ſine Chriſto? cui Chriſtus exploratus ſine Spiritu ſancto? cui Spiritus ſanctus accommodatus ſine fidei Sacramento?* Veritatem illam fidei fulcrum, detulit ipſemet Chriſtus, & per ſuos Apoſtolos univerſo demandavit orbi terrarum. Quapropter Tertullianus aſſeverat *illam eſſe regulam veritatis, quæ veniat à Chriſto tranſmiſſa per comites ipſius*, qui ſuo martyrio doctrinæ dominicæ teſtati ſunt tum veritatem, tum bonitatem.

D Aug. in Pſal. 84.

Tert. Apol. 21.

Hebr.

D. Aug. l. 11. Civ. 2.

Apol. 47.

3. Chriſtianos multum extulit Tertullianus ſuper Gentiles, qui aliquam præ ſe ferebant probitatis ſpeciem: *Cæterùm ſi de pudicitia provocamur; lego partem ſententiæ Atticæ in Socratem. Corruptor adoleſcentium pronuntiatur: Chriſtianus ad ſexum nec fœminæ mutat. Nov & Phrinen meretricem Diogenis ſupra recumbentis ardori ſudantem. Audio & quemdam Speuſippum de Platonis ſchola in adulterio periiſſe: Chriſtianus uxori ſuæ ſolus maſculus naſcitur. Democritus excæcando ſemetipſum, quòd mulieres ſine concupiſcentia aſpicere non poſſet, & doleret ſi non eſſet potitus; incontinentiam emendatione profitetur: at Chriſtianus ſalvis oculis fœminas non videt, animo adverſus libidinem cæcus eſt. Si de probitate defendam; ecce lutulentis pedibus Diogenes ſuperbos Platonis toros alia ſuperbia deculcat; Chriſtianus nec in pauperem ſuperbit. Si de modeſtia certem, ecce Pythagoras apud Thurios, Zenon apud Priennenſes, tyrannidem affectant: Chriſtianus verò nec ædilitatem. Si de animi æquitate congrediar, Licurgus apocartereſim optavit quòd leges ejus Lacones emendâſſent: Chriſtianus etiam damnatus gratias agit. Si de fide comparem, Anaxagoras depoſitum denegavit hoſpitibus.*

Apol. 46.

Inedia, mori elegit.

Extraneis.

tibus: Chriſtianus & extra fidelis vocatur. Si de ſimplicitate conſiſtam, Ariſtote-
les familiarem ſuum Hermiam turpiter loco excedere fecit; Chriſtianus nec ini-
micum ſuum lædit. Idem Ariſtoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adu-
latur, quàm Plato Dionyſio veneris gratiâ venditatur. Ariſtippus in purpura, ſub
magna gravitatis ſpecie nepotatur, & Hyppias dum civitati inſidias diſponit, occi-
ditur: Hunc pro ſuis omni atrocitate diſſipatis, nemo unquam tentavit Chriſtia-
nus. Longiuſculè quidem Tertullianus depravatos refert Philoſophorum
mores, qui à vulgo ſapientes & probi habebantur, à quibus Chriſtianos non
tantùm innocuos oſtentat, ſed inſuper virtutibus contrariis illuſtres prædicat.
Apol. 45 Inde diſciplinæ Chriſtianæ colligit præſtantiam: *Atque adeò quid plenius di-*
ctum eſt, Non occides? an verò ne iraſcaris quidem? quid perfectius, prohibere
adulterium, an etiam ab oculorum ſolitaria concupiſcentia arcere? quid erudi-
tius de maleficio, an etiam de maliloquio interdicere? quid inſtructius, injuriam
non permittere, an ne vicem injuriæ ſinere? Diſciplinæ Chriſtianæ præſtantiam
& bonitatem ſuâ probitate teſtati ſunt Apoſtoli, de quo ipſimet gloriantur:
Tert. l. ad Scap. 4 *Depoſitum non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos pie tra-*
ctamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo reddimus. Viderint qui
ſectam mentiuntur, quos & ipſi recuſamus. Suis bonis moribus Chriſti doctri-
nam teſtati ſunt Apoſtoli, quam ſceleroſi Chriſtiani non teſtantur, ſed potius
mentiuntur; idcircò ut Chriſtiani falſi & mendaces à Chriſti diſcipulis reji-
Tert. l. de Præſc. hæret. 45 ciuntur: *Doctrinæ index diſciplina eſt*; per diſciplinam doctrina dignoſcitur,
quæ talis exiſtimatur qualis eſt eorum vita qui eam profitentur. Si vita eſt in-
nocua, doctrina innocua judicatur; ſi vita eſt criminoſa, doctrina ſceleroſa
Tert. cenſetur: *De genere converſationis qualitas fidei æſtimari poteſt.* Si Chriſtiano-
rum hujuſce ætatis attendatur converſatio, qualis quæſo exiſtimabitur do-
ctrina Chriſtiana? non doctrina pietatis, veritatis & bonitatis; cùm ipſi nullam
præ ſe ferant pietatem, veritatem, & bonitatem. Tempore idololatriæ idem
erat loqui *de Romanis, id eſt, de non Chriſtianis*, ob eorum impietatem, errorem,
Tert. Apol. 3 & pravitatem. Nonne ſunt non Chriſtiani plures, qui ſe Chriſtianos mentiun-
tur, qui ut Gentiles Romani in impietate, errore, & pravitate vivunt? Vera
religio duo importat: unum, Dei cognitionem; aliud, Dei recognitionem: *Nos*
Tert. lib. 1 adv. marc. 18 *definimus Deum primò naturâ cognoſcendum, dehinc doctrinâ recognoſcendum.*
Gentiles neque cognoſcebant, neque recognoſcebant Deum. Non cogno-
ſcebant, quia idololatriæ erant dediti, non recognoſcebant, quia cunctis erant
vitiis mancipati. Fallaces Chriſtiani Deum cognoſcunt per fidem, ſed non re-
cognoſcunt, quia depravatis ſuis moribus, pietati, veritati, & bonitati diſcipli-
næ Chriſtianæ contradicunt. Veri Chriſtiani probe nomini reſpondentes
Deum & agnoſcunt, & recognoſcunt, quia divinis aſſentiuntur myſteriis,
Apolog. Chriſtianam diſciplinam exactiſſimè ſervant; &, ut ait Tertull. Deum *quilibet*
Chriſtianus & invenit, & oſtendit. Invenit per fidem, qua credit & cognoſcit
eſſe Chriſti divinum, humanum, & glorioſum; oſtendit ſuis moribus, quibus
& vitam, & doctrinam Chriſti teſtatur: ejus namq; vita innocens, obſequens,
& pa-

& patiens, Chriſti repræſentat innocentiam, obedientiam, & patientiam; cujus adhuc oſtendit doctrinam ſectando pietatem, veritatem, & bonitatem.

CONCIO QUINTA.

OMne regnum, vel imperium bellis acquiritur, & victoriis propagatur. Sic Tert. Apol. 25.
Alexander Macedo nomine & re Magnus, Græciam univerſam, & ma-
ximam Aſiæ partem ſuo ſubdidit imperio; ſic Romani cunctas ferè orbis Tert. l. adv. Jud. 9
nationes debellârunt, & ſuæ ditionis fecerunt. *Sic bellipotens & armiger Chri-*
ſtus eſt: ſic recipiet ſpolia non ſolius Samariæ, ſed & omnium gentium. Per hu-
juſmodi ſpolia, quæ tulit Salvator, intelligenda eſt idololatria, quam fugavit
à mundo tum per ſe, tum per Apoſtolos, qui cunctas nationes imperio Chri-
ſti ſubſtraverunt. Inſignis ſanè fuit Pharſalica pugna inter Cæſarianos &
Pompeianos exercitus, *in qua urbis, imperii, generis humani fata commiſſa ſunt,* Flor. l. 4 c. 2
ſed multò illuſtrius prælium, quo agreſſi & triumphati ſunt Apoſtoli idolo-
latriam: 1. proſperitate floreſcentem. 2. viribus & præſidiis maximè pol-
lentem. 3. conſuetudine & vitiis invaleſcentem.

Admiranda Gentilium *proſperata felicitas*, qui licèt ſuos vero Numini de- I. PARS.
negarent cultus, & falſos inſuper venerarentur Deos, tamen *proſpero errore* Tert. Apol. 6
apud illos idololatria fuit: 1. antiquitate nobilitata; nam *ſtudio deorum colen-* Tert. l. de
dorum maximè erravit antiquitas. 2. imperio dilatata; ſiquidem Romani fue- An. 2
runt *in tantum ſublimitatis elati, ut orbem occupârint.* 3. fortunæ bonis cumu- Tert. Apol. 6
lata; etenim *illis ab imperio & à cælo benè eſt.* De idololatria nihilominus trium- Tert. Apol. 25
phârunt Apoſtoli, prædicantes Chriſtianam religionem multò longè 1 an-
tiquiorem. 2. ampliorem. 3. ditiorem. Tert. l. de Pall. 1

1. Floruit quidem antiquitate idololatria: *Sed vanum jam antiquitas, quan-*
do curricula noſtra coram. Vana deorum Gentilium antiquitas antiquitati Tert. l. de Pall. 2
Dei Chriſtianorum comparata. Inter deos Gentilium Saturnus cenſebatur Apol. 10
antiquiſſimus: unde Romanos ſic alloquitur Tertullianus: *Ante Saturnum, pe-* Tert. l. de
nes vos, nemo eſt. Ab illo cenſus vel potioris, vel notioris divinitatis: at *multò anti-* An. 28
quior Moyſes etiam Saturno. Chriſtus verò Moyſem ætate longè antecedit: nam Tert. l. 4 adv. Marc. 21
ut Deus, extitit ab æterno; & quàmvis ut homo natus ſit in medio temporum,
lubet exclamare: *O Chriſtum & in novis veterum!* tum quia in lege Moyſis pro- Tert. l. adv. Jud. 7.
phetatus: *per Prophetas venturus Chriſtus annuntiabatur:* tum quia in eadem le-
ge *Chriſtus multis modis & figuris converſatus eſt*: tum quia in lege naturæ, lege
Moſaicâ vetuſtiore cum Patriarchis converſatus eſt: *Nam & profitemur Chri-* Tert. l. ad Jud. 9
ſtum ſemper egiſſe in Dei Patris nomine, ipſum ab initio converſatum, ipſum con- Tert. l. 2
greſſum cum Patriarchis & Prophetis, non tantùm in aliqua ſpecie externa vi- adv. Marc. 27
ſibili; ſed in vera & reali carne: *Atquin tunc quoque inter illos Angelos ipſe Domi-* Tert. l. de
nus apparuit Abrahæ ſine nativitate. Triplici autem potiſſimùm de cauſa in car- Car. Chr. 6.

ne nondum nata Dei Filius apparuit, 1. ut humanos quos ſuſcepturus erat, e-
Tert. l. 2 adv. Marc. 27 diſceret affectus: *ediſcens jam inde à primordio hominē, quod erat futurus in fi-*
ne. 2. ut hominē divinam doceret diſciplinam, *converſabatur Deus ut homo di-*
Tert. l. adv. Prax. 16 *vinè agere doceretur.* 3. ut nos præpararet ad facilius credendā Verbi humana-
tionem: *ut facilius crederemus Filium Dei deſcendiſſe in ſeculum, ſi & retrò quid*
tale cognoſceremus; ſiquidem *tantum opus paraturam deſiderabat ut credi poſſet.*

Tert. l. 3 adv. Marc. 2. 2. Hæc religionem Chriſtianam antiquiorem idololatriâ demonſtant: nunc de latitudine imperii tractandum eſt, & videndum *quantum urbium aut*
Tert. l. de Pal. 2 *produxit, aut auxit, aut reddidit præſentis imperii triplex virtus, Deo tot Auguſtis in unum favente? quot cenſus tranſcripti? quot populi repurgati? quot ordines illuſtrati? quot barbari excluſi? Revera orbis cultiſſimum hujus imperii rus eſt.* Loquitur de Severo Imperatore generoſiſſimo & fauſtiſſimo Principe, qui duos filios Antonium & Getam in Cæſares allegerat; ſub cujus dominatu multum ſunt dilatati imperii limites. Verùm etiam ſub Severo imperium quantumvis extenſum, non accedit ad extenſionem regni Salvatoris, cui æternus Pater dedit gentes hæreditatem, & poſſeſſionem terminos terræ: *Ubi*
Tert. l. 4 adv. Marc. 26 *Chriſto dedit gentes hæreditatem, & poſſeſſionem terminos terræ, exinde Chriſtus in omnes gentes legem paternæ bonitatis extendit.* Quale quæſo Chriſti regnum qui ſolus inter omnes Reges uſque ad terminos terræ dilatavit imperium? *Nam Salamon regnavit, ſed in finibus Iudæ tantùm: A Berſabee uſque Dan ter-*
Ter. l. adv. Jud. 7 *mini regni ejus ſignantur; ſi verò Babyloniis & Parthis regnavit Darius, non habuit in omnibus gentibus poteſtatem: ſi Aegyptiis Pharao, vel quiſque ea in hæreditate regni ſucceſſit, illic, tantum potitus eſt regni ſui dominium: ſic Nabuchodonoſor cum ſuis regulis ab India uſque Aethiopiam habuit regni ſui terminos: ſic Alexander Macedo nunquam Aſiam univerſam & cæteras regiones poſtquam devicerat, tenuit: ſic Germani adhuc uſque terminos ſuos tranſgredi non ſinuntur: Britanni intra oceani ſui ambitum concluſi: Maurorum gens, & Getulorum barbaries à Romanis obſidentur, ne regionum ſuarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum ſuarum præſidiis imperium muniunt, nec trans iſtas gentes porrigere vires regni ſui poſſunt. Chriſti autem regnum & nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ubique regnat, ubique adoratur.* Enumerat Tertullianus ampliora quæ extabant ſuo tempore regna, quæ omnia in amplitudine longè ſuperat Chriſti dominatio, qui per ſuos Apoſtolos cuncta illa regna ſuo ſubſtravit imperio.

Senec. ep. 28 Porrò ſi moralis Philoſophus magnificè pronunciavit: *Non ſum uni angulo natus;* quantò veriùs Apoſtoli non uni loco, ſed urbibus, ſed provinciis, ſed regnis, ſed regionibus, ſed univerſo orbi natos ſe valent meritò gloriari?
Tert. *Cujus & prædicatores Apoſtoli in Pſalmis David oſtenduntur. In univerſa, inquit, terra exiit ſonus eorum, & uſque ad terminos terræ verba eorum. In quem enim alium univerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum? Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Aſiam, & Pamphiliam, & immorantes Aegyptum, & regio-*

nem

nem Africa, quæ eſt trans Cirinen, inhabitantes; Romani & incolæ, tunc & in Ieruſalem Iudæi, & cæteræ gentes: ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita; & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & provinciarum, & inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus; in quibus omnibus locis Chriſti nomen regnat, in quibus omnibus locis populus nominis Chriſti inhabitat. Per ignotos illos populos (apud quos vel alias vel nunc floruit Chriſtiana religio) intelligendi ſunt Chinenſes, Japones, Indi, Concinchinenſes, Americenſes, Peruani, & generatim cuncti ferè incolæ tum veteris, tum novi orbis. Inhabitantes etiam in Inſulis ſive Oceani, ſive Mediterranei maris, Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, Septentrionalibus: *Nunc paſſionem Chriſti, & reſurrectionem cunctarum gentium & litteræ, & voces ſonant: & totius mundi una vox, Chriſtus eſt.* Cùm autem tot nationes dominationi Chriſti ſubditæ fuerint per Apoſtolos, nonne quivis valet dicere Domino: *Annuntiavi juſtitiam tuam in Eccleſia magna.* Ubi D. Ambroſius: *Quid eſt magna, niſi de totius orbis partibus congregata?* Magna equidem ſi ejus attendatur antiquitas latitudo, & opulentia.

D. Hiero. ep. 1. ad Heliodor.

Pſal. 39

3. Chriſtiana Religio occultata fuit in veteri Teſtamento *ſub figuris, allegorijs, ænigmatibus: revelanda poſtmodum in Chriſto, poſito in lumen nationum à Creatore promittente per Eſaiæ vocem, patefacturum ſe theſauros inviſibiles & occultos.* Hos theſauros manifeſtavit in novo Teſtamento ſtabiliendo Chriſtianam Religionem idololatriâ multò ditiorem. Gentiles quibuſdam in locis nonnullas habuerunt divitias; at *credenti totus mundus divitiarum eſt*; idololatria terrenis tantùm ditata fuit bonis, quibus improbi ſæpè ſæpiùs abundant: Eccleſia verò, quæ eſt *domus noſtra, ſpiritualibus divitijs plena eſt*, non habens in proſperitate ſibi ſimilem. In ea enim ſunt ſcripturæ ſacræ, quæ divina myſteria detegunt; divinæ leges, quæ fideles ad ſalutem æternam dirigunt; Sacramenta à Chriſto inſtituta, quæ ſanctitatem conferunt; gratiæ à Spiritu ſancto datæ, quæ juſtos Deo gratos efficiunt, & cœli compotes reddunt; Angeli, qui nos adverſus dæmonum impetus cuſtodiunt; Apoſtoli, qui ſuis precibus Eccleſiam protegunt, quam viventes propugnarunt debellando idololatriam viribus & præſidiis maximè pollentem.

Tert. l. 5 adv. Marc. 7.

D. Hier. epiſt. ad Paulin.

D. Hier.

II. PARS.

Infirma mundi electa ſunt à Deo, ut confundantur fortia; & ſtulta ejus ut confundantur ſapientia. Tria D. Auguſtino videntur velut impoſſibilia, & rationi humanæ incredibilia. Unum, quòd Dei Filius ſit ad humanationem demiſſus, in ſtabulo natus, toto vitæ decurſu in egeſtate & ignobilitate converſatus, & in morte ignominiâ & ſupplicio mulctatus. Alterum, quòd homines crediderint ineffabile ejuſmodi myſterium ſupra ſenſum, rationem, & naturam ſublimatum. Tertium, quòd duodecim Chriſti diſcipuli, ignari, inermes, ſimplices, agreſtes, aggreſſi ſint idololatriam viribus & propugnaculis munitam. Nam, ut ipſimet fatentur; *Adverſus hæc igitur nobis negotium eſt, adverſus inſtitutio-*

Tert. l. de fug. in perſ. 2

L. 23. Civ. ſ.

Tert. l. 2 Nat. 1

tutiones majorum, auctoritates ceptorum leges dominantium, argumentationes prudentum: adverſus conſuetudinum neceſſitatem, adverſus exempla, prodigia, miracula, quæ omnia adulterinam iſtam divinitatem corroboraverunt. Bone Deus! quot ſeſe offerebant obſtacula, ne ſuo Apoſtoli miniſterio fungerentur? Eja quot hoſtes quibuſcum illis erat dimicandum? *Ingenti manu veritas obſidetur; at ipſa de ſua virtute ſecura eſt, & omnem illam expugnatorum multitudinem proſternit*, ut conſtat ex Apoſtolis. Quorum 1. ſtultitia philoſophorum vicit ſapientiam. 2. infirmitas Regum ſuperavit potentiam. 3. ſimplicitas dæmonum debellavit aſtutiam.

Tertull.

1. *Dominus ſtulta mundi in confuſionem etiam philoſophiæ ipſius elegit.* Ut Philoſophorum ſapientiam per Apoſtolorum ſtultitiam confunderet Salvator, voluit Religionem Chriſtianam prædicari *temporibus eruditiſſimis & oculatiſſimis*; cùm maximè floreret philoſophia, & philoſophi majori eſſent in honore apud Gentiles. In quo Chriſtus non eſt de errore & imprudentia culpandus, ſed de ſapientia & providentia laudandus: *Deliquit, opinor, divina doctrina, ex Iudæa potius quàm ex Græcia oriens: erravit & Chriſtus, piſcatores citius, quàm ſophiſtas ad præconium emittens*: at cur *non de ſchola rhetorum aut philoſophorum aſſumpti ſunt* Chriſti diſcipuli? cur non dilertos philoſophos, ſed illiteratos Apoſtolos elegit Dominus? Ut *ex inſipientia ſapientia acuatur*. Etenim duodecim illi illiterati piſcatores cunctos vicerunt philoſophos, & ſapientiores fuerunt Sophiſtis, Oratoribus, qui exiſtebant tunc, & extiterant anteà. *Duodecim erant, & per ipſos omnem ſibi conciliavit orbem, & illiterati iſti obturaverunt ora philoſophorum.*

Tert. l. de Præſcr. 29 Hæret. 7
D. Aug. l. 22. Civ. 7
Tert. l. de An. 3
D. Bern. ſerm 36 in Cant.
Tert. l. de An. 29
S Chryſoſt. hô 28 in Gen.

Suam Deus demonſtravit ſapientiã tum in miſſione Moyſis, tum in miſſione Apoſtolorum: *Moyſi cauſato linguæ tarditatem, os repromiſit, & ſapientiam ipſam, cui nemo reſiſteret*: & ut ſolidiùs Chriſtianam ſtabiliret diſciplinam, elegit diſcipulos imperitos & inſipientes, ut per eorum ora loquendo ſuam in illis oſtentaret ſapientiam: & ob hanc cauſam conſultiſſimè vetat Salvator, ne de re dicenda, nec de rei dicendæ modo quidpiam priùs diſcipuli apud ſe cogitent, & proprio ſenſu coram tyrannis loquendum concipiant: *Cùm prohibet meditari reſponſionem ad tribunal, famulos ſuos inſtruit, Spiritum ſanctum reſponſurum repromittit*, qui ſubminiſtrabit eis quid loquantur. Quaſi dicat, expendit Remigius: *Vos verba edetis, ſed ego ſum qui loquor*; imparatos vos inveniat colloquium, ut mihi quod dicturi eſtis, adſcribatur. Rem omnem dicendam, omnemque ſermonis modum ſibi vendicat, & meritò: nam *quemadmodum majora operatus eſt Chriſtus, majora locutus eſt per diſcipulos.* Sic autem mundi confutavit ſapientiam: *Sicut ſapientia mundi ſtultitia eſt penes Deum, ita & ſapientia Dei ſtultitia eſt penes mundum. Sed nos ſcimus ſtultum Dei ſapientius hominibus*, ut ex Apoſtolis comprobatur, quorum ſtultitia philoſophorum vicit ſapientiam, & infirmitas Regum ſuperavit potentiam.

Tert. l. 4. adv. Marc. 29
Tertull. Scorp. c. 11
Matth. 10
D. Chryſ. ſt ho. 30 in ep. ad Rom.
Tert. l. 2 adv. Marc. 2.

2. *Qui magis inimici & perſecutores Chriſtianorum, quàm de quorum majeſtate convenimur in crimen?* Inter Ethnicos erant Reges maximè infenſi

Tert. Apol. 31

ſenſi Chriſtianis, quos ſumma hoſtilitate perſequebantur; & hoc quia erant 1. ut plurimum regni uſurpatores: Religio autem Chriſtiana alienum bonum injuſte detentum reſtituendum decernit: 2. erant ſceleroſi; Chriſtiana diſciplina crimina damnat: 3. politici expaveſcentes ne ſub Religionis prætextu, aliqua fieret in regno mutatio: 4. Tyranni exiſtimantes omnia ſibi licere, *quod Iovi, hic regi,* Religio Chriſtiana Deo ſoli tribuit potentiam abſolutam, regis authoritatem temperat: *Quod attinet ad honores regum vel imperatorum, ſatis præſcriptum habemus, in omni obſequio eſſe nos oportere, ſecundum Apoſtoli præceptum: ſubditos magiſtratibus & principibus & poteſtatibus, ſed intra limites diſciplinæ, quoad uſque ab idololatria ſeparemur.* Propter hujuſcemodi rationes, *aſtiterunt reges terræ & principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus.* Sed ſupra omnes Romani Imperatores Chriſtianam averſabantur diſciplinam, & majori furore inſurgebant in Chriſtianos, divinos eis denegantes honores: *Non enim Deum imperatorem dicam: quia mentiri neſcio:* & hæc erat præcipua cauſa perſecutionis Chriſtianorum per totum imperium Romanum. *Ventum eſt igitur ad ſecundum titulum læſæ auguſtioris majeſtatis: ſiquidem majori formidine, & callidiore timiditate, Cæſarem obſervatis, quam ipſum de olympo Iovem.* Nihil tamen horum impedivit, quominus Apoſtoli audacter adorirentur *reges & præſides & armatas poteſtates, apud quos cauſa purganda erat.* Paſſuros perſecutiones Apoſtolos prædixerat Chriſtus, ut hac Domini prædictione ſeſe ad omnia conſtanter perferenda & fortiter ſuperanda corroborarent. Ut autem animadvertit D. Chryſoſtomus, *non dixit, Ite, ſed Ego mitto vos: mittenti mihi credite: infirmi quidem eſtis vos, ſed qui mittit, potens eſt.*

Sem. Tert. l. de Idol. 15. | Pſal. 2. | Tertull. Apol. 33 | Tertull. Apol. 28. | Tertull. Scorp. 10 | In Matth.

Inde multum ſuam commendat Chriſtus potentiam, ad negotium perdifficile & maxime arduum adeo infirma aſſumens inſtrumenta. Etenim ſi pompaticè ſuam oſtentaſſet majeſtatem, & reges per ſemetipſum ſuo ſubdidiſſet imperio, non ita clareſceret ejus potentia, ac eos per Apoſtolos infirmos, imbecilles & inermes ſubjiciendo. Ideo ut profundè ratiocinatur Tertullianus: *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat ſapientiam ejus: & prædifficilia penes homines, facilia penes Deum. Nam ſi Deus eſt ſapiens & potens, merito in adverſariis ſapientiæ potentiæque, id eſt in ſtultitia & impoſſibilitate materias operationum ſuæ inſtituit; quoniam virtus omnis ex his cauſam accipit, à quibus provocatur.* Deus eſt infinitè ſapiens & potens, ab eo homines ſapientiam & potentiam mutuati ſunt; & quia Philoſophi & Reges accepta à Deo potentia & ſapientia abutebantur ad idololatriam propugnandam, & Chriſtianam diſciplinam expugnandam; Deus ſapientes & potentes illos debellare voluit, non per ſuam ſapientiam & potentiam immediatè, ſed per ſtultitiam & impotentiam, quæ ſunt ſapientiæ & potentiæ contrariæ: & uti ſuam Deus oſtentavit ſapientiam, ſtulta mundi eligens, ad vincendam Philoſophorum ſapientiam: ita ſuam demonſtravit potentiam, aſſumens infirma mundi ad ſuperandam regum potentiam; *Elegit ignobiles & humiles, ut ſi quid magni eſſent aut*

Lib. de Bapt. 2. | D. Aug.

feciſſent, ipſe in eis eſſet aut faceret. Si elegiſſet diſcipulos vel genere illuſtres, vel dignitate ſublimes, vel fortunæ bonis divites, vel ſapientia & eloquentia pollentes, vel viribus & fortitudine potentes, mundi converſio adſcribi potuiſſet eorum aut nobilitati, aut dignitati, aut divitiis, aut ſapientiæ, & eloquentiæ, aut potentiæ & viribus; at eligens ignobiles, demiſſos, contemptibiles, egenos, imperitos, infirmos, eorum triumphi non diſcipulis, ſed Magiſtro

D. Hil. & Domino erant adſcribendi: *Vt jam vel inviti fateantur homines, in illis di-*

Hom. 1. in *vinam eſſe virtutem.* In Apoſtolorum itaque ſtultitia divina emicat ſapientia,

Act. in diſcipulorum infirmitate divina relucet potentia. Illorum namque miniſterio Chriſtus ſuo imperio etiam Reges & Imperatores ſubdidit; nam etſi alias

Apol. 21. dixerit Tertullianus: *Sed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii: aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares:* Attamen à tempore Conſtantini magni Cæſares crediderunt Chriſto, & nonniſi Chriſtiani Imperatores ſupra ſolium imperii fuerunt ſublimati, licet eorum nonnulli fuerint hæretici, & Julianus Apoſtata à fide defecerit.

3. Dæmon idololatriæ propugnator acerrimus, & Chriſtianæ reli-

Tert. l. de gionis impugnator infenſiſſimus, *nihil magis curans quam hoc ipſum*

An. 57. *excludere quod prædicamus*, nam ſe Deum profitendo, idololatriam propugnare & diſciplinam Chriſtianam expugnare conatur: verum ſuâ ſimplicitate Diſcipuli de dæmonis aſtutia triumpharunt. Inter argumenta quæ veritatem aliquam demonſtrant, potiora illa videntur quæ ſunt ad hominem,

Tert. l. de quæ concludunt ex conceſſis: quæ ex ipſius adverſarii confeſſione mutuan-

An. 2. tur. *Ex æmulis nonnunquam teſtimonium neceſſarium eſt, ſi non æmulis prodeſt.* Hac methodo fuit oſtentata veritas, & Chriſtianæ Religionis perfectio declarata. Apoſtoli namque ſua ſimplicitate dæmonum ſuperarunt aſtutiam, &

Tertull. dæmones ſe non Deos, fateri coegerunt: unde ſic Judices & tyrannos allo-

Apol. 23. quuntur diſcipuli: *Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris quem dæmone agi conſtet: juſſus à quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille, tam ſe dæmonem confitebitur de vero quam alibi Deum de falſo. Quid iſto opere manifeſtius? quid illa probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio eſt: virtus illi ſua aſſiſtit, nihil ſuſpicari licebit. Quid autem injici poteſt adverſus id quod oſtenditur nuda ſimplicitate? ſi altera parte vere dij ſunt, cur ſeſe dæmonia mentiuntur? an ut nobis obſequantur? Iam ergo ſubjecta Chriſtianis divinitas veſtra, nec divinitas deputanda eſt, quæ ſubdita eſt homini, & ſi quid ad dedecus facit æmulis ſuis.*

Tale erat imperium, quod Apoſtoli exercebant in dæmones qui eorum obſequentes mandatis, & ſe Deos negabant & dæmones profitebantur. Hoc teſtimonio Ethnicos urgent Apoſtoli ut eos avocent à mendacio, & ad veri-

Tertull. tatem adducant. *Sed monſtravimus vobis idoneos teſtes Chriſti ipſos illos quos ad-*

Apol. 21. *oratis: multum eſt ſi eos adhibeam ut credatis Chriſtianis, propter quos non creditis Chriſtianis.* Hæc eſt victoria quam ſua ſimplicitate Apoſtoli reportarunt de aſtutia dæmonum, cogentes eos fateri mendacium, & veritatis teſtari fi-

Tert. l. de dem. Quod ſane teſtimonium mirum in modum Chriſtianam auctoravit

fug. in perſ. 2. diſciplinam: nam *in quantum juſtitia iniquitas æmula eſt; in tantum materia*

eſt.

eſt ad teſtimonium ejus cujus eſt æmula. Sic ex confeſſione ſpiritualis nequitiæ rutilat Chriſtianæ diſciplinæ perfectio, quæ detriumphat idololatriam conſuetudine & vitiis invaleſcentem.

Sed enim multa ſunt quibus teneritas conſcientiæ obduratur in calliditatem voluntarij erroris. Tria ſunt potiſſimum quæ errorem intellectus & voluntatis pravitatem propugnant: 1. Vetus conſuetudo: 2. inveterata vitia: 3. auctorata exemplis crimina. Hæc tria idololatriam propugnabant: 1. Antiqua conſuetudo Deos colendi: 2. inveterata gẽtilium vitia: 3. auctorata numinum exemplo crimina. O quam bellè ad propoſitum Tertullianus *dilectionem perfectam affirmat fugatricem timoris & animatricem confeſſionis!* Hac dilectione accenſi Apoſtoli, omnem timorem fugarunt, Chriſtianam Religionem prædicarunt, & animitus debellarunt idololatriam, 1. conſuetudine ſolidatam: 2. vitiis vigoratam: 3. crimінoſo deorum exemplo auctoratam.

III PARS

Tert. l. 1. ad Nat. 1.

Tertull. Scorp. 11

1. Magnam profectò auctoritatem vetus habet conſuetudo: quare Tertullianus vult reſpiciendam *auctoritatem imprimis conſuetudinis ipſius.* Conſuetudinis veneranda eſt auctoritas in rebus civilibus, naturalibus & fidei. In rebus civilibus magnam ſibi auctoritatem vindicat conſuetudo: etenim *conſuetudo etiam in civilibus rebus pro lege ſuſcipitur, cùm deficerit lex.* In rebus naturalibus *conſuetudo propterea colenda eſt, ne non ſit rationis interpres.* Ratio quam interpretatur conſuetudo, ad hominis naturam ſpectat. Tandem magna vis conſuetudinis in rebus Fidei: multa ſiquidem ſunt in Chriſtiana Religione, quæ ex conſuetudine & traditione obſervantur, quæ fuſè refert Tertullianus. *Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & Fides obſervatrix.* Magna eſt vis conſuetudinis in rebus civilibus, in quibus habetur pro lege; major in rebus naturalibus; nam *inveterata conſuetudo tantum poteſt quantum natura:* maximè in rebus Religionis; quapropter Plato qui probè noverat falſam deorum pluralitatem, ne ſe conſuetudini opponeret, diis ſacrificavit. Apud Gentiles idololatria erat conſuetudine ſolidata, eam ſimul cum lacte acceperant à parentibus, avis, proavis, aliiſque fere in infinitum prædeceſſoribus.

Lib. de Cor. Mil. 1

Tert. l. de Cor. mil. 4

Tertull.

Phil. Jud. l. de Abraham.

Idololatriam tamen veteri conſuetudine firmatam aggrediuntur Apoſtoli, & ut illam deſtruant & Religionem Chriſtianam adſtruant, produnt naturam, Scripturam & diſciplinam, quæ à Deo habent originem. *In his conſiſtit defenſio noſtra opinionis ſecundum Scripturam, ſecundum naturam, ſecundum diſciplinam. Scriptura legem condit; natura conteſtatur, diſciplina exigit. Cui ex his conſuetudo opinionis prodeſt, vel quis diverſæ ſententiæ color eſt?* Ex Scriptura autem demonſtrant Apoſtoli, Gentilium deos fuiſſe homines. Unde ſic alloquuntur Ethnicos: *Appellamus & provocamus à vobis ad conſcientiam veſtram; illa nos judicet, illa nos damnet, ſi poterit negare omnes iſtos deos veſtros, homines fuiſſe, ſi & ipſa inficias ierit, de ſuis antiquitatum inſtrumentis revincetur, de quibus didicit, perhibentibus ad hodiernum, & civitatibus in quibus nati ſunt, &*

Tert. l. de vel. Virg. 16

Tertull. Apologet.

regio-

regionibus in quibus aliquid operati veſtigia reliquerunt, in quibus etiam ſepulti demorantur. Ex natura Dei exiſtentiam ejuſque unitatem oſtentant Apoſtoli: univerſa namque natura creata Creatorem prædicat. *Habet Deus teſtimonium totum hoc quod ſumus & in quo ſumus.* Ejuſmodi teſtimonium Gentiles evidenter convincit eorumque malitiam demonſtrat. *Et hæc ſumma delicti nolentium recognoſcere quem ignorare non poſſunt; Vultis ex operibus ipſius tot & tantis, quibus continemur, quibus ſuſtinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur?* Nec tantum Dei exiſtentiam natura demonſtrat, ſed ejus etiam unitatem probat. *Sic probatur & Deus & unus, dum non ignoratur.* Tandem *diſciplina quid Deo magis ratum ſit, oſtendit*: cum autem Deus ſit eſſentialiter bonus & ſanctus, *meliora quoque ſectari* deſiderat. Chriſtiani meliora ſectantur, ſunt namque virtutis ſtudioſi: Gentiles è contra prava ſectantur, qui ſibi homines ſceleroſos in Deos conſecrant, ut illis exprobrant Apoſtoli apud Tertullianum: *Deos facite vobis crimino ſiſſimos quoſque ut placeatis diis veſtris, illorum eſt honor conſecratio coæqualium*; quorum crimina aggreſſi ſunt Apoſtoli debellantes idololatriam vitiis roboratam.

Tert. l. 1. adv. Marc. 10. Tertull. Apol. 17 Tert. l. 1. adv. Marc. 3. Tert. l. de vel. Virg. 16 Tertull. Apolog. 11

2. Quamvis fuerit à Deo pagana gens, *& in hanc ipſam converſionem temperata*; hujuſcemodi tamen converſio erat difficillima: 1. Quia *omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit*: Gentiles neque timore, neque pudore arcebantur à vitiis. 2. Quia per ſpectacula in criminibus detinebantur: *Altius præſcripſiſſe debemus dæmonas ab initio proſpicientes, ſibi inter cætera idololatriæ etiam ſpectaculorum inquinamenta, quibus hominem à Deo avocarent, & ſuo honori obligarent, ejuſmodi quoque artium ingenia inſpiraſſe*; tanta erat quæ à circo & amphitheatro captabatur voluptas; ut *plures denique invenias, quos magis periculum voluptatis, quam vitæ, avocet ab hac ſecta.* 3. Quia difficillimè relinquuntur *exercitata vitia & uſu vitioſa.* 4. Quia deſerenda erat idololatria *excluſis antiquitatis ſordibus*, ſcilicet templis, idolis, ſacrificiis, ſolemnitatibus & vitiis quæ *conſuetudo roboravit.* 5. Tranſeundum erat à vitiis ad virtutes, à ſuperbia ad humilitatem, ab avaritia ad liberalitatem, ab impudicitia ad caſtitatem, à gula ad ſobrietatem, à vindicta ad charitatem. Quod non modo difficile, ſed etiam impoſſibile viſum eſt multis qui *convertibilem negant naturam: quia arbor bona malos non ferat fructus, nec mala bonos.* Verùm *hæc erit divinæ gratiæ vis potentior utique natura, habens in nobis ſubjacentem ſibi liberam arbitrii poteſtatem, quæ cum ipſa naturalis atque mutabilis: quoquo vertitur, natura convertitur.* Quantumvis memorata difficilem Ethnicorum redderent converſionem; *ſed tamen nihil horum ſermonis Evangelici curſum impedivit, tanta erat Crucifixi potentia*; quæ ut magis niteret, *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat ſapientia. Quænam ſtulta ſunt? Converſio hominis ad cultum veri Dei; rejectio erroris; diſciplina juſtitiæ, pudicitiæ, patientiæ, miſericordiæ, innocentiæ.* Magnum ſane miraculum, *ex mortuis effici vivos*: attamen *ſi inviſibilia penſemus, majus eſt miraculum prædicationis, verbo peccatorem convertere, quam carne mortuum reſuſcitare.* In reſuſcitatione namque

Tert. lib. adv. Valent. 15 Tertull. Apol. 1 Tert. l. de Spect. 10 Tert. l. de Spect. 2 Tert. lib. adv. Valent. 16 Tert. l. de Car. Chr. 7. Tert. l. de Cor. Mil. 2 Tert. l. de An. 21 D. Chryſoſt. Hom. 2. in c. Gē Tert. l. de Car. Chr. 4. Tert. l. de An. 28 D. Greg. l. 3. Dial. 17.

que corporis nihil Deo reſiſtit;at in converſione peccatoris,homo utens, ſeu
abutens ſua libertate,Deo poteſt reſiſtere. Quod ſi unius peccatoris conver-
ſio, magnum videtur miraculum, quanto majus tot Gentilium converſio?
Quamquam non humanum, ſed divinum profectò ſit opus,tantorum ſimul & tam D. Bern.
repentina immutatio. Mirabilem hanc immutationem operatus eſt Chriſtus Epiſt. 77
per Apoſtolos,qui triumpharunt de idololatria vitiis roborata, & pravo ad-
huc deorum exemplo auctorata.

3. *Quanti ad malum performantur* pravo aliorum exemplo! *Etenim vitio-* Tertull.
rum exempla oppugnant animum,impellunt,immutant, transformant : quia Apol 1.
proclivis eſt malorum æmulatio,& quorum virtutes aſſequi nequeas, citò imitaris D Cypr.
vitia : & quo plures ſunt qui criminis exemplo provocant ad ſcelus , eo plu- de Spect.
res ſunt qui crimen perpetrant ; *nullum enim malum difficiliùs extinguitur* D. Hier.
quam quod multitudinis conſenſu aſſeritur : à numero ſiquidem peſſimorum Epiſt. ad
auctoratur crimen. *Homicidium cùm admittunt ſinguli,crimen eſt : virtus eſt* Lætam.
cùm publicè geritur: quia non ſolum excuſatur, ſed inſuper licitum exſtima- Cypr.
tur,& quaſi honeſtum commendatur. Quia ut addit Cyprianus, *conſenſere* D. Cyp.
jura peccatis, & cœpit eſſe licitum quod publicum eſt. Quædam videtur conſen- Epiſt. 2. ad
ſio inter publicum crimen,& ipſummet jus : tum quia crimen abſque pudo- Dem.trad.
re committitur. *Delicti durior frons eſt, ab ipſo & in ipſo delicto* , *impudentiam* Tert. l. de
doctus ſceleroſus peccator : tum quia jus,crimen publicum impunitum pati- vel. Virg.
tur : tum quia publicum crimen,velut bonum & laude dignum , jus appro- 2
bat.Periculoſum ſane eſt omne crimen publicum , quia *adulterium diſcitur* Cyp.Ep. 2
dum videtur ; ſed multò periculoſius pravum eorum exemplum qui ſupra
alios aliqua dignitate præeminent. Etenim *major eſt ejuſmodi opera, quæ non* Tert. l. de
effigiem confert, ſed auctoritatem. Vitium eorum qui aliis antiſtant, eſt velut Idol. 8
peſtis publica, cui nullum poteſt adhiberi remedium. *Deplorandus ille ſtatus* D Cyp de
eſt, ubi jam non vitiis excuſatio, ſed auctoritas datur. Quando crimen ſupra Spect.
thronum collocatur, magis emicat, ſed longe proſpicitur, à multis conſpici-
tur, minus dehoneſtatur. *Deſinunt eſſe probri loco purpurata flagitia.* Quod ſi D. Cyp.
prava hominum exempla alios promovent ad malum, quanto magis exem- Epiſt. 2.
pla eorum,qui pro diis habentur? Gentilium dii erant crimınoſiſſimi. *Volo*
igitur merita recenſere, an ejuſmodi ſint,ut illos in cœlum extulerint, & non po Tertull.
tius in imum tartarum merſerint.Illuc enim obſtrudi ſolent impii quique in pa- Apol. 11
rentes,& in ſorores inceſti,& maritarum adulteri, & virginum raptores, &
puerorum contaminatores, & qui ſæviunt,& qui occidunt; & qui furantur, &
qui decipiunt, & quicumque ſimiles ſunt alicujus Dei veſtri . quem neminem in-
tegrum à crimine aut vitio probare poteritis,niſi hominem negaveritis. Et ut nul-
lus nefanda deorum poſſet ignorare crimina; 1. in carminibus decantaban-
tur à Poetis : *quis non Poeta dedecorator invenitur deorum?* 2. in comœdiis & Tertull.
tragœdiis repræſentabantur : *Hiſtrionum littera omnem fœditatem eorum de-* Apol. 14
ſignant: 3. in libris continebantur; 4. imaginibus depingebantur; ſimulachris Chryſol.
exarabantur: *quorum formant adulteria in ſimulachris* : *quorum fornicationes* Serm. 155.

imaginibus mandant : quorum titulant inceſta picturis : quorum credulitates commendant libris, quorum parricidia tradunt ſaculis : quorum impietates perſonant tragœdiis.

Callidus dæmon maximè ſollicitus fuit, ut tot & tanta falſorum deorum
crimina devulgarentur; ut tot enormitates in publicum proderentur; 1. ut
Senec. l. de Beat. vit. 20. deorum flagitiis *hominibus peccandi pudor demeretur:* 2. voluit *dare malo exemplo divinitatis, excuſatam licentiam:* 3. ut deorum exemplo *vitiis hominum quædam auctoritas pareretur:* 4. ut homines accenderet ad atrociſſima quæque patranda crimina; nam *quid aliud eſt vitia incendere, quam auctores illis inſcribere deos?* 5. ut homines haberent patronos, qui eos ab infamia & juſtitia vindicarent: *Deos vitiorum patronos effinxerunt, ut peccatum non modo crimine careat, ſed præclarum etiam & divinum cenſeatur, ad ea ſcilicet quæ pro diis adorantur confugientes.* Sic adultero Jovis patrocinatur adulterium; ambitioſo, Junonis ſuperbia; nebuloni Bacchi gula; inimico Martis crudelitas; laſcivo Veneris luxuria, furi Mercurii latrocinium. 6. *Ut fierent miſeris religioſa delicta:* ſic fuerunt conſecrata crimina, & Gentiles eo ſtudio ſeſe mancipabant vitiis, ac ſi Deos honoraſſent, ſuoque eis reddidiſſent cultus. *Qui criminum deſiderio, amore ſcelerum poſſidentur, criminum deos exoptant habere criminoſos: qui peccare cupit, peccatorum colit & veneratur auctores: hinc eſt quod Veneri adulter inſervit: hinc eſt quod ſe Marti crudelis addidit.*

Senec. l. de Brev. vit. 16. — Min. Fœl. in Oct. — Senec. l. de Brev. vit. 16 — Greg. Naz. Or. in lumina. — D. Cyp. Ep 2. — Chryſol. Serm. 155.

Ad idololatriam tot deorum criminibus conſecratam debellandam miſſi Apoſtòli, ut eam penitus detriumpharent, duo præſtiterunt: nam 1. ut Gentiles à vitiis revocarent, demonſtrarunt deos quos colebant fuiſſe homines ſceleratiſſimos, quorum erant crimina non imitanda, ſed deteſtanda: 2. ut eos ad virtutes allicerent, oſtentarùnt Chriſtum eſſe verum Deum, humanatum ad hoc ut ejus exempla homines imitarentur; ut qui parvo deorum exemplo fuerant formati ad malum, bono Verbi corporati exemplo ad bonum reformarentur. *Quærite ergo ſi vera eſt iſta divinitas Chriſti, ſi ea eſt, quâ cognitâ ad bonum quis reformetur:* Non ſufficit prava deorum deteſtari exempla, quia Chriſtianis *non multum prodeſt vitia ſua projeciſſe*, niſi Chriſti ſequantur virtutes. Has imitabantur primiceri Chriſtiani qui renuntiarant idolis, ut Chriſtianam amplexarentur diſciplinam; *nec aliunde noſcibiles, quam de emendatione vitiorum priſtinorum*; neque vitiorum emendatione contenti, virtutibus adhuc coruſcabant Quas nobis imitandas reliquerunt, *tanquam fideliſſima primordij exempla.* Multi Chriſtiani hujuſce ætatis tali ſunt nomine indigni: quia falſorum deorum crimina imitantur: & Chriſti virtutes dedignantur, quamvis *ex forma dominica agere* debeant.

Tertull. Apol. 21 — Senec. Ep. 28 — Tert. l. ad Scap. 2 — Tert. l. de An 27 — Tert. l. de Idol. 18

CONCIO SEXTA.

NObis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Evangelium. Plura ſunt motiva credibilitatis, quæ fidei Chriſtianæ virtutem evidenter demon-

Tert. l. de Præſc. Hær. 8

demonſtrant. 1. Prophetarum vaticinia: *Idoneum, opinor, teſtimonium divinitatis, veritas divinationis*: [Tertull. Apol. 21.] 2. unanimis conſenſus Scriptorum Canonicorum, qui etſi diverſis in locis & temporibus exiſtentes, eadem tamen typis conſignarunt, ut patet ex Septuaginta & duobus Interpretibus, in diverſis locis collocatis à Ptolomæo Ægyptiorum rege. *Sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolomæo à Iudæis ſubſcriptum eſt, Septuaginta & duobus Interpretibus indultis, quos Menedemus quoq; Philoſophus de ſententia communione ſuſpexit.* [Tertull. Apol. 18.] 3. Dæmonum confeſſio: *O teſtimonium veritatis, quæ apud ipſa dæmonia teſtem efficit Chriſtianorum!* [Tert. l. de An. 3.] 4. Miraculorum operatio; nam Deus qui eſt præcipuus eorum auctor & ſumme verax, nequit ſua uti omnipotentia ad falſitatem teſtandam. 5. Martyrum paſſio, qui pro tuenda Chriſtiana religione, cuncta conſtanter tolerarunt ſupplicia: *quia nemo voluiſſet occidi, niſi compos veritatis.* [Tertull. Scorp. 5] Verùm nihil ita fidei oſtentat veritatem ac Religionis Chriſtianæ dilatatio, & per Apoſtolos Fidelium facta propagatio. Nam *Chriſtum hodie invocant nationes, quæ eum non ſciebant: & populi ad Chriſtum hodie confugiunt, quem retro ignorabant.* [Tert. l. 4 adv. Marc. 20.] Tanta autem prole fœcundati ſunt Apoſtoli: 1. verbi Dei prædicatione: 2. Sacramentorum adminiſtratione: 3. ſanguinis effuſione.

Et ita ipſe ſermo pater dicitur, & initium omnium, & matrix, & origo cunctorum. [I. PARS. Tert. lib. adv. Valent. 7] Ille autem ſermo, qui cunctarum pater & matrix dicitur rerum, non eſt alius quam ſermo divinus: *Sed nullus ſermo divinus, niſi Dei uniuſque Prophetæ, quo Apoſtoli, quo Chriſtus ipſe intonuit.* [Tert. l. de An. 28] Divino ſermone vaticinati ſunt Prophetæ, locutus eſt Chriſtus, prædicaverunt Apoſtoli, & ſua prædicatione, 1. filios ſibi, ſeu potius Chriſto pepererunt: 2. Chriſtum in Fidelibus generaverunt: 3. Fideles in corpus Chriſti converterunt.

1. Ab æterno Patre divinum generatur Verbum, *ut lumen de lumine accenſum*: [Tertull. Apol 21] Apoſtoli quoque illos omnes Chriſto generant, quos Fidei ſplendoribus illuſtrant. Per Apoſtolos namque *Chriſtus jam orbem Evangelij ſui radiis illuminavit*; [Tert. lib. adv. Jud. 12] & ita prædicantes Apoſtoli Fideles cunctos Chriſto pepererunt. *Per Evangelium Apoſtoli nos genuerunt: non tamen ſibi, ſed Chriſto: quia per Evangelium Chriſti.* [D. Bern. Serm 3. de SS. Pet. & Paul.] In orbis creatione Deus *verbo tantam mundi molem ſemel protulit*, in mundi etiam recreatione Eccleſiam Deus Verbo formavit. Potentiam ſuam demonſtravit Deus producens de nihilo creaturas *imperiali verbo*: [Tert. l. 4. adv. Marc 9] ſuam adhuc Chriſtus oſtentavit virtutem, adducens Gentilium tenebras ad lucem veritatis: *Vnde magis dignoſcitur Chriſtus quam ex verbi poteſtate?* [Tert. l. 2. adv. Marc. 4] nam media Apoſtolorum prædicatione, *Chriſtus totum jam orbem Evangelij ſui luce cepit*: Idcirco cuncti Fideles qui alias extiterunt, nos etiam qui Chriſtianam profitemur Fidem, *ſemen Apoſtolorum ſumus per prædicationem, ſed per adoptionem & hæreditatem, filij Chriſti, & Apoſtolorum nepotse.* [Tert. l. 4. adv: Marc 9] De Archimedis ſphæra, in qua velut in compendio univerſum clauſerat orbem, ſic fatur Caſſiodorus: *Parva machina, ſed gravida mundo.* [Tertull. lib adv. Jud. 14] Parva machina ſunt Apoſtoli, utpote piſcatores viliſſimi in naviculis enutriti; verùm ſunt gravidi mundo, quem conceperunt *verbo Dei remige*: [D. Bern.] & quamtumvis fuerint humil- [S Paulin. Epiſt. 21.]

limi,

Salv. limi,fuit tamen *fœcunda humilitas partu*, quæ plurimos Chriſto generavit fi-
D.Bern. Serm:8 lios. Etenim *qui alijs evangelizat, quaſi Ieſum portat in utero, ut eum alijs,*
de parvis. *vel potius alios ei pariat. De talibus erat beatus Paulus, qui dicebat: Filioli mei,*
quos iterum parturio,donec Chriſtus formetur in vobis.

2. Neque ſolus Paulus per prædicationem peperit in Galatis & formavit
Chriſtum; verùm etiam cæteri Apoſtoli in fidelibus parturierunt Chriſtum,
Matth: 12 quod ipſemet aſſeverat Salvator: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui*
Serm:ad *in cœlis eſt,ipſe meus pater & mater eſt.* Quem locum ſic expendit D. Bernar-
Paſtor: in dus: *Pater,generando per verbum prædicationis,ut dicit Apoſtolus: Per evange-*
Synodo. *lium ego vos genui; mater, pariendo per verbum ſanctæ converſationis.* Quod
1.Cor:4 probè ad Apoſtolos pertinet, qui per verbi prædicationem pepererunt Fide-
les; & Chriſti parentes meritò dici poſſunt, quia eum in Fidelium mentibus
generaverunt. Eſt namque trina Chriſti generatio: æternalis,temporalis,&
ſpiritualis. Pater eſt æternæ generationis principium,Filium dictione gene-
Tert: Apol.21 rans: *Hunc ex Deo prolatum diſcimus,& prolatione generatum.* Spiritus ſan-
ctus non eſt quidem pater Chriſti, ſed auctor & principium generationis
temporalis,quam operatus eſt in Virgine Deipara: *Et Angelus in ſomnis ad Io-*
Tert. l. de Car. Chr. 22 *ſeph: Quod in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt.* Principium ſpiritualis genera-
tionis ſunt Prædicatores;nam per verbi divini prædicationem Chriſtum par-
Eph: 3 turiunt in Fidelium mentibus. Idcircò audacter aſſeverat Paulus, *Chriſtum*
habitare per fidem in cordibus: Fides autem ex auditu, auditus per verbum
Dei,verbum Dei per Prædicatores annuntiatur. Bis beatiſſima Virgo Filium
Tert. l.de Dei concepit: mente ſcilicet,& corpore.Mente,per fidem, nam *credidit Ma-*
Car: Chr. *ria Gabrieli.* Corpore:ex illa enim Chriſtus eſt *homo in carne generatus.* Ex D.
17 autem Auguſtino *beatior fuit Maria concipiendo fidem Chriſti, quàm carnem*
Serm:25 *Chriſti.* Quod innuit ipſe Dominus: nam cùm mulier quædam,virtutibus e-
de verb. Dom. jus attonita exclamâſſet: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti: illi*
Tert. l.de *exclamationi reſpondit, non matris uterum,& ubera negans, ſed feliciores deſi-*
Car:Ch. 7 *gnans qui verbum Dei audiunt.* Hæc Chriſti conceptio & habitatio per fidem
in auribus audientium æmulatur quodammodo Verbi humanationem.

3. Cùm Euchariſtia ſit quædam Incarnationis extenſio, Apoſtoli con-
ſecrationem Sacramenti æmulari videntur, convertentes audientes in cor-
pus Chriſti myſticum. Hac ſupra re audiatur Rupertus elucidans Chriſtum
Lib.7.in dicentem: *Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt: Spiritus*
Joan. *vivificans, & vita vivens, & verum vitæ verbum. Hæc in pane, de quo di-*
cturus ſum: Hoc eſt corpus meum; & in vino, de quo dicturus ſum: Hic eſt
ſanguis meus, ſpiritualiter operantur; ut vera caro mea ſit, & ſanguis meus.
non mutatâ ſpecie exteriori, ſicut & in ſingulis hominibus ſpiritualiter, id eſt,
nihilo mutato, de extrinſecis corporis accidentibus, hoc agunt, ut membra mea
ſint; & de multis una fiat Eccleſia, quæ alio reſpectu corpus meum, ple-
nitudo mea dicatur, & ſit. Ex Ruperto verba Chriſti, quæ prædicando lo-
cutus eſt, ſunt tanquam ſacramentalia, quæ auditores quaſi in quam-
dam

dam ſpeciem Sacramenti conſecrant: & ſicut in auguſtiſſimo Altaris myſterio verba conſecrationis convertunt in corpus & ſanguinem Domini, panis & vini ſubſtantiam, immutatis externis, & quæ videntur, panis & vini accidentibus; ſic verba prædicationis verè efficiunt, ut Fideles ſint membra Chriſti, & de multis una fiat Eccleſia, unum Chriſti corpus myſticum. Ruperto Scriptura patrocinatur, verbis conſecrationis comparans prædicationem. D. namque Paulus prædicator eximius ſic ait: *Propter gratiam quæ data eſt mihi à Deo, ut ſim miniſter Chriſti in Gentibus, ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto.* Pro ly *miniſter*, Græca lectio habet, *Liturgos*: quare Miſſa dicitur *Liturgia.* Pro ly *ſanctificans*, Cajetanus legit, *ſacrificans. Dictio ſanctificans non derivatur à ſanctitate, ſed à ſacro, & ſignificat ſacrum operans. Perinde ac ſi dixiſſet, ſanctificans Evangelium Dei. Itaque ad hoc ſe electum dicit, ut Evangelium vertat in ſacrificium: quod tunc fit cùm evangelizamus cum tanta reverentia vitæ & morum, quanta ad celebrandum fructuosè tantum ſacrificium exigitur.* Quid dici poteſt illuſtrius, quàm quòd prædicator Evangelii ſit ſacerdos, hoſtia ſint populi qui convertuntur, & fiunt myſticè corpus Chriſti, & alia quaſi ſpecies Euchariſtiæ? Rom.15

Sacerdos criminoſus indignè conficiens Sacramentum, eſt reus corporis & ſanguinis Domini: tum quia ſacroſanctum illud myſterium contaminat; tum quia ſterile reddit, ſuâ indignitate impediens, ne ſibi gratiæ augmentum conferat. Concionator malè verbum Dei annuntians, reus eſt tum prophanationis, indignè tractans miniſterium ſacrum; tum ſanguinis audientium, quos impedit ne convertantur in corpus Chriſti myſticum. A tam ſceleroſo crimine immunem ſe prædicat Paulus: *Mundus ſum à ſanguine omnium; officium enim magiſtri feci; non enim ſubterfugi quominus declararem.* Ergo qui non dicit, reus eſt ſanguinis, hoc eſt, cædis & criminis Judæorum particeps, Judæi rei erant inhumanitatis tum erga Chriſtum, tum erga diſcipulos Chriſti. Erga Chriſtum, quem injuſtè morti damnârant; erga diſcipulos Chriſti, quos crudeliter perſecuti ſunt, ut ipſis enecatis & *oppreſſu Evangelij quoque diſſeminatio perimeretur*, & Chriſtus orbus & ſterilis redderetur. De quo ipſemet conqueritur Salvator: *Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ*: ſeu, ut vult Græca lectio, *orbitatem.* Quaſi dicat, toto conatu moliti ſunt ut me meis orbarent diſcipulis, & filiis. Parum videbatur Phariſæorum invidiæ & malitiæ peremiſſe Chriſtum, ſi arcana ejus fœcunditas ſuperſtes adhuc in diſcipulis remaneret. Quare malitioſè ſatagunt, diſcipulorum diſperſione cœleſtem magiſtrum & improlem & ſterilem reddere, quo ſpes tanta filiorum ſimul cum eorum diſperſione faceret abortum. Evangelica doctrina à diſcipulis & prædicatoribus fœcundatur: ſuâ namque prædicatione multos Chriſto generant filios; hac autem poſteritate orbatur Chriſtus, & ſterilis remanet, dum deſunt probi verbi divini præcones. Theophyl. in Act 20 Tert. l. de fug. in perſ. 6 Pſal. 34

Duplicem illam Iudæorum inhumanitatem imitantur improbi Sacerdotes,

tes, & pravi Concionatores. Sævitiam Judæorum in Chriſtum imitantur improbi Sacerdotes: nam Judæorum inſtar, in altaris myſterio vim inferunt corpori Chriſti, ipſis etiam Judæis crudeliores & iniquiores. *Prò ſcelus! ſemel*
Tert. l. de Idol. 7 *Iudæi Chriſto manus intulerunt; iſti quotidie corpus ejus laceſſunt.* Judæorum ſævitiam in Chriſti diſcipulos pravi imitantur Concionatores. Judæi perſecuti ſunt diſcipulos, ne ſuâ prædicatione filios Chriſto generarent, ut enecatis Apoſtolis Chriſtus orbatus & ſterilis remaneret. Pravi etiam Prædicatores Chriſtum filiis orbatum & ſterilem reddunt. Divinus ſermo eſt maximè fœcundus, ipſi verò impediunt pravitate ſuâ ne fœcundetur, ne fructum afferat:
Tert. l. de Præſc. hær. 31 Luc. 8 *Verbum Dei ſeminis ſimilitudo eſt*; ex illo ſemine *aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud.* Per volucres Hugo Cardinalis intelligit dæmones, qui volucres cœli nuncupantur; vel quia ſunt origine cœleſtes, vel quia per aëra diſcurrunt. Verbum autem Dei comedunt, quia illud de ore Concionatorum accipiunt, conſtuprant, conculcant, devorant, ne homines ad virtutis frugem, & Dei cultum adducantur. Nam *& quæ illis accuratior paſcua eſt, quam ut hominem à recogitatu veræ divinitatis avertant?* Per
Tert. Apol. 22 cœli volucres poſſunt adhuc intelligi Concionatores pravi, pollentes volucri ſubtiliter ingenio, voce canorè dulci, acutâ eloquentes garrulitate, qui ſemetipſos quærentes, non Dei gloriam, neque animarum ſalutem, neque prolis dominicæ propagationem, cœleſte illud corrumpunt ſemen, ſterile & infœcundum reddunt: *ita corrupta ſunt ſemina*, ut nullum afferant fructum, nec
Tert. l. de Pud. 1 filiorum Chriſti augeant numerum.

Quantum ab Apoſtolis diſcrepant pravi hujuſce ætatis Concionatores!
Baſil. Sel. orat 30 Apoſtolorum princeps *Petrus populum univerſum lingua cepit*; nec minori cum ſucceſſu verbum Dei annuntiaverunt cæteri, ſuâ namque prædicatione & ſanctitate morum innumeros Chriſto pepererunt filios: non boni autem Prædicatores pravis ſuis moribus Chriſtum orbatum & Eccleſiam ſterilem
Hom. 38 ad pop. Antioch. reddunt. Quibus probè competunt iſta D. Chryſoſtomi verba: *Nihil adeò Gentiles arguit, ut virtus; nihil adeò perturbat, ut malitia; en nos ſumus cauſa, nos, inquam, ut illi in errore permaneant. Iam pridem doctrinam ſuam damnâſſent, & noſtram approbâſſent, niſi vitâ noſtrâ retraherentur. Verbis philoſophari perfacile, ſed inquirunt operationem; itaque horum nos pœnas dabimus: non ſolùm eorum quæ ipſi commiſimus, ſed quorum cauſa fuimus ut nomen Dei blaſphemetur.*

Bona virtutum exempla, quæ Gentilium oculis oſtentârunt olim Apoſtoli, maximam mundi partem ad Chriſtum converterant; prava è converſo Concionatorum exempla avertunt à Religione Gentiles, à veritate Hæreticos, à virtute ſceleroſos Chriſtianos, & ita quodammodo rei ſunt & infidelitatis Gentilium, & erroris Hæreticorum, & iniquitatis Chriſtianorum. Rei erga Deum, quem blaſphemare faciunt; erga Chriſtum, quem orbatum præſtant; erga Eccleſiam, quam ſterilem & infœcundam reddunt; erga criminoſos, quos bono exemplo defraudant; erga juſtos, quos ſcandalizant; erga

Apo-

Apoſtolos,quorum virtutes non imitantur;erga ſemetipſos,nam ſe ſuppliciis
& pœnis mancipant;quas meritò luent impediendo augmentum Chriſtiano-
rum,quos pepererunt Apoſtoli tum per verbi prædicationem , tum per Sa-
cramentorum adminiſtrationem.

1.*Diſcipuli ut miniſtri* Sacramenta conferebant,& in Sacramentorum admi- II. PARS.
niſtratione filios parturiebant: præſertim in adminiſtrandis Baptiſmi, Pœni- Tert. l.de
tentiæ,& Ordinis Sacramentis. Nam 1. in adminiſtratione baptiſmatis filios Bapt. 11
Chriſto generaverunt. 2. in adminiſtratione Pœnitentiæ filios Deo pepere-
runt. 3.in adminiſtratione Ordinis filios Eccleſiæ parturierunt.

1.*Dandi Baptiſmum habet jus Epiſcopus*: Apoſtoli ordinati à Chriſto Epiſco- Tert. l.de
pi,baptiſmum de jure conferebant, & per adminiſtrationē hujus Sacramen- Bapt. 17
ti Chriſto parturiebant filios , quapropter de Baptiſmate tanquam *de ſan-*
ctiſſimo lavacro novi natalis loquitur Tertullianus,& qui in hoc ſacro abluun- Lib. de
tur fonte, Chriſtiani naſcuntur: *Nos piſciculi ſecundùm noſtrum Ieſum Chriſtum* Bapt. 20
in aqua naſcimur. In Chriſtiano duplex eſt attendenda nativitas : naturalis Tert. l.de
una,quam habet à ſuis parentibus carnalibus,per quam naſcitur reus,& dia- Bapt. 1
boli filius:nam *Eva ſemine diaboli concepto iram filium procreavit* : tum quia Tert. l. de
Cainum iracundum genuit; tum quia cæteri homines,qui ex illo vitiato ſe- Pat. 5
mine procreantur (ſolâ Virgine exceptâ) naſcuntur filii iræ. Altera ſuperna-
turalis,& *à lavacro* , per quam Chriſtianus innocens & Dei filius naſcitur. Tert. l.de
Chriſtus hujus *novæ nativitatis dedicator* baptizatos facit participes tum filia- Exh. Caſt.
tionis,quam à Patre habet ab æterno; tum filiationis,quam à Matre habet in 11
tempore. Ab æterno Chriſtus eſt filius Dei naturalis; quia *de Spiritu Spiritus,* Tert. l.de
& de Deo Deus: baptizati etiam de Deo naſcuntur,& in filios Dei adoptan- Car: Chr.
tur: *Scitum, Deum ex Deo naſci, quemadmodum ex non Deo, non Deum.* Chri- 17
ſtus in tempore concipitur de Spiritu ſancto in utero Mariæ, & ſtabulo Vir- Tert. Apolog. 21
ginis filius generatur: verùm *originem, quam ſumpſit in utero Virginis, poſuit* Tert l. 2 ad Nat. 3
in fonte baptiſmatis. Tum quia in hoc Sacramento ex aqua & Spiritu ſancto S. Leo ſer. 5. Nat.
denuò naſcuntur Chriſtiani: tum quia renati ſunt filii Matris Dei, ſiquidem Tert. l.de
in filio mater recognoſcitur, de qua conſtat & filij nomen. Orat. 2

2. *Tam Pater nemo* ac Deus , tum quia ad intra generat Verbum *Filium* Tert. l.de Pœn. 8
Dei,& Deum dictum, ex unitate ſubſtantiæ: tum quia ad extra in ordine naturæ Tert. A-
cunctarum pater eſt creaturarum: *nam & factor ipſe parens facti poteſt dici* : pol. 21
tum quia in ordine gratiæ juſtos ſibi filios adoptat, quomodo Adamus inno- Tert. l.de
cens & ſanctitate decoratus fuit adoptatus : *Filius factus fui, ſtatim cùm me* An. 4
manibus enixus eſt, cùm de ſuo halitu movit : quomodo perditam in Adamo Tert. l. 4
divinam filiationem recuperant Chriſtiani, tum in baptiſmate ubi renaſcun- adv. Marc.
tur, tum in Pœnitentiæ Sacramento , in quo à morte actualis peccati reſur- 17
gunt. De baptiſmo & pœnitentia fatur Tertullianus, tanquam *de duabus hu-* L.de Pœ-
manæ ſalutis quaſi plantis. Prima planta eſt baptiſmus, qui nos à peccato ori- nit. 11
ginali & morte revocat: quare exclamat Tertullianus: *Nonne mirandum &* L.de Bapt.
lavacro dilui mortem? Secunda planta eſt Pœnitentia , quæ poſt acceptum 2.

Baptiſmum,

Baptiſmum peccatorem à naufragio liberat: ideoque ad eam ſectandam ſceleroſum hortatur Tertullianus: *Eam tu peccator ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus merſum prolevabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit.* In baptiſmate amiſſa per originale peccatum animæ vita recuperatur: per pœnitentiam mortua adhuc per actuale peccatum anima reſurgit, & ſupernaturali vitâ donatur; etenim *Pœnitentia vita eſt*, quia animæ communicat vitam: in Baptiſmo homo ſceleroſus ſanctificatur, per Pœnitentiam peccator juſtus efficitur; nam *Pœnitentia in gratiam nos Domino revocat.* In Baptiſmate homo filiatione divinâ honoratur, per Pœnitentiam in eadem dignitate conſtituitur; ut patet in prodigo, de quo ſic fatur Tertullianus: *Illum etiam mitiſſimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, & poſt inopiam pœnitentem lubens ſuſcipit, immolat vitulum praopimum, convivio gaudium ſuum exornat. Quidni? filium enim invenerat quem amiſerat.* Ibi duo maximè notanda ſunt. Unum, quòd prodigus peccando ſuum amiſerat patrem, & pater viciſſim ſuum perdiderat filium: amiſsâ namque gratiâ ſanctificante divina amittitur filiatio, & toto tempore quo homo in mortali peccato exiſtit, non eſt Dei filius, nec Deus eſt ejus pater in ordine gratiæ. Alterum, quòd homo peccator per Pœnitentiam denuò fit Dei filius, & Deus etiam ejus pater. Et quia Sacerdos eſt *pœnitentiæ præpoſitus*, abſolvendo peccatorem probè diſpoſitum, peccata dimittit, confert gratiam, ad filiationem divinam ſublimat, amiſſum patrem reddit. Etenim *quod homini profecit Deo ſervit*: eodem momento quo homo Dei filius efficitur, Deus ejus conſtituitur pater, quia *nec Dei filius diceretur ſine Deo patre*: pater enim & filius ad invicem referuntur.

L. de Pœnit. 4 — Tert. l. de Pœn. 4 — L. de Pœnit 8 — Tert. l. de Bapt. 10 — Tert. l. de Pœn. 2 — Tert. l. de Car. Chr. 5

Duplex eſt Dei filius: naturalis unus, adoptatus alter; ad utrumque refertur, ſed diverſimodè. 1. Æternus Pater ad Filium ſuum naturalem refertur ab æterno, qui cùm ſit Deus, eſt Patri conſubſtantialis & coæternus; ad filium verò adoptivum refertur Deus non ab æterno, ſed in tempore, quo homo per gratiam ſanctificatus non fuit ab æterno, ſed tantùm in tempore exiſtit. 2. Ad Filium naturalem æternus Pater refertur relatione reali, quia per paternitatem conſtituitur in eſſe Patris: ad filium adoptivum refertur Deus relatione rationis tantùm, quia Deus nequit in tempore recipere aliquid reale abſque mutatione, quæ ejus immutabilitati repugnat. 3. Paternitas, qua Pater æternus ad Filium ſuum naturalem refertur, inamiſſibilis eſt. Etenim ſi poſſet amitti, poſſet auferri diſtinctio realis inter divinas perſonas, & etiam Trinitas perſonarum: relatio rationis, qua Deus ad filium adoptivum refertur, deperdi poteſt, & deperditur de facto ſtatim ac homo per mortale peccatum amittit gratiam ſanctificantem: *Habeat neceſſe eſt pater filium ut pater ſit*: Homo autem peccator non eſt Dei filius, neque refertur ad Deum ut ad patrem; per efficaciam tamen ſacramenti Pœnitentiæ de novo efficitur Dei filius, & Deus ejus pater conſtituitur: *Iam & filius novum patris nomen*

Tert. l. adv. Prax. 19 — Tert. l. de Orat. 3

eſt,

eſt,quia pater & filius ſunt termini correlativi: neque juſtus referri poteſt ad Deum ut ad patrem,quin Deus ad illum ut ad filium referatur per relationẽ rationis ſibi advenientem:& ob hanc cauſam voluit Chriſtus,Chriſtianos in tribunali Pœnitentiæ,*Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari*, ut virtute Abſolutionis ſacramentalis,eos Apoſtoli & Sacerdotes,Deo parturirent,& adhuc in adminiſtratione ſacramenti Ordinis,filios Eccleſiæ generarent. Tert. l. de Pœn. 9.

3. Non immerito Tertullianus Eccleſiam nuncupat *matrem*; quia, ut ait Ambroſius,*virgo caſtitate,mater eſt prole*. Fuit autem fœcundata Eccleſia, tũ à Chriſto ſponſo ſuo; nam ſponſus & ſponſa ſunt quid unũ: *Eccleſia vero Chriſtus*; ideoque eadem fœcundantur prole,tum ab Apoſtolis,nam dum Fideles generant in baptiſmate & Pœnitentia, *ne mater quidem Eccleſia præteritur*; tum per adminiſtrationem ſacramenti Ordinis, in quo conſecrantur Sacerdotes. Sacerdotes animarum curam habentes dicuntur Patres: quia per adminiſtrationem Baptiſmi & Pœnitentiæ Chriſto & Eccleſiæ parturiunt filios: quod autem eſt cauſa cauſæ,eſt cauſa cauſati; & conſequenter Apoſtoli eorumque ſucceſſores Epiſcopi, conſecrantes Sacerdotes Sacramentorum miniſtros,Eccleſiæ parturiunt filios, quos ei Sacerdotes per Sacramentorum adminiſtrationem generant. Unde de quovis Epiſcopo in ſua diæceſi in ordine ad parochias ei ſubditas,poſſunt aptari hæc Tertulliani verba: *Plus es illis quam Sacerdos,cum per te habeant Sacerdotes.* L. de Bapt. 10. Tert. l. de Pœn. 10. Tert. l. de Or. 2. L. de Idol. 7.

Neque ſolum per verbi prædicationem,aut Sacramentorum adminiſtrationem,parturierunt filios Apoſtoli,ſed adhuc per ſanguinis effuſionem,Religionem Chriſtianam; 1.ſeminaverunt; 2.multiplicaverunt; 3.dilataverunt. III. PARS.

1. Bellè ad propoſitum Tertullianus:*Etiam fructus omnis in ſemine eſt*,at Eccleſiæ *ſemen ſanguis eſt Chriſtianorum*: Ad hoc ſeminandum ſemen miſſi fuerunt Apoſtoli: nam *qui Spiritu Dei agebantur,ab ipſo in martyria dirigebantur*; *ut & jam patiendo quæ & prædicaſſent*. Apoſtoli nutui divini Spiritus obſequẽtes, & Chriſti mandato obtemperantes; pro defendenda quam prædicaverant diſciplina,& Chriſtiana fœcundanda religione, ſuum ſanguinem conſtantiſſime ſeminaverunt. *Diſcipuli quoque diviſi per orbem præcepto magiſtri Dei paruerunt: qui & ipſi à Iudæis inſequentibus multa perpeſſi, utique pro fiducia veritatis libenter,poſtremò Romæ per Neronis ſævitiam,Chriſtianum ſanguinem ſeminaverunt*; & populum Chriſtianum multiplicaverunt. Apol. 8. Tert. Apol. 50. Tert. Scorp. 8. Tert. Appl. 21.

2. *Certe ſemina nonniſi corrupta & diſſoluta,fœcundius ſurgunt*: Satum granum frumenti,moriendo multiplicatur: quod ſic profunde ediſſerit Tertullianus: *Quippe etiam terra de cœlo diſciplina eſt,exhibere eadem quæ aſſumpta ſunt ſemina; nec prius exhibere quam aſſumpta. Mira ratio; defraudatrice ſervatrix; ut reddat intercipit; ut cuſtodiat perdit; ut integret vitiat; ut etiam ampliet decoquit: ſiquidem uberiora & cultiora reſtituit,quàm exterminavit. Revera fœnore interitu, & injuria uſura,& lucro damno granum morte multiplicatur*. Apoſtoli fuerunt *morte fœcundi*; illorum quippe martyrium, fuit multimoda fœ- Tert. Apol. 48. L. de Reſ. 12. D. Paulin. ep. 14.

cunditate præmiatum: ideoque ſic alloquuntur Tyrannos: *Ne quidquam tamen proficit exquiſitior quaque crudelitas veſtra; illecebra magis eſt ſecta, plures efficimur, quoties metimur à vobis.* Ut plantæ irrigatæ magis creſcunt, ſic Eccleſia Martyrum irrigata ſanguine mirum in modum augeſcebat: & ob hanc cauſam à D. Epiphanio *Eccleſia Catholica, Eccleſia Martyrum* nuncupatur. Quod hac ſimilitudine explicat Theodoretus: *Quo plures ſunt rami qui inciduntur à lignatoribus ſilvam cædentibus, eo plures pullulant propagines: ſic quantò plures Chriſtiani perimebantur pro Fide, tanto plures accedebant ad Fidem.* Quod Scapulæ Carthaginis præfecto, & Chriſtianorum perſecutori repræſentat Tertullianus, *Nec tamen deficiet hæc ſecta, quam tunc magis ædificari ſcias, cum cædi videtur.* Unius Martyris in victa conſtantia & fortitudo, mille ad religionem alliciebat Gentiles: admirabilis in patiendo tranquillitas irradiabat mentes infidelium, eoſque ab errore avocabat, & ad veritatem adducebat: *Illa ipſa obſtinatio quam exprobratis, magiſtra eſt: quis enim non contemplatione concutitur ad requirendum quid intus in re ſit? quis non ubi requiſivit accedit? Multi apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur, nec tamen tantos inveniunt verba diſcipulos, quantos Chriſtiani, factis docendo.* Tantus erat Chriſtianorum numerus etiam ab oriente Fide, ut Plinius Secundus provinciæ Prætor fuerit *ipſa multitudine conturbatus.* Tantam fidelium multitudinem Scapulæ objectat Tertullianus, ut eum à perſecutione dimoveat. *Quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omni ſexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus ſe tibi: quantis ignibus quantis gladiis opus erit?* Tot erant Chriſtianæ diſciplinæ ſectatores, quòd facile ſuos debellaſſent perſecutores, niſi potius occidi quam occidere elegiſſent. *Si enim & hoſtes exertos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum: plures nimirum Mauri & Marcomani ipſique Parthi, vel quantæcunq; unius tamen loci, & ſuorum finium gentes, quam totius orbis. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam imparibus copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi, quam occidere liceret?* Tanta Chriſtianorum multitudo diſperſa erat per totum imperium Romanorum, à quo ſi defeciſſet, remanſiſſet triſtis & obſtupenda ſolitudo. *Si enim tanta vis hominum, in aliquem orbis remoti ſinum, abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet utique dominationem veſtram tot taliumque amiſſio civium, imo etiam & ipſa deſtitutione puniſſet. Procul dubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quemdam quaſi mortui orbis; quæſiſſetis quibus imperaretis plures hoſtes quam cives vobis remanſiſſent: nunc pauciores hoſtes habetis præ multitudine Chriſtianorum.* Nihil præclarius ad demonſtrandam Chriſtianorum multitudinem: & denotandam regionum quas incolebant latitudinem.

3. In mundi exordio non ita habitata erat terra ab hominibus: verùm multiplicato mortalium numero, in diverſas mundi oras ſeſe tranſtulerunt homines: *Nam & primitus majorem ambitum, terra caſſa & vocans hominum, & ſicubi aliqua gens occuparat, ſibimet ſoli erat. Itaque colere omnia, runcare at-*

que

Marginal notes: Tert. Apol. 50. — L. 1. cont. Hær. — L. 9. de Leg. — Lib. ad Scap. 4. — Tert. Apol. 50. — Tert. Apol. 2. — Lib. ad Scap. 4. — Tert. Apol. 37. — Tertull. — Tert. l. de Pal. 2.

que ruſtare inſtituit, ut inde velut ex ſurculis ac propaginibus, populi de populis, urbes de urbibus, per ubique orbis pangerentur. Transvolate redundantium gentium examina. Scytha exuberant Perſas, Phœnices in Africam eructant, Romanos Phriges pariunt; Chaldaum ſemen in Ægyptum educatur; de hinc cum inde tranducitur Iudaa gens eſt: ſic & Herculea poſteritas, Temeno pariter Peloponeſum occupando producunt. Sic & Iones Telei comites Aſiam novis urbibus inſtruunt: ſic & Corinthii cum Archia mœniunt Siracuſas. Varias refert gentium colonias, quæ relicto ingrato ſolo fœcundiores occuparunt terras, ad quas velut apum examina tranſvolarunt. Chriſtiani non unam provinciam aut regionem incoluerunt, ſed per univerſum mundum propagati ſunt. Nulla eſt urbs, nulla provincia, nulla regio, nulla mundi pars, in qua vel aliàs, vel nunc Chriſtiana Religio non eluceat. *Tanta hominum multitudo pars pene major civitatis cujuſque.* Propagata fuit per Apoſtolos: quare Tertullianus merito nuncupat Chriſtianos *hereditarios diſcipulos, & Apoſtolici ſeminis frutices*, quia ab Apoſtolorum pullularunt cruore, qui eſt ſemen Chriſtianorum. Tert. l. ad Spect. 2. Scorp. 9.

AVARUS.

SCHOLIUM.

Avari conſiderandæ eſt, 1. *Inopia & egeſtas.* 2. *Servitus & captivitas.* 3. *Nequitia & improbitas.* 4. *Injuſtitia & iniquitas.* 5. *Sævitia & crudelitas.* 6. *Idololatria & impietas.*

CONCIO PRIMA.

Tert. l. adv. Prax. 5. DEus non eſt indigens aliquo: priuſquam Angeli, homines, aliæque forent creaturæ, erat ſibi ſufficiens. *Ante omnia enim Deus erat ſolus, ipſe ſibi & mundus, & locus, & omnia.* Mundum vero & ea quæ in illo ſunt, produxit Deus liberè, non neceſſariò, ex abundantia bonitatis, non ex indigentia. Nam *quali Deus potuit eguiſſe,* cùm cuncta in

Tert. l. adv. Herm. 18. univerſum bona, vel formaliter, vel imminenter contineat? Aliter diſſerendum eſt de homine; ſiquidem nullus eſt, qui Dei bonis non indigeat: *nemo e-*

Tert. l. adv. Herm. 8. *nim non eget eo de cujus bonis utitur.* At inter omnes egenos, nullus ſane tanta premitur inopia, ac Avarus: 1. cui non ſufficiunt bona quæ habet: 2. qui eget, nec utitur bonis quæ habet: 3. qui neceſſario amittit bona quæ habet.

I. PARS. Tert. l. 1. adv. Marc. 14. Quanta quæſo, Avari egeſtas, qui eſt *egens mendicitatibus*? Mendicitas in abſtracto, ultimum denotat inopiæ & egeſtatis terminum. Tanta avari egeſtas ex triplici potiſſimum oritur cauſa. 1. ex inſatiabili ejus cupiditate: 2. ex rerum cupitarum vacuitate: 3. ex rerum poſſeſſarum mendicitate.

Tert. l. 1. ad Nat. 4. 1. Chriſtus Dominus *non occultavit cupiditatem & avaritiam lucri:* Avaritiam cum cupiditate conjunxit Salvator, quia inſeparabiles ſunt; imo idem ſonare videntur, cùm avaritia nihil aliud ſit quam inſatiabilis boni cupido. Idcirco recte avarus igni comparatur, quia ſicut nihil igni ſufficit; ſic nec avarus illam vocem ullo tempore protulit, Sufficit, ſatis mercium, ſatis ſupellectilis, ſatis fundi, ſatis jugerum, ſatis argenti & auri. Quod Evangelicus

Pro-

Propheta ſtupore attonitus declarat: *Repleta eſt terra argento & auro, & non* Iſa. 2.
eſt finis theſaurorum ejus: non quod theſauri finem non habeant, ſed quod
poſſidentium animus non impleatur. Terra ſuis limitibus terminatur; aqua D. Hier.
ſuis finibus limitatur; aër ſuo fine concluditur; cœlum ſuis terminis arctatur:
ſola avaritia terminum neſcit. *Divitiarum amor inſatiabilis eſt: expleri ne-* D. Aug.
quit bonorum cupido. Celerem habitura res finem, ſine fine quæruntur. Ut e- ep. ad Demetr.
nim ait Sapiens, *venter impiorum inſaturabilis.* Venter impiorum eſt cupi- Prov. 1.
ditas, quæ eſt inſatiabilis: ſeu, ut Septuaginta legunt, *anima impiorum ege-* Hugo. Card.
na, quia ſemper æſtuat habendi deſiderio. Avari *cupiditatibus, omnis abundan-*
tia divitiarum, inopia eſt: quod procedit tum ex ipſa concupiſcentia, quæ eſt D. Ambr.
inſatiabilis & indigens: tum ex divitiis, quæ cum ſint inopes & egenæ, men- l. 10. ep. 82
dicantem cupiditatem nequeunt ſatiare.

2. Bellè Tertullianus nuncupat divitias *elementa mendica*. Adeo enim ſunt L. 5. adv.
bonitatis egenæ & vacuæ; ut alia atque alia hianter mendicent: quaſi non Marc. 4.
tantum homo divitiarum agatur deſiderio, ſed ipſæ etiam divitiæ alias ali-
aſq; res avide deſiderent. Certè *in rebus humanis nihil eſt quod ſibi ſatis ſit*; ſed S. Max.
multa alia deſiderant, aut productioni ſuæ, aut conſervationi, aut defenſioni, ſer. 67.
aut exornationi, aut fructui neceſſaria. *Aurum & argentum principes materiæ* Tert. l. 1.
cultus ſæcularis, adſint neceſſe eſt; quæ indigent ferro, ut de terræ extrahantur de Cult.
gremio; igne ut in camino purgetur, & artificis induſtria, ut pretio habeâtur Fæm. 4.
apud homines; *cum illæ ipſa divites materiæ & de metallis refodi, & in quocunque*
uſu procudi, ſine ferri & æris operario vigore non poſſint. Tot indiget rebus aurū
antequam aliquem acquirat valorem, quod ſi illud homines non opinione
ſed ratione exiſtimarent, ut egenum & mendicum deſpicerent. Idem ferrent
ſine dubio judicium de cunctis bonis temporalibus, quæ nihil aliud ſunt præ-
ter elementa vacua & mendicantia. Uberes fūdi, locuples cenſus, ſcrinia ar-
gento & auro gravida, unionum acervus, ceteraque ejuſmodi, quæ divitiæ à
mortalibus vocitantur, ſunt dumtaxat *divitiarum phantaſmata*, illuſiones no-
cturnę dormientium, *quæ ſomniorum phantaſiis ludificant animum*. Quamobrem Iſid. Peluſ. l. 5. ep.
optimè ad propoſitum D. Chryſoſtomus, *incantatio quædam eſt atque præſtigi-* 16.
um, quod aurum & argentum à nobis tantopere honoretur. Hujuſcemodi autem Drog. de Sacr. Dō. Paſſ.
præſtigiū fit à dœmonibus: ad magiſtratus enim pertinet taxare res, eiſque
imponere pretiū. *Dæmonia magiſtratus ſunt ſæculi*; ideoque argentum & aurū Hom. 10. in 1. Theſſ.
magno taxant pretio, ſummumque ei tribuunt valorem, & ut illius deſiderio Tert. l. de
& amore ſufflamment homines, præſtigiis utuntur, eorumq; mentes & ocu- Idol. 18.
los decipiunt: fallaci namq; illa illuſione decepti *tranſierunt in affectum cordis*: Pſ. 72.
ſeu, ut habet Hebræa lectio, *tranſierunt in picturas cordis*: His præſtigiis & illu-
ſionibus non facile deciperentur homines, ſi ſeriò adverterent divitias, purā
eſſe mendicitatem. *Non ſunt illæ divitiæ, ſed mendicitas: quia quantò magis abun-* D. Aug. in
dant, tantò magis creſcit inopia; & quo plures habentur, eò magis accendunt Pſ. 33.
habendi cupiditatem.

Tert. l. 1. de Cult. fœm. 5. 3. *Abundantia in ſemetipſam contumelioſa eſt.* quia non ſatietatem, ſed famem & ſitim ingenerat. Paradoxon videtur quod ex abundanta eſuries, & de opulentia inopia accipiat incrementum. Perpulchrum nihilominùs Chriſtianæ Philoſophiæ ænigma, duo ſibi incompoſſibilia adnectens, opulentiam ſcilicet cum egeſtate. Homines ſæculo addicti inopiam egeſtatis cauſam proclamant; verùm aliter cenſet Regius vates qui non inopiam, ſed copiam Pſ. 33. D. Aug. in Pſal. 33. & abundantiam, paupertatis exiſtimat cauſam: *Divites eguerũt & eſurierunt:* ſunt divites ob abundantiam, & ob abundantiam eſuriunt & egent, & *plus egent, quantò plus habent*; nam quo plus habent, plus deſiderant. Duplici premuntur egeſtate: egent pro ſe, & pro rebus egentibus; Egent pro ſe, quia inſatiabili & mendicante cupiditate æſtuant: egent pro rebus egentibus, quæ cum ſint meræ mendicitates, plura ſibi neceſſaria mendicant; neque cupidi-Hug. Card. tatem ſatiare poſſunt, *quia concupita vana ſunt, potius faciunt vacuitatem, quam repletionem.*

Euſeb. Emiſ. ho. 5 ad Mon. Act. 5. Non in abundantia, ſed in ſufficientia homo eſt dives. Quis namque ditior eſſe poteſt illo, *qui glorioſa paupertatis ſufficientiam poßidet?* Hujuſmodi erant fideles naſcentis Eccleſiæ. *Neque enim quiſque erat egens inter illos*, quia inordinatam abdicarant habendi cupidinem: *nec quiſque eorum quæ poßidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat*; cunctæ res familiares communes eis erant: ut ipſimet fatentur apud Tertullianum. *Itaque quia animo animaq; miſcemur, nihil* Apolog. 39 *de rei communicatione dubitamus: omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores.* Qui tale imitantur exemplum, in bonorum etiam inopia ſunt divites. *Vultis* D. Amb. l. 10. c. 82. *divites eſſe? Eſtote pauperes: tunc eritis per omnia divites, ſi fueritis pauperes ſpiri-* D. Bern. ſer. 21. in Cant. *tu.* Quod nequit dici de avaro, *qui terrena poßidendo mendicat*: Nam ſicut guttula aquæ in fornacem injecta, *non irrigat, ſed accendit* fornacem; ſic in avaro D. Aug. divite, cumulatæ opes *non afferunt ſatietatem, ſed inflammant cupiditatem.*

Ser. 15. de diver. D. Chryſoſt. hom. 61. ad Pop Quid ſtupendum magis? *Commoventur aquæ, & iterum ſedantur: movetur terra, & iterum ſubſiſtit: venti impelluntur, & tandem quieſcunt: flamma excitatur, & conſumpta materia conſumitur: at verò homo, cùm ſemel pecuniæ cupiditate agitari cœperit, numquam deſinit.* Cæteræ paſſiones objecti concupiti poſſeſſione ſatiantur; gula cibis expletur; expertæ venereæ voluptates faſtidium ingenerant: at *veſana divitiarum cupiditas, morbus eſt inſanabilis.* Quapropter D. Chryſoſt. Ser. 14 de Verb. Apoſt. D. Auguſtinus ægrotantem ſic pungit avarum: *Habes aurum, habes argentum, & concupiſcis aurum, & concupiſcis argentum, & habes, & concupiſcis; & plenus es, & ſitis. Morbus eſt, non opulentia: ſunt homines in morbo, nonne pleni ſunt & ſitiunt humorem?* Recte Hydropico comparatur avarus. Quo plus bibit hydropicus, eò plus ſitit, ita ut *ipſam ſitim bibere* videatur: Ita avarus quo plura ha-Euſeb. Emiſ. ho. 3. de Epip. bet, plura deſiderat; quo plura deſiderat, plura ei deſunt; quo plura deſunt, pauperior eſt; nam quæ ei deſunt, deſiderat; & deſiderando mendicat, idcirco dives in locuplete opulentia pauper eſt, nam deſideriis mendicantibus inopiam ſuam nutrit & augeſcit.

Idem

Idem accidit divitibus avaris,quod Iſraëlitis,qui habentibus cum manna Pſ. 10.
omnem ſaporis ſuavitatem,*concupierunt concupiſcentias in deſerto*; ſeu, ut D.
Hieronymus legit; *deſideraverunt deſideria.* Non abſimiliter avari bonis abū-
dantes,alia bona hianter deſiderant; quos inſenſatos exiſtimat D. Bernard⁹,
eò quod ſuis deſideriis,non ſatietatē concupiſcentię afferāt, ſed paſcant ejus
famē. *Fatui filii Adam, qui nō eſurientes paſcitis animas;ſed eſuriē paſcitis anima-*
rū. Manifeſtæ profectò dementię eſſet indiciū,aquā fontis alia aqua exſiccare Ser. 21. in Cant.
niti;ignē alio igne velle extinguere.Ea eſt avarorū inſania,qui deſideria no-
vis deſideriis ſatiare conantur,concupiſcentias novis replere cōcupiſcentiis:
ignē quo æſtuāt, alio extinguere igne ; famē qua premūtur, alia reſarcire fa-
me;ſitim qua laborant,alia tēperare ſiti.Quid eſt,quęſo,cōcupiſcentia,niſi ſi-
tis ardens,fames urgens, ignis æſtuans ? quid ſunt adhuc terrena bona , niſi
Concupiſcentia oculorum: ſeu,ut vult Tertullianus,*pecunia concupiſcentia*? In- 1. Ioan. 2.
de ſic concludo,Si concupiſcentia eſt ignis,ardor,fames, ſitis, alteratio; & ſi L. de Spect. 14.
terrena bona ſunt adhuc alia concupiſcētia,alter ignis,ardor,fames,ſitis, al-
teratio,evidentiſſimum eſt quòd tantò magis avari eſuriunt,ſitiunt, æſtuant
& concupiſcunt, quantò majores habent divitias. *Divitiæ amatoribus ſuis,* D. Aug. l. 50. hom.
quantò fuerint ampliores; non afferunt ſatietatem,ſed plus habendi cupidinem. hom. 30.

Avarus eſt *in penuria mundi*,id eſt, in omnimoda paupertate , nam etſi ab- II. PARS. Tert. l. de
undet divitiis,eſt tamen *in ſummis divitijs inops:* quia vel 1.eis non utitur: vel Pat. 13.
2. parce eis utitur: vel 3.parce utens ſuis, aliena rapere nititur. D. Amb. l. 1. de Cain.

1. Dives avarus pauperrimus eſt,quia bonis quæ habet,non utitur,*ſui ma-* & Abel. 5.
gis quam alieni,egens. Licet enim alienis indigeat bonis quæ mendicitus ef- Ter. l. adv. Hermog.
flagitat,ſuorum adhuc magis eſt egenus,quia eis non utitur,& ita dives ava- 18.
rè opulentus etiam in abundantia eget; nam *avaro tam deeſt quod habet,quam* D. Hier. ep. ad
quod non habet; quia non magis utitur bonis quæ habet,ac ſi ea minime habe- Paulin.
ret, *Deſunt inopiæ multa,avaritiæ omnia.* Magnum intercedit profectò diſcri-
men inter pauperem Evangelicum,& divitem avarum. 1. Ille etſi videatur Sen. ep. 108.
pauper,reipſa tamen eſt dives: nam *quis poteſt eſſe pauper,qui non eget ?* Iſte li-
cet dives appareat,verè tamen eſt pauper; *Avarus terrena eſurit ut mendicus.* Min. Fœl. in Oct.
2. Ille habendi cupiditatibus & deſideriis non æſtuat : *eò pro certo magis do-* D. Bern.
minus,quò minùs cupidus: iſte ſemper agitatur habendi concupiſcentia & deſi- ſer. 21. in Cant.
derio. *Magis pauper ille eſt qui cùm multa habeat,plura deſiderat.* 3. Ille non de- D. Bern.
ſiderat terrena bona, & non deſiderando poſſidet : *quæ omnia ſi non concupi-* Min. Fœl.
ſcimus poſſidemus; iſte deſideriis æſtuans etiam *poſſidendo mendicat.* 4. Ille di- Min. Fœl.
vitias *contemnit ut dominus*, & pedibus conculcat : itaque *omnium illos ditiſſi-* D. Bern.
mos cenſemus , & regibus facultate præferendos, qui pedibus divitiarum cupidita- Iſid. l. 5. ep. 36.
tem conculcarunt. Cujuſmodi erant primiceri Chriſtiani , de quibus D.
Hieronymus aſſeverat : *Quando adhuc Domini noſtri calebat cruor , & fer-* Ep. 8. ad
vebat recens in credentibus fides , vendebant omnes poſſeſſiones , & pretia ea- Euſt.
rum ad Apoſtolorum deferebant pedes ; ut oſtenderent pecunias eſſe calcan-
das;

das: Iſte divitiis ſervit ut famulus, eiſque famulando non utitur. *Quicunque patrimonio ſuo tanquam poſſeſſione non utitur, is ſuarum ſervulus eſt, non dominus facultatum: quia aliena cuſtodit ut famulus, non tanquam dominus ſuis utitur*, & ſi quandoque utitur, parce & ut pauper utitur: etenim utendi parcitas, inopiam & egeſtatem æmulatur. *Qui parcit rei ſuæ plus æquo, ſed ad inopiam*, penuria & egeſtate premitur ut pauper.

D. Amb. l. de Naboth. 5. Vatab. Pro. 11.

2. Dives avarus ſummam in cunctis oſtentat paupertatem. *Jejunus ſemper & indefectus*; egeſtatem denotat in victu, neque neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem ſumens alimenta; *de vento cibus*: egeſtatem in veſtitu, nam ſordidis indutus eſt veſtibus, totamque pertranſit vitam *ſqualore, pedore*: egeſtatem in itineribus & negotiis, quæ conficit pedeſter & parcè, *cum injuria bonæ valetudinis*; *cum fraude vitæ excruciata inedia*: egeſtatem generatim in cunctis. De ejuſmodi avaro divite, fructuum ubertate depauperato, ſic eloquenter fatur Chryſologus. *Miſerum quem ubertas ſterilem, abundantia anxium, divitiæ fecere mendicum. Humanus ager inhumanum dominum ſuſtinebat: & quod terra fundebat largiter, concludebat & congregabat anguſtè; ut eſſet aliorum cuſtos, qui eſſe ſuorum noluit pro rogator, ingratus Deo, ſibi nequam; hoſtis pauperum, divitum nota; carcer naturæ*. Bene dicitur ingratus Deo, quia non bene utitur bonis ſibi à Deo collatis: hoſtis pauperum, quia neque etiam eis ſuperflua largitur: carcer naturæ, quia uberes naturæ fructus velut avaritiæ reos, tenet vinctos in cuſtodia: pauperum nota, vel quâ à pauperibus diſcriminatur, vel potius quâ ſuiipſius pauperies denotatur: ſibi nequam, quia magis laborat & patitur pro auro, quam Sancti & Martyres pro Deo. 1. Sancti *ſordes cum anguſtia victus Domino libant, contenti ſimplici pabulo, puroque aquæ potu*. Eadem argento & auro præſtat avarus, nam ut illud ſervet, utitur *contumelia victus*; 2. Sancti de nocte vigilant ad divinas decantandas laudes; avarus *ne ſomno quidem liber* pro auri cuſtodia excubias agit. 3. Sancti ejulant, flent, ſeque affligunt, ut ſibi propitium reddant Deum; avarus mœret, lachrymatur, *ſuſpirat in convivio, vigilat in pluma, nec intelligit miſer, ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia, auro ſe illigatum teneri, & poſſideri magis, quam poſſidere divitias*. Quapropter Sancti & Martyres Deum enixè deprecantur, ut eos ab avaris diſcernat: *Judica me Deus & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta*: nam afflictionibus nequeunt diſtingui. Sancti jejunant, jejunant & avari; ſancti pedeſter ambulant, iter agunt pedeſter & avari: Sancti viliſſimis induuntur veſtibus, ſordidis indumentis teguntur & avari: Sancti mortificationi ſtudent, mortificationem ſectantur & avari: Sancti ſolitudinem quærunt; captant ſolitudinem & avari: Sæculi gaudiis non fruuntur Sancti, ſæculi gaudiis fruſtrantur & avari. Hæc cum ita ſint, nonne merito exoptant Sancti, ut eos Deus ſecernat ab avaris? *Diſcerne famem meam: pro auro acquirendo eſuriunt & avari: diſcerne nuditatem meã pro auro ſpoliantur & avari: diſcerne mortem meam, pro auro moriuntur & avari; illi propter aurum, nos propter te: ſimilis pœna, ſed diſcreta cauſa*. Sancti famem

Tert. l. de Pall. 13. Tert. l. de Reſ. 8. Tert. l. de An. 48. Serm. 104 Tert. l. de Pat. 13. Tert. l. de Reſ. 8. D. Cypr. l. 2 ep. 2. Pſal. 42. D. Aug. in Pſal. 42.

mem patiuntur in terra,ut viſione Dei ſatientur in cœlo; famem patiuntur avari,ſed ut ſuæ ſatisfaciant cupiditati. Nudantur Sancti, ut eorum anima pretioſis gratiæ induatur veſtibus:nudantur avari,ſed ut arcam repleant theſauris. Operantur Sancti ut Deo placeant: laborant avari,ſed ut in mundo fulgeant.Subd.ntur Sancti,ut ſibi veram comparent libertatem;obſequuntur avari,ſed ut divitiis famulentur & ſerviant. Terrenis bonis renuntiant Sancti,ut cœleſtem acquirant theſaurum; facultatibus ſuis parcunt avari, ſed ut alienas rapiant & uſurpent divitias.

3. Pauper in abundanti opulentia avarus, ad aliena ſemper aſpirat;eaque nunc auctoritate,nunc precibus,nunc vi & injuria uſurpat. *His enim tribus modis aliena ſumuntur;jure,beneficio,impetu:id eſt,dominio, precario & vi.* Hos omnes modos aſſumpſit rex Achab,ut Naboth uſurparet vineam : in quo inopiam & egeſtatem ſuã evidenter demonſtravit, ut fusè oſtendit D. Ambroſius:*Ille regni opibus affluebat,& tamen ceſpitem pauperis flagitabat. Pauper nihil de poſſeſſionibus concupivit divitis:Rex ſibi egere viſus eſt,quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur? qui contentus eſt ſuo,an qui concupivit alienum? Alter certe pauper cenſu videtur,alter pauper eſt affectu. Affectus pauper egere non novit:cenſus abundans nequit avari pectus implere; Ideoque dives cupidus in invidia poſſeſſionis & paupertatis querela eſt. Audiamus ergo quid dicat: Da mihi,qua alia vox egenis eſt? qua vox alia ſtipem publicam poſtulantis,niſi da mihi? hoc eſt,da mihi,quia egeo:da mihi,quia aliud vivendi ſubſidium habere non poſſum;da mihi,quia non eſt mihi panis ad victum,nummus ad potum,ſumptus ad alimentum;da mihi,niſi tu dederis,habere non potero;hac quàm abjecta,quàm vilia!non enim habent humilitatis affectum,ſed cupiditatis incendium.*

Tert. l. adv. Hermog. 8

L. 1 de Naboth, 2

Bellè cupiditatis incendium;avarus namque aſſimilatur igni vicina cuncta depopulanti. *Avaritia malum ſtare neſcit,ſed igni naturæ ſimilis eſt.* Ignis enim poſtquam incendium attigit,omnem properat aſſumere materiam,nec prius deſiſtere poterit,quam materia defecerit: avarum autem quid retinere poterit? igne vehementior eſt,omnia continuando finibus ſuis occupat; ea quæ ſunt vicini aufert: mox ut alium ſortitur vicinum,& quæ illius ſunt ad ſe rapit.

D. Baſil. hom. 21 in c. 30. Prov.

Ex inſatiabili avari cupiditate,injuſta oritur alieni uſurpatio; interminabilem habendi cupidinem ſubſequitur interminata rapacitas. *Prædandi nullus eſt modus,ubi nulla menſura cupiendi.* Per fas & nefas, facultates ſibi comparat avarus;ut ditetur modos adhibet debitos & indebitos. *De alieno ergo uſus,aut precario uſus eſt,qua egens ejus:aut & injuria,qua prævalens ejus.* Quot ſunt hâc tempeſtate regi Achab ſimiles,qui vel precibus,vel auctoritate, vel vi aliena rapiunt;neque hac rapina,ab egeſtate liberantur? *Non cenſus ſed animus divitem facit.* Ille,ille dives eſt qui non eget, ille verò non eget, *qui non inhiat alieno*;at è converſo ille pauper eſt,qui eget, eget autem qui aliena rapit;alieni boni uſurpatio, egeſtatem ſimul & iniquitatem denotat. *Ille jam non bonus,qui in aliena bona invadit,ut filio traderet: certe mendiciſſimus,qui nec*

D. Amb. l. 1 de Abel.

Tert. l. adv. Hermog. 8

D. Amb. Min. in Od.

Tert. l. 4. adv. Marc. 25

filium unde ditaret habuit, niſi alieno. Quænam, quæſo, major mendicitas, quàm non uti ſuis bonis, & rapere aliena, quæ diu ſervare nequit, ſed neceſſario & breviter amittere cogitur?

III. PARS *Aliquando inventum quomodo aurum non ametur*? Neque etiam hac ætate, tanto proſequeretur amore, ſi paſſione non moverentur mortales; plura namque ſunt quæ eis inſpirant auri contemptum. 1. Auri vilitas, quod nihil aliud eſt quàm *vile terræ excrementum*; cujus natura & conditio non differt à ferro, quod apud homines vileſcit: *Sed & ferri & æris & aliarum viliſſimarum materiarum par conditio eſt, & terreni generis, & metallici operis: quo nihilo generoſior judicari poſſit auri & argenti ſubſtantia, penes naturam.* 2. Quia dæmones docuerint homines, aurum in terræ penetralibus latitare: *Siquidem & metallorum operta nudaverant*; 3. Quia in ſtatu naturæ integræ, nulla erat auri cupido: Unde Tertullianus: *Age nunc ſi ab initio ipſum quoque aurum, jam de terra cum cupiditate prodiſſet.* 4. Quia pretium & valorem accepit ab inordinata naturæ corruptæ paſſione. *Non natura, non veritas, ſed vitioſa animi paſſio & concupiſcentia, pretia rebus inflammavit, ut ſe quoque accenderet. Nam tanto major fit concupiſcentia, quanto magni fecit, quod concupiit.* 5. Quia aurum non educunt homines de viſceribus terræ, niſi magno cum labore, & etiam cum diſcrimine vitæ. *Aurum, terra ſcilicet plane glorioſior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis, pœnali opere deplorata, nomen terræ in igne reliquit: atque exinde de tormentis in ornamenta, de ſuppliciis in delicias; de ignominiis in honores; metalli refuga mutatur.* Quia ad ſuſtentaculum vitæ, aurum neceſſarium non eſt, in quo ferrum præferendum auro videtur, velut humanæ vitæ magis neceſſarium. *Quod ſi de qualitate uſus gloria eſt auro & argento: atquin magis ferro & æri; quorum ita diſpoſita eſt utenſilitas, ut & proprias operas plures & neceſſariores exhibeant rebus humanis: Nam & annuli ferro fiunt, quædam eſui & potui vaſcula ex ære adhuc ſervat memoria antiquitatis. Certe nec ager auri opere paratur, nec navis argenti vigore contexitur. Nullum bidens aurum demergit in terram, nullum clavum argenteum intimat tabulis. Taceo totius vitæ neceſſitates ferro & æri innixas.* Poſt has aliaſque plures rationes, quæ contemnendum aurum oſtentant, merito miratur & dolet D. Bernardus quod à Chriſtianis tantoperè diligatur. *Mirandum, ſed magis dolendum quàm mirandum: quòd id quod nihil eſt, amari poſſit.* Aurum igitur nihil eſt, & nihil neceſſario amittendum. Homines poſſunt conſiderari in vita, in morte, & poſt mortem; & in triplici illo ſtatu divites pauperrimi ſunt: tum quia divitiæ, quæ nihil ſunt, eos nequeunt ditare: tum quia egenum illud nihil relinquere coguntur. Nam 1. ſæpe ſæpius in vita nihil amittunt: 2. in morte nihil deſerunt: 3. poſt mortem nihil ſecum non deferunt.

1. Divites facultatibus & bonis opulenti, *ſic agunt quaſi non poſſidentes.* Falluntur qui ſibi divitiarum arrogant proprietatem. Hoc ſunt errore decepti, qui de re familiari loquuntur ut domini; Mea domus, inquiunt, mea villa, mea pecunia, mea hæreditas. Hos comparat Ambroſius dormientibus, qui in

Tert. l. 1 de cult. Fæm. 1
Senec.
Tert. l. 1 de Cult. Fœm. 4
Tert. l. 1 de Cult. Fœm. 1
Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 8
Tert. l. 1 de Cult. Fœm. 4
Tert.
Ep. 18 ad Pet. Diac.
Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 9

in ſomno dumtaxat divites ſunt. *Somnium loquimur, non patrimonium.* Quos evigilat Tertullianus, ne ſibi blandiantur de divitiis, quarum non ſunt domini, *nihil enim noſtrum:* 1. quia nihil eſt terminus à quo productionis noſtræ: 2. quia nihil eſt terminus ad quem terminatur homo, qui tamdiu eſt homo quamdiu ſubſiſtit unio animæ & corporis, quâ diſſoluta non eſt homo: 3. quia peccatum quod eſt nihil, noſtrum eſt, cujus Deus non eſt author; quomodo D. Auguſtinus intelligit iſtud Joannis; *Sine ipſo factum eſt nihil*, id eſt peccatum. 4. quia divitiæ nihil ſunt, ut docet Sapiens: *Divitias nihil eſſe duxi.* 5. quia divitiarum quæ nihil ſunt, dominium non habemus, *quod noſtrum videtur, alienum eſt.* L. de Naboth 6 L. de Pat. 7 Cap 1 Sap. 7 Tertull.

Diſtinguendum eſt inter dominium ſeu proprietatem, & uſum. Proprietas, ſeu dominium ad ſolum Deum pertinet; *quoniam Dei omnia, cujus ipſi quoque nos*; uſus verò nobis eſt à Deo conceſſus ad tempus juxta placitum voluntatis ſuæ. *Hinc liquet nos alienis uti poſſeſſionibus; nec divitias, nec aliud quidpiam quaſi hæc juris & dominii noſtri ſint, poſſidemus, ſed eorum uſumfructum, dum hic vivimus poſſidemus.* Uſum autem dedit Deus bonorum, non abſolute, ſed ut eis uteremur: non *adulterandis uſibus*, ſed uſibus rectis & bonis: neque etiam rectum & bonum bonorum uſum, dedit Deus hominibus pro tota illorum vita; neque enim quamdiu vivunt, conceſſis utuntur bonis. multoties dum vivunt, tali uſu fruſtrat abutentes; imo & bene utentes. Inde concludit Philo Judæus: *Liquere ſatis puto nos alienis uti poſſeſſionibus: quod ſi cognoſceremus, curaremus tanquam res Dei: præcogitantes morem eſſe Domini recipere ſua quandocunque ipſi viſum fuerit.* Talia non recogitant qui ſibi, non Deo appropriant bonorum dominium: qui divitiis non bene utuntur, ſed male abutuntur: qui conceſſas ad breve tempus facultates, perpetuo poſſidere exiſtimant. D. Bernardus ut inſenſatos illos revocet ab errore, eos adhortatur, ut in morte divitias ſecum deferant, quas ſibi in vita arrogarunt. *Filii Adam, genus avarum; quid vobis cum terrenis divitiis; quæ nec vera, nec veſtræ ſunt: ſi veſtræ ſunt, tollite eas vobiſcum.* Eas nequaquam ullus mortalium ſecum poteſt deferre. *Divitiæ hic acquiruntur hic relinquuntur*; & ita avarus, qui non habet dominium nihili, qui ſæpe ſæpius amittit in vita nihilum, in morte neceſſario deſerit nihilum. Tert. l. de Pat. 7 Philo Judæus l. de Cherub. Tert. l. de Spect. 2 Ser. 4 de Trip. Adv. D. Amb l. de Naboth. 6

2. Homo *in mortem datus* cuncta bona terrena dum moritur deſerit: idcirco de divitibus avaris ſic fatur Regius Vates: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Non dicit divitias virorum, quia divitiarum dominium non habent, ſed viros divitiarum, quia avari, ut vilia mancipia ſerviunt divitiis: ſtatim autem ac viri illi divitiarum dormierunt ſomnum ſuum, divitias neceſſario deſerunt. *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quin nec auferre quid poſſumus.* Exemplum prodit Tertullianus divitis illius, qui *longa ſecuritatis ſpatia cogitavit, is ipſa nocte moritur*, nec ullas tamen ſecum detulit divitias. Cuncti mortales cujuſvis ſint conditionis, divites, magnates, reges, nudi ingreſſi ſunt in mundum, & Tert. l. de Teſt. an. 3 Pſ. 75 Ad Tit. 6 L. de orat. 6

Sen.ep. 109 nudi de mundo exeunt: *Tranſeundum eſt: excudit natura redeuntem ſicut intrantem: non licet plus deferre quam intuleris.* Bona terrena peritura ſunt, homines etiam mortales perituri ſunt; *perituris peritura creduntur*; idcirco vel in
Tert. l. de Reſ. 44 vita bona terrena pereunt hominibus: nam *mortale abſumitur, & amittitur*:
Tert. l. de Reſ. 54 vel in morte, pereunt terrenis bonis. Unde optime ad propoſitum D. Auguſt. *Ridendi ſunt qui ſe de mortalibus jactant; à quibus rebus plerumque aut vivi*
Conc. 2 in Pſ. 38 *deſeruntur, aut mortui neceſſe eſt ut deſerant.* Quot divites dum vivunt denudantur opibus, & ſic dum vivunt deſeruntur à divitiis? At volo ut conſervent divitias ad ultimum uſque terminum vitæ, neceſſe eſt ut eas in morte deſerant, neque poſt mortem ullas ſecum habent facultates.

L. 18. mor. 12 3. Quod Jobi teſtimonio confirmat Gregorius Magnus: *Dives cùm dormierit, nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet. Ad dormiendum oculos claudimus, ſed cùm corpus obdormiſcit in morte, anima evigilat in vera cognitione; quia quales ſint res vere cognoſcet.* Nunc avari veram divitiarum non habent notitiam; eas ut grande quid exiſtimant, de illis maxime gloriantur; poſt mortem verò aperient oculos, cognoſcent divitias eſſe nihil, ſeſe tali nihilo in æternum orbatos invenient. Quod ex Evangelico divite confirmat ſanctus Pontifex; *Epulo mortuus aperuit oculos, & vidit Lazarum quem numquam antea videre voluerat. Dum eſſet in tormentis vidit Lazarum; ſed nihil invenit in manu ſua ille dives*: ex tot bonis, ex tot divitiis, in inferno nihil invenit ille dives. Neque parabolam, ſed veritatem exiſtimat Tertullianus quod de avaro illo divite & paupere Lazaro refert Evangelium. *Imaginem exiſti-*
L. de An. 7 *mas exitum pauperis lætantis, & divitis morientis: & quid illi Lazari nomen, ſi non in veritate res eſt?*

CONCIO SECUNDA.

Tert. l. de Spect. 29 NIhil eſt libertate jucundius: nam *quæ major voluptas, quàm vera libertas?* Nihil eſt ſervitute moleſtius, *O miſera ſervitus*, quæ ſervum miſeria &
D. Aug. Tract. 41 in Joan. infœlicitate afficit! Tantum eſt bonum libertas, & tantũ malum captivitas, ut pro libertate ſervanda, & vitanda captivitate, mors ultro fuerit etiã à mu-
Tert. l. ad Mart. 4 lieribus timidis accerſita. *Aſdrubalis uxor, jam ardente Carthagine, cum maritũ ſuum ſupplicem Scipioni videret cum filiis ſuis, in incendium patriæ devolavit.* Cleopatra item Regina Ægypti, glorioſam mortem ignominioſæ prætulit captivitati. *Beſtias fœmina libens appetit, & quidem aſpides ſerpentes, tauro vel urſo horridiores, quos Cleopatra immiſit ſibi, ne in manus inimici perveniret.* Multum ſane deploranda corporis captivitas, quã homo ab homine victus famula-
D. Ambr. l. de Joſeph. 4 tur, & *miſeram ſervit ſervitutem*: Sed lugenda magis ſervitus animæ, qua prava voluntas peccato ſubjicitur: nam *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*:
Joan. 8 quodvis peccatum, ſervum efficit peccatorem; etenim *ſervile eſt omne*
D. Ambr. *peccatum.* Verùm, ut addit Ambroſius, inter omnes peccatores, ſervitu-

tis

tis notâ præcipuè ſignatur avarus: *Quomodo non ſervus omnis avarus, qui pro exiguo pecuniæ lucello, ſeipſum auctionatur?* ſervorum duo ſunt genera: alii bello victi, & captivitate donati; alii pretio, & dinumeratâ pecuniâ empti. Utroque modo avarus eſt ſervus, tum quia cupiditate victus; *huic ſerviat unusquiſq; à quo vincitur*, tum quia ſuam vendidit animam, licèt vili pretio: *ſemper venditor ſui, nec umquam negare ſuam valet ſervitutem.* Quantumvis de ſuis opibus tumeſcat avarus, *quàm vile mancipium eſt!* Quantumvis de divitiis ſuis glorietur *dives, turpiter ſerviat neceſſe eſt: nec non metuat.* Tria potiſſimum debet timere, quæ captivi tolerant, ſcilicet, ergaſtula, vincula, & tormenta. Avaritia ſiquidem improbo diviti, *& carcerem, & vincula, & tormenta, & ſupplicia adminiſtrabit*: 1. Carcerem, in quo avarus caligine obtenebratur, 2. vincula, queis alligatur, 3. ſupplicia, quibus mulctatur. S. Hier. in c. 6 Matt. Chryſol. ſer. 2 S Ambr. ſer. 2 in Pſ. 118 S. Chryſo. hom. ult. in Matth. Tert. l. ad Mart. 2

Habet tenebras carcer: quapropter nuncupatur à Caſſiodoro, *locus perpetua nocte cæcatus.* Verùm ut benè animadvertit Ambroſ. *non ſunt tales tenebræ noctis, quales illæ ſunt, quæ de confuſione veniunt peccatorum*: maximè quæ de avaritia procedunt, quâ mens avari ita obtenebratur, ut in eo non ſplendeat lumen. In homine juſto trinum coruſcat lumen: rationis ſcilicet, fidei, & gratiæ. Per lumen rationis à bellua diſtinguitur; per lumen fidei, ab infideli ſecernitur; per lumen gratiæ à ſceleroſo diſcriminatur. His *luminibus expreſſis* lubet exclamare cum Tertull. *Quàm cæcus eſt* avarus, qui *poſt lumina* rationis, fidei, & gratiæ cæcutit! Chriſtianos aliàs accuſabant gentiles, ſed falsò, quòd eſſent *everſores luminum.* Non falsò, ſed verè dicitur luminum everſor avarus, qui 1. rationis lumen obſcurat. 2. Fidei lumen obnubilat. 3. Gratiæ lumen obtenebrat. I. PARS. Tert. ibid. l. 11. Var. Ep. 40 Serm 3 Tert. l. de Pal. 7 l. adv. prax 28 Tert. Apol. 39

1. *Naturale rationale cenſendum eſt, quod animæ à principio ſit ingenitum, à rationali videlicet auctore.* Rationalitas eſt differentia eſſentialis hominis, per quam in ſua natura conſtituitur, à bellua diſcriminatur, & divinam majeſtatem æmulatur. *Rationale porro eſt nobis commune cum Deo.* Deus homini tantam contulit dignitatem, ut in agendo ſuum imitaretur auctorem, & ſicut Deus ratione cuncta operatus eſt; ita homo nihil efficiat ſine ratione. *Quippe res Dei, ratio: quia Deus omnium conditor, nihil non ratione diſpoſuit, ordinavit; nihil non ratione tractari intelligique voluit.* Avari tamen rationaliter non agunt, & dignitatem naturæ dedecorantes, Deum non imitantur? *Cæterum à ratione ejus tantum abſunt, quantum ab ipſo rationis auctore.* Et quod eſt deflendum magis, Deum è perverſo imitantes, belluarum irrationalitatem ſapiunt. *Quàm autem irrationaliter deverſentur, vel uno iſto ſatis erit expedire*; quod talparum more in terra occultentur, & ſic *à vero lumine exorbitant.* Tert. ap 7 Tert. l. de an. 16 Tertull. Tert. l. de pœn. 1 Tert. Tert. l. de Pud. 7

Homines, qui in agendo, rationis lumen ſequuntur, nihilque cogitant, deſiderant, diligunt, & operantur, niſi *de luminis conſilio*, ſunt veri homines dignitati ſuæ probè reſpondentes. Cujusmodi fuerunt gentiles philoſophi, qui ut faciliùs vacarent ſapientiæ, abdicârunt divitias: cujusmodi aliàs fuerunt, & nunc ſunt tot Chriſtiani, qui terrenis bonis renuntiant, ut cœleſtia con- Tert. l. de pal. 1

Apol.11 Rupert: conſequantur; quos omnes, *ut ſidera radiaſſe, & lumina floruiſſe* aſſeverat Tertull. Quantum ab illis diſtat avarus, qui *per avaritiam cor cæcatum habet?* Tert. l. de Reſ.6 Hujus rationem ſubminiſtrat S. Auguſt. Quia *in theſauro ſuo cor luteum figens* mentis lumen obſcurat. Corpus denſum, & opacum, Solis impedit radios: *Aurum terra, quia de terra*, lumini rationis oppoſitum, obſcurat intellectum, & impedit, ne mens avari rationis irradietur ſplendoribus. Ratio eſt Sol animæ, de qua eodem modo differendum eſt ac de materiali Sole; Sol univerſum illuminat mundum, ratio hominem, qui eſt parvus mundus, irradiat: Sol patitur eclipſim, quoties interponitur Luna; per Lunam, quæ Tert. l. de Pud 7 bonorum temporalium ſymbolum eſt, ratio obſcuratur, & *eadem caligine* fidei lumen obnubilatur.

Tert. l adv Valent.3 2. *In cæca detrudatur lucifuga beſtia.* En verum avari ſpecimen, qui eſt beſtia, quia non ratione agit, ſed paſſione, quæ eſt principium, quo bellua movetur: Beſtia lucifuga, quia lumen tum rationis, tum fidei averſatur. Tandem beſtia illa in cæca detruditur, quia concupiſcentiæ tenebris obcæ-S. Aug. l. 4. de Trin. 2. catur. *Tenebræ ſunt ſtultæ mentes hominum, prava cupiditate cæcatæ.* Oculata eſt S. Aug in pſ.145 Chriſtiana fides. *Omnino habet oculos fides, & majores oculos, & potentiores, & fortiores*; plura enim complectitur, quæ ratio attingere nequit. Verùm *Solem* Tert. l. de an.8 *noctuæ neſciunt oculi, aquilæ ſuſtinent.* Aquilæ veri ſunt Chriſtiani, qui terram deſerunt, ad ſublime tendunt, & divinitatis myſteria contemplantur. Pſal. Noctuæ ſunt avari, qui *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, quos ad cæle-Tert. l 4. adv. Marc 24 ſtia, & ad Deum nunquam attollunt. *Ubi fides fuerit*, ibi reperitur lumen, ideòque Baptiſmus nuncupatur ab Apoſtolo *Illuminatio*, quia in illo infunditur fides. Qui fidei lumine illuſtrantur, ad ſuperna proſpiciunt: verùm inter illos, qui Chriſtiani apparent extrinſecùs, *non omnes fideles.* Haud fideles Tert. l. de exh. caſt.4 avari, qui fidei in baptiſmo acceptæ paſſi ſunt naufragium. *Recogitemus cu-*Tert. l. de idol.11 *piditatem radicem omnium malorum, quâ quidam irretiti circa fidem naufragiũ ſunt paſſi.* Quòd ſi fidem cum conſcientia non amittunt, eorum tamen oculi ita caligant, ut Deum nequaquàm aſpiciant, quod ipſimet fatebuntur; Tert. l de idol.11 *ſi ipſius fidei conſcientiam perrogemus.*

At cur Chriſtianus fidelis cœlum, avarus verò terram reſpicit? Quia ille Hug. Vict. l 1. Miſcel. tit.1. oculo fidei, iſte oculo carnis aſpicit. *At qui videt oculo fidei, videt Deum, & ea, quæ in Deo ſunt: qui videt oculo carnis, videt mundum, & ea, quæ in mundo ſunt.* Apol.10. Ille ad divina perſpicax eſt, & ad terrena cæcutit: iſte ad divina cæcutit, & ad terrena perſpicax eſt: & duplici illa mulctatur cæcitate, cujus meminit Tertullian. *Cæcitatis duæ ſpecies facilè concurrunt: ut qui non vident quæ ſunt, & videre videantur quæ non ſunt.* Hæ duæ cæcitatis ſpecies in avaro concurrunt, qui videt ea quæ non ſunt, nempe divitias, bona terrena, Pſ.38. quæ ſunt nihil. *Subſtantia mea tamquam nihilum ante te*: Per ſubſtantiam intelligit Propheta multas quas habebat divitias: quæ verò ſunt, ſcilicet bona cœleſtia, & divina, non videt avarus, ut ait S. Ambroſ. *Non videt quæ divinitatis ſunt, ſed cogitat quæ cupiditatis ſunt.* Deus illi multimodè cognoſcibilem ſe præbet; per fidem, quæ cuncta divinitatis myſteria certò cognoſcit,

per

per rationem, quæ Dei exiſtentiam, nec-non unitatem evidenter demonſtrat: per creaturas, in quibus ſeſe depinxit divina majeſtas, tanto cum ſplendore: *Ipſius Solis radio putes ſcriptum, ita claret.* Avarus tamen tot modis agnoſcibilem Deum non cognoſcit. Nec mirum; nam *quomodo ponet ante conſpectum ſuum Deum: ante cujus conſpectum non eſt niſi ſæculum?* Ea eſt avarorum miſeria, qui intuentur viſibilia, inviſibilia non vident. *Tales cæci ſunt, & in luce ſe eſſe ſperantes, foris ſe exiſtimant claros, cùm ſint intùs tenebroſi,* & cùm tenebræ nihil ſint aliud, quàm *carentia lucis.* Tot ſunt interiorum oculorum tenebræ, quot in homine dignoſcuntur luces. Trinam autem dinumeravimus lucem, rationis, fidei, & gratiæ. 1. In triplici differentia ſtabiliendæ ſunt tenebræ: aliæ lucem rationis offuſcant, aliæ lucem fidei, aliæ lucem gratiæ. Primæ diſcernunt belluam, quæ caret luce rationis, ab homine, qui pollet rationis luce: 2. diſcernunt infidelem, qui caret lumine fidei, à fideli, qui fidei lumine illuſtratur: 3. diſcernunt ſceleroſum, qui caret lumine gratiæ, à Juſto qui gratiæ lumine fulget. Has omnes tenebras patitur avarus: per primas ut bellua ab homine diſtinguitur: per ſecundas, ut infidelis à fideli ſecernitur: per tertias, ut peccator à juſto diſcriminatur.

Tert. l. de Ref. 47

S. Aug. in pſ. 53

S. Aug. ſer. 62 ad frat.

S. Aug. l. 11 civ. 10

3. *Sol diei de ſuo cumulat.* A Solis luce conſtituitur dies: nam *tunc Deus diem condidit, cùm condidit Solem, cujus præſentia eumdem exhibet diem.* Ultra hunc diem naturalem horis conſtantem, qui *circuitu Solis impletur*: datur adhuc dies ſpiritualis, & moralis: Spiritualis, quomodo S. Auguſt. nomine lucis, & diei intelligit juſtos, quorum ſemita quaſi lux ſplendeſcens procedit, donec perveniat ad perfectum diem. Ut enim Sol materialis ſuâ præſentiâ naturalem diem, ita Chriſtus Sol juſtitiæ, ſuâ gratiâ, juſtos, dies ſplendentes & fulgidos efficit. Idcircò Chriſtiani dicuntur *ad Solem uncti*; nam cum unctione gratiæ lucis ſplendoribus perfuſi ſunt, & facti participes luminis Chriſti. *Nos naturaliter lumen non ſumus, ſed ab illo lumine illuminamur, ut lucere poſſimus.* A triplici lumine illuminantur fideles, ſcilicet à Chriſto, à Spiritu S. & à gratia, quam ſuo ſanguine meruit Chriſtus, & quam per amorem largitur Spiritus ſanctus. Chriſtus eſt Sol æternitatis, procedens à Patre, *ut lumen de lumine*: Ut autem Sol ſemetipſum depingit in aere illuminato, & in paræliis novos videtur producere Soles, ſic Chriſtus in ſplendoribus generatus, in Baptiſmate lucis filios producit. *Nam & lucere in mundo Chriſtianos oportebat, ut filios lucis.* Spiritus ſanctus Pater luminum reſidet in renatis, eoſque illuminat, velut templa ſibi dicata. *Nos ſumus templa Dei, & altaria, & luminaria,* & quia Chriſtus Dominus, *gratiam pollicitus per Spiritum ſanctum, illuminaturus*, utique implevit promiſſum, & nos *Spiritu unxit*, nempe gratiâ Spiritus ſancti, & deducit *de umbra ad Solem*, de umbra peccati quod contraximus in Adamo, ad Solem gratiæ quam accepimus in baptiſmate. Hanc gratiam ſi ſervaſſent peccatores, *cælum luminibus floruiſſet: magis Sol radiis inſultaſſet, magis dies ſletiſſet.*

Tert. l. 1. ad Nat. 3.

S. Aug. l. 4 de Gen. ad lit. 56

S. Aug. tr. 44 in Jo.

l. 5 de Gen. ad lit. 5

Tert. l. 3 adv. Marc. 13

S. Aug. l. de fid. & ſymbol. c. 4

Tert. apolog. 21

Tert. l. adv. prax. 14.

Tert. l. de cor. mil. 10

Tert. l. de pœn. 2

Tert. l. ad Mart. 3

Tert. l. 4 adv. Marc. 44

Por-

Portentoſam eclypſim refert Tertull. quæ ſuo tempore evenit in Africa;
l. ad Scap. *Nunc & Sol ille in conventu Uticenſi,extincto penè lumine, adeò portentum fuit,*
3 *ut non potuerit ordinario deliquio hoc pati,poſitus in ſuo hypſomate, & domicilio.*
Non partiale, ſed totale luminis deliquium patitur peccator avarus; nam
S.Aug. l.1 *peccata tenebræ animarum ſunt*,tantò criminoſior,quòd *poſt Solis receptum* So-
de Bapt 11 lem contenebrat,& lumina à Chriſto,Spiritu S. & gratia ſanctificante mu-
Tert. l.de tuata obnubilat,ſicque mens ejus luce deſtituta,caligat; nam *quod eſt oculis*
Orat.10 *ſanitas ad videndum,hoc eſt gratia mentibus.* Verùm quantumvis avarus ſit *in-*
S.Aug. l 1 *gratus Deo*,Deus tamen *ingratis luminoſus*, eum ſua gratia actuali excitat, &
cont. Fauſt. 8 illuſtrat,quam ſceleroſus ille,*ſibi nequam*, recuſat, & poſt adumbratam gra-
Chryſol. tiæ ſanctificantis lucem,adhuc actualis gratiæ lumen obſcurat, vel ſi eo ali-
ſer.104 quatenus utitur,ea quæ Dei ſunt videt: *proinde atq; ſi cæcus,fluitantibus oculis,*
Tert. Scorp. 10 *Solem quem videat non videt.* Hâc pœnâ mulctatur avarus in tenebroſo car-
Chryſol. cere,ubi eſt vinculis adhuc ligatus.

Tert. l. 2 Fuerunt olim ſceleroſi Chriſtiani ſe ultro carceribus detrudentes, &
adv. Marc. vincula mollia captantes,*quisq; ex conſenſione vincula induit, adhuc mollia,in*
2
II. PARS. *novo cuſtodiæ genere*,ut incepti martyrii famâ ſimplices fidelium deciperent,
Tert. l.de & fœminas Martyrum conſolandi affectu,in ergaſtula venientes,violarent
Pud.22 in tenebris,& libidinum maculis contaminarent. *Violantur fœminæ in tene-*
bris,planè ex uſu libidinum notis,in carcere detentus avarus, tenebris obvolu-
tus,ultrò ſuſcipit vincula,quibus detinetur, oneratur, & illaqueatur, at 1.
detinetur non molli,ſed duro vinculo, 2. oneratur non levi, ſed gravi vin-
culo, 3. illaqueatur non fragili,ſed penè indiſſolubili vinculo.

Tert. l. ad *1. Habet & vincula carcer*, quibus detinentur captivi, non ex materia
Mart 2 molli,& ſuavi,ſed ex auro confecta: *Quamquam & aurum ipſum, cuidam*
Tert. l.2 de cult. fœ 10 *genti,ad vincula ſervire fecerunt gentilium litteræ*: Aureis vinculis detinetur a-
varus,quibus ligatur manibus pedibusque,non habens nec operandi,neque
Eccleſ 7 gradiendi facultatem,*Vincula ſunt manus illius*: Aquila legit: *Vincta ſunt*
manus illius,Hebræa lectio habet: *Ligatæ ſunt manus ejus ſic, ut non faciat o-*
pus. Nullum bonum opus facit avarus, quia vinculis ligatas habet manus:
neque in via virtutis graditur,quia vincti ſunt pedes ejus. Quare S.Auguſt.
Ser.29 de *Si amas pecuniam, per avaritiam implicatus eris: erit enim tibi avaritia catena*
verb. Do. *pedum,& ultrà progredi non poteris.* In medio divitiarum velut in carcere de-
moratur avarus,&quot ſunt prava deſideria,quibus æſtuat;quot ſunt facul-
S.Chryſo. tates,quas poſſidet, tot ſunt vincula quibus detinetur; *Et ſicut cùm aliquem*
ho. 24 in *videris in carcere vinctum & cervice,manibus pedibusq; ferratum,propterea illum*
Matth. *maximè miſereris: noli illum propter iſta vocare locupletem, ſunt enim vincula,*
quibus oneratur,non levia,ſed gravia.

Tert. l. 1. *2. Apud barbaros quosdam,quia vernaculum eſt aurum & copioſum,auro vin-*
de cult. fœm. 6 *ctos in ergaſtulis habent, & divitiis malos onerant.* Auro vinctus avarus,
quò magis ditatur, eò magis oneratur, ut patet in Publicano Matthæo,
qui in telonio ſedens ad turpis lucri uſuram, nec advenienti Chriſto,

ad

ad urbanitatem aſſurgit, quia eum *divitiæ ſic alligabant in vinculis cautionum, ſacculorum ponderibus ſic premebant, ut levari ad innocentiam, ad juſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret.* Quare Salvator ut Matthæum tam gravi exoneraret pondere, dixit ei: Sequere me. *Hoc eſt, Diſrumpe vincula, depone pondera.* Sapienter advertit Chryſolog. *quòd nemo poteſt connecti terræ, & jungi cœlo.* Ille jungitur cœlo, qui à pondere divitiarum exoneratus, cor ſuum per amorem Dei in cœlo collocat. *Machina cordis, vis amoris: Sicut enim machina elevat lapidem, ſic cor elevat amor.* Qui verò ditari deſiderat, & poſt aurum anhelat, ille cor ſuum in terra collocat. Idcircò Chriſtianos ſic monet Tertull. *Ne deſideraveritis divitias, & ſi relucent, ne adjeceritis cor.* Cor avari terræ innixum, ſurſum ferri nequaquam poteſt, ſed ſemper inclinatur deorſum, & ob hanc cauſam Matthæus *ſedebat utiq; quia ſtare non poterat pondere cupiditatis oppreſſus, & ipſa totus conſcientia fraudis incurvus. Aurum naturâ grave, gravius fit avaritia nimis. Hinc eſt quod plus habentem deprimit, quàm ferentem, & vehementius aggravat corda, quàm corpora.* Et hæc eſt ratio, ut animadvertit S. Bernardus, cur filii Iſrael in profundo maris ambulant; Petrus verò ſupra mare graditur, quia Petrus reliquit omnia, illi verò auri & argenti onere preſſi, ab aquis ſuſtineri non poterant.

Chryſol. ſerm. 18. Chryſol. Hugo Card. in pſ. 24 l. 4. adv. Marc. 15 Chryſol. ſerm. 29. l. 5. de conſid.

Quodvis elementum ad centrum ſuum tendit. Ignis, utpote levis, ſurſum fertur: terra verò gravis, deorſum vergit. *Aurum nihil eſt aliud, quàm terra rubra; proinde anima, quæ ſe auro argentoque congerendo, & congregando devovit, ab iisdem ponderibus ſuis depreſſa, ad inferiorem locum in æternum crucianda, devoratur:* ut ex avaro divite comprobatur, qui ſepultus eſt in inferno. Non dicit Evangeliſta, nebulonem deſcendiſſe in infernum, aut fuiſſe à dæmonibus deportatum in infernum, quia hic loquendi modus aliquam indicaſſet moram, ſed ut ſummam deſcenſus innuat celeritatem, dixit, Sepultus eſt in inferno: *quia his pecuniarum pondere preſſus, velocius deſcenderat, quàm ut veniſſe diceretur.* Utinam hoc animadverterent divites avari, quos ideò hortatur Amos Propheta: *Audite verbum hoc vaccæ pingues,* ſeu, ut habet Chaldæa lectio: *Audite hoc graves divitiis.* Gravitas non aſcendit ſurſum, ſed deſcendit deorſum. Idcircò *ruent ſublimes, qui magis quàm divites, qui receperunt ſublimitatem ex divitiis,* & quò altiùs fuerunt ſublimati, eò profundiùs ruunt? Attende igitur avare, & audi, Cur tanto ſtudio aurum & argentum cumulas, *quod te pondere ſuo onerat,* & te vinculo forti, & ferè indiſſolubili illaqueat.

S. Chryſ. ho. 2. de verb. Eſai. Luc. 16. S. Aug. ſer. 15. de verb. D. cap. 4 Terr. l. 4. adv. Marc. 15 S. Cypr. ſerm. de eleem.

3. Nabuchodonoſor inſolentiâ & arrogantiâ tumidus, hanc à Deo audivit ſententiam: *Alligetur vinculo æreo, & ferreo,* id eſt, ut explicat Hugo Card *forti, & durabili, & indiſſolubili.* Ligatur avarus vinculo non æreo, vel ferreo, ſed aureo, & argenteo; verùm ita forti & durabili, ut diſſolvi vix poſſit. Nam *præter illa vincula, habet cuſtodem carceris ſeverioris, pravum ſcilicet amorem pecuniarum, qui ſemel à ſe vinctum, nequaquam ab hoc carcere migrare permittit, ſed mille imponit catenas,* quæ ferè indiſſolubiles ſunt; *Nam facilè de avaritia triumphat, de quo ipſa ſemel triumphavit:* à concupiſcentia victus, ab

Dan. 4. S. Chryſo. ho 24 in Matth. Pet Bleſ. ſerm 14

ejus tyrannide difficiliter liberatur. Quare Baſilius Magn. quodam cum a-
Ser. 3. de varo ſermonem habens, ſic eum alloquitur: *Omnia poſſides, ſed uno, & hoc*
avarit. *neceſſario cares: poteſtate videlicet teipſum mutandi*: tanta eſt avaritiæ vis, ut
avarum quodammodo inemendabilem, incorrigibilem, & quaſi impoten-
tem ad converſionem reddat; Idcircò Deus, qui Prophetis licentiam de-
Mich. derat prædicandi ubique, noluit ut ad civitatem Geth properaren̄t, *quia de-*
ult. *ſperata eſt plaga ejus*, eò quòd eſſet urbs avarorum, & quòd cives ejus vaca-
S. Anto. rent avaritiæ. *Iſtu nec tuba prædicationis debemus annuntiare, nec lachrymis plo-*
Pad. Do. *rare, quia nec tuba cordis duritiem flectere, nec lachryma ignem avaritiæ valent*
21. poſt *extinguere*. Adeò inveteratum eſt avaritiæ malum, ut omni prorſus videa-
Pent. tur carere remedio, & ob hanc cauſam aſſeverat Salvator, ſe miſſum ad e-
Luc. 4 vangelizandum pauperibus. *Perinde quaſi divites nihil ad hanc prædicationem*
Iſid. Clar *pertineant: & reverà ita eſt; nā cauſam divitum pro re deſperata poſuit Dominus.*
orat. 19. At cur ferè inſanabilis videtur avari morbus? cur vincula, quibus liga-
tur, ferè indiſſolubilia ſunt? Hoc 1. ex ejus cæcitate, & obſtinatione proce-
Rup. dit. *Cæcitas eſt mater obſtinationis*, cor verò obſtinatione obduratum, Dei vo-
cem non audit. Res mira, Sol audit vocem hominis ejusque obedit impe-
rio, homo verò nec audientiam Deo præſtat. Joſue imperio obſequutus eſt
Sol, milites verò contra Ducis mandatum civitatis Jerichuntinæ rapue-
S. Ambr. runt divitias. *Joſue potuit Solem ſiſtere, ne procederet; avaritia hominem non po-*
l. 1. offic. *tuit ſiſtere, ne ſerperet. Ad vocem ipſius Sol ſtetit, avaritia non ſtetit.* 2. Quia etſi
26 avaritia ſit peccatum, & quidem graviſſimum, tamen non judicat eſſe pec-
catum, ſed ſua fœneratur, aliena rapit, eleemoſynam pauperibus denegat, a-
S. Zen. haqua ejusmodi facit, quæ peccata non exiſtimat. Ideòque *inextinguibilis pe-*
ſer. 1. de *ſtis incendio totus mundus exarſit: Avaritia ut putatur, crimen eſſe deſiit.* Pecca-
avar. tum quod peccatum cognoſcitur, eſt emendabile, & corrigibile, peccatum
verò quod non putatur eſſe peccatum, incorrigibile, & inemendabile eſt. Et
ita avaritia eſt peſtis incurabilis, quæ inficit avarum, morbus, cui medicina
non eſt, vinculum indiſſolubile, quod ligat animam, tyrannus, qui captivat,
S. Aug. & in ſervitutem redigit. *Avaritia quæ captivavit comitem Chriſti*, captivat cor
in pſ. 63. avari, illumque pœnis, & ſuppliciis mancipat.

III. PARS Captivi ut plurimum, tria tolerant tormentorū genera, laborem ſcilicet,
exilium, & mortem. Has pœnas luunt fideles, qui ſub Turcarum captivitate
gemunt. Easdem à fidei perſecutoribus paſſi ſunt primiceri Chriſtiani, ut
Apol. 12 ipſimet fatentur apud Tertull. *In metalla damnamur, in inſulas relegamur, i-*
gnibus vivimus. Easdem patitur adhuc avarus, qui 1. indeſinenter laborat, 2.
Tert. l. 2 exulat, 3. mortem & ignem tolerat.
adv. 1. Quamprimùm Adamus Deo inobediens fuit, & adverſus auctorem
Marc. 2. ſuum deliquit, *ſtatim ſudor, & labor, exinde homo ad terram.* In gratia & ſan-
ctitate productus fuerat protoparens, ut cœleſtia ſaperet, & ad Deum
Tert. l. de mentis aciem erigeret, *at ubi deſivit Deo ſapere, deſivit cœleſtia ſuſtinere poſſe; ex-*
pat. 5. *inde homo terra datus.* Quandiu Adamus innocentiæ ſervavit ſtatum, tandiu
ſpiri-

ſpiritualis fuit, & ſpiritu motus, ad cœlum reſpexit: at peccando factus eſt homo *animalis, non recipiens, quæ ſunt ſpiritus, ideoq; redhibitus materiæ ſuæ, & in ergaſtulum terræ laboranda relegatus.* Corpus hominis fuit de terræ materia formatum, quare homo ſceleroſus materiæ ſuæ eſt redhibitus, & in pœnam criminis terræ ad laborandum mancipatus, & velut criminoſus ad metalla damnatus: *Pellitus orbi ut metallo datur.* At homo ille animalis, criminoſus, & Spiritum Dei non habens, *in ipſo opere prono & devexo ad terram, uſurpatum ex illa ſpiritum mundi, univerſo ſuo generi tradidit, dumtaxat animali, non recipiens, quæ ſunt Dei.* Verùm ſicut à criminoſo Adamo, homo factus animalis, terrenus, ſervus, accepit ſpiritum mundi, qui eum inclinat ad terram, ita à Christo recipit Chriſtianus Spiritum Dei, fitque ſpiritalis, cœleſtis, & liber, quia *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Avarus tamen Chriſtiano nomine haud dignus, *de ſervitute exemptus, ipſam ſervitutis notam* ſibi denuò inurit, ſibi nequam, & Chriſto ingratus, quia *non decet manumiſſos rurſus jugo ſervitutis inuri.* Sceleſto illi tantam amentiam & ingratitudinem exprobrat S. Cyprianus: *Pecuniæ tuæ captivus, & ſervus. & quem jam abſolverat Chriſtus, denuò vinctus es,* & ut ſceleroſus metallo datus.

Tert. l. 2. adv. Marc. 2.
Tert. l. de Pall. 3.
Tert. l. 2. adv. Marc. 2.
2. Cor. 4
Tert. l. 5. adv. Marc. 4
Tert.
Serm. de eleem.

Quanto labore, & quanto cum vitæ diſcrimine, de terræ fodinis eruatur aurum, optimè declarat Tertull. à quo aurum vocitatur *terra ſcilicet planè glorioſior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis, pœnali opere deplorata, nomen terræ in igne reliquit: atq; exinde de tormentis in ornamenta; de ſuppliciis in delicias; de ignominiis in honores, metalli refuga mutatur.* Benè maledicta metalla nuncupat, quia ad illa damnabantur dumtaxat rei, à Deo, & ab hominibus, maledicti exiſtimati. Addit ferales officinas, quia non homines humanitate pollentes, ſed tyranni crudelitate ferocientes, homines ſibi ſimiles, adeò inhumanâ pœnâ mulctabant. Pœnali adhuc opere, & nonniſi cum intolerabili labore, de terræ penetrabilibus eruebatur aurũ, cujus honor comparatus eſt ab ignominia, ornamentum à tormentis, deliciæ à ſuppliciis, ignominias, tormenta, & ſupplicia complectitur. His nihilominus pœnis ſe ſubjicit avarus, cui ipſis ſæviſſimus tyrannus, qui avaritiæ obtemperat, quantumvis difficilia onerosa laborioſa, & dura ſint quæ præcipit. Nam ut ei improperat S. Auguſt. *Avaritia juſſura eſt labores, pericula, tribulationes, triſtitias, & obtemperaturus es:* nec tantùm intolerabiles labores portas, ſed adhuc in pœnam tuæ captivitatis exulas.

lib. 1. de cult. fœ. 4.
Tract. 10 in Joan.

2. *Paradiſi colonus* Adamus fuerat conſtitutus; at ubi deliquit, criminoſum illum de tam amœno loco Deus ejicit, & *de originis loco exterminat.* Chriſtianos nuncupat *cœleſtes homines.* Tert. Hic autem honoris titulus, eis trina potiſſimum de cauſa competit. 1. Quia anima eorum eſt natione cœleſtis: *Scit ſe peregrinam in terris agere; cæterum genus, ſedem, & dignitatem in cœlis habere.* 2. Quia in baptiſmatis Sacramento cœli hæredes facti ſunt, & *æternitatis candidati.* 3. Quia cœli cives adſcripti ſunt. Ut enim ait Tert. Chriſtianum alloquens: *Sed tu peregrinus mundi hujus, civis ſupernæ Jeruſalem.* Quàm miſera avari captivitas, qui ab illa cœleſti patria exulat, etenim

Tert. l. de pat. 5.
Scorp. 10
l. de Pall. 1
Tert. apo. 1
Tert. l. de Res. 58
l. de Cor. mil. 12.

Tert.l.2. ad ux.2 *difficile in domo Dei dives.* Triplex conſideranda eſt domus Dei; Juſtus ſcilicet, Eccleſia, & cœlum. 1. Juſtus eſt domus Dei, & *Dei templum*, quia cùm
Tert. l.de an.53 ſit gratia ſanctificante decoratus, Deus in illo velut in ſolio regio, & templo
l de pud.6 ſibi dicato habitat. 2. *Domum Dei, Eccleſiam*, nuncupat Tertull. quam Chri-
Tert. l.de cor. mil. 12 ſtus ſuo ſanguine fundavit; *ipſius curia nomen Eccleſia eſt Chriſti*, quia illi ſpecialiter eſt præſens per aſſiſtentiam & directionem ne aberret à veritate: & in illa adhuc ſacramentaliter reſidet, ratione Euchariſtiæ. 3. Cœlum eſt do-
Pſ. 83 mus Dei, *Beati qui habitant in domo tua, Domine*, quia ut commentatur S. Auguſt. *poſſident Jeruſalem cœleſtem, ſine anguſtia, ſine preſſura, ſine adverſitate.* Modò reſumendum & dicendum eſt: *difficile in domo Dei dives* avarus, quia Deus in eo non inhabitat, cùm ſit gratia & ſanctitate denudatus, deinde in juſto *domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.* Ava-
S. Aug. l 20 de verb. Apoſ rus nec Deo credit, nec in Deo ſperat, nec Deum diligit. Difficile in Eccleſia avarus; nam *ethnicè vivens* Eccleſiam nô audit; qui autem non audit Eccleſi-
Tert. l.de pud.7. am, velut ethnicus, & publicanus habendus eſt. Difficilè in cœlo dives avarus, in quem vibrat Salvator tremendam iſtam ſententiam: *Facilius eſt ca-*
Matth. 19 *melum per foramen acus intrare, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Etenim moraliter impoſſibile eſt, ut avarus divitiis mancipatus, convertatur, &
S. Aug. l.3 cont. Ep. Parm. 2 æternam mereatur felicitatem. *Potuitne majori pœna digna judicari avaritia, quàm ut inter illa crimina poneretur, quibus infecti, à regno Dei excluduntur, Apo-*
1. Cor.6 *ſtolo dicente: Neq; avari regnum Dei poſſidebunt?* Et ita infelix ille ſervus, in pœnam ſuæ captivitatis exulat à cœlo, & inſuper ſupplicium, mortem, & ignem in inferno tolerat.

Tert. l. 2 adv. Marc. 8 3. Certiſſimum eſt, *non in mortem inſtitutum hominem*, ſed ob peccatum morti mancipatum; nam *ſicut Deus homini vitæ ſtatum induxit, ita homo ſibi mortis ſtatum attraxit.* Avarus non ad mortem, ſed ad vitam fuit creatus à Deo, & à Chriſto redemptus: ſed ob avaritiam, quâ captivatus eſt, *exinde*
Tert. l.2 adv. Marc. 11 *ad mortem, ſed antè ad vitam.* Chriſtianos injuſtè morte mulctabant tyranni propter deos: *Propter deos ipſos plectimur.* Juſtè Deus morte punit divitem
Tert. apol.12 avarum propter deos aureos, quos ſibi fecit: *ipſa domus noſtra ſine idolis omnino non ſunt.* Duplici morte punitur avarus: temporali, & æterna, cujus
Tert. l.de ſpect. 8. duo inſignia exempla ex Evangelio deſumpta, refert Tertull. duorum divi-
l. 4. adv. Marc. 28 tum, quorum unus fuit morte temporali mulctatus. *Ab eo ergo erit & parabola divitis blandientis ſibi de proventu agrorum ſuorum, cui Deus dixit: Stulte, hac nocte animam tuam repoſcent, quæ autem paraſti, cujus erunt?* Idem accidit pluribus avaris, qui in pœnam ſuæ cupiditatis, ſubitanea, & imprævisa mor-
S. Aug. l 50 hom. ho. 48 te præventi, ſceleroſam efflant animam. *Quanti ſunt modò divites, qui dicunt: Tantum habeo, tantum facio, tantum valeo, quibus reſpondendum eſt: O ſtulte, hac nocte anima auferetur à te, & quæ congregaſti, cujus erunt?*

Tert. l. ad Mart. 4 Verùm quantumvis ſit pertimeſcenda mors temporalis, quæ fortunatum divitem fortunæ bonis denudat: *ſed mortis metus non tantus eſt, quantus tormentorum.* Duplicem pœnam ſuſtinent in inferno reprobi, ſenſus, &

damni. Pœnam ſenſus patiuntur ab igne divinæ juſtitiæ miniſtro: *in ſtagno ignis & ſulphuris quod eſt mors ſecunda.* Pœna damni in privatione Dei ſita eſt, juxta iſtud: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Utraque pœna punitur avarus, & quidem pœna ſenſus; nam *& nunc aurum ignis.* Pœna etiam damni; *Dilatavit orcus animam ſuam, & aperuit os ſuum, & deſcendent inclyti, & magni, & divites: Hoc erit Chriſti væ ſuper divites, & humiliabitur homo utique exaltatus divitiis: & inhonorabitur vir utique ob ſubſtantiam inhonorabilis.* Tert. l. de Pud. 18 Tert. l. 2. de Cult. fœm. 13 Tert. l. 4 adv. Marc. 15

Sunt hac tempeſtate impii multi, ſimiles fratribus divitis epulonis, qui *non credebant eſſe poſt mortem ſupplicia annuntiata à Chriſto & Prophetis,* & *decreta à Deo.* Hujuſcemodi impietas ſuam ab Epicuro ſumpſit originem: *Nihil eſſe poſt mortem, Epicuri ſchola eſt.* Animalem hunc Philoſophum hac ratione confutat Tertullianus: *Cur times mortem ſi nihil eſt tibi timendum poſt mortem, quia nec experiendum poſt mortem?* Et ut Epicuri ſectatores qui ſe Chriſtianos mentiuntur, debellet, prodit exemplum divitis Evangelici, qui graviſſimis in inferno torquetur ſuppliciis: *Dolet apud inferos anima cujuſdam & punitur in flamma: & cruciatur in lingua: & de digito animæ felicioris, implorat ſolatium roris.* Tert. l. 4? adv. Marc. 34 Tert. l. de Reſ. 1 L. de teſt. An. 4 L. de An. 7

Ultra pœnam damni & ſenſus quâ cuncti puniuntur præſciti, ſpeciale tormentum patietur Avarus: ſcilicet à memoria divitiarum, quæ illum magis, quàm ignis ardor cruciabit. Non ſolùm impios & immiſericordes divites, viſibilis gehennæ ignis in tormentis excruciat; ſed & ipſa divitiarum putrefactarum & inanium memoria, (quibus facillime potuiſſent ſuas redimere nequitias) non minus & ante judicium animas eorum, & poſt reſurrectionem etiam carnes exuret: dum ſibimet ipſis graviter iraſci incipiunt, quia ſua ſcelera eleemoſynis abluere noluerunt. Denique diviti illi purpurato, ærugo pecuniarum in teſtimonium fuit nequitiæ, & in augmentum verſa fuit pœnarum, quando per increpationem Abrahæ audivit; *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Idem eveniet cunctis avaris; divitiæ erunt illis in teſtimonium, & bonorum quæ per divitias facere potuerunt, & noluerunt: & malorum omnium quæ ob divitias & per divitias perpetrarunt: & ejuſmodi teſtimonium erit vermis rodens, qui torquebit conſcientias eorum, & ignis urens qui eorum animas indeſinenter cruciabit, juxta Jobi vaticinium: *Aurum & argentum veſtrum æruginavit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis:* Quis hæc attentè conſiderans non dicat cum Galfrido Abbate: *Væ divitiis, quæ pereunt: & ſuum perire faciunt amatorem!* V. Beda. Cap. 5

CONCIO TERTIA.

L. 2. de Cult fœm. 13 ODiendum vult aurum Tertullianus; quia patres perdidit: *Odiſſe debemus quod patres perdidit.* Non quod aurum ſit ex ſua natura malum & ſcele-
Tert. l. de Spect. 2 roſum, cujus Deus auctor, qui ſceleris & peccati opifex eſſe nequit: *Aurum & argentum quis in ſæculo poſuit niſi ſæculi auctor Deus?* ſed ideo aurum eſt odien-
Sen. Ep. 35 dum, quia eo improbi ad malum abutuntur. *Iſta inter ſe contraria non ſunt, bona fortuna, & mens bona:* & ut eloquenter fatur Chryſologus, *fuerunt San-*
Ser. 28 *ctis innocentes divitiæ, utpote à Deo datæ, non turpiter acquiſitæ.* Abraham fuit dives, Job dives, David dives, & tamen quid Davide ſanctius? quid Jobo fortius? quid Abrahamo fœlicius, qui ſic poſſedit divitias, *ut eas ſæpe & obla-*
Chryſol. *tas contemneret, & calcaret indultas: & ſic diligeret poſſidere divitias, non à divitiis poſſideri: habere eas ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium:* Sunt ſtellæ quædam neutræ nuncupatæ, quæ ſi benigno jungantur planetæ, benigno, habent effectus: ſi vero maligno, malignæ efficiuntur: Non diſſimiliter divitiæ ex ſe indifferentes, bonæ ſunt vel malæ, prout homines eis ad bonum vel malum utuntur: & ſicut viris probis ſunt incentiva virtutum, ita ſunt improbis lenocinia vitiorum. Unde D Ambroſius: *Diſcant divites, non in facultatibus crimen haberi ſed in his, qui uti neſciunt facultatibus. Nam divitiæ ſicut impedimenta ſunt improbis, ita bonis adjumenta virtutis.* In divitiis quatuor
D. Bern. l. de Conſid. ſunt conſideranda, uſus, abuſus, ſollicitudo, quæſtus: *Uſus tantum divitiarum bonus; abuſio mala; ſollicitudo pejor; quæſtus turpior:* & quia avarus divitiis abutitur; terrena bona anxie quærit, per nefas captat; dicendum eſt cum Eccle-
Cap 10 ſiaſtico, *Avaro nihil eſt ſceleſtius:* nam pro acquirendis divitiis, 1. omnia Dei mandata tranſgreditur: 2. omnes virtutes aggreditur: 3. omnia vitia proſequitur.

I. PARS. Tert. l. de Præſc hæret. 14 Homini Deus mandata dedit, velut media, queis æternam ſibi valeat comparare beatitudinem: *Habes legem, & ſalutem de obſervatione legis.* Divina mandata ad ſalutem neceſſaria, præcipiunt homini pietatem, ſobrietatem, & æquitatem: pietatem erga Deum: ſobrietatem erga ſemetipſum: & æquitatem erga proximum. Dei filius humanatus eſt, ut homines pietatē, ſobrie-
Ep. ad Tit. 2 tatem & æquitatem ſervare doceret, *Apparuit gratia Dei Salvatoris erudiens nos, ut ſobrie, juſte & pie vivamus in hoc ſæculo:* Avarus tamen Chriſti dedignās & diſciplinam & auctoritatem, naturalem contemnens legem, Deo inobſequens, tranſgreditur mandata, 1. quæ præcipiunt pietatem erga Deum: 2. ſobrietatem erga ſemetipſum. 3. æquitatem erga proximum.

Tert. l. 1 adv. Marc. 18 1. *Nos definimus Deum primo natura cognoſcendum, dehinc doctrina recognoſcendum.* Ratio Deum naturaliter cognoſcit; Religio, ſummum latriæ cultum divinæ majeſtati tribuit: pietas quæ Deo cultum exhibet, duplici inte-

gra-

gratur & adimpletur p. æcepto:Uno negativo,quo prohibetur falſos cole-
re deos:*Non facietis vobis deos argenteos, & deos aureos non facietis vobis.* Affir- Tertull. Scorp. 10.
mativo altero,quo nobis præcipitur ut ſupremam ſoli Deo reddamus ado-
rationem: *Dominum ſimul inſpexeris,reverearis.* Avarus binum hoc pietatis Tert.l.de
tranſgreditur mandatum; nam contra præceptum negativum,quod men- Pœn.6
titios coli deos prohibet,auro & argento, cultum ſoli Deo debitum præ-
bet:*aurum à relinquentibus Deum adoratum eſt.*Deinde contra præceptum af- Tert.l.2 de
firmativum quod Deum latriæ cultu adorandum mandat, Deum nullate- Cult.
nus adorat; quia ſicut repugnat ut ſint duo dii, ita repugnat ut ſupremus Fœm. 3
Deo & argento reddatur cultus. Quare Salvator *nummo famulatam videns* Tert.l.4.
Pharizæorum cupiditatem: ammentavit hanc ſententiam; Non poteſtis Deo ſervire adv.Marc.
& Mammona. 43

Vera & integra Dei pietas divinum adhuc importat amorem, *Præſcribi-* Lib.ad
tur mihi ne quem alium deum dicam; ne vel dicendo,non minus lingua quàm manu Scorp.4
deum fingam: ne quem alium adorem, aut quoquo modo venerer,præter unicum il-
lum qui ita mandat : quem jubeor de omni ſubſtantia diligere. Hoc charitatis
præcepto,tria Deo præſtare tenemur. 1.Deum tanquam *ſummum magnum* Tert.lib.1
ſupra omnia diligere.2.Ea quæ amamus,propter Deum diligere. *Minus te* adv. Marc. 5
amat,qui tecum aliquid amat,quod propter te non amat. 3. Cuncta quæ Deus D.Aug.l.
averſatur odiſſe,& ſpecialiter avaritiam odio habere.*Non eſt dignus Deus cum* 10. Conf.
quo diligas avaritiam: amas illum, debes odiſſe quod odit. Avarus præceptum a- 29
moris divini non adimplet.Nam 1 quamvis Deus ſit cunctis in æſtimatio- D Aug. in Pſal.96
ne & amore præferendus,tamen *ſolus in comparatione omnium, Deus illi vilis* Salv.
eſt. 2. Aurum & argentum à Deo acceptum, non propter Deum,ſed adver-
ſus Deum diligit;& ut Deum veneratur & colit: *numquid tamen ut hæc ad-* Tert.l. de
verſus eum adorentur? 3.Quantumvis *contradicat Deus avaritia*, eamque aver- Spect. 2
ſetur,illam tamen avarus diligit,cum illa loquitur,illique ſervit. *Exhæredare* S. Aug. in Pſal.128
vis filium,qui loquitur inimico: & inimia eſt Chriſti avaritia. Quare cum illa lo- D.Aug in
queris? & non dico loqueris,quare illi ſervis,transgrediens per tuum famulatum, Pſal.96
mandatum,quod præcipit pietatẽ ergaDeum,& ſobrietatẽ erga temetipsũ?

2. In concupiſcentia bonorum temporalium, temperantia & ſobrietas Tert. l.1
ſervanda eſt:*Quod & ſi forte habendum ſit,modus tamen debetur:*nullum tamen de Cult.
in habendo modum adhibet avarus. *Inexplebilis eſt concupiſcentia divitũ,ſem-* Fœm.8
per rapit,& numquam ſatiatur; quod ex immoderato procedit habendi de- D.Aug. Ser.25 de
ſiderio.Etenim *concupiſcentia vitium aliud extenditur immoderate habendi.*Im- Verb.Dõ.
moderatus habendi ardor accendit concupiſcentiam , & concupiſcentia Tert.
habendi ardore accenſa,nullam in corporeis deliciis ſobrietatem ſervat,ſed
pudicitiam contra Dei præceptum contaminat.

Luxuriam Deus prohibet,& præcipit ſervare pudicitiam: Lucri tamen Tert.l. de
cupidine violatur *pudicitia.flos morum,honor corporum, decor ſexuum, integri-* Pud.1
tas ſanguinis,fides generis,fundamentum ſanctitatis,præjudicium omnis bonæ men-
tis. Fœminæ etiam quibus pudicitiæ ſtudium magis competit, pudicitiam

tot titulis glorioſam maculant, & habendi cupiditate Deo dicata, & Spiritu ſancto ſacrata corpora proſtituunt. *Quod etſi pretio in fœminis cogitur venditio illa pudicitiæ, utique impatientia contemnendi lucri ordinatur*, & quantumvis ſit probroſum lucrum iſtud quod ex proſtituto venit corpore: nam *ſi mercedes pro libidine, nullius rei turpis merces decora eſt*: plures tamen hac tempeſtate reperiuntur *infœliciſſimæ publicarum libidinum victimæ*: & quod eſt horribile dictu, ſunt conjugati multi, lenones, qui *lenociniis negotiantibus uxorum corpora poteſtatibus ſubjiciunt*, agentes contra divinum præceptum, quod ſobrietatem & æquitatem mandat.

(Tert. l. de Pat. 5 — Tert. l. 1 de Cult. Fœm. 2 — Tert. l. 1 de Cult. Fœm. 12)

3. Divinum mandatum quod æquitatem erga proximum præcipit, arcet ab homine tum injuſtam alieni uſurpationem, quâ *furtum conſi. itur*: tum injuſtam alieni detentionem. Nam *alienis non congruit uti*: Avarus contra expreſſum Dei præceptum aliena detinet, aliena uſurpat, & injuſtam ſuam retentionem & uſurpationem vel mendaciter negat, vel licitam & juſtam mēdacio aſſeverat: quare Tertullianus vocitat *mendacium cupiditatis miniſtrum*. Mendacium falſo teſtimonio confirmat; nam *avaritia falſum teſtimonium profert*, & tum mendacium, tum falſum teſtimonium, juramento auctorat: *Taceo de perjurio, quando ne jurare quidem liceat*.

(Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 2 — Tert. l. 3 adv. Marc. 10 — L. de Idol. 11 — D. Aug. Ser. 25 de Verb. Dō. — Tert. l. de Idol. 11)

Divina lex æquitatis homicidium prohibet, & auxilium parentibus debitum præcipit. Utrumque præceptum tranſgreditur avarus; avaritia ſiquidem humano ſanguine cruentatur. *Si quis prædæ gratia, homicidium conficit, prius eſt ut avaritiæ ſit impatiens.* Erga parentes adhuc injuſtus apparet avarus. *Patrem & matrem, & lex honorari, & poſt Deum diligi præcipit.* Avarus parentes deſpicit, debitum eis denegat auxilium, & tantam erga illos exercet injuſtitiam, *quæ patri cauſa mortis fuit*. Ea eſt avari injuſtitia, *quæ nec Deum timet, nec hominem reveretur; non patri parcit, nec matrem agnoſcit.* Legem non ſervat, ſed audaciter cuncta tranſgreditur præcepta, quæ pietatem, ſobrietatem, & æquitatem mandant. Hæc divinorum mandatorum tranſgreſſio quæ modo tantopere graſſatur, *vetus & antiqua avaritia eſt; quæ cum ipſis divinæ legis cœpit oraculis: imo propter ipſam reprimendam, lex Dei data eſt.* Propter avaritiam reprimendam, â Deo datam legem aſſeverat Ambroſius, quam tamen in Dei contemptum, inſolenter frangit avarus: ideirco avaritia optime nuncupatur â Chryſologo *tranſgreſſionis mater, ſicaria virtutum*: quia & cuncta Dei mandata tranſgreditur, & cunctas adhuc virtutes aggreditur.

(Tert. l. de Pat. 5 — Tert. l. de Cor. mil. 11 — Tert. l. 2 ad Nat. 24 — D. Aug. Ser. 15 de Verb. Dō. — D. Amb. l. 2. Offic. 26)

II. PARS.

Chriſtianæ virtutes ſunt vel 1: Theologales, quæ Deum ut ſuum objectum immediate reſpiciunt: vel 2. Cardinales, quibus velut cardinibus innititur vita: tum ſingularis & ſolitaria: tum civilis & publica: tum fidelis & Chriſtiana; vel 3. Morales, quæ ad componendos mores ſpecialiter ordinantur. Avaritia eſt omnium harum *virtutum ſubverſio*: quia cunctas ſubvertit virtutes: 1 Theologales: 2. Cardinales: 3. Morales.

(Pet. Bleſ. in Job.)

1. Tres ſunt virtutes Theologales, eæque Chriſtiano neceſſariæ, *Fides, Spes, Dilectio.* Fides neceſſaria eſt, dum ut divinis aſſentiatur myſteriis, quæ

(Tert. l. de Pat. 12)

agno-

agnoſci haud poſſunt *ſine Fidei Sacramento*; tum ut Chriſtianè vivat, *à fide enim etiam ipſa vita noſtra cenſetur*. Spes neceſſaria eſt, tum ut *à reſpectu præſentium rerum* voluntatem avellat: *amputatis quaſi vitæ retinaculis*: tum ut voluntatem attollat *ad illam ſpem æternæ ſalutis*: intellectus namque & voluntas duæ alæ animæ, quibus ad cœlum aſcendit: intellectus conſideratione; voluntas deſiderio. Intellectus Fide indiget, ut ad ſuperna mentis aciem valeat attollere, voluntas Spe, ut cœleſtem beatitudinem queat deſiderare. Charitas quæ eſt *ſummum Fidei ſacramentum, Chriſtiani nominis theſaurus*, neceſſaria eſt Chriſtiano, tum ut Deum ſupra omnia diligat: etenim *Deum ſummum bonum credi neceſſe eſt*; & ita ſuper omnia diligendum: tum ut proximum diligat. Dilectio ita Chriſtianis propria videtur, ut ab illa fratres dicantur. *Fratrum appellatione cenſemur*. Avarus virtutes non habet Theologales, (vel ſi quarumdam habeat habitum, eas ad praxim non redigit.) Non 1. quidem Fidem, tum quia Chriſtianus fidelis credit revelatis. ex D. Ambroſio autem credit qui non laborat avaritiâ. *Diſce congruè præcepta pietatis, probavit fidem, qui præmia recuſavit*. Sicut Fidelis ex divitiarum contemptu probatur: ita qui præmia ſectatur, infidelis notatur. *Accepit veſtem, & perdit fidem*. Tum quia non bene vivit: *Difficile enim eſt ut male vivat qui bene credit*. Addit D. Auguſtinus: Sicut *qui aurum non habet, fidem habet, virtutem habet*; ſic avarus aurum & argentum abunde poſſidens fidem non habet, virtutem non habet, *Argento & auro appetitur veritas; expugnatur integritas; innocentia proditur; pietas fideſque violatur*. 2. Avarus ſpem non habet, tum quia terrena bona; *retinacula iſta ſunt ſpei noſtræ*. Nihil ſane ita adverſatur ſpei Chriſtianæ, ac amor terrenorum, *Amor rerum terrenarum eſt ſpiritualium viſcus pennarum*, quod animam impedit, ne deſiderio ad cœlum evolet: Tum quia ſicut qui cœleſtia recogitat & deſiderat, terrena contemnit; *Cœleſtia recogita & terrena deſpicies*: Sic avarus qui nonniſi terrena cogitat & deſiderat, cœleſtia deſpicit. 3. Avarus charitatem non habet, quia neque Deum, neque proximum diligit. Non Deum cui aurum præponit. *Aurum avaritia non eſt, ſed avaritiam non cognovi niſi per aurum*. Non proximum, quia avaritia adhuc *vulnerat charitatem*.

2. Quatuor virtutes ſunt Cardinales, Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, & Têperantia. Prudentia Chriſtiana eſt appetendarum vitandarumq; rerum ſcientia: docet namque ea appetere quæ conducunt ad ſalutem; ea fugere quæ ſalutem impediunt. Juſtitia eſt virtus quæ non vindicat alienum, ſed unicuique tribuit quod ſuum eſt. Chriſtiana Fortitudo eſt virtus quæ timorê cohibet, & audaciam moderatur. Tandem Temperantia univerſaliter ſumpta eſt virtus coercens cupiditates, quæ à Deo ejuſq; legibus avertunt: His quatuor virtutibus Cardinalibus deſtitutus eſt avarus: 1. Prudentia, tum quia *divitiarum cupiditas inſidiarum plena eſt*; his autem inſidiis ſeſe exponit: tû quia ſibi non comparat divitias, niſi *fœnore interitu, & lucro damno*: 2. Juſtitia. nam *fraudis conditio ea eſt, ſi quis alienum rapiat, aut alii debitum deneget: & utique er-*

Tert. l. de An. 1
Tert. l. de Mon. 11
Tert. l. de Spect. 1
Tert. l. de Reſ. 31
Tert. l. de Pat. 12
Tert. lib. adv. Hermog. 11
Tert. Apol. 39
In c. 4. Luc.
D. Aug. Ser. 95. de Temp.
D. Aug. Ser. 137 de Temp.
Euſ. Emiſ. hom. 4. de Epiph.
Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 13
D. Aug. Ser. 33. de Verb. Dô.
Tert. l. 1 ad Ux. 5
Chryſol. Ser. 107
Chryſol. Ser. 29
D. Aug. l. 83 Quæſt.
D. Amb. l. 1. Offic.
D. Aug. l. de Mor. Eccl.
D. Chryſoſt. in Pſ. 38
Tert. l. de Reſ. 12
Tert. l. de Idol. 1

ga hominem admiſſa fraus,maximi criminis non eſt. Avarus fraudis reus aliena
Tert.l. de Spect.7 rapit,& debitum denegat,nec attendit miſer,quod in lege divina *aperte po-*
Tert. l. de *ſitum eſt,Non fraudem admittes.*3.Fortitudine,tum quia demiſſe *mortem timet*
Teſt. An. c.5 *ut commodum vitæ amputantem:* tum quia lucri gratiâ,cunctis ſe temere ex-
ponit periculis:*Cum lucri cupiditatibus quæſtuoſa pericula mercimoniorū in ma-*
Tert.l.de Pat.7 *ri exercet;cum pecuniæ cauſa in foro nihil damnationi timendum aggredi dubitat;*
cum denique ludo & caſtris ſeſe locat: cùm per viam in mores beſtiarum latrocina-
Tert.l.de Mon.11 *tur.*4.Temperantia;Chriſtianus namque eſſe debet *promptiſſimus in commu-*
nicationibus;temperantiſſimus in acquiſitionibus. Avarus nihil largitur pauperi-
Tert.l 2 de Cult. bus,neque ullum in concupiſcendo & acquirendo ſervat modum:& nunc
Fœm.2 alienum apertè rapit,*cùm in alicujus agro latrocinium geſtum eſt*; & nunc oc-
Tert. l.de An.25. culte *cæco latrocinio* ſibi fratris arrogat facultates, quod multimode exequi-
tur.Nam avaritia *fidem frangit,violat affectum turbat quietem, adimit innocen-*
Chryſol. Ser.29 *tiam,docet furtum,ſuadet fraudes,temperat latrocinium.*

3.Tandem avarus Morales Virtutes aggreditur.Inter Morales Virtutes,
Veritas, Fidelitas, Gratitudo, & Humilitas, Chriſtianos potiſſimum ſpe-
Tert.l.de Præſc. Hær.35 ctant.1.Veritas,cujus teſtimonium apud illos principatum tenet: *Hoc erit te-*
ſtimonium veritatis,ubique occupantis principatum. 2. Fidelitas,quam extraneis
Tertull. Apol.46. etiam inviolabiliter ſervant.*Chriſtianus & extra fidelis.* 3.Gratitudo,accepta
beneficia recognoſcens,*Iterato beneficio gratus eſto.* 4.Humilitas,quæ arcet à
Tert.l de Pœn.7 Chriſtiano gloriæ & vanitatis ſtudium. *Porro gloria non competit profeſſori-*
Tert.l.2 de Cult. *bus humilitatis,ex præſcriptis Dei.* Avarus has quatuor Virtutes Morales non
habet.Non 1.Veritatem,quia bonorum acquiſitio ab ipſo facta,*non eſt ſecu-*
Fœm.3 *ra de cupiditatis & mendacij obſervatione*: Non 2.Fidelitatem,quapropter me-
Tert. l. de 12 rito D.Ambroſius aſſeverat,*auri cupiditatem materiam eſſe perfidiæ.* Non 3.
1.Apol. David.4 Gratitudinem:nam avarus *dum fortuna blanditur,ingratus eſt.* Non 4.Hu-
Hildeb. Ep 56 militatem,quare de avaris ſuperbis ſic fatur Apoſtolus:*Erunt homines ſeipſos*
amantes,cupidi,elati. Græca lectio habet,*glorioſi,faſtuoſi.* D.Cyprianus legit,
2.ad Timoth.3 *inflati,*D.Hieronymus,*faſtidioſi.*D.Ambroſius,*inſolentes.* Itaque elatio, tu-
mor,gloria,faſtus,aliorum faſtidium,inſolentia, ſunt appendices cupidita-
Amos. tis.In ſuperbos & inſolentes avaros maledictionem jaculat Deus. *Væ qui o-*
pulenti eſtis in Sion. Septuaginta vertunt,*ſpernentes*, Hebræa lectio habet,*an-*
*nihilantes.*Quaſi illi ſoli ſint honore digni,cæteri verò omnes in eorum cen-
ſu & exiſtimatione,nihili computentur, tanta eſt avari divitis inſolentia,qui
ſua nequitia,cuncta generatim vitia proſequitur.

III PARS Odiendum vult Tertullianus *Aurum in quo omnia delicta populi Iſrael de-*
Lib.1.de Cult.fœm *notabantur.* Divitiæ conſiderari poſſunt,1.antequam comparentur: 2. dum
comparantur:3.poſtquam ſunt comparatæ. Avarus autem peccat,1.ante-
quam comparet divitias:2.dum comparat divitias: 3.poſtquam compara-
vit divitias.

1. Antequam comparet divitias,quia eas inordinatè & injuſtè concupi-
ſcit:injuſta enim & inordinata concupiſcentia peccatum eſt.Deus non tan-
tum

tum prohibet alieni uſurpationem & injuſtam detentionem, ſed etiam concupiſcentiam inordinatam. *Si concupiſcentia vel malitia in cor hominis aſcenderit, pro facto tenetur.* Deus non vetat niſi malum; prohibet autem non ſolum malum quod opere exterius committitur, ſed etiam quod interius in voluntate determinatur. Et *bene quòd in anima & conſcientia delinqui Dominus dixit.* Inde procedit diſtinctio peccatorum in peccata cordis & operis. Operis quæ de facto fiunt: cordis, quæ in voluntate determinantur, etiamſi exterius non adimpleantur. Sunt nonnulli qui falſo exiſtimant peccatum in ſolo opere externo ſitum eſſe non in animo, dummodo quod mente concipitur, & voluntate deliberatur, de facto non adimpleatur. Unde volunt *adulterium in oſculis & in amplexibus, & in ipſa carnis congreſſione cenſendum; aut homicidium in ſola ſanguinis profuſione, & in anima ereptione reputandum;* non verò in deſiderio adulterandi, & voluntate occidendi: *At enim Dominus quàm extenſius iſta diſponat, certi ſumus: cùm adulterium etiam in concupiſcentia deſignat ſi oculum quis impegerit libidinoſe, & animam commoverit impudice; cùm homicidium etiam in verbo maledicti, vel convitij judicat, & in omni impetu iræ, & in negligentia charitatis in fratrem; ſicut Joannes docet homicidam eſſe qui oderit fratrem.* Eodem modo ratiocinandum eſt de cupiditate; & ſicut datur adulterium & homicidium cordis, ita inordinata & criminoſa avari concupiſcentia. Quod inde conſtat, tum quia *voluntas facti origo eſt: & principalis ad culpam: quæ nec tunc quidem liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem ejus intercipit. Ipſa enim ſibi imputatur, nec excuſari poterit per illam perficiendi infælicitatem, operata quod ſuum fuerat*: tum quia voluntas in peccato ſibi complacet. *Adeo quod prohibetur adminiſtrare, ſatis periculoſe animus ſibi repræſentat, & temere per voluntatem expungit effectum. Cujus voluntatis cùm vis tanta ſit, cur non ſolatium ſui ſaturans, pro facto cedat?* Hæ rationes optime demonſtrant avarum peccare in ſceleroſa habendi concupiſcentia: 1. quia habuit voluntatem aliena rapiendi, quamvis de facto non uſurpaverit: 2. quia in criminoſa illa voluntate ſibi complacuit & diu moratus eſt: 3. quia tranſgreſſus eſt legem Dei, qui *voluntatis interdicendo delicta*, vetat avari cupidinẽ, qui peccat injuſte concupiſcendo divitias, & ſceleroſe acquirendo divitias.

Tert. l. de Idol. 23

Tertull.

Tert. l. de Idol 2

Tert. l. de Pœn. 3

Tertull. L. 1, ad Vx. 5

2. Acquirendi cupiditatem inter inſigniora ſæculi vitia, merito collocat Tertullianus: *Inſigniora duo ipſa carnis & ſæculi vitia denotat, quæ à divinis diſciplinis plurimum avocant, alterum per laſciviendi voluntatem, alterum per acquirendi cupiditatem.* Homines qui ditari deſiderant, *inflammantibus cupiditatibus agitati in flagitia, & facinora propelluntur*; & ob hanc cauſam *radix omnium malorum cupiditas* nuncupatur: quia ut expendit D. Ambroſius: *Avaritia omnia mala poteſt admittere; ideo radix omnium malorum eſt, quia ut deſideria ſua expleat (quod tamen impoſſibile eſt) quidquid ſceleris eſt, perpetrat.* Avarus habendi deſiderio ſufflammatur, ab ardore concupiſcentiæ ad malum inducitur, diaboli tentationibus agitatur, retibus illaqueatur callidiſſimi hujus inimici, qui eum ad patranda atrociora quæque crimina impellit. Ut e-

D. Aug. in Pſ. 67

1. Tim 6

enim ait Apoſtolus, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva.* Advertit autem ad propoſitum D. Chryſoſtomus, quod quando aſſeverat Paulus Chriſtum *tentatum per omnia*, non vult Dominum fuiſſe de omnibus vitiis ſigillatim tentatum: neque enim de mendacio, neque de blaſphemia, neque de impudicitia, neque de vindicta, tentatus fuit Salvator: ſed ideo dicitur per omnia tentatus, quia tentatus fuit de avaritia, in qua velut in radice, cuncta continentur crimina. Quapropter nuncupatur à Petro Bleſenſi *genimen vitiorum*: à Petro Chryſologo, *magiſtra nocendi primipilaria iniquitatis, auriga mali*: & à Divo Chryſoſtomo peccatum ſimpliciter. Nam ubi Petrus Apoſtolus dixit Simoni Mago: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*; D. Chryſoſtomus legit: *Peccatum tuum tecum ſit in perditionem*: quaſi pecunia & peccatum ſinonyma ſint. A Chryſoſtomo non diſſentit Eucherius, qui in divitiis & vitiis quamdam agnoſcit ſocietatem: *Quædam ſocietas eſt, pene etiam nominis, duabus hiſce rebus, vitiis & divitiis.*

Tert. lib. 3 Comparatæ divitiæ plus adhuc quam comparandæ, ſunt cauſa delicti;
adv. Jud. 9 quia improbis copiam & facultatem delinquendi ſubminiſtrant. *Certum eſt
ex divinis Scripturis, virtutem quoque cunctarum gentium, aurum conſtituere*: un-
de dicitur, belli robur, nervus commercii, verum convenientius adhuc ner-
Cap. 11 vus & robur vitii. *Si fueris dives non eris immunis à delicto*, loquitur Eccleſia-
Clem. A- ſticus dè ſceleroſo divite, qui divitiis ad malum abutitur. Nam *divitiæ quæ
l. 2 lib. 1 non recte adminiſtrantur, ſunt arx vitij & ſceleris*: & ſicut arx probè munita
pæd. 5 cuncta vicina ſuo ſubdit imperio, ſic nullus eſt adeo inexpugnabilis animus
Tert. qui auro tandem non vincatur. Quare vulgus *omnem valentiam populorum
argentum & aurum* conſtituit: quod innuere videtur Sapiens, dicendo: *Pe-
Eccleſ 10 cuniæ obediunt omnia*: vel ut habet Hebræa lectio: *Pecuniæ humiliantur omnia*;
ſeu ut alii volunt, *Pecuniæ reſpondent omnia*: quia ut ait Romanæ Eloquentiæ
Orat. in princeps: *nihil eſt tam ſanctum, quod non violari, nihil eſt tam munitum, quod non
Ver. expugnari pecunia poſſit.* Quod probe noverat ille qui inter tres arietes unum fortiſſimum aureo vellere admovit dicens: *Hæc omnia tibi dabo.* Illud diabolicum *tibi dabo*, omnia ſacra & humana violat. Etenim quid urbes & arces expugnat? *tibi dabo*: quid carceres & poſtes ferreos confringit? *tibi dabo*: quid homicidia conficit? *tibi dabo*: quid judicia pervertit? *tibi dabo*: quid perjuria & falſa teſtimonia conflat? *tibi dabo*: quid fidē matrimonialem violat? *tibi dabo*:
quid uſuram invenit? *tibi dabo*: quid ſimoniā introduxit? *tibi dabo*: quid Chri-
Tert. l. 2 ſtum Dominum tradidit? *tibi dabo*: offerens & recipiens *auro lenocinium mu-
de Cult. tuum præſtant.* Divitiarum affluentia bonos corrumpit mores, quia *faculta-
Fœm. 5 tes præſident humano cordi*, quaſi opulentia ſit præſes cupiditatis, cui cupido
Theophil. in c. 11 ad nutum obſequitur. Ideoque improbi homines ſunt *tanto nocentiores
Luc. quanto locupletiores*, opulentia ad quodvis facinus inſtigante. Quare D. Am-
Tert. l. 1 de Cult. broſius divitias appellat *lenocinia delictorum*: quaſi ad vitia ſuaviter alliciant.
Fœm. 6 Opulentia eſt adeo crimi noſa, ut ab eodem dicatur adhuc velut alter fo-
In c. 6. Luc.

mes

mes peccati: *Magna illecebra delinquendi, eſt rerum affluentia.* Salvianus divitias vocat *materiam voluptatum omnium*, quia ſcilicet delinquendi materiam ſubminiſtrant. Non moderatæ paſſiones, ad noxia absque ullo fræno feruntur, vitiisq; inhiant; at *avaritia generat paſſiones,* à qua cuncta vitia procedũt. l.de interpel: Job. S.Chryſo. in c. 22 Luc.

Septem ſunt peccata capitalia: Superbia, Invidia, Ira, Acedia, Gula, Luxuria, Avaritia. Ad omnia illa peccata alliciunt divitiæ. Nam 1. *Divitiæ ſuperbiam pariunt:* Idcircò Timotheum admonet Paulus: *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſuperbè ſapere.* Omne pomum, omne granum, omne frumentum, habet ſuum vermem: alius eſt vermis mali, alius piri, alius tritici, *vermis divitiarum ſuperbia.* 2. Divitiæ *invidiam contrahunt:* ex S. enim Ambroſio eſt *avaritia omnibus invida.* 3. Divitiæ iram accendunt, & ut ait Chryſologus, *avaritia furit.* Eſt autem furor ultimus iræ gradus. Quare Moralis Philoſophus avaritiam furorem nominat. *Dubitabit aliquis ferre paupertatẽ, ut animum à furoribus liberet?* 4. Divitiæ acediam pariunt: *Rerum abundantia ſecundarum, oblivionem auctoris infundit.* Ideo avaritia à Petro Bleſenſi dicitur *languor peſſimus animarum.* 5. Divitiæ gulæ inſerviunt: *Edacitatis enormitatis ipſa divitiæ procurant.* 6. Divitiæ luxuriæ patrocinantur: *quid enim eſt theſaurus luxurioſo, niſi ſumptus luxuriæ?* opes in voluptatibus conſumptæ dedecorantur; nam *Luxuria infamat divitias.* 7. Divitiæ avaritiam ingenerant; nam quantò plùs habet avarus, tantò magis deſiderat. *Auri furor ardentius humano fervet in pectore, quàm caminus totus igneſcit incendiis.* Sen.ep.87 2 ep.6 S.Aug.ſer. 5 de verb: Dom: Sen. Serm 1 de Cain, & Abel, 5 Ser. 10 l.de paup. S.Ambr. Tert. l.de jejun.6 S.Amb.ib. S.Chryſo: in c. 6 Lu Chryſol. ſerm.29 l.de an. 11

In hujus veritatis confirmationem prodit Tertullianus proditorem: *Judam quoq; aliquandiu cum Electis deputatum uſq; ad loculorum officium, & ſi jam fraudatorem, traditorem tamen nondum, poſteà diabolus intravit.* Erat avaritiæ deditus Judas, qui ut ſuæ ſatisfaceret cupiditati, primò largitas pauperibus furatus eſt opes, deinde tanta habendi rabie fuit exagitatus, ut voluerit *ipſum ſanguinem taxare pretio, quem ſpontè Dominus erat noſtrum largiturus in pretium.* Videns diabolus Judam in avaritiam pronum, primò eum impulit ad crebra modica furta, poſteà ad majora, quæ à Theophylacto ſacrilegia cenſentur, quia in ſuum rapiebat uſum, quæ dabantur in divinum: denique ad detractionem, itaut de effuſione unguenti, tum Magdalenam, dum ipſum culparet Chriſtum; poſtremò ad impiam Domini proditionem. De hac dæmonis aſtutia, & Judæ avaritia audiendus eſt Iſidorus Peluſiota: *Quamobrem Judam non ad libidinem, ſed ad proditionem dæmon impulit? nimirùm quia partem illam præſidiis firmatam videbat: eam autem, quæ ad avaritiam pertinebat infirmam, & imbecillem, ex ærumena enim furto in ſpem venit, ut ipſe ad proditionem quoq; facilè ſe conferret.* Vide ad quod malorum barathrum trahat immodicus pecuniæ amor; itaut unus etiam ex Chriſti diſcentibus ſit inventus *cum talibus, tam horrendis, & omnem impietatem ſupergreſſis.* Perfidum illum diſcipulum imitatur avarus: *aliquibus aureis venditans Chriſtum, ut argenteis Judas.* Tu Chriſtiane, ut ſis à tot & tantis ſceleribus immunis, *noli eſſe pecuniæ amans:* ſi autem divitiis abundas, eas ut egen- Chryſol. ſerm.29 In c.12 Joann. l.3.ep.383 Tert.l.ad Nat. 3. Tert.l. de cor.mil.12 Tert. l.de mon.12

Sen.de paup. tes habe; nam *ſanus dives eſt, qui licèt habeat divitias, eas tamen ut egentes habet,* tum quia illis eſt contentus, nec ad alias anhelat: tum quia divitiarum eſt dominus, non ſervus: tum quia ad earum amiſſionem paratum habet animum: tum quia divitiis non magis quàm paupertate utitur ad criminum licentiam. Qui in divitiis dives eſt, locuples eſt etiam ad crimina: qui verò in divitiis pauper eſt, locuples, & abundans eſt ad bonum, non ad malum, ad virtutes, non ad vitia.

Cujuſmodi erant fideles naſcentis Eccleſiæ, à quibus multum diſcriminantur Chriſtiani hujus temporis; nam 1. illi moderatè utebantur bonis à Tert. apolog 42 Deo datis. *Planè temperamus, ne ultra modum aut perperàm utamur*: iſti divi- Tert. l.1. ad Nat.5 tias inordinatè amant, ſuntque *peſſimi, & probroſiſſimi avaritiâ.* 2. Illi pignus Tert. l.ad Scap.4 depoſitum fideliter reddebant, *depoſitum non abnegamus*: iſti & commiſſum bonum injuſtè retinent, & non commiſſum fraudulenter uſurpant. 3. Illi Tert. apol.39 nec beneficia, nec ſacra, neque ulla alia Deo dicata vendebant, *neq; enim pretio ulla res Dei conſtat*: iſti vel beneficia dinumeratâ pecuniâ vendunt, Tert. l. 1 ad Nat. 10 *venditando, pignorando pro voluntate,* vel pro adminiſtratione ſacrorum indebita lucra exigunt, & captant. Quod ethnicis exprobrat Tertull. *Exigitis mercedem pro ſolo templi, pro aditu ſacri, venditis totam divinitatem: non licèt eam gratis coli; plus deniq; publicanis reficitur, quàm Sacerdotibus.* 4. Illi ab omni furto & ſacrilegio erant immunes: unde ſic arguunt calumniantes eth- L. ad Scap. 2 nicos: *Tamen nos quos ſacrilegos exiſtimatis, ne in furto unquam deprehendiſtis, nedum in ſacrilegio.* Iſti fures, & adhuc ſacrilegi ſunt; apud quos *nec diſſimiles* Tert. apol.25 *rapinæ ſacrarum divitiarum, & prophanarum.*

CONCIO QUARTA.

Tert. l.4 adv. marc. 33 *Alienum debet eſſe à ſervis Dei, quod injuſtum eſt.* Chriſtiani ad injuſtitiã fugiendam, & juſtitiam ſervandam, tenentur; nam *quanto malum injuſti-* Tert. l.1. adv. Marc 11 *tia, tanto bonum juſtitia*: debent autem juſtitiam Deo, proximo, & ſibi. Deo, cui debent obſequium, proximo, cujus debent ſervare patrimonium: ſibi tandem verum debent comparare bonum. Verùm avarus trinam hanc violat juſtitiam: *Injuſtitiæ enim auctorem ſæculi, nummum ſcimus omnes*; nam Tert. l.4. adv. marc. 33 propter nummum, Deo, proximo & ſibi, juſtitiam denegat avarus, & quod eſt ſceleroſum magis, propter nummum injuſtitiam exercet erga Deum, erga proximum, erga ſemetipſum. Nam 1. Deo debitum denegat famulatum. 2. Proximo legitimum uſurpat patrimonium. 3. ſibi irreparabile affert damnum.

I. PARS. Tert.l.4 adv. marc. 13 Avarus *in mammona injuſto* erga Deum, injuſtum ſe præbet; nam 1. Deo eripit famulum, 2. Chriſto aufert ſervum, 3. mammonæ præſtat debitum Deo, & Chriſto famulatum.

Tert. l.de Reſ.14 1. *Meritò Dominus quia auctor, meritò auctor, quia Deus.* Hominem famulatum Deo reddere, ut *Deo & Domino & auctori congruentiſſimum eſt.* Ut Deo, à quo naturaliter dependet: ut Domino, cujus dominio ſubſtratur: ut Au-

ctori

ctori & Patri, à quo ſuum eſſe accepit. Quàm injuſtus avarus *eripiens Deo hominem; Domino famulum, Patri filium*; ut eum mammonæ tyrannidi ſubdat. Tert. l. 2
A Deo liber factus eſt homo, ut *ipſa quoque libertate rationali contineretur ei* adv. Marc.
ſubjectus. Hominis libertas, debitam Deo importat ſervitutem, cui ultrò & 23
liberè ſubjectari tenetur, *ſi libertas videbatur, ſed & ſervitus videbatur*, quæ nõ Tert. l. 4
minus eſt homini connaturalis ac libertas. Naturalem hanc ſervitutem ho- adv. marc.
mines ratione utentes fatentur. *Sumus ſervi, Dominum habemus Deum.* Ve- 43 Chryſol.
rùm avarus Deo debitam non præſtat ſervitutem; nam *ſervire Deo nequeūt* 28
pecuniæ ſervientes. Pecuniæ ſervit avarus, etſi Deo dicat cum Vate Regio: *Ser-* Serm. 2 in
vus tuus ſum ego. Ex S. Ambroſio: *Venit avaritia, & dicit, Meus es, quia argen-* Pſ. 118
tum & aurum quod habes, ſervitutis tuæ pretium eſt. Avaritia infelicem avarum
ſervum ſuum proclamat; nam quid aliud agit pecuniæ ſerviens, quàm *mã-* Tert. l. de
monæ manum tradere, & à Deo abſiſtere? Quanta avari injuſtitia, qui ut mam- cor. mil. 2.
monæ ſerviat, Deum negat? etenim *mammona Sira interpretatione dicitur,* Paſch. in
cui ſervire Deum negare eſt. Avarus igitur injuſtè Deo eripit famulum, & c. 6. Matt.
Chriſto adhuc aufert ſervum.

2. Chriſtianus à Chriſto redemptus, ejus ſervus effectus eſt, quem ideò
alloquitur Tertull. *Tu nullius ſervus inquantum ſervus Chriſti.* Redemptor l. de idol.
Chriſtus tria potiſſimum homini contulit, 1. eum à ſervitute liberavit: 18
Qui te etiam captivitate ſeculi liberavit. 2. Eum libertate donavit: *Quâ* Tert. l. 5. adv. Marc.
libertate Chriſtus nos manumiſit. 3. Magno pretio hominem Chriſtus, & à 4
ſervitute liberavit, & libertate donavit; nam ſuo ſanguine *hominem Chriſtus* Tert. l. de
emit, imò & manumiſit. Chriſtus hominem, 1. à captivitate peccati, & dia- fug. in
boli liberans, in ſervum ſuum illum accepit. Etenim *novo libertatis genere non* perſ. 12 Chryſol.
eſt amiſſa ſervitus, ſed mutata. Quid hîc ergo non divinum eſt, ubi pellitur ſervitus 94
ſervitute; ubi fugatur conditione conditio? 2. Chriſtus hominem libertate do- Chryſol.
nans, eum effecit dominationis ſuæ participem. *O bonitas effuſa! ô inaudita* ſerm. 28
pietas! ô ineffabilis affectio! ad conſortium dominationis ſervos Dominus aſciſcit.
Regnum velle ſervum, crimen eſt: ſed hoc ad Chriſtum quantum eſt, aut quàm mi-
rum, quòd dat ſervis regnum: quòd ſibi ſervos facit in dominatione conſortes? 3.
Chriſtus ſuo ſanguine hominem redimens, maximo eum taxavit pretio, ut Tert. l. de
intelligat homo pretio æſtimari, & pretio poſſideri non poſſe, *niſi eodem,* fug. in
quanto Domino conſtitit, ſanguine ſuo ſcilicet. Quod probè intelligens S. Aug. perſ. 12 l. 10. civ. 12
ait: *Quando intellexi me Chriſti ſanguine emptum, nolui amplius me exhibere ve-*
nalem.

Quantumvis teneantur Chriſtiani, Chriſto Redemptori præbere famu-
latum, quantumvis ſit glorioſa Chriſti ſervitus, quæ libertatem ſimul, & S. Aug. l. 4
dominationem importat: quantumvis magno redemptus fuerit pretio, de ſalut.
cupidus animam ſuam venalem habet: quantumvis magnum ſit pretium, quod docum. 9
pro ea accipit, tamen *non tanto ſibi conſtabit homo, quanto conſtitit Domi-* Tert. l. de
no. Quàm injuſtus æſtimator rerum avarus, qui vili pretio animam fug. in perſ. 12
ſuam venalem exhibens pretium à Chriſto traditum *depretiat, & mercedem*
ejus tam magno comparatam, pretioſiſſimo ſcilicet ſanguine ſuo, comma-

macu-

Tert. ib. *maculat?* quid injuſtum magis? *quàm indignum Deo, & diſpoſitione ejus, qui fi-*
lio ſuo non pepercit, ut fieret maledictum pro nobis, quia maledictus qui pependerit
in ligno, qui tanquam ovis ad victimam ductus eſt, & tanquam agnus ante ton-
dentem ſic non aperuit os ſuum, ſed poſuit dorſum ſuum in flagella, maxillas au-
tem in palmas, & faciem non avertit à ſputaminibus, & inter iniquos deputatus
eſt, & traditus eſt in mortem, mortem autem crucis: totum hoc ut nos à peccatis
lucraretur? Avarus tamen pretioſiſſimam Chriſti paſſionem vilipendens,
animam ſuam tam caro emptam nihili ducens, pro exiguo lucello vendit.
In quo trinam erga Chriſtum injuſtitiam committit; nam à Chriſto quod
Tert. l. ſuum eſt, eripit. *Quod ſciam non ſumus noſtri, ſed pretio empti, & quali pretio?*
adv. *ſanguine Dei.* 2. Quod Chriſtus magno emit, parvo vendit. 3. Terrenas o-
Prax. 3. pes multum taxat, Chriſti verò ſanguinem parum exiſtimat, Judam imi-
S. Paulin tans. Perfidus ille diſcipulus *ſuo ipſius damnandus judicio, quo triginta aureis*
ep. 4 *vendidit eum, quem mulier, ut ipſe taxaverat, unxit trecentis: ſed in hoc perver-*
ſus, quod ipſum vili æſtimans Dominum, unguentum illud caro æſtimavit. Tradi-
tor ille pecuniæ cupidus, pretioſiſſimum Chriſti ſanguinem parvo vendi-
dit, ſeſeque infeliciter dæmonis tyrannidi ſubdidit.

Singulis vitiis ſinguli præſident dæmones; diabolus divitiarum præſes,
S. Ambr. Judam avarum & proditorem, in ſervum accepit. *Venit, & introivit in eum*
ſer. 12. in *ſatanas, & cœpit dicere: Non eſt tuus Jeſu ſed meus eſt, ea, quæ mea ſunt cogitat,*
pſ. 118. *quæ mea ſunt, in corde volvit; tecum epulatur, & mecum paſcitur: à te panem ac-*
cipit, à me pecuniam; tecum vivit, & mihi tuum ſanguinem vendit: tuus eſt Apo-
ſtolus, & meus eſt mercenarius. Judæ imitator avarus, & ſuam venditans ani-
mam, vili pretio Chriſtum vendit, Dei dominium rejicit, ſeſe dæmonis ſer-
vituti ſubdit, quem injuſtè Deo, & Chriſto præponit. Tantam injuſtitiam
l. de pœ- profundè exaggerat Tertull. *Nonne quod dicere quoq; periculoſum eſt, ſed ad æ-*
nit. 5. *dificationem quoq; proferendum, diabolum Domino præponit? comparationem e-*
nim videtur egiſſe, qui utrumq; cognoverit, & judicato pronuntiaſſe eum meliorē,
Tert. l. de *cujus ſe eſſe maluerit.* Nihil Deo poteſt comparari; *ſed Deo nihil par eſt: natu-*
car. Chr. *ra ejus ab omnium rerum conditione diſtat;* nam cùm ſit infinitè bonus, cuncta
3. creata in infinitum ſuperat. Avarus tamen rerum æſtimator iniquus, mam-
monam cum Deo comparat, mammonam Deo meliorem judicat, mam-
monæ debitum Deo, & Chriſto famulatum præſtat.

3. Nullum in homines dominium habet mammonas, quia nec deus eſt,
Tert. l. de neque eorum dominus. Nam *quomodo deus, qui nec auctor, quod Deus, nec do-*
Reſ. 14. *minus quod auctor.* Avarus tamen mammonam in Deum conſecrat, eique
S. Chryſ. potius, quàm Deo, & Chriſto, famulandum judicat. *Annon hoc cernimus,*
ho. 6. in *Chriſtum quidem contemni, mammonam verò coli?* Chriſtus *duos do-*
ep. ad *minos nominavit, Deum, & mammonam, creatorem & nummum.*
Philem. Creator verus eſt Deus & Dominus, mammonas falſus eſt deus & domi-
Tert. l. 4. nus. Vero Deo & Domino, non falſo, ſervitutem homines debent. *Crea-*
adv. *tor enim Dominus, quia Deus; & utiq; magis Dominus, quàm mammonas: ma-*
Marc. 33 *giſque obſervandus quà Dominus.* Quantumvis Dei & Chriſti ſervitus ſit
præ-

præferenda mammonæ tyrannidi, tanta eſt nihilominus avari injuſtitia, ut mammonæ tyrannidē, debitæ Deo & Chriſto ſervituti præponat. Chriſtus *ſibi & mammonæ negavit poſſe ſervire*: Verus Chriſtianus mammonæ non ſervit, quia Chriſto famulatur : avarus injuſtus Chriſto non famulatur; quia mammonæ ſervit. Chriſtianus Deo famulans, mandatis ejus obtemperat, & mammonæ præcepta contemnit; injuſtus avarus mammonæ ſerviens ejus mandatis obtemperat, & Chriſti præceptis denegat obſequium. *Nam multa jubet Chriſtus, & non facis; jubet avaritia & facis; jubet Chriſtus ut veſtias pauperem, & non facis: jubet avaritia ut fraudem facias, & hoc potius facis.* Tertull. D: Aug: ſer. in Pſ: 96

Bellè avaritia nuncupatur à Gregorio Nazianzeno *occultus tyrannus*. Magnum profectò intercedit diſcrimen inter regem & tyrannum. Ille imperium legitime poſſidet, iſte dominationem injuſte uſurpat : Iſte dura & difficilia præcipit, ille facilia & levia imperat. Hoc diſcrimen in Deo & avaritia apparet. *Laboras in juſſione avaritiæ, in juſſione mea non laboras*: nam *dura jubet avaritia, levia jubeo. Onus ejus grave, ſarcina mea levis: jugum ejus aſperum eſt, jugum meum leve eſt.* Leve jugum Chriſti portare recuſat avarus, aſperum avaritiæ jugum ſibi portandum imponit : *Jubet avaritia ut mare tranſeas, & obtemperas: jubet ut te ventis procellisque committas : Jubeo ego, ex eo quod habes des pauperibus ante oſtium tuum: piger es ad faciendum ante te opus bonum, & ſtrenuus es ad tranſeundum mare, quia avaritia imperat, ſervis, quia Deus jubet, odiſti*: Et ita injuſtus es, quia debitum mihi denegas obſequium: injuſtus etiam erga fratrem tuum, cui injuſte uſurpas vel detines ſuum bonum. Orat. 25 D. Aug. ſer. 21. de Verb. Apoſt. D. Aug. in Pſ. 128

Avarus *nummo injuſto* ditatur. Non loquor in præſenti de rapina, quæ vi eripit non ſuum: neque de furto, quod occulte & in tenebris committitur: neque de ſtipendio mercenariorum injuſte detento. Nam *ſi Chriſtus dignos mercede pronuntiat operarios*; Injuſti ſunt qui ſervos & operarios fruſtrant ſalario. Sed loquor de induſtria & artificio quo utitur avarus ut comparet divitias: licet ſit multiplex, tribus potiſſimum utitur: 1. Simonia: 2. Uſura: 3. Negotiatione & mercatura. II. PARS Tert. l. 4 adv. Marc. 33 Tert. l. 4 adv. Marc. 24

1. Simonia à Simone Mago nomen accepit. *Non aliter & Simon facere tentavit; cùm pecuniam Apoſtolis obtulit pro Spiritu ſancto.* Hac tempeſtate ita viget Simonia, ùt quamplures ſint vel reipſa, vel ſaltem deſiderio Simoniaci, quaſi ſacrilegum illud commercium, præſcriptione ſit auctoratum, *Non decet Chriſtum pecunia conſtare*: Eccleſiaſtica tamen beneficia hodie venditantur, vel apertè, cùm poſſidens ut ea reſignet expreſsè dicit, *Da mihi pecuniam*: vel occulte, cùm beneficium non reſignatur niſi ut vel mobile, vel immobile, vel bibliotheca carò ematur: vel ſub magna penſione intra breve tempus extinguenda : tunc *pretium intereſt* : Quàm execrabile ſit hujuſmodi ſcelus, patet. 1. *qui præmio paciſcitur, diſpoſitioni divinæ adverſatur*: 2. qui bona Eccleſiæ Chriſti ſanguine acquiſita venditat vel emit , *Chriſtum depretiat*. 3. *Simon Samarites redemptor Spiritus ſancti poſteaquam damnatus ab ipſo, cum pecunia ſua in interitum, Helenam quamdam Tiriam de loco libidinis publicæ,* Tert. l: de Fug: in perſ: 12 Tert. Tert.

eadem pecunia redemit, dignam ſibi mercedem pro Spiritu ſancto. Ejuſmodi criminis rei ſunt qui emunt beneficia, ut gulæ indulgeant, vacent libidini: vel qui eadem venditant ut emant officium civile, vel fundum, vel ineant matrimonium. 4. Simon damnatus fuit, damnationem incurrit Simoniacus. *Audiet ergo & iſte, qui Chriſti ſpiritum redemit: Pecunia tua tecum ſit in interitum, quoniam gratiam Dei pretio conſequendam putaſti.*

2. Nec minus ſceleroſus avarus uſuræ deditus, quam non natura, ſed immoderata lucri cupido adinvenit. *Fœnus, calendarium & uſura, humanæ cupiditatis, extra naturam quæſita nomina ſunt.* Fœneratorem non laudandum, ſed improbandum vult D. Auguſtinus. *Si fœneraveris homini, id eſt ſi mutuo dederis pecuniam tuam, à quo plusquam dediſti expectes accipere, fœnerator es: & in hoc improbandus non laudandus.* Et merito fœneratorem improbat, vi mutui accipientem aliquid ultra ſortem: cùm uſura ſit expreſsè à Deo prohibita. *Hic nunc de fœnore, cùm interponit: Et ſi fœneraveritis à quibus ſperatis vos recepturos, quæ gratia eſt vobis? Percurre ſequentia Ezechielis de eodem viro juſto. Pecuniam, inquit ſuam, fœnori non dedit: & quod abundaverit non ſumet, fœnoris ſcilicet redundantiam, quod eſt uſura.* Quàm verò ſceleroſa ſit uſura, conſtat ex execratione Dei in Publicanos: *nec tam execrabile eſſet nomen Publicanorum apud Dominum, niſi extraneum, vendentium ipſius cœli & terræ, & maris tranſitus.* Neque minus D. Auguſtino videtur criminoſus fœnerator, qui aliquid à paupere accipit, quàm latro, qui ſuum diviti furatur. *An crudelior eſt qui ſubtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore?* Quantumvis criminoſa Deoque odioſa ſit uſura, inventus eſt hac tempeſtate *doctor fœnoris*, qui etiam abſque damno emergente, lucro ceſſante, & ullo amittendæ ſortis periculo, fœnus licitum cenſet. Ultra patentem & damnoſam uſuram eſt adhuc uſura palliata aliquo prætextu munita, quam bellè Chryſologus nuncupat *pecuniæ latebras*, quia ſub intereſſe nomine, vel alio titulo occultatur. Verum *quodvis nomen ei imponas, uſura eſt.*

Sen. l. 7. de Benef. 10
In Ps. 36
Tert. l. 4 adv. Marc. 17
Tert. l. de Pud. 7
Ep. 54 ad Maced.
Chryſol. ſer. 28
Ser. 30
D. Amb. l. de Tobia c. 4

Uſura generatim ſumpta à multis committitur. 1. Ab his qui vi mutui, aliquid ultra ſortem accipiunt: hujuſmodi uſurarius dicitur *fraudator pecuniæ*: 2. Ab his qui obſervant tempora, frumenta in horrea congregant, & in penuria carò vendunt egentibus, quod parvò emerunt: *Obſervant enim divites temporum difficultates, & famem negotiantur, à qua ex aliorum calamitatibus meſſem faciunt: frumenti emptores & caupones.* Præſagiunt avari annonæ penuriam, vaſta horrea frumento replent, & cauponum inſtar carò vendunt quod parvò emerunt. Pauperum famem negotiantur, eo modo quo ſicarius ob pretium cædem hominis negotiatur. Ex aliorum calamitatibus meſſem faciunt, quia *in plateis divitum pauperes ſeminantur*: quorum ſubſtantia meſſis illorum eſt: 3. Ab his, qui aliorum captant neceſſitates, quibus mutuò dant, hac tamen conditione ut commiſſum pignus duplo majus mutuo eis remaneat, vel lucrum præſtent, niſi intra deſignatum tempus mutuum ſolvant. Verùm *nec ex aliorum egeſtate opes noſtras comparare ſuſtineamus; neque*

Chryſol. ſer. 30
Gregor. Naz. orat. pro Baſ.
D. Bern.

cum

cum aliorum lachrymis miſceamus; à quibus tanquam à rubigine, vel tinea conſumentur. 4. Ab his, qui dinumeratam habentes pecuniam, eam mutuo dant, ex eaque lucrum captant; nolentes aliquod ſibi comparare fundum ſeu immobile: quorum prætextum retundit Tertullianus: *Jam illa objici ſolita vox, Non habeo aliud quo vivam; diſtrictius repercuti poteſt; Vivere ergo habes: quid tibi cum Deo eſt, ſi tuis legibus?* Hæ ſunt artes quæ avarum *de uſuris locupletem, de lucris ſæculi onuſtum* faciunt: Quia verò *tot ſunt artium venæ, quot hominum concupiſcentiæ,* Avarus adhuc injuſta negotiatione ditatur. Gregor. Naz. orat. 9 Lib. de Idol. 5 Chryſol. ſer. 28 Tert. l. de Idol. 7

3. *Negotiatio ſervo Dei apta eſt:* immo & licita, cum hac reſtrictione: 1. *Cæterum ſi & cupiditas abſcedit, quæ eſt cauſa acquirendi:* 2. Si mendacium non interveniat. *Sit nunc aliqua juſtitia quæſtus; ſecura de cupiditatis & mendacii obſervatione:* 3. Si abſit juramentum; *quando ne jurare quidem liceat:* 4. Si fraus non miſceatur: nam *erga hominem admiſſa fraus, maximi criminis nomen eſt.* Si modo *de negotiationibus, cætera delictorum recogitemus*: perpaucæ reperientur negotiationes, quæ non ſint ſceleroſæ; vel ob cupiditatem, vel ob mendacium, vel ob juramentum, vel ob fraudem. Etenim *aviditate neſcio qua acquirendi; ô negotiator, quando pro pretiis rerum quas vendis, non ſolum mentiris, verum falſum juras.* Tert. l. de Idol. 11 Tert. l. de Idol. 1 Tert. l. de Idol. 11 D. Aug. ſer. in Pſ. 70

In negotiatione autem fraus perpetratur: 1. quando pro mercibus appretiatis alias mercator ſubrogat: 2. quando pro mercibus ſummum pretium ab imperitis & ignaris exigit: 3. quando multas merces, vel magnam pecuniam mutuo accipit, ut poſtea deficiendo fruſtret creditores: 4. quando mēſurâ vel ſtaterâ doloſâ utitur: *Statera doloſa abominatio eſt apud Dominum.* fraudulenta ejuſmodi *negotiatio religione proſcribitur.* Verùm hac ætate contra religionem multi negotiatores, bona injuſte acquirunt. *Omnes divitiæ de iniquitate deſcendunt: & niſi alter perdiderit, alter non poteſt invenire: unde & illa vulgata ſententia mihi videtur eſſe veriſſima: Dives aut iniquus, aut iniqui hæres.* Iniquus & injuſtus avarus; tum erga proximum, tum erga ſemetipſum. Prov. 11 Tert. l. 1 ad Nat. 10 D. Hier. Reg. Monach.

Negotiatio eſt aliquid amittere, ut majora lucreris: Stultus negotiator avarus, & injuſtus in ſemetipſum, totum amittit ut lucretur nihil: Divitias quæ ſunt nihil ſibi comparat: *fænore interitu, injuria uſura, lucro damno*: Nam pro divitiis 1. conſcientiam perdit: 2. peccata cumulat & augeſcit: 3. damnationem incurrit. III. PARS Tert. l. de Mart. 2 Tert. l. de Reſ. c. 12.

1. Avarus divitias acquirit *cum injuria conſcientiæ ſuæ,* aurum & argentum quæ ſunt terræ excrementa, animæ ſuæ ſpirituali & immortali, injuſte præferens. *Quanto homo pretioſior auro & argento, tanto* præferendus. *Nihil eſt iniquius quam amare pecuniam. Hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua;* nimirum gratiam ſanctificantem animæ ſuæ inhærentem. Anima Chriſti ſanguine redempta pretio æſtimari non debet, *niſi eodem quanto Domino conſtitit, ſanguine ſuo ſcilicet.* Avarus injuſtùs æſtimator rerum, animam ſuam tanto pretio emptam nihil exiſtimat, eamque pro divitiis nullius valoris vendit, & ſic injuſtitiam tum erga Chriſtum, tum erga Tert. l. de Carn. Chr. 3 Tert. l. 5 adv. Marc. 28 Eccleſ. 10 Tert. l. de Fug. in perſ. 12

ſemetipſum committit. Erga Chriſtum, venditans animam à Chriſto, magno emptam, & ad Chriſtum pertinentem. Erga ſemetipſum; nam animam ſuam *depretiat, & mercedem ejus tam magno comparatam, pretioſiſſimo ſcilicet ſanguine commaculat.* Anima rationalis conſiderari poteſt vel ſine pretio quo empta eſt; vel cum pretio quo empta eſt. Si in ſua natura conſideretur, eſt toto mundo corporeo ditior, quia eſt ſubſtantia ſpiritalis: Si attendatur cum pretio quo empta eſt, eſt adhuc longe ditior, quia ſanguis Chriſti, qui eſt pretium ejus, eſt infiniti valoris. Quovis modo conſideretur, *non animam pro pecunia, ſed pecuniam pro anima deponere convenit.* Avari divites *rem pecuniariam animæ anteponunt* & pretium adhuc quo empti ſunt depretiant; *lucro pecuniæ damna ſua ementes; ut acquirant quæ non ſunt ſua, prodigunt quæ ſunt ſua:* animas ſuas prodigunt; gratias in Sacramentis acceptas prodigunt, Chriſti ſanguinem prodigunt; Deum ipſum in ipſis inhabitantem prodigũt, quem à ſuis cordibus expellunt. Nam *qui curis terrenis ſe implicat, à Deo ſe ſeparat,* Ob tantam injuſtitiam, *væ in divites ſpectat,* qui ob habendi cupidinem animas ſuas venditant, & peccata cumulant.

Tert. l. de Pat. 7
Tert. l. de Pat. 7
Salv. l. 1. ad Eccleſ.
D. Aug. Ser. 62. ad Frat.
Tert. l. 4 adv. marc. 15

2. A divitiis accidentia diſtinguenda vult Tertullianus. Hujuſcemodi autem accidentia, ſunt vitia & peccata; quæ divitiis accedunt, ob quæ divites avari maledictione plectuntur. *Sed accidentia vitia divitiis, illa in Evangelio quoque væ divitibus adſcribunt.* Vitia accidunt divitiis; quia avaritia non in argento vel divitiis conſiſtit, ſed in cupiditate & improba ditandi voluntate, quæ *lucrorum cumulat peccata.* In cupidum & improbum avarum, maledictionem vibrat Propheta: *Væ ei, qui multiplicat non ſua, & aggravat contra ſe denſum lutum.* Ubi Gregorius Magnus: *Avarus contra ſe denſum lutum aggravat; quia terrena lucra cum pondere peccati congregat;* quo oppreſſus pondere, ſeſe beatitudine fruſtrat, & damnationi mancipat.

L. 4. adv. Marc. 15
D. Aug. l. 3. de Lib. Arb. 17
Chryſol. ſer. 30
Abac. 2
L. 3. Paſt. 22

3. Et ob hanc cauſam in avaros divites maledicta jaculat Salvator: *Væ; vox maledictionis à Chriſto dirigitur in divites*: in quos adhuc inſurgit Salvianus Maſſilienſis Antiſtes: *Mandantes terræ theſauros luctuoſos, hæredibus breve gaudium, auctoribus longum mœrorem allaturos. Condentes profundis ſpecubus infernas opes: fraudantes uſu rerum præſentium tam ſe quàm alios.* Bene, male partas divitias appellat theſauros luctuoſos; quia divitibus avaris cœleſte furantur gaudium, & æternum pariunt mœrorem. Eas inſuper infernas opes vocitat; quia divites avaros ad infernum detrudunt, ubi *penſantur pro divitiis pœnæ.* Infœlicem illum avari caſum ſic proſequitur Salvianus: *Auro nihil eſt ſceleſtius, & peſſimum ac feraliſſimum morbi genus, divitiæ conſervatæ in malum domini ſui. Quid enim pejus aut quid miſerius, quàm ſi quis præſentia bona, in futura mala convertat?* Hoc exequitur avarus, in ſemetipſum injuſtus, quo nihil ſtultius excogitari poteſt. *Quæ eſt iſta rogo animarum inſania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum.*

Tert. l. 4 adv. marc. 15
L. 1. ad Eccleſ.
D. Aug. Ser. 25. de Verb. Dñi.
D. Auguſt. ibid.

CON-

CONCIO QUINTA.

R*Atas non habet Chriſtus divitum cauſas; ſuperbiam dico & gloriam, & ſeculi* Tert.l. 4
ſtudia, & Dei incuriam: per qua va merentur à creatore. Plura enumerat adv. marc, 15
Tertullianus divitum crimina, quæ Dei accendunt iram: & propter quæ eſt
merito *Chriſtus divitibus offenſus.* In præſentiarum agendum eſt de inhuma- Tert.
nitate divitum, ſeu *de iniquitate ſævitiæ*; & oſtendendum divites avaros, cru- Tert.A-
deles & inhumanos: 1. erga extraneos: 2. erga ſuos: 3. erga ſemetipſos. pol.48

Avarorum mentes à dæmonibus ſubornatas, & *ad omnem ſæviendi iniqui-* Apol.27
a tem modulatas, vult Tertullianus, ut evidenter conſtat ex ſævitia; 1. Judi-
cum, in viduas & pupillos: 2. divitum, in pauperes & egenos: 3. exactorum
veſtigalium, in ruſticos & plebeios.

1. Iniqua ſane Judicum crudelitas, qui contra Dei præceptum, *Munus non* Tert. l. de
expectabis: muneribus corrumpuntur: & viduas & orphanos, præ inopia ni- Spect.7
hil quod offerre poſſint habentes, injuſte depauperant, & in gratiam divi-
tum & magnatum, cunctis denudant. Avaros illos & crudeles Judices per-
fecte Tertullianus repræſentat: *Commodorum ſuorum cauſa jungentes domum* L.4.adv.
ad domum, ut qua proximi ſunt auferrent: amantes munera: ſectantes retributio- Marc.27
nem: diripientes judicata pauperum: ut eſſet illis vidua in rapinam: & pupillus in
prædam. His verbis denotat, & ſævitiam Judicum in pupillos, & inhumani-
tatem divitum in egenos.

2. Chriſtus mitiſſimus verbo & exemplo docuit humanitatem. Doctrinā
Chriſti dedignātes divites avari, *ſeveritatis documenta fecerunt*, quam in pau- Tert.l. de
peres & egenos exercent. Illorum duritiem damnans, & emollire volens Pud.2
Salvator, eſt 1. *divitum aſpernator, mendicorum advocator.* 2. Illos maledictio-
ne, iſtos benedictione afficit. *Dei eſt maledictio in divites, & benedictio in men-* Tert.l.4
dicos. 3. Illos reprobat, iſtos approbat: nam *ejusdem eſt divites reprobare, qui* adv. marc. 15
mendicos probarit. 4. Illos odio, iſtos amore proſequitur. *Quid ergo mirum ſi ab*
affectibus Creatoris ingreſſus eſt; ſemper mendicos & pauperes diligentis, conſolan- Tert.l.4
tis, aſſerentis, vindicantis; tum de ſævis divitibus, tum de inhumanis vectiga- adv. marc. 14.
lium exactoribus?

3. *Sed vectigalia gratias Chriſtianis agent, ex fide dependentibus debitum, qua a-* Tert.A-
lieno fraudando abſtinemus. Chriſtiani, qui regum venerantur majeſtatem, de- pol.42
bita eis tributa ſolvenda cenſent, neque fraudātes excuſant à peccato; quare
vectigalium fraudatorē urget Tertullianus: *Si numquā furtivas merces vel illi-* L.5.adv.
citas, in acatos tuos recepiſti. Verùm hac tēpeſtate plures ſunt inhumani vecti- marc.1
galium exactores, quàm injuſti tributorū detentores. Non loquor in præſēti
de vectigaliū inventoribus; qui *habent artem ſuam pecuniaria mercede venalē*; D.Aug.l.7
quorum ingeniū *diaboli ingeniū de malitia* nuncupat Tertullianus. Dæmones Civ.3 Lib.de
enim Spect.23

Tert l.1 de Cult. Fœm.2 Tert.l.de Fug. in Perſ.12 D. Aug.

enim qui ab exordio mundi *metallorum occulta nudaverant*, docent his temporibus tot modos exigendi argentum. *Tanta quotidie ærario augendo proſpiciuntur remedia cenſuum, vectigalium, collationum, ſtipendiorum.* Hodie hujuſcemodi dæmonum diſcipuli exundant: *propter pecuniam ſunt artifices multi;* ſed eſt quæſtio de ſævis & injuſtis vectigalium exactoribus, qui Regem defraudant, ejuſque ſubditos depauperant.

Chryſol. Ser.29 Tert.l.de præſ hær. 42 Tert. Apol.13 Epiſt.59 Salv.l 4 de Guber. Dei. In Cat. Pat. Græc. in c.18 Luc. Baſ.Sel. Or 35 Salv l.4 de Prov. Tert.Apol.2 Six.Sen. to.6 Bib.

Auri amor crudelitatis dominus, crudelitatem docet, ſævitiam inſpirat cunctis avaris, præſertim vectigalium exactoribus, qui *noſtra effodiunt, ut ſua ædificent*; & ſub principis nomine omnimodam erga regni ſubditos inhumanitatem exercent, & plebeios tributis onuſtos ut vile mancipium tractant. *Sed enim agri tributo onuſti viliores, hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora: nam hæ ſunt notæ captivitatis.* Hujuſcemodi publicanos qui duplo majus exigunt à ruſticanis quàm debeant, harpiis comparat Hildebertus Turonenſis antiſtes: nam *circa pauperes quidquid impie volunt, impune agunt*, nullo frænantur timore, ſed regia abutentes auctoritate omnia audent, & audacter attentant: *Nulla ſiquidem major eſt pauperculorum depopulatio quàm poteſtas.* Illos publicos latrones vocitat Baſilius. Hoc autem eſt diſcrimen inter fures & publicanos, quod *illi quidem furtim tollunt; hi verò vi & publice exigunt*; verùm tanta cum inhumanitate, ut eos nullo modo moveat aliena miſeria. *Vectigalium redemptio, cujus fructus aliorum lacrymæ, cujus theſaurus aliorum miſeriæ.* Neque in plebeios tantùm rapinam exercent: *Nemo itaque tutus horum eſt, nec ullus admodum præter Summos, à vaſtatione latrocinii populantis immunis, niſi qui ipſis latronibus par eſt in hac conditione.* Nec attendunt crudeles illi præfecti, exactores & publicani; *Hoc imperium cujus miniſtri eſtis: civilis, non tyrannica dominatio eſt*: ſed Regis authoritate abutuntur, qui eorum ignorat prædas, & vult ut tributa recipiant, non ut latrocinia exerceant; Et quia *cæcutit perſpicacitas principis, quando in diſpenſatore regnat avaritia*, ſupra memoratus Turonenſis Antiſtes hortatur Angliæ principem, Regis nepotem, ut det operam, ne ſub Regis nomine talia latrocinia exerceantur. *Tu itaque pro voto rapacitatem atque exactiones compelle, quos pauperum clamor, orphanorum gemitus, & lachrymæ comitantur viduarum.* Nec mirum ſi avarus ſæviat in extraneos, cùm ſit etiam crudelis & inhumanus in ſuos.

II. PARS Tert.l.1 adv. Marc. 1

Nam *Scytha tetrior, Maſſagetha inhumanior*, ſævitiam exercet, 1. in fratres, quos patrimonio & hæreditate ſpoliat: 2. in parentes, quos poſt mortem ſuffragio fruſtrat: 3. in filios, quos per vim Religioni conſecrat.

Tert.Apol.39 Chryſol. Ser.162 D.Chryſoſt. hom. 61 ad pop. Chryſoſt.

1. Inter Chriſtianos naſcentis Eccleſiæ nullum erat odium, diſſidium, jurgium; lis nulla, quia ut ipſi dicunt Gentilibus; *ex ſubſtantia familiari fratres ſumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem.* Avaritia lites & diſſenſiones ingenerat; *Abjiciatur avaritia, & non erit in hæreditate contentio.* Ubi avaritia cor occupat, ab eo charitatem & pacem fugat. *Non diliget proximum, qui diligit aurum.* Pecuniæ amans oſor eſt fratris: *Hinc inimicitiæ, hinc pugnæ, hinc contentiones, hinc bella, hinc ſuſpiciones, hinc convitia, hinc cædes ac ſacrilegia; hinc*

ra-

naturæ leges ſubverſa & cognationis jura ſubverſa. Natura hominem ad amorem hominis ſibi ſimilis allicit; jus cognationis vult ut ſervetur propinquorum bonum; pietas filios ſtimulat ut progenitoribus honorem deferant, Chryſol. Ser. 29
præbeant auxilium. Ah prô dolor! *quid auro gravius, quod cùm mores hominum perdit, perdit & naturam?* Avarus non amore, ſed odio proſequitur hominem ſibi ſimilem, frater fratris uſurpat injuſte patrimonium, filius patri in- Chryſol. Ser. 162
digenti denegat ſolatium, *Avaritia parentes negat, germanos dividit; ſeparat ſocios; amicitiam ſolvit, excludit affectum.* Quod & experientiâ comprobatur, & conſtat exemplo adoleſcentis illius Chriſtum ſic alloquentis: *Magiſter, dic* Ibid.
fratri meo ut dividat mecum hæreditatem meam. Ubi Chryſologus: *Hæreditas mundana antè poſteris infert jurgia, quam confert cenſum: antequam dividat facultates, dividit hæredes: antequam debitas tradat ſingulis portiones, ſucceſſores ipſos diſſecat, & mittit in partes: proinde non eſt hæreditas iſta, ſed pugna.*

Eſau & Jacob in utero matris pro primogeniti jure pugnabant, & hodie inter fratres, ſpes patrimonii parit diſſidium. Quod ſi exoptata & non obtenta hæreditas jurgia parit, mirum non eſt, ſi parentibus fato functis excitantur lites, conficiuntur falſitates, perpetrantur fraudes, ut quis fratrem
hæreditate & patrimonio fruſtret. Injuſtam illam & crudelem lucri cupi- Ser. de Juſt.
ditem pulchre exaggerat Zeno Veronenſis. *Inde fraus, perjurium, lites, ac bella: quotidie mugitibus alienis quæritur lucrum; & præſcriptio induſtria vocitatur; & appetitio rei alienæ ſub prætextu propriæ defenſionis ac diligentia calidiſſimis argumentis urgetur; ut quis indefenſus aut innocens, quod habeat legibus perdat: quod eſt omni violentia deterius, quia illud quod vi rapitur, nonnunquam repeti poteſt, quod legum circumſcriptionibus, non poteſt.* Loquitur de litigioſis, qui fratribus imperitis & jus ſuum tueri neſcientibus, lites intentant; eorumque bonum litigando uſurpant, impune, non coram Deo, ſed tantum coram hominibus: quia litium fœlicem habuerunt ſucceſſum; vel ob fraudem & animi calliditatem; vel ob injuſtitiam & corruptionem judicum; vel ob perjuria ab ipſis facta; vel ob donationes falſas productas, à notariis timore aut lucro fabricatas. In injuſtos illos & fraudulentos patrimoniorum uſurpato-
res ore Caſſiodori inſurgit Athalaricus rex. *Donationes nullus terror extor-* L. 9 Var. ep. 18
queat: nullus acquirere per fraudem concupiſcat: ſola enim honeſtas merito capit lucrum de legibus. Satis ni fallor demonſtrata eſt ſævitia fratris avari in germanos, modo eſt oſtendenda crudelitas filiorum in parentes.

2. Solatium animarum quæ torquentur in purgatorio adeo eſt rationi
conforme, ut anima eis naturaliter exoptet refrigerium. *Mortuo refrigerium* Tert. l. de
comprecaris, & ut bene requieſcat, cupis. Nec ratio tantum: ſed fides adhuc de- Teſt. an. 4
functis ſubveniendum docet; & hoc religioſum auxilium à tempore Apoſtolorum uſque ad præſens ſæculum fuit præſtitum, vel patri, vel matri, vel uxori, vel filio. *Enimvero pro anima ejus orat, & refrigerium interim expoſtulat* Tert. l. de Exh. caſt.
ei, & offert annuis dormitionis ejus. Fundebant Fideles lachrymas, vacabant o- 11

ratio-

D.Chryſoſt.ho. 41 in 1.Cor. L.de,Pud. 11 Tert.l.de Exh. caſt. 11 Tert.l.de Reſur.1

rationibus,largiebantur eleemoſynas, ſacroſanctum Miſſæ offerebant ſacrificium,non tantùm die ſepulturæ,ſed ſingulis annis,*juvatur mortuus precibus,ſupplicationibus & eleemoſynis.* Solus avarus nullum parentibus fato functis præbet ſolatium,quem merito nuncupat Tertullianus *impium patris heredem*:quia pietatem patri in ſua neceſſitate denegat. *Oblationes pro defunctis facimus*,& impius ille filius pro defuncto parente, neque unam offert Miſſam:Gentiles *defunctis parentant,& quidem impenſiſſimo officio,pro moribus eorum,pro temporibus eſculentorum.* Impius filius neque pro ſolatio patris unum pauperibus largitur denarium; magnas inſumit divitias in alea,in luxu veſtium, in conviviis, & de tot & tantis bonis à parente mutuatis, neque decem aſſes præbet Sacerdoti ut pro patre Miſſæ offerat ſacrificium.

L. de Reſ. 1

Ridet Ethnicos Tertullianus, qui eodem die quo parentibus defunctis magnifica offerebant convivia,eorum corpora cremabant: *An ego magis ridebo vulgus? Tunc quoque cum ipſos defunctos atrociſſime exurit, quos poſtmodum guloſiſſime nutrit,iiſdem ignibus & promerens & offendens. O pietatem de crudelitate ludentem! ſacrificat an inſultat? cum crematis cremat.* Non ridendi ſed abhorrendi filii qui parentibus defunctis debitum non reddunt auxilium, qui eorum non cremant corpora, ſed animas intolerabili igne cremari ſinunt. Magna fuit ſane Gentilium erga corpora Chriſtianorum crudelitas, qui *ipſis Bacchanalium furiis,nec mortuis parcunt Chriſtianis; quin illos de requie ſepulturæ,de aſylo quodam mortis: jam alios jam nec totos avellant,diſſecent,diſtrahant.* Gentilibus crudeliores Chriſtiani, qui valentes parentum animas liberare à purgatorii pœnis,eas in tenebroſo illo carcere Deo privatas & igne cruciatas derelinquunt. Avaritia quæ eos efficit inhumanos in parentes, reddit eos adhuc crudeles in filios.

Tert.Apol.37

Tert.l.2 ad Nat. 12 apol.8

3.Saturni crudelitatem in filios ſuos,nullus non Poeta canit: *itaque filios virili ſexu devorabat.* Ejus inhumanitatem in alienos refert Tertullianus: *Cum propriis filiis Saturnus non pepercit,extraneis utique non parcendo perſeverabat: quos quidem ipſi parentes ſui offerebant,& libentes reſpondebant, & infantibus blandiebantur,ne lachrymantes immolarentur.* Adeo cruenta ſuperſtitio in Africa viguit uſque ad Tiberii proconſulatum, qui ſacerdotes hujus feritatis miniſtros damnavit cruci: *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam; uſque ad proconſulatum Tiberii, qui ipſos ſacerdotes in eiſdem arboribus templi ſui obumbraticibus ſcelerum, votivis crucibus expoſuit.* Lubet modo exclamare cum Tertulliano; *Sed & nunc perſeverat hoc ſacrum facinus!* Plures namque inhumani parentes votivis crucibus exponunt filios, quos ſtatim ac nati ſunt,devovent ſtatui vel Eccleſiaſtico vel Regulari. Crudeles illi progenitores hoc idem agunt his temporibus, quod Gentiles aliàs agebant,de quibus ſic fatur Tertullianus: *Prima conſtitutio infantis ſuper terram, Statinæ deæ ſacrum eſt. Quis non exinde aut totum filii caput reatui vovet, aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula proſecat, aut ſacrificio obli-*

Tertull.

L.de An. 39

obligat, aut ſacro obſignat, pro avita, pro publica aut privata devotione? Nonne hoc idem agunt hac ætate ſævi parentes, qui filios natu minores abſque ulla vocatione ad ſtatum Eccleſiaſticum promovent, qui ad ſumendum habitum Regularem filias cogunt, & hoc avaritiæ cauſa ut primogenitos ditent?

Exprobrat Ethnicis Tertullianus quod ignobiliora quæque ſacrificarent diis: *Non dico quales ſitis in ſacrificando, cùm enecta & tabidioſa, & ſcabioſa quæque mactatis.* (Apol. 14) Id ipſum exprobrari poſſet inhumanis illis parentibus, qui Religioni vovent, Deoque offerunt pueros non ingenio pollentes, ſed imperitos: qui occludunt in Monaſterio velut in carcere, puellas non formoſas, ſed difformes, gibboſas, claudicantes, altero lumine orbes: & ita avari illi progenitores ſimul & ſemel ſunt impii & crudeles. Impii, offerentes Deo viliora familiæ: crudeles, cogentes natos & natas ingredi Religionem. Impii, prophanantes ſtatum ſanctitatis: cùm enim votum debeat neceſſario eſſe liberum, filii & filiæ eorum nullum votum emittunt, ſed per coactionem voce tenùs, non voluntate vovent, etſi Religionis deferant habitum, nequaquam ſunt Regulares. Crudeles, quia prolem ſuam duplici morti, civili & ſpiritali conſecrant. *Quoniam de infanticidio nihil intereſt, ſacro an arbitrio perpetretur.* (Tert. Apol. 8) Nihil intereſt an infantes cruento impendantur ſacrificio, an pro arbitrio faſtidioque parentum vitæ morte pejori exponantur. Qui ſunt hujuſmodi, ſunt *non parentes ſed peremptores: filios ſe diligere dicunt, quos jugulare procurant: dicunt eos amare, quibus ſuſpendia parant.* (D. Auguſt.) Nam infœlices iſtæ puellæ Religionem per vim ingreſſæ, ſæculo ſemper inhiant; ſortem ſuam ſemper accuſant: in parentes, in ſtatum, in ſemetipſas, crebras maledictiones vibrãt: & poſt longum abſque merito martyrium, deſperabundæ animam efflant, & ita ſævi illi & avari parentes *immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis.* (Pſal.) Sunt namque cauſa & miſeriæ quam in Clauſtro ſuſtinent, & damnationis quam patientur in inferno. Neque ſunt imagines Dei à quo omnis paternitas nominatur, ſed dæmonis miniſtri. *Diaboli miniſter eſt, qui criminoſus ruina puerorum auctor eſt.* (Pet. Dam.) Nec recogitant ferocientes illi parentes, quod avaritia quæ eos efficit crudeles in ſuos, reddit adhuc inhumanos in ſemetipſos.

II. PARS

Bellè *auri amor ſævus hoſtis* à Chryſologo nuncupatur. (Serm. 30) *Idem homicida eſt,* quia ad cædes ſemper anhelat. *Video ferrum ex eisdem tenebris eſſe prolatum, quibus aurum & argentum, ne aut inſtrumentum in cædes mutuas deeſſet, aut pretium.* (Tert. l. de Idol. 1; Senec. l. 7 de Benef.) Inter res etiam ab impio Acham furatas inventus eſt gladius: *Vidi inter ſpolia pallium coccineum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream.* (Joſue 6) Mafius legit, *gladiolumque aureum*: quia, ut ait Zeno Veronenſis, *cùm quis quærit aurum, invenit gladium.* (Serm 20) Aurum crudelem reddit avarum, eique præbet gladiũ, quo cædes attentet. *Quæris quem occiderit? Non extraneum, non inimicum, ſed ipſum ſe.* (Tertull.) Avarus conſiderari poteſt vel in vita, vel in morte, vel poſt mortem; & ubique auro velut gladio transfoditur. Nam 1. vivit anxius: 2. moritur impœnitens & reus: 3. torquetur in inferno damnatus.

Chryſol. ſer. 12
Sen. lib. de Conſol. ad Pol b. : 8
L. 1 de vi. Contemp.
Ser. 10 in Pſ. *Qui habitat.*
Chryſol. 22
Tert. l. de Pat. 7
L. 1. de Cain. & Abel 5
Pet. Bleſ. ep. 14
Senec. Ep. 22
Senec. de Paupert.
Senec. Ep. 78
D. Hier in c. 13. Matt.
Chryſol. Ser. 22
L. de Cóſ. ad Polib. c. 28
D. Aug. in Pſal. 67
Senec.
Senec Ep. 98
L. de Noe & Arca 14
Senec.
Chryſol. ſer. 28
Tert. l. de Pœn 2

1. Avarus *pœnâ dives eſt, non cenſu:* lætus vivere videtur, ſed miſere vivit. *Ejus vita ſupplicium eſt*, & ob hanc cauſam D. Proſper fugiendas vult divitias. *Unde fugiendæ ſunt divitiæ, quas qui habent ſine labore non quærunt, ſine cura non ſervant, ſine dolore non perdunt.* Divitias in triplici ſtatu conſiderat, dum quæruntur, dum poſſidentur, dum amittuntur. Quæruntur cum periculo & labore: poſſidentur cum anxietate & timore: amittuntur cum triſtitia & dolore. Quàm verè D. Bernardus ait: *Infœlicitas in cupiditate !* Avarus ut comparet divitias, ſibi facit *pervigiles noctes, dies anxios, ſollicita tempora.* Homo qui ditari exoptat, numquam requieſcit, nulli labori parcit, ſe omni periculo exponit. Sunt namque *lucri quæſtuoſa pericula*; quia ut ait Divus Ambroſius, *avaritia elementa concutit, mare ſulcat, terram effodit, cœlum votis fatigat: nec ſereno grata, nec nubilo, condemnat proventus annuos, fœtusque terrarum arguit.* Eadem patitur avarus pro auro congregando, ac Divus Paulus pro acquirendo cœlo. *In vigiliis multis, in periculis magnis, periculis maris, periculis fluminum*, periculis ſupra terram, periculis ubique. Addit Petrus Bleſenſis: *Gloriam martyrii mererentur ſi hac pro Chriſti nomine ſuſtinerent, nunc autem ſunt Martyres ſæculi.* Pro Chriſto cruciantur Martyres Chriſti, ſæculi martyres avari cruciantur & deſiderando aurum & poſſidendo aurum: *Iſta quæ urunt, quæ excruciant, optantibus data ſunt:* acquiſitæ namque divitiæ faſtidium pariunt. *Parvo fames conſtat, magno faſtidium*; & ita divitiæ *jam odioſa, ipſa ſatietate* antequam habeantur, ſui deſiderium accendunt; ſtatim ac comparatæ ſunt ſui faſtidium ingenerant. *Blandæ ſunt divitiæ aliud agentes, & aliud pollicentes*, tranquillitatem & quietem afferunt, & ſollicitudinem & anxietatem afferunt. *Auri cuſtos, ſervator argenti, ſecuritatem non habet, neſcit quietem, & cui deeſt ſecuritas, quies perit:* quia, ut ait Philoſophus Moralis: *Ipſa magna fœlicitatis tutela ſollicita eſt*: à timore namque haud ſeparari poteſt: quapropter avari *nec omnino requieſcunt deſiderando ut acquirant: nec metuendo ne amittant.* Quia lubricæ & incertæ ſunt divitiæ, *& numquam bene tenentur*: & avari animus continua anxietate agitatur, *in quo eſt timor amittendæ rei, & dolor amiſſæ*: & ob hanc cauſam, ut animadvertit D. Ambroſius, homines diluvio punivit Deus verno tempore; quo majores ſpectabantur terræ fructus, ut majori eos affligeret dolore: *Tunc ergo fecit diluvium, quando dolor eorum major foret, qui in ſua abundantia puniebantur.* Divitiæ *plus minantur quàm proſunt*; nam minantur laborem, timorem, dolorem & mortem. Laborem dum acquiruntur; timorem dum poſſidentur; dolorem dum amittuntur: tandem mortem: ſunt etenim *turpiter acquiſita non ad uſum vitæ; ſed ad mortis uſuram.* Divitiarum uſura eſt mors avari, qui moritur reus & impœnitens.

2. *At cùm Deus juſtitiæ chariſſimæ ſibi exigendæ tuendæque præſideat, & in eam omnem ſummam diſciplinæ ſuæ ſanciat; dubitandum eſt, ut ſicut in univerſis actibus noſtris, ita in pœnitentiæ quoque cauſa juſtitiam Deo præſtandam eſſe?* Ut pœnitentia vera ſit, Deoque grata, duplex præſtanda eſt juſtitia: Una

Deo,cui pro commiſſis peccatis ſatisfaciendum eſt: & licet orationes, eleemoſynæ & jejunia (ad quæ opera pœnalia reducuntur) Deo non ſatisfaciant ex æquo & ex rigore pro offenſis ei illatis;ea tamen pro ſua miſericordia,à peccatore pœnitente,acceptat Deus: *Habes cui ſatisfacias & quidem volentem.* Al e a juſtitia præſtanda eſt homini,cui bona injuſte uſurpata vel detenta reſtituere tenetur uſurpator,ſeu detentor: nam ut fatur Sapiens juxta translationem Septuaginta: *initium viæ bonæ facere juſta.* Quem locum optime ad propoſitum expendit Guerricus Abbas: *Quid eſt juſta facere niſi de nobis ipſis quod Deo debemus exigere,& quod rapuimus exolvere? Hæc eſt juſtitia quæ ante Dominum ambulat,viamque ei placitam parat,ſicut ſcriptum eſt.Juſtitia ante eum ambulabit,& ponet in via greſſus ſuos.* Juſtitia,quæ reſtituit alienum bonum,Deo gratiſſima eſt,& ad ſanctitatem viam ſternit : & ſicut Joannes nuncupatur Chriſti Præcurſor,quia Chriſtum præcucurrit, demonſtravit, eique viam paravit: ſic juſtitia,quâ alienum exolvitur,Chriſto viam parat in pœnitentia. Quapropter injuſtum alieni detentorem ſic hortatur Laurentius Novarienſi : *Noli tu jam quærere neque Joannem,neque Jordanem: ipſe tibi eſto Baptiſta* : nam reſtituendo,viam Domino, ut Præcurſor Joannes, parabis,& inſuper temetipſum,(ut Baptiſt) per veram pœnitentiam mundabis. Qui reſtituendo debitam proximo ſervant juſtitiam , beati prædicantur : *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.* Quam Juſtitiam? reſpondet Chryſoſtomus. *Speciem illam juſtitiæ quæ ex adverſo avaritiæ collocatur : & conſidera quanta idipſum exaggeratione cumulaverit: non enim dixit, Beati qui juſtitiam ſervant,ſed beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: ut non utique mediocriter; ſed cum omni illam cupiditate teneamus : quia enim hoc eſt avaritiæ proprium,neque ſic cibum deſideramus ac potum,ut poſſidere latius, concupiſcentiam iſtam quæ habendi amore flagrat,jubet in meliora converti:* Concupiſcentia compenſanda eſt alia concupiſcentia,avaritiæ concupiſcentia , concupiſcentia juſtitiæ. Avarus plus divitias quàm cibum & potum exoptat : Chriſtianus juſtitiæ magis quàm cibi & potus,avidus eſſe debet. Hanc juſtitiam ſitit ſerio recogitans: 1. *Jus gentium,præ ſe ferens,redde quod debes.* 2.ad id præſtandum lex etiam naturæ ſtimulat. *Sicut vultis vobis fieri ab hominibus,ita & vos facite illis : in iſto præcepto utique alia ejus pars ſubauditur,& ſicut vobis non vultis fieri ab hominibus,ita & vos ne faciatis illis.* Homo qui bonum ſuum uſurpari aut detineri non vult , neque uſurpare neque detinere debet alienum. Homo qui bonum ſibi injuſte uſurpatum ac detentum reſtitui deſiderat, alienum à ſe detentum reſtituere tenetur. Hæc duplex juſtitiæ & legis naturalis regula eſt: 3. adhuc divino præcepto auctorata. In Decalogo namque *apertè poſitum eſt,Fraudem non facies.* Neque ſolum qui rapit alienum, ſed etiam qui alienum non reſtituit, fraudem facit : *Fraudis conditio ea eſt, ſi quis alienum rapiat : aut alii debitum deneget.* Adeo ſceleroſa , Deoque odioſa eſt fraus , quæ alienum injuſtè rapit & injuſte detinet , ut ob tale crimen perſæpe defraudantes puniat Deus, Sic *Ammonitas & Moabitas* pro-

Tert. l. de Pœn 8

Prov. 16

Ser. 5. de Adv.

Hom. de Pœn.

Matth. 5.

Hom. 15. in Matth.

Sen. l. 3. de Benef. 14

Tert. l. 4 adv. Marc. 16.

Tert. l. de Spect 7

Tert. l. de Idol. 1

Tert. li. 4. adv. Marc. 24

prohibetrecipi in Eccleſiam, quod populum Ægypto profectum, inhumanè & inhoſpitaliter copiis defraudaſſent. Neque defraudantes tantum, ſed & eorum hæredes, pœna Deus mulctat: quare Marcionem Deo juſtitiam denegantem
L.4.adv. Marc.10 ſic arguit Tertullianus. *Quis Deus, quomodo tu eximens iniquitates, & prateriens injuſtitias, reſiduis hareditatis tua.* Dei profectò vindictam metuere debent injuſti rei alienæ uſurpatores, qui retinent operatiorum mercedem; opificibus, artificibus retributionem non præſtant; merces à mercatoribus mutuatas non ſolvunt, & multo alieno ære onuſti aut debitum negant, aut ſolutionem negligunt, aut cunctanter procraſtinant, in magnum creditorum damnum. Qui ſunt hujuſmodi, de ſalute periclitantur: nam *cùm conſervare juſtitiam ſit de neceſsitate ſalutis: conſequens eſt, quòd reſtituere id, quod injuſte ablatum eſt alicui ſit de neceſsitate ſalutis.* Duplici neceſſitate quis ad reſtitutionem tenetur: neceſſitate præcepti, ut imperanti Deo obſequatur: nam *qui imponit præceptum extorquet obſequium.* Neceſſitate medii, ut in pœnitentiæ ſacramento valeat recipere gratiam ad ſalutem neceſſariam: nam *ſatisfactio confeſsione diſponitur, confeſsio pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur.*

D.Th.2.2 q 62, art 2 — Tert. Scorp.4 — Tert.lib. de Pœn. 9

Tot modis neceſſariam reſtitutionem non facit avarus, nec Deo obtemperans, nec gratiam ſibi in Sacramento comparans, quia etſi pœnitere videatur, ejus *pœnitentia neceſſario vana, quia caret fructu ſuo.* Duplex eſt pœnitentiæ fructus, ſcilicet peccati actualis remiſſio, & ſanctificantis gratiæ collatio. Avarus neque obtinet peccati remiſſionem, neque gratiæ infuſionem: non ex defectu Sacramenti, quod utrumque præſtat effectum pœnitenti peccatori aptè diſpoſito, ſed ex defectu avari aliena injuſte detinentis, nec reſtituere volentis. Pœnitentiæ Sacramentum tria ex parte pœnitentis deſiderat: Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem. Si ex his tribus deficiat unum, pœnitentia vana eſt. Quod Vincentius Ferrerius probat ex Chriſto aſſeverante: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*; quia deeſt illi tertium Domine, ad pœnitentiæ validitatem. Trinum requiritur Domine; primum, in corde per contritionem: ſecundum, in ore per confeſſionem: tertium, in opere per ſatisfactionem. Avarus alienum injuſte detinens non vere pœnitet, quia trinum illud non habet Domine; quia licet de peccatis doleat, peccata confiteatur, idem illi accidit ac tyranno cuidam, qui ut S. Vincentius fatur, *dicebat: Domine, Domine, ſed non poterat dicere tertium Domine, ſcilicet ſatisfaciens.* Tyrannus ille dixit primum Domine, quia doluit de peccatis; dixit ſecundum Domine, quia confeſſus eſt peccata: ſed quia tertium non dixit Domine, uſurpata & injuſte detenta reſtituens, damnatus eſt. *Si veraciter agitur pœnitentia, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Non vult dicere Auguſtinus, quòd vera & integra pœnitentia non dimittat peccata, ſed quod fucata pœnitentia (quæ vera hominibus apparet ob lachrymarum effuſionem, & delictorum confeſſionem) peccata non dimittat, quia eſt vera tantum coram hominibus, ſed non coram Deo, ex defectu ſcilicet reſtitutionis.

Tert.lib. de Pœn.2. — Matth.7 — Ser 3. Do. 4.part. Trin. — Ep 54. ad Macedon.

Nam

Nam quantumvis doleat, & confiteatur peccator, ſi tamen non reſtituit dum poteſt, pœnitentia ejus vana, & fallax eſt. Dixi, dum poteſt, quia ſola impoſſibilitas excuſat à reſtitutione, quæ per pauperiem non tollitur, ſed ſuſpenditur. Obligatio namque reſtituendi reviviſcit in eo, qui juſtè ſibi poſteà comparat facultates: qui verò facultatem habet reſtituendi, tenetur ad reſtitutionem: & licèt confeſſarius vel ignarus, vel ſceleroſus, vel mercenarius, vel formidoloſus, abſolvat reſtituere nolentem, pœnitentia vana adhuc eſt. Sacerdos ſcientiâ præditus, & virtutis ſtudioſus, numquam impertietur abſolutionem *tam infidæ pœnitentiæ viro.* Qualis cæcitas! qualis avarorum perverſitas, *qui pœnitentiæ fidem aggreſſi, ſuper arenas domum ruituram collocant.* Credunt pœnitendum eſſe, verè tamen non pœnitent: ſciunt reſtitutionem neceſſariam ad ſalutem, & aliena injuſtè detenta non reſtituunt, captantque prætextus, ut à reſtitutione ſe eximant. *Quàm ſapiens argumentatrix ſibi videtur ignorantia humana, præſertim cùm aliquid ejuſmodi de gaudiis & fructibus ſæculi metuit amittere!* Tert. l. de pœn. 6. Tert. Tert. l. ad Scap. 4.

Plures hujus perverſitatis cauſæ ſunt, quæ avarum morti jam proximum impediunt ne reſtituat: 1. Inordinatus divitiarum amor; avari namque *rem pecuniarum animæ anteponunt.* Dives itaque Evangelicus damnatus fuit, *non ſolùm propter divitiarum poſſeſſionem, ſed propter earum dilectionem*: 2. Unio & inviſceratio proprii & alieni: etenim *nemo alienis ſua adjungit, ut ab alienis ſeparare poſſit.* Commixta, & in unam maſſam confuſa metalla ignis virtute ſeparantur, adulterinæ divitiæ ita miſcentur cum legitimis, ut eas nulla elementa valeant ſeparare: avaritia quæ producit diviſionem inter homines, inſeparabiliter unit, & annectit divitias injuſtè comparatas, cum eis quæ legitimè acquiſitæ ſunt: 3. Superbia, nam in dignitate conſtitutus, non vult officium relinquere; conviviis aſſuetus non vult frugalius epulari; mulier luxui dedita non vult indui modeſtius; timet ne aliis ſit deſpectui, & ludibrio. Hujuſmodi mulieres ſuperbæ aiunt: *Scandalizamur, quia aliter aliæ incedunt.* 4. Apprehenſio neceſſitatis, timor paupertatis. *Sed & nunc habes dicta Domini, & exempla adimentia tibi omnem cauſationem. Quid enim dicis? Egebo: ſed felices egenos Dominus appellat. Victum non habebo: ſed, Nolite, inquit, cogitare de victu, & veſtitu: habemus exemplum lilia: Subſtantia mihi opus erat: atquin omnia vendenda ſunt, & egentibus dividenda. Sed filiis, & poſteritati providendum: ſed parentes, conjuges, liberi propter Deum relinquendi ſunt.* Liberorum amor eſt præcipuum reſtitutionis impedimentum: verùm terrena filiorum felicitas, nec ſaluti, nec Deo eſt præferenda; *Nam & Abraham non tentandæ fidei gratia ſacrificare de filio juſſerat, ſed probandæ; ut per eum faceret exemplum præcepto ſuo quo mox præcepturus erat, neq; pignora Deo chariora habenda.* 5. Dæmon, qui totis contendit viribus, ne avarus ab avaritiæ liberetur captivitate: *Sed enim pervicaciſſimus hoſtis ille numquam malitiæ ſuæ otium facit. Itaque obſervat, oppugnat, obſidet, ſi qua poſſit animum illecebris ſecularibus irretire.* Nec facilè diaboli retia rumpit avarus: *Quid ra-*

Tert. l. de pat. 7. D. Bon. in c. 16. Luc. Tert. l. 4 adv. Marc. 11 Tert. l. de vel. Virg 3 Tert l. de idol. 12 Tert. l. de orat. 8. Tert. l. de pœn. 7.

S. Aug. in pſ. 61. *pias vides, quò rapiaris non vides. Præda illa quã vis rapere, in muſcipula eſt: tenes & teneris* Hos dæmonis laqueos, *ſicut vincere virtutis eſt, ita evaſiſſe felicitatis.* Præſertim in articulo mortis. Tunc enim omnes conatus adhibet dæmon ut avari impediat reſtitutionem. Quare in energumeno virtute exorciſmi coactus dicere quis eſſet; reſpondit: Ego vocor claudens cor, collega meus claudens os: tertius claudens burſam dicitur, qui id agit, ne confeſſus injuſtè detenta reſtituat, & hic multos nobis acquirit. 6. Cauſa eſt error & deceptio: exiſtimat enim avarus injuſtus alieni uſurpator à reſtitutione liberari, & ſufficienter ſatisfeciſſe, modò aliquam largiatur pauperibus eleemoſynam, Xenodochio, vel Eccleſiæ faciat donum.

S. Chryſ. ſol. ſer. 29

Tert. l. 4. adv. Marc. 37

Quem ſuo exemplo condemnat Zacchæus, *hoc cùm maximè promittebat, in omnia miſericordiæ opera, dimidium ſubſtantiæ offerens; diſſolvens violentiorum contractuum obnexus, & dimittens conflictatos in laxamentum: & omnem circumſcriptionem iniquã diſſipans, dicendo: & ſi cui per calumniã eripui, quadruplũ reddo.* Duo bonorum genera habebat Zacchæus: alia legitima, ut patrimonium: alia illegitima, ut lucrum in telonio comparatum. Illorum pauperibus largitur dimidiam partem: iſta abundè reſtituit, eis namque quos defraudavit, quadruplum reddit. Sua pauperibus largiens Zacchæus miſericors apparet; aliena reſtituens juſtus comprobatur. Hac tempeſtate *multi homines miſericordes vocantur; virum autem fidelẽ quis inveniet?* Multos paſſim reperire licet, qui miſericordiæ, & beneficentiæ laudem & nomen ferant, qui de ſuis bonis in alios liberaliter effundant, difficiliter tamen invenitur aliquis, qui juſtitiam ſervans, vel aliena non invadat, vel apud ſe injuſtè non retineat, nec attendit *quòd majus eſt reſtituere, quàm dare*: Alieni boni largitatem ut judaicam, & diabolicam rejicit Dominus. *Quicumq; animæ hominis pretium capientes beneficium poſteà ex eadem confertis, judaica hujuſmodi eleemoſyna eſt, imò diabolica. Sunt enim etiam nunc, qui alienis direptis excuſatos ſe à toto crimine putant, ſi aliquam partem pauperibus dederint. De quibus ait Propheta: Altare meum lachrymis operiebatis: Non vult certè Chriſtus rapinâ nutriri: ingratiſſima hæc ſibi ſunt alimenta. Quid ita tu Dominum contemnis, ut res immundas offerre audeas? meliùs eſt committere ut inedia tabeſcat, quàm hujuſmodi alimentis eum ſuſtentare.* Pecuniam injuſtè acquiſitam immundam vocat, & illius largitionem, judaicam, & diabolicam nuncupat. Hâc eleemoſynâ contemnitur Chriſtus, qui mavult inedia tabeſcere, quàm rapinâ nutriri.

Prov. 20

Tert. l. de pœn. 7.

S. Chryſ. 18. in Matth.

Utinam avarus imitaretur Tobiam, qui cùm in domo vocem hœdi balantis audiſſet, dixit domeſticis: *Videte ne furtivus ſit, reddite eum dominis ſuis: quia non licet nobis aut edere aliquid de furto, aut contingere.* Suas quiſque conſcientiæ diſcutiat latebras, ne fortè quid furtivum ſit: domus ſuæ perquirat angulos, an non hœdum aliquem balantem audiat; an non fundus agri de profundis mugiat: an non pars panni alteriusve mercis ex officina balet, an non aurum & argentum pupillis, viduis, & orphanis ſubſtractum ex arca vocem ſanguinis emittat. Hoc ſi ita eſt, unum è duobus eligat, aut reſtitutionem, aut damnationem; nam *nemo habet injuſtum lucrũ ſine juſto damno.*

Tob. 2.

damno. Ubi lucrum, ibi damnum: lucrum in arca, damnum in conſcientia. Quis non lucrum injuſtum reſtituat, ne perdat conſcientiam? *Quacumq; neceſſitas minor eſt periculo tanto.* Avarus tamen tantum non timet periculum; nam aliena injuſtè uſurpata non reſtituit, & ita moritur impœnitens & reus, & poſt mortem torquetur in inferno damnatus. S. Aug. ſer. 215. de temp. Tert. l. de idol. 24

3. *Nec major ad pecuniæ contemptum exhortatio ſubjacet: quàm quod ipſe Dominus in nullis divitiis invenitur: ſemper pauperes juſtificat, divites prædamnat.* Triplici ratione divitiarum contemptum, & paupertatis amorem ſuadere nititur Tertull. 1. Exemplo Chriſti, qui *pauper efficitur ut divites refrænet.* 2. Quia pauperes beantur à Chriſto, quia ſicut divitiæ ſunt lenocinia vitiorum, ita paupertas eſt virtutum matrix. *Virtutibus cognata paupertas, paupertas virtutum parens.* 3. Quia avari divites etiam ex hac vita prædamnantur, & in numero præſcitorum collocantur. *In Evangeliò quoq; damnat, & prædamnat divites ſæculi, dicens: Væ vobis divitibus.* Ex Cyrillo autem Alex. *Væ ſemper in Scripturis dicitur iis, qui non poſſunt evadere à futuro ſupplicio*, quia divitiis abutentes, æterna maledictione puniuntur. Sic dives avarus *majus ſupplicii viaticum, divitias habet.* Tert. l. de pat. 7. Heſich. hom. 1. de Deip. Chryſol. ſer. 28. S. Paulin. ep. ad Mil. In c. 6. Luc S. Chryſoſto ho. 19. in 1. Cor.

Errant ſanè, qui divites fortunatos vocitant. Hos eleganter redarguit Minutius Felix: *Niſi fortè nos decipit, quòd Deum neſcientes divitiis affluant, honoribus floreant, polleant poteſtatibus: miſeri in hoc altius attolluntur, ut decidant altius. Hi enim ut victimæ ad ſupplicium ſaginantur, ut hoſtiæ ad pœnam coronantur.* Quænam, quæſo, major pœna, quàm Dei animadverſione puniri? *Puto jam alibi ſatis commendaſſe nos, divitiarum gloriam damnari à Deo noſtro: ipſos detrahens de ſolio dynaſtas.* Neque tantùm de ſolio perſæpè detrahuntur avari, ſed inſuper ad tartara detruduntur. *Aurum cæleſtes animos ad inferna deponit.* Diogenes nuncupat divitias *fortunæ vomitum*; eas aptius quis appellabit avari vomitum, quia ut fatur patientiæ exemplar, *divitias quas devoravit evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus*, & ſic miſer *cum perditis perit*; nam & perdit divitias, & pœnis inferni in æternum puniendus mancipatur. *Agite nunc divites in miſeriis, quæ advenient vobis:* divitiæ quas tanto cum labore cumulaſtis, nihil vobis proderunt, *nihil proderunt theſauri impietatis*; alienis eas relinqueris, & nihil vobis remanebit præter peccata, *quibus theſauriſaſtis vobis iram in noviſſimis diebus.* In Oct. Tert. l. 4. adv. Marc. 28. Chryſol. ſerm. 29 Job. 20 Tert. l. de pat. 7. Jacob. 5. Prov. 10 Jacob.

CONCIO SEXTA.

S*umma offenſa penes Deum idololatria eſt.* Tam infenſa eſt Deo idololatria, ut etiam Deus averſetur nomen ejus. *Idololatria inimicum Dei nomen.* Duplici autem potiſſimùm ratione idololatria Deum offendit; tum quia eum defraudat debitum denegans cultum: tum quia ei contume- Tert. l. de Spect. 2 Tert. l. de idol. 2

Tert.l.de idol.1. Tert. liam irrogat, divinos idolis deferens honores. *Idololatria fraudem Deo facit, honores illi ſuos denegans, & conferens aliis: ut fraudi etiam contumeliam conjungat.* In quovis facinore idololatria reperitur; nam *cùm univerſa delicta adverſus Deum ſapiant, ſine dubio idololatriā admittit quicunq; delinquit*, quia quilibet peccator lethaliter peccans in creatura conſtituit ſuum ultimum finē.

Coloſ. 6. l.de idol. 2. Tert. Quod ſpecialiter in avaro comprobatur: etenim *avaritia eſt ſimulacrorum ſervitus*, eò quòd ſit, ut fatur Tertull. *locuples ſubſtantia criminis*; quia peccatori ſubminiſtrat materiam & vires ad cuncta patranda crimina, in quibus idololatria invenitur. Quare nobis *præcavenda idololatriæ latitudo.* In aliis criminibus eſt quidem idololatria, ſed non idololatriæ latitudo. Superbus in ſolo honore ultimum adhibet finem, libidinoſus in venereis voluptatibus, nebulo in gula, at avarus, qui pecuniam amat, vel ut ſuperbiat, aut luxurietur, aut nepotetur, ultra pecuniam quam colit, honorem adhuc & libidinem, & ingluviem, ut numen veneratur. Quod innuere videtur Ephraim,

Oſee 12. dicens *Dives effectus ſum, inveni idolum mihi.* Hebræa lectio habet, *iniquitatem*. Chaldæus legit, *rapinam*; Vatablus, *robur*; Pagnin. *divitias*; quia ſcilicet dives avarus omnes committit rapinas; cunctas perpetrat iniquitates, habet idololatriæ latitudinem. Ut enim ait Propheta, *Repleta eſt terra argento*

Eſa. 2. *& auro, & repleta eſt terra idolis* in plurali. Idcircò neceſſe eſt ut *adverſus ido-*

Tert. *lolatriæ abundantiam præmuniamur*, nempe adverſus avaritiam quæ eſt idololatria, & adhuc idololatriæ fœcunda matrix; nam 1. propter divitias Deum contemnit: 2. divitias Deo præponit: 3. divitias religiosè colit.

I.PARS. Tert. l.de idol.2. S.Leo ſer. de S.Laur. *Caput injuſtitiæ idololatria.* Avarus idololatra idem & injuſtus; nam ad inſtar Judæ proditoris *armatur avaritia ut capiat aurum*; *impietate, ut auferat Chriſtum*: Deum ſiquidem contemnens & negans, divina mandata tranſgreditur: 2. contra Deum divinis beneficiis abutitur: 3. divinas perſonas aggreditur.

Tert. l.de idol.5. Tert. l.de idol.6 Job.15 l.12. mor. 22 1. *Si Deum obſervas, habes legem ejus.* Deum non obſervat avarus, nec ejus in condendis legibus poteſtatem agnoſcit; nam divitiis ſuis, id eſt *idolis, omnem Dei poteſtatem addixit*: De quo intelligendus eſt Propheta: *Contra omnipotentem roboratus eſt: cucurrit adverſus eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt.* Hunc locum ſic elucidat Greg. Magn. *Potens iniquus pingui cervice contra Deum armatur, quia rebus temporalibus tumens, contra præceptum veritatis, quaſi de magnitudine erigitur.* Hujus habemus exemplum in Roboam, de quo ſacer Textus ait: *Cùmque roboratum fuiſſet regnum Roboam, &*

l.2.Paral. 12. *confortatum, dereliquit legem Domini.* Statim namque ac impius ille Rex ſe conſpexit divitem, & ampliſſimis facultatibus potentem, divitiis roboratus juxta iſtud, *ſi putavi aurum robur meum*: Deum negavit, legem ejus pedi-

Job.31. bus conculcavit, falſa numina adoravit. Idipſum exequitur avarus, qui abundantiâ inflatus Deum contemnit, ejus legem deſpicit, & bonis ſuis abutitur.

Tert.l. 4. de Spect.2. 2. *Nemo negat, quia nemo ignorat, quod ultro natura ſuggerit, Deum eſſe univerſi-*

verſitatis conditorem, eamque univerſitatem tam bonam, quàm homini mancipatam. Nulla eſt in univerſo creatura, quam Deus non produxerit, & homini largitus non ſit, ut benè ea utatur ad gloriam auctoris ſectandam, & propriam procurandam ſalutem. *Aurum, æs, argentum, ebur, lignum, & quæcumq; fabricandis idolis materia captantur; quis in ſæculo poſuit niſi auctor ſæculi Deus? numquid tamen ut adverſus ipſum adorentur?* Avarus tot beneficiorum ingratus *vertens Dei gratiam in contemptum*, divinam pervertit diſpoſitionem, & in Dei deſpectum, & ſui perniciem, bonis à Deo acceptis abutitur. Tert. Pet. Bleſ.

Quadruplicem creaturarum abuſum à dæmone afflatum recenſet Tertull. vanum, turpem, injuſtum, & impium. *Dei æmulus univerſam conditionem certis uſibus homini mancipatam, cum ipſo homine corrupit; unde eam & Apoſtolus invitam ait vanitati ſuccidiſſe: Vanis primum uſibus, tum turpibus, & injuſtis, & impiis ſubverſam.* Quadruplicem illum creaturarum uſum, ſeu potius abuſum, in avaro deprehendo; 1. Vanum, nam ita ſuis eſt inflatus facultatibus, ut eas non à Deo, ſed à ſemetipſo habere judicet, dicens: *Meus eſt fluvius, ego feci memetipſum*: 2. Turpem, ſeu adulterinum, quia ad probroſa quæque patranda crimina, Dei bonis *adulterandis uſibus* abutitur: 3. Injuſtum, quia divinis beneficiis contra benefactorem pugnat: *Quid non Dei eſt quod Deum offendit?* 4. Impium, nam divitiæ, quas à divina accepit liberalitate, *pro Deo adverſus Dominum conſecrantur.* Ezech. 3 Tert. l. de Spect. 2 Tert. Tert. l. de idol. 4

3. Avarus *ſemper idololatriæ crimine reus* divinas aggreditur perſonas; nam Patri attribuitur potentia, & auctoritas: Filio ſapientia, & veritas: Spiritui ſancto amor, & liberalitas. Avarus *adverſus Deum erit dives.* Nam 1. Patris adverſatur potentiæ, & æternitati. Potentiæ, per opera namque demonſtrat, quod plus in illo poteſt nummus, quàm numen. Æternitati, quia per uſuram vendit tempus quod eſt Dei ſolius, & gratis à Deo conceſſum ad hominis uſum. 2. Sapientiæ, & veritati Filii contradicit avarus. Sapientiæ quidem, quia fugatam à mundo per diſcipulos idololatriam, mundo reſtituit; nam *avaritia eſt idolorum ſervitus.* Veritati quoque, quia mendacem facit Chriſtum. Chriſtus ait: *Inſipiens quod tu ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur?* Avarus autem ſuis uſuris aurum & argentum abſque eorum morte multiplicat. 3. Avarus tum amori, tum largitati Spiritûs S. ſeſe opponit. Amori; nam Spiritus S. nexus Patris, & Filii, exoptat homines conjungere Deo; avarus à Deo ſe ſeparat, & cor ſuum unit divitiis. Liberalitati etiam, quia Spiritus S. gratis largitur gratias; avarus verò gratias vendit, in quo multum diſcriminatur à veris Chriſtianis, qui de ſua liberalitate gloriantur. *Semper enim libentius damus illis, quibus gratis donamus: quia pro ſolo noſtro honore donamus*: Et quamvis *omne os Prophetarum Dei vocibus ſonet, nec aliud principium tam principaliter denuntiet, quàm ab omni cultura idolorum cavere*; avarus tamen divitias colit, eaſque Deo injuſtè præponit. Tert. adv Jud. 1 Tert. l. de fug in perſ. 12 Gal. 4. 1. Cor. 15 Op. imperf. Hom. 34 in Matth. Tert. Scorp. 2.

Deum id eſſe oportet, cui nihil adæquetur, ut ſummo magno: Avarus non tantùm adæquat Deo divitias, ſed etiam præponit; nam 1. divitias plus quàm II. PARS. Tert. l. 1. adv. Marc. 5.

quàm Deum exiſtimat: 2. In divitiis plùs, quàm in Deo ſperat: 3. Divitiàs plùs, quàm Deum amat.

Tert. l. adv Herm. 6. — 1. Qui lumine rationis & fidei ducuntur: *Deum nullo minorem, neq; ſubjectiorem, imò omnibus majorem, & ſublimiorem* exiſtimant: Hermogenes tamen ita cæcutientes habet mentis oculos, ut Deum materiæ ſubjiciat: Tert. lib. adv. Herm. 37. *Non tantùm comparas Deum materiæ, ſed & ſubjicis.* Duplici laborat ſtultitiâ Hermogenes; nam 1. materiam Deo comparat, cui nihil eſt comparandum. Tert. lib. adv. Herm 6. Conſtat namque *ſalvum Deo eſſe ut & ſolus ſit, & primus, & omnium auctor, & nemini comparandus.* 2. Deum materiæ ſubjicit, & ſubjiciendo negat; implicat enim ut Deus ſubjiciatur; aliàs non eſſet ſummum magnum: quare hæreticum ſic urget Tertull. Tert. l. 1 adv. Marc. 6. *Nega Deum quem credis deteriorem: nega ſummum magnum quem credis minorem.* Idem argumentum contra avarum militat, qui Deo aurum & argentum præponit, & præponendo Deum negat: quare Sapiens ne in tantum incidat crimen, ſic Deum deprecatur: Prov. 30 *Divitias ne dederis mihi: ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum.* Hoc exemplum non imitatur avarus qui Deum negat, cui præponit divitias, quas plus quàm Deum exiſtimat, & in quibus plus quàm in Deo ſperat.

lib. 4. adv. Marc. 10. — 2. Homines alios cæleſtes, alios terreſtres diſcernit Apoſtolus: Verùm ut benè animadvertit Tertull. *ſtatu ac ſpe dicit terrenos atq; cæleſtes homines*: Tert. l. 3 adv. Marc. 23. Cæleſtes ſunt, qui cæleſtia deſiderant, quæ à Deo ſperant. Unde quivis dicit cum Tertull. *Spero à Chriſto regnum Dei æternæ ac cæleſtis poſſeſſionis.* Terreni ſunt, qui in terrenis & tranſitoriis bonis ſpem ſuam collocant. Non homo cæleſtis eſt avarus, ſed terrenus, quia in ſolis divitiis ſperat, & Tert. l. de pat. 7 *terrena cæleſtibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. ſpiritū enim quem à Deo ſumpſit, ſæcularis rei gratia concutit.* Chriſtianus accepit in Baptiſmate ſpei virtutem, ut mentem & cor ad Deum erigeret: avarus ſui oſor, Dei contemptor, ſperans in divitiis, Chriſtianam abnegat diſciplinam. Baſ. Mag. or. 20 de princ. *Sicut nulli alii nos præterquam Deo ſoli cultum tribuere par eſt, ſic etiam neq; ulla in alia re ſpem noſtram conſtituere debemus, quàm in Deo.* In Deo nequaquàm ſperat avarus, ſed dumtaxat in divitiis ſuis plùs, quàm Deum amat.

Tert. Scorp 4 — 3. *Præſcribitur mihi, ne quem alium adorem præter unicum quem jubeor de omni ſubſtantia diligere.* Cùm excellentia venerationis, & bonum ſit amoris objectum, Deus qui eſt ſummum magnum & bonum, eſt in veneratione & S. Auguſt. in pſ. 77 amore præferendus cunctis rebus creatis, quia *rebus omnibus major, & melior invenitur Deus, plùs omnibus diligendus eſt.* Avarus verò plus divitias, quàm Deum amat, quas adhuc veneratur ad exemplum populi Iſraelitici, qui Tert. lib. adv. Jud. 1 *derelicto Deo idolis ſervivit, & divinitate relicta ſimulacris fuit deditus, dicente populo ad Aaron: Fac nobis deos, qui nos antecedant. Quòd cùm ex monilibus fæminarum & annulis virorum, aurum fuiſſet igne conflatum, & proceſſiſſet eis bubulum caput, huic figmento univerſus Iſrael relicto Deo honorem dederunt.* Deus ut arceret Tert. Scorp. 2 homines ab amore & cultu auri & argenti, ingeminat primum Decalogi præceptum de removenda idololatria: *Non facietis vobis deos argenteos, &*

deos

deos aureos non facietis vobis. Prohibet Deus deos aureos & argenteos, non quòd idololatra non ſit qui colit deos æneos, igneos, aut fictiles, ſed ne divitiæ idoli materiâ ſit illex ad idololatriam. Judæi, apud quos ſummo in pretio habebantur divitiæ, proclives erant ad adorandum, non figuram idoli in materia pretioſa, ſed pretioſam materiam in idoli figura: idcircò ſtatim ac viderunt vitulum aureum, haud potuerunt ſe cohibere, aſſueti adorare divitias, quin adorarent vitulum divitem, eumque ſuper omnia diligerent. *Vrgetur Aaron, & jubet inaures fœminarum in ignem: ſapiens ignis effigiem vituli diffundit, illis ſuggillans, ibi cor habentes, ubi & theſaurum.* Tert. Scorp. 4. Habebant cor in auro quod erat eorum theſaurus, totis præcordiis aureum vitulum amaverunt. Verùm tanto cum ardore, ut poſt confractum vitulum in cineres redactum, ab eisque potatum, fuerint tamen adhuc ad divitias adorandas, & amandas proni. En verum avari ſpecimen, qui divitias medullitùs diligit, & religioſiùs colit.

Nihil adeò vetat Deus ac famulatum idolorum: unde ſic fatur apud Tertull. *Ego ſum Deus tuus, non erunt tibi dii alii præter me, non facies tibi ſimulacrum eorum, quæ in cælo, & quæ in terra deorſum, & quæ in mari, infra terrã, non adorabis ea, neq; famulaberis eis.* Avarus Dei præcepta contemnens, idololatra eſt. *Niſi aliud omnino interpreteris idololatriam, quàm famulatum idolorũ colendorum.* Et quamvis ratio & fides doceant *honores non convenire divitiis,* eas avarus ut ſupremum numen veneratur; nam 1. divitiis obtemperat, 2. divitias adorat, 3. divitiis ſacrificat.

III. PARS Scorp. 2. Phil. Jud l. 1. de Monarc. Tert. ib.

1. Ad exhibitionẽ obſequii prior eſt majeſtas divinæ poteſtatis, prior eſt authoritas imperantis, quàm utilitas ſervientis. Tria ſunt potiſſimum, quæ ad obſequium Deo præſtandum inducunt. Unum, ſuprema Dei in homines authoritas: alterum, merces obtemperantibus promiſſa: tertium, pœna inobedientibus præparata. Avarus inferni pœnam haud metuens, neque cœli felicitatem curans, neque Dei majeſtatem recognoſcens, ejus dedignatur imperium, & divitiis ſubmiſsè obtemperat. *Multa jubet Chriſtus, & non facis: jubet avaritia, & facis: jubet Chriſtus ut veſtias pauperem, & non facis, jubet avaritia ut facias fraudẽ, & hoc potius facis.* Deo denegas obſequiũ, quia illũ ut Deũ non veneraris; divitiis præſtas obedientiam, quia eas veneraris, & colis.

Tert. l. de pœn. 14. S. Aug. in pſ. 96.

2. Deum exiſtimo omnibus colendum: illi etenim ut ſupremo numini, ſummus latriæ debetur cultus. Debitum ſoli Deo cultũ idolis reddit idololatres: eſt ſiquidem *idololatria omnis, circa omne idolum famulatus & ſervitus*: Idololatra avarus cultũ Deo denegans, & præſtans divitiis. Quomodo autem divitias veneretur avarus, bellè explicat Chryſoſt. *Sicut idololatræ venerantur idola, nec ea præ reverentia tangere audent: ita avarus pecunias quaſi idolum veneratur, nec eas contingere audet: ſed inani tantum aſpectu earum delectatur.* Avari cultum aliter expendit S. Anſelmus, animadvertens, quòd duplici modo committitur idololatria. Uno, quando cultus ſoli Deo debitus redditur creaturæ; altero, quando creatura creatori præponitur. Utroque modo avarus eſt idololatra: tum quia divitiis tribuit divinum cultum: tum quia

Tert. l. 2. ad Nat. 8. Tert. l. de idol. 2. In c. 5. epiſt. ad Eph.

S Chryſ. hom.6. in ep.ad Philip. divitias Deo præponit. *An non cerminus, Chriſtum quidem contemni, mammonam quidem coli? ſentitis quàm vel ipſa verba aſpera ſint.* Aſperrimum ſanè dictu, quòd avaritia Deum contemnat, mammonam colat, & ſacrificium divitiis offerat.

Tert. l.de Reſ.9. 3. Hominem elegit Deus in *religionis ſuæ Sacerdotem*, ut ei tanquàm ſupremo numini offerret ſacrificium. Avari divites, qui à Deo *maximè in idololatriam exorbitaverunt*, non Deo, ſed auro ſacrificant. Quapropter Eccleſiaſtici author aurum avarorum, aurum ſacrificantium appellat. *Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium.* Et ob eamdem cauſam Judas proditor ſibi laqueum paraturus, triginta argenteos, quibus vendiderat Dominum, projecit non in ſterquilinium, vel alium locum prophanum, ſed in templum, quia ut ait Drogo Hoſtienſis, *talibus ſemper diu templum ſuum devoverat.* Impium illum diſcipulum imitatur avarus, qui erga divitias Sacerdotis fungitur munere. Quid autem illis immolet, declarat Tertull. *Illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis, quibus hanc ſaginatiorem, & auratiorem, & majorem hoſtiam cædis, ſalutem tuam.*

Tert. Scorp.4

Cap.31

l. de ſac. Dom. Paſſ.

Tert. l. de idol. 6.

Tert. Scorp.4. Sed *quoniam à primordio conſtat, & prohibitam idololatriam de tot tantiſque præceptis, & numquam impune commiſſam, de tot tantiſque documentis: nec ullum tam ſuperbum crimen apud Deum deputari.* Tres adducit rationes Tert. quæ nos ab idololatria potiſſimum avocant: 1. quia nullum eſt tam ſuperbum crimen quod Deum offendat, & quod Deus odio habeat: 2. quia Deus tot repetitis præceptis idololatriàm prohibeat. 3. Quia Deus idololatras impunes abire non permittat. Hæ rationes contra avaritiam militant, quæ eſt idololatriæ redundantia, & latitudo. Idololatra avarus ſuâ ſuperbiâ Deum inſolenter offendit, ſua temeritate Dei præcepta contemnit, & ſua impietate Dei juſtitiam accendit. Hæc tamen non recogitat, ad opera ſalutis mortuus, ad damnationem ſuam vividus, aſſimilatus diis quos adorat juxta imprecationem Prophetæ: *Dei nationum argentum & aurum, oculos habent, nec vident: aures habent nec audiunt: nares habent, nec odorantur: os, nec loquuntur: manus, nec contrectant: pedes, nec ingrediuntur. Similes illis erunt, qui faciunt ea, & qui fidunt in illis.* Ut patet in avaro, qui (ut idolum mortuum) inſenſibilis eſt ad alienas miſerias: oculos habet, & non videt Deum, neque cœlum; aures habet, & non audit vocem Spiritûs S. os habet, & non loquitur verba ſalutis; manus habet, & non facit opera virtutis; pedes habet, & greſſus ſuos non dirigit in viam ſalutis.

Tert. Scorp.2.

BAC-

BACCHANALIA.

SCHOLIUM.

Bacchanalium tempore ſex maxime vigent. 1. *Ludus & alea.* 2. *Saltus & chorea.* 3. *Veſtium mutatio & pantonimia.* 4. *Theatrum & comœdia,* 5. *Ingluvies & gula.* 6. *Ebrietas & vini potatio nimia.*

CONCIO PRIMA.

M*ALLE debes quod prodeſt, quàm quod obeſt.* Si damna quæ Tert. l. 1. ad Ux. 3.
affert ludus, volverentur animo, perpauci reperirentur
homines, qui teſſeris vel chartis luſoriis vacarent. Scio
ludos licitos nec damnandos, quando ſcilicet pro re
modica fiunt ad recreationem animi & mentis ſolatiũ.
Quemadmodum corpus indiget ſomno ut à corporis
requieſcat laboribus, ſic animus ludorum eget recrea- Tert. l. de
tione ut à ſeriis vacet occupationibus. Certum namque eſt *nihil obſtrepere re-* Spect. 1.
ligioni in animo & in conſcientia, tanta ſolatia extrinſecus: nec Deum offendi oble-
ctatione hominis, quâ, ſalvo erga Deum metu & honore, ſuo in loco & ſuo in tempo-
re frui ſcelus non ſit. Quod tunc accidit cùm à ludo arcetur exceſſus & defe-
ctus. Arcetur exceſſus, vel quando de re parva luditur, cujus lucrũ nec mul-
tum prodeſſe, neque jactura multum poteſt obeſſe: vel quãdo ludus nimius
non eſt ſive in jactura, ſive in uſu. *Ludo uti quidem licet, ſed ſicut ſomno.* Non eſt Cic. l. 1. de Offic.
multum indulgendum ſomno, multo minus ludo. Qui ita eſt ludo aſſuetus
ut nihil niſi ludum cogitet, nec libertatem habeat ad non ludendum, nõ eſt
à peccato immunis. *Et utique communis uſus reus non erat, ſed cùm ad ludos co-* Tert. l. de
actus eſt, tranſit à Dei munere, ad dæmoniorum officia. Eſt autem defectus in lu- Spect. 9
do; tum quando ludens rei quæ in ludo jactatur liberam non habet diſpoſi-
tionem: tum quando alios minis, convitiis, aut vi cogit ad ludum: tũ quando
fraude utitur contra legem ludi, tum quando interſunt mendacia, perjuria,

 con-

convitia, jurgia, odia & alia hujuſmodi, quæ damnoſum & criminoſum ludum demonſtrant: tum quando propter ludum prætermittuntur negotia bono Eccleſiæ, Reipublicæ vel familiæ, neceſſario peragenda. *Epicurei aſſeverant otioſum & inexercitum Deum, & ut ita dixerim neminem humanis rebus.* Quod de Deo mendaciter aſſerunt Epicurei, idipſum verè dicendum eſt de aleatore, qui exceſſu vel defectu ludo incumbit. Nemo eſt neque humanis neque divinis rebus: nam 1. nemo eſt aliis: 2 nemo ſibi: 3. nemo Deo.

Tert. Apol. 47

I. PARS. *Scilicet patria & imperio reique videndum eſt.* Homo uxoratus trinum importat reſpectum: unum, ad familiam cujus eſt caput; alterum, ad Rempublicam, cujus eſt pars; tertium, ad Eccleſiam cujus eſt membrum. Eſt namque pater familias in domo: civis in Republica: & in Eccleſia Chriſtianus. Ut pater familias, proli bona temporalia, modo juſte, debet comparare: ut civis, pro Reipublicæ bono & conſervatione debet laborare: ut Chriſtianus, pacem & charitatem debet in Eccleſia ſervare. Aleator criminoſus nemo eſt aliis; quia 1 familiam depauperat: 2. Rempublicam auxilio fruſtrat: 3. Eccleſiæ pacem & unitatem turbat.

Tert. l. 1 ad Nat. 4

1. *Pater filium de quo queri deſierat, exhæreditavit.* Crudelis ſane pater qui ſolvens naturæ leges, abſque ulla ratione quem generavit filium, debita ſibi denudavit hæreditate. Nec minus crudelis aleator, qui exceſſu ludi depauperat prolem. Unde merito exclamat Tertullianus, *O pietatem de crudelitate ludentem!* Pietas erga filios parentibus innata eſt, aleator teſſeras vel chartas luſorias debitæ filiis præferens pietati, de crudelitate ludit: tum quia paterno renuntiat amori; tum quia bonis deſpoliat filios, & ad ſummam redigit egeſtatem. Aleatores eadem celeritate qua verba proferunt; facultates perdunt: *in verbis proinde ac in alea ludo, verſantur.* Aleæ ludus præceps admodū eſt, & uno volatu opulentas facultates vertit ad extraneos. Crudeles illi parentes & aleatores iniqui, non tantum in ludo annuum reditum, ſeu *calendarium expendunt*, ſed etiam fundum: & *tantarum uſurarum ſubſtantiam*, nimirum vel bona, quæ parentes illorum uſuri compararunt: vel ſortem & capitale quod ipſi ab aliis fœnore mutuati ſunt, quæ omnia uno teſſeræ volatu diſſipant.

L. de ael. 1

Greg. Naz. or. 1. de Theolog.

Tert. l. 1 de Cult. Fœm. 8

Tert. Apol. 38

2. *Unam omnium Rempublicam agnoſcimus mundum*, in qua plura ſunt regna, pluresque Reſpublicæ particulares ex civibus velut partibus adunatæ. Quilibet civis civitatis ſeu Reipublicæ bono debet attendere, illudque alicui officio vacans procurare. Aleator nemo eſt Reipublicæ, quia nec forum frequentat; nec negotiationi ſeu mercaturæ invigilat; nec militiæ operam dat; nec alicui addicitur officio, ut ipſemet fatetur: *Nulli officio advigilo, nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſervo: canales non odoro, cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, jura non conturbo, cauſas non elatro, non judico, non milito, ſeceſſi de populo.* Tandem nulli miniſterio ſervio.

Tert. l. de Pall. 5

Aliàs Chriſtianis exprobrabāt gentiles, quòd Reipublicæ inutiles eſſent: *Infructuoſi in negotiis dicimur*: ab hac tamen calumnia ſe vindicant, dicentes:

Tert. Apol. 42

Quo-

Quomodo infructuoſi videamur negotiis veſtris, non ſcio. Navigamus & nos vobiſcum, & vobiſcum militamus: & ruſticamur: & mercamur: proinde miſcemus artes, operas noſtras publicamus uſui veſtro. Solus aleator ludo mancipatus & aſſuetus, infructuoſus eſt communi bono: quia nec militat in caſtris, nec judicat in foris, nec laborat in agris, nec navigat in aquis, nec mercaturæ operam dat in negotiis; ſed vitam deſidem & otioſam agit, quaſi Epicuri doctrinam profiteatur, qui totam in quiete conſtituit voluptatem. *Certè cùm ad Epicuros & Zenonas ventum eſſet, ſapienter vocas totum quietis magiſterium, qui eam ſumma atque unica voluptatis nomine conſecravere.* Tert. l. de Pall. 5

Otium in negotio agnoſcit Caſſiodorus, quod probe *otioſum negotioſum* nuncupat. Negotioſum quidem aliquando in bonum, interdum in malũ. In bonũ, ut quando Chriſtianus diebus Feſtis & Dominicis, à ſervili opere vacãs, in operibus virtutis inſumit tẽpus. In malũ, ut cùm aleator diebus Feſtis & Dominicis omittit pietatis opera, & ludo ſoli vacat, dicens: *Aliud nõ curo, quàm ne curẽ.* Unum illi eſt negotium, nõ curare de bono Reipublicæ & divino cultu: vacat à bonis operibus; *otiũ negotioſum*: dies & noctes inſumit in teſſeris ſeu cartis luſoriis: & ſic nemo eſt Reipublicæ, pro qua nullo modo laborat. Nemo adhuc Eccleſiæ, cujus unitatem dividit, pacemque turbat. Tert. ibid.

3. Chriſtiani ſic fantur: *Corpus ſumus de conſcientia religionis, & diſciplina unitate.* Hujus autem corporis membra tanta virtute compaginantur, ut admirati exclamarint Gentiles: *Vide ut invicem ſe diligant; & ut pro alterutro paratiſint mori.* Hanc unionem diſſolvunt aleatores, nã dum in fervore ſunt, maxime cum ſiniſtro eventu ludunt, incidunt in contentiones, rixantur verbis, ſeſe vel fraudis, vel mendacii arguunt: Quod ſic exaggerat Tertullianus. *Quid promovebis, cùm ſi aliquid defenderis, negetur? & tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione; nihil conſequeris niſi bilem in blaſphematione.* Excitata bilis prorumpit in odia: convitia, duella, vulnera, homicidia: *proinde enim æmulationi concurrant neceſſe eſt, officiales ſua, in ea quæ æmulatur; ira, diſcordia, odium, dedignatio, indignatio, bilis, nolentia offenſa.* Tert. Apol. 38 Tert. Apol. 39 L. de præſc. Hær. 17 Tert. l 1. adv. marc. 25

Erat olim iſta ſententia: Nemo alii naſcitur moriturus ſibi. Natus & deſtinatus erat aleator, & aliis & ſibi, Nam ut pater-familias filiorum bono tenebatur invigilare: ut civis, Reipublicæ commodum procurare: ut Chriſtianus, Eccleſiæ unitatem & pacem ſervare: attamen natus non eſt filiis, quos depauperavit: nec Reipublicæ, cui inutilis fuit: nec Eccleſiæ, cui noxius fuit: neque ſibi, nam ludo perdit 1. tempus: 2. facultates: 3. conſcientiam. II. PARS. Tert. l. de Pall. 5

1. A divina bonitate *etiam ratio temporum nata eſt.* Tempus dedit nobis divina bonitas ad ſectandas virtutes, quibus comparatur æternitas: nam *virtutes carent tempore*; quia etſi in terra & in tempore fiant, æternam tamen merentur in cœlo mercedem. *Vide peccator temporis pretioſitatem: quia modico tempore poteſt homo lucrari veniam, gratiam & gloriam.* Tantum ac tale eſt pretium temporis, ut audeat dicere Bernardinus: *Tempus tantum valet, quantum Deus: quippe in tempore bene conſumpto, comparatur* Tert. l. 2. adv. marc. 3. Philo Jud. l. de Sacrif. Abel. D. Bern. ſer. Fer. 4 poſt Dom. 1 Quadrag. 4

ratur Deus. Tam charum & tam pretioſum tempus pro nihilo habetur: *Nullum temporis pretium eſt: de re omnium pretioſiſſima luditur.* Aleator ludendo & tempus & facultates perdit. Senec.

2. Si ab aleatore inquiratur, cur tantopere ludo vacat, reſpondebit: *Recipiam meum, vel rependam alienum.* Duplici de cauſa ludit, vel ut amiſſum bonum recuperet, vel ut alienum lucretur bonum: at ſæpe ſæpius evenit, ut nec alienum lucretur, nec perditum recuperet, ſed ludendo in extremam decidat paupertatem: Inde oriuntur anxietates & anguſtiæ; rapinæ & furta; maledictiones & deſperationes, quæ depauperatos aleatores ad laqueos, ad ſupplicium, & ad mortem tum corporis, tum animæ conducunt. Nam ut ipſimet fatentur: Tert. l. de Idol. 13

3. *Noſtram quoque conſcientiam ludimus.* Aleatores injuſti ſuam conſcientiam ludunt; tum quia aliena inordinate concupiſcunt: Apoſtolus autem nuncupat *cupiditatem radicem omnium malorum*: tum quia per fraudem alienum lucrantur, *& utique erga hominem admiſſa fraus, maximi criminis nomen eſt*: tum quia cupiditatem & fraudem, mendacio & perjurio auctorare moliuntur: *tunc mendacium cupiditatis miniſtrum, taceo de perjurio.* Hæc aliaque ſcelera committit aleator iniquus, qui injuſte aliena percipit *cum injuria conſcientiæ ſuæ* quam pro lucello perdit. Tert. l. 1. ad Nat. 16 Tert. l. de Idol. 11 Tert. l. de Idol. 1 Tert. l. de Idol. 11 Tert. l. de Cat. Chr. 3.

III. PARS

Graviora delicta quæque pro magnitudine periculi, diligentiam extendunt obſervationis, ut ab his deſcendamus. Maxime verò obſervanda ſunt delicta, quæ ſpecialiter divinas perfectiones offendunt. Nulla obſervatione præcavet peccata aleator iniquus: ſed ſceleroſa audacia divinam auctoritatem, veritatem & ſanctitatem aggreditur: nam 1. divinam dedignans auctoritatem, ſeſe diabolo mancipat. 2. divinam veritatem mendacio devenuſtat. 3 nominis divini ſanctitatem blaſphemando prophanat. Tert. l. de Idol. 11

1. *Sumus ſervi, Dominum enim habemus Deum.* A Dei dominio ſe ſubtrahit aleator, dum ſeſe diabolo mancipat, in quo & contra fidem & contra naturam ipſam agit. Agnoſcit Tertull. *teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ*; ſibi tamen contradicere videtur: nam alioi ſum animam ſic alloquitur; *Non es quod ſciam, Chriſtiana, fieri enim ſoles, non naſci Chriſtiana.* Verum quidē eſt quod anima non naſcitur, ſed fit Chriſtiana in baptiſmatis ſacramento. Vocat autem animam naturaliter Chriſtianam; vel quia in ſententia Scoti eſt in potentia naturali ad recipiendas formas ſupernaturales, & habitus fidei, ſpei, charitatis & gratiæ, quibus fiunt Chriſtiani: vel potius quia ſe ſola abſque ulla diſciplina agnoſcit veritates per diſcurſum cognoſcibiles, quas adhuc Chriſtiani agnoſcunt per fidem. Duo autem potiſſimum anima naturaliter cognoſcit. Unum, Dei exiſtentiam, bonitatem & auctoritatem; unde *Deum nominat, hoc ſolo nomine, quia proprio Dei veri: Deus magnus, Deus bonus, & quod Deus dederit, omnium vox eſt. Judicem quoque conteſtatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet.* Alterum, diaboli malitiam, & odiū hominis in dæmonem: *Satanam denique in omni averſatione, & aſpernatione, & deteſtatione pronuntiat. Sentis igitur perditorem tuum.* Aleator ſupremam Tert. l. 4 adv. Marc. 25 Apol. 17 L. de Teſt. an. 1 Tert. Apol. 17

Dei

Dei auctoritatem dedignatur , quia nec ejus magnitudinem recognoſcit,
nec bonitati gratias agit, nec juſtitiam pertimeſcit , nec majeſtatē reveretur;
neque illi ſeſe commendat, ſed dæmonem nominat ; ſe diabolo tradit quā-
tumvis inimico, & iniqua ſua donatione *omne demonium ſaginat* : numquam Tert. l. de
etenim dæmones lautius epulantur, quàm cùm homines eorum ſubſtran- Idol. 11
tur dominio, & ſectantur mendacium adverſus Dei veritatem.

2. Plura ſunt quæ à Chriſtiano arcere debent mendacium: 1 *Hoc erit te-* Tert l. de
ſtimonium veritatis ubique occupantis principatum. 2. Quia mendaces ſunt filii Præſ. Hæ-
diaboli, qui eſt mendacii pater: *diabolus à primordio mendax.* 3. Quia Chriſtia- ret. 35
nus peccatum vitare tenetur: *omne mendacium peccatum eſt.* 4. Quia menda- Tert l. de Cor. Mil.
cium deſtruit veritatem: etenim homo mentiens *non poteſt ædificare menda-* 7.
cium ſine demolitione veritatis, 5. Quia mendax Verbum divinum cui appro- D Aug. in
priatur veritas , ſpecialiter offendit: alea autem & ludus *ne tunc quidem ſine* Pſ. 139
mendacii vitio eſt: quia aleator eſt *ut plurimum mendax*, & abſque ullo timore D. Aug.
mentitur. *Non licet mentiri, nec pro toto mundo:* Aleator tamen pro re nullius Tert. A- pol. 7
momenti fraudat, & *temerario mendacio* fraudem ſe feciſſe negat , & tum D. Auguſt.
fraudem, tum mendacium juramento confirmat. Tert. l. de

3 In Oratione Dominica; *ut ſanctificetur poſtulamus*, Dei ſcilicet nomen. An. 28
Ceterum quando non ſanctum & ſanctificatum eſt per ſemetipſum nomen Dei, cū Tert. l. de Orat. 3
ceteros ſanctificet ex ſemetipſo ? Etſi Dei nomen ſit ex ſemetipſo ſanctum &
ſanctificatum, poſtulamus tamen ut ſanctificetur: non quod nobis oranti-
bus ſanctificetur quod per ſe ſanctum eſt; ſed petimus ut quod per naturam
ſui ſanctum eſt, ſanctificetur in nobis: quomodo hanc petitionem expendit
Tertullianus. *Id petimus ut ſanctificetur in nobis, ſimul & in ceteris.* Chriſtianus D. Hier.
& Dei nomen ſanctificare tenetur, & ulterius curare debet ut alii illud ſan- Ep. 135
ctificent. *Plane benedici Deum omni loco ac tempore condecet ob debitam ſemper* Tert. l. de
memoriam beneficiorum ejus ab omni homine. Aleator iniquus beneficiorū Dei Orat. 3
immemor, tantum abeſt ut Dei nomen ſua benedictione ſanctificet , quin
immo blaſphemando prophanat . In illo deprehendit Tertullianus *omnis* L. 3 adv.
malitia atque blaſphemiæ ingenia: quia & ipſe blaſphemat, & alios ſuo exemplo, Marc 21
ſua fraude, & violentia, ad blaſphemandum inducit *Blaſphemia qua nobis om-*
nino devitanda eſt, hæc opinor eſt : ſi quis noſtrum ad juſtam blaſphemiam aliorum Tert. l. de Idol. 14
deducat, aut fraude, aut injuria, aut contumelia, aliave materia digna querela; in
quo nomen percutitur, ut merito iraſcatur & Dominus. Quavis ratione aleator
præbeat aliis jurandi & blaſphemandi materiam, graviter peccat , quia eſt
cauſa cur & alii peccent. *Licet enim ab aliis fiat, non intereſt, ſi per me in nullo de-* Tert. l. de
beo eſſe neceſſarius alii, cùm facit quod mihi non licet. Ex hoc quod vetor facere, Idol. 11
intelligere debeo, curandum mihi eſſe, ne fiat per me. Injuria quam committit in
Deum aleator, & jactura ſuæ ſalutis quam ludendo incurrit, debent illi in-
terdicere ludum, ne ſimul cum terrenis facultatibus perdat animam ſuam.
Si à damno teſſerarum & cartarum ludo ſe abſtinet ; imitabitur perfectos
Chriſtianos, qui ſic fantur: *Non ludimus de officio ſalutis.* Tert. A- pol. 29

CONCIO SECUNDA.

Tert. Scorp. 8 — HOc unum ad choreas averſandas, Chriſtiano ſufficere deberet, quòd caput Joannis Baptiſtæ datum eſt in ſaltationis præmium. *Ipſe clauſula Legis & Prophetarum, nec Prophetes, ſed Angelus dictus, contumelioſa cæde truncatur in puellæ pſalticæ lucar.*

Serm. 127 — Tale facinus ſic Chryſologus exaggerat: *Joannes virtutum ſchola, magiſterium vitæ, ſanctitatis forma, norma juſtitiæ, virginitatis ſpeculum, datur inceſtui, traditur adulteræ, addicitur ſaltatrici.* Neque ſolum de

Tert. lib. 4 de Spect. 7 — crudelitate culpatur chorea, quæ ita *locuples & ſplendida eſt cenſu criminis ſui*, ut ſit 1. ſcandaloſa: 2. periculoſa: 3. ſceleroſa.

I. PARS.

Tert. l. de vel. virg. 3 — *Scandalum non bonæ rei, ſed malæ exemplum eſt: ædificans ad delictum.* Quàm ſcandaloſæ ſint choreæ, patet: quia 1. ex diaboli gymnaſio procedunt: 2. idololatriam ſapiunt: gravitatem chriſtianam in inſaniam vertunt.

Tert. l. de Cor. Mil. 3 — 1. Chriſtianus in baptiſmate renunciavit diabolo & pompis ejus: *Ut à baptiſmate ingrediar, aquam adituri ibidem, ſed aliquanto prius in Eccleſia, ſub*

Tert. l. de Idol. 10 — *antiſtitis manu conteſtamur renuntiare nos diabolo & pompis ejus*: in choreis autem *omnis diaboli pompa frequentatur.*

S. Ephrem. l. de Interrog. & Reſponſ. — Tum quia ſaltare homines diabolus docuit. *Quis talia Chriſtianos edocuit? Draco antiquus docuit magiſter omnis impuritatis.* Plures autem ſunt hac ætate qui *ſtudioſe choreis incumbunt juxta doctrinam ſatanæ.* Tum quia totum *ſatanæ ſtudium* in hoc verſatur, ut homines

D. Chryſoſt. hom. 49. in Mat. — choreis vacent. Tum quia choreis adeſt diabolus; *Ubi ſaltus laſcivus, ibi diabolus certè adeſt.* Tum quia chorearum tempore lætatur dæmon & idem feſtum agit:

D. Chryſoſt. — *Ubi cythara & chori ac plauſus manuum, ibi virorum tenebræ, mulierum perditio: Angelorum triſtitia; diaboli feſtum.* Tum quia diabolus et-

D. Ephrē. D. Chryſoſt. hom. 49. in Mat. — iam cùm ſaltantibus ſaltat, & choreas agit: *His tripudiis diabolus ſaltat*, ſeu, ut ait Theophylactus, *ſaltat per puellam diabolus.* Videat choreas agens à quo ſit edoctus: in cujus præſentia tripudiet: cujus celebret feſtum: cum quo ſaltet, & ſi in baptiſmate renunciavit diabolo & operibus ejus,

Tert. l. de Spect. 10. — *Oderis Chriſtiane quorum auctores non potes non odiſſe*; choreas ſcilicet & tripudia, quæ prodeunt de ſchola dæmonum, & inſuper Idololatriam ſapiunt.

Tert. l. ad Scap. 26 — 2. *Odiſſe debemus illos conventus & cœtus ethnicorum.* Multis rationibus utitur Tertullianus ut Chriſtianos à gentilium cœtibus, maximè à choreis arceat. Inter quas tres mihi præcipuæ videntur. 1. Quia tripudiantes, falſos imitantur deos qui bacchanalium more ſaltitabant, quod ethnicis expro-

Apol. 14 — brat Tertullianus. *Plane religioſiores eſtis in cavea, ubi ſuper ſanguinem humanum, ſuper inquinamenta pœnarum, ſaltant dii veſtri.* 2. Quia ludos ſuos gentiles cum choreis & tripudiis celebrabant, quos *lupercos ludos appellabant*,

quod

quod ludendo diſcurrant. Lupercales autem ludi, primo in honorem Pânis, dehinc ad cultum Lupæ Romuli nutricis, inſtituti ſunt. 3. Quia tripudia Bacchum & Venerem, aliaque ethnicorum numina venerantur; quare in vineis ſaltitabant alias gentiles, eo quod vinum Baccho fuerit conſecratum. Hujuſmodi autem ſaltus & ludos *Liberalia propriè vocabant, præterquam Libero devotos, etiam à Libero inſtitutos* exiſtimabant. Liber autem idem eſt ac Bacchus ebrietatis auctor; Addit Tertullianus: *Sed Veneri & Libero convenit: duo iſta dæmonia conſpirata & conjurata inter ſe ſunt, ebrietatis & libidinis.* Inde Chriſtianum urget Tertullianus, ut ethnicorum fugiat conventus, & cœtus illos peſtiferos virorum ac mulierum qui ad tripudiandum congregantur; *Non ergo fugies ſedilia hoſtium Chriſti, illam cathedram peſtilentiarum?* Eadem ratiocinatione utitur Chryſologus ut Chriſtianos à chorearum peſte ſervet immunes. *Saltatricum peſtis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, naufragia mentium abſcindantur.* Belle nuncupat voluptatum fomenta, quia ad venereas alliciunt voluptates. Eas adhuc vocitat naufragia mentium, quia gravitatem Chriſtianam in inſaniam vertunt.

Tert. l. de Spect. 5

Tert. l. de Spect. 10

L. de spect. 27

Ser. 174.

3. *Nam ubi Deus, ibi pudicitia, ibi gravitas adjutrix, & ſocia ejus. Quo ergo pacto pudicitiam ſine inſtrumento ejus, id eſt, ſine gravitate tractabimus?* In choreis autem neque Deus, neque gravitas, neque pudicitia reperitur. Non Deus, qui non adeſt ubi diabolus præſidet; choreis autem præſidet dæmon qui tripudiantes ad inſaniam & impietatem ducit: *In circuitu impii ambulant,* quia ſaltando in gyrum procedunt, explicat D. Auguſt. Gravitas non reperitur in choreis: quomodo enim ſervabitur gravitas à ſaltatoribus, qui dum in gyrum ſaltant, in vertiginem facile aguntur? Vertigo autem quæ homini cerebrum evertit, inſania eſt: quare ſapienter Alphonſus Arragoniæ Rex cenſet ſaltatorem ab inſano nihil differre, niſi quod hic dum ſaltat, ille dum vivit inſanus eſt. Quem ſic pungit Baſilius Magnus: *Moves pedes, & inſanus ſaltas:* quia, ut ait D. Ambroſius, *nemo ſaltat ſobrius niſi qui inſanit.* Addit; *Saltationis auctor eſt aut temulentia, aut amentia.* Quis ſanæ mentis inſanientem non judicaret puellam tripudiantem *fractis greſſibus, corpore diſſoluto, diſjuncta compage membrorum, fluentibus ex arte viſceribus?* Idem profecto debet ferri judicium de tot viris & mulieribus tripudiis operam dantibus, *ad ſaltationem inſanientibus.* Tandem in choreis non reperitur pudicitia. *Pudicitia Chriſtiana ſatis non eſt eſſe, verum & videri: tanta enim debet eſſe plenitudo ejus, ut eructet à conſcientia in ſuperficiem, ut & foris aſpiciat quaſi ſupellectilem ſuam.* Pudicitia emicare debet extrinſecus, & intueri in modeſtia corporis, quaſi in ſupellectile ſua. Tripudiantes autem neque ſapientiam, neque pudicitiam demonſtrant. Non ſapientiam, quia inſaniunt: non pudicitiam, quia *immaturis tripudiant atque laſciviunt ſaltationibus.* Sicut gravitas & modeſtia quæ in inceſſu apparet, eſt pudicitiæ index: ita immodeſtia quæ elucet in choreis, ſapit impudicitiam. *Hæ pompa quàm de proximo curent luxuriæ negotium, & obſtrepant pudicitiæ diſciplinis, dignoſcere in facili eſt.*

Tert. l de Cult. Fœm. 8

Pſal. 11

Panorm. l. 1.

Hom. 1. de Ebr.

L. 3. de Virg.

Chryſol. 174

Baſ.

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 13

Rupert. l. 6 in c 7. Joan

Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 9

Non ignoro fucatos Chriſtianos ad excuſandas choreas effari ſolitos
choreas eſſe, 1. indifferentes: 2. innocuas, maxime cùm parentes, ad ejuſmo-
Tert. l. de di cœtus ducunt puellas: 3. neceſſarias ad ſocietatis, amicitiæ, & ſanguinis
Spect. 27 confœderationem, neque abſque ſcandalo omittendas. 1. *Omnia illic ſeu for-
tia, ſeu honeſta, ſeu ſonora, ſeu canora, proinde habe ac ſtillicidia mellis de ranunculo
venenato. Etenim ſi idololatriam, ſi conſortium dæmonum, ſi immodeſtiam
Tert. l. de & impudicitiam Dominus damnat, quomodo indifferentes erunt choreæ,
Spect. 20 quæ illa omnia ſapiunt? *Erramus: nuſquam & nunquam excuſatur quod Deus*
damnat, nuſquam & nunquam licet, quod ſemper & ubique non licet. Neque 2.
innocuæ ſunt choreæ, licèt puellas ad cœtum communem parentes dedu-
D. Hier. cont Helvid. cant. *Ubi tympana ſonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat, quis i-*
bi timor Dei? Tenentur parentes invigilare filiorum ſaluti: *Beatus qui ſuæ vitæ*
Chryſol. ſer. 155 *cuſtos eſt, & proviſor eſt ſalutis alienæ.* Stulti autem iſtiuſmodi parentes, neque
ſuam, neque filiarum curant ſalutem. Non ſuam, *nam & ſi qui modeſte & pro-*
Tert. l. de Spect. 15 *be ſpectaculis fruitur, pro dignitatis vel ætatis, vel etiam naturæ ſuæ conditione: non*
tamen immobilis animi eſt ſine tacita ſpiritus paſſione. Nemo ad voluptatem venit
ſine affectu, nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur. Ipſi caſus incitamenta ſunt affe-
ctus. Cæterum ſi ceſſat affectus nulla eſt voluptas, & eſt reus jam ille vanitatis, eo
conveniens, ubi nihil conſequitur. Puto autem etiam vanitas extranea eſt nobis. Ne-
Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 1 que etiam parentes filiarum ſuarum curant ſalutem: nam *quota eſt quæ nec*
placere quidem extraneis concupiſcat? quæ non vel idcirco ſe expingi curet? Ex Ter-
tulliano autem, *non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem,*
L. 2. de Cult. Fœm. 2 *quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus.* Cujus optimam prodit rationē:
ſiquidem & viris propter fœminas, ut fœminis propter viros, vitio naturæ ingenita
eſt placendi voluntas. Parentes ſtudioſi, & familiæ amantes, puellas nocturnis
præſertim temporibus extra domum curſitare non permittunt. Quod ſic
Ser. 127 hortatur Chryſologus. *Familia veſtra, innocentiæ tripudiet diſciplinis.* Matribus
ſimile monitum præbet D. Ambroſius: *Saltet ſed adulteræ filia: quæ verò pudi-*
ca eſt, quæ caſta eſt, filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem. Neque 3. præte-
xtum ſumant parentes ex humana ſocietate, vicinorum amicitia, propin-
Tert. l. de Spect. 27 quorum conſortio: *Sint dulcia licet & grata & ſimplicia, etiam honeſta quæ-*
dam, nemo venenum temperat felle & elleboro, ſed conditis pulmentis, & bene ſapo-
ratis, plurimum dulcibus id mali injicit. Ita & diabolus, lethale quod conficit, rebus
Dei gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit. Quovis prætextu & quavis in domo ad
tripudiandū conveniant viri cum mulieribus, ad laſciviendū inducunt cho-
Tert. l. de Cor. Mil. 10 reæ; *Si enim verbo nudo conditio polluitur, multo magis ſi ſaltitaveris contamina-*
tur. Colloquium juvenis cum fœmina excitat libidinem; à fortiori choreæ,
quæ, ut ait nonnemo, vindemiæ ſunt diaboli. Hæc evidenter oſtendunt quā
culpabiles ſint parentes, qui filias ducunt ad nocturnos cœtus, cū manifeſta
Tert. l. de Pall 4 jactura pudicitiæ: tum quia ibi adſunt libidinum nundinæ: *Aſpice lupas popu-*
larium libidinum nundinas. Tum quia in his cœtibus perſæpe innocens puel-
Tert. l. de vel. Virg. 14 la criminoſum concipit amorem. *Quantum velis bona mente conatur, neceſſe eſt*

pub-

publicatione ſui peri litetur, dum percutitur oculis incertis & multis; dum digitis demonſtrantium titillatur; dum nimium amatur; dum inter amplexus, & oſcula aſſidua concaleſcit. Tùm quia *inſultante luxuria* pudicitia violatur, maximè cùm ad tale facinus locus ſit per-opportunus, & aliquando faveant tenebræ, quas *lenones tenebras* nuncupat Tertull. Neque excuſabiles ſunt admittentes in ſuis domibus hujuſcemodi cœtus, quos ſic pungit Tertull. *Si lupanaribus renuntiaſti, ne induaris domui tuæ faciem novi lupanaris.* Nam quodammodo culpabiles ſunt omnium turpitudinum, quæ vel cogitatu, vel verbo, vel actu, vel opere fiunt. Neque 4. tandem dicatur, cœtus hujusmodi eſſe convenientes civilitati, neque ab eis juvenes, & puellas honeſtè, & absque ſcandalo poſſe abſtineri. Quàm futilis ſit iſte prætextus, multis rationibus demonſtrat Tertull. Tum quia *bona res neminem ſcandalizant, niſi malā mentem:* Tum quia *ſi bonum eſt, modeſtia, & verecundia, agnoſcant malum ſuum, qua de tali bono ſcandalizantur:* Tum quia *ſi & incontinentes dicant ſe à continentibus ſcandalizari, continentia revocanda eſt.* Tandem, *cur non magis hæ querantur ſcandalo ſibi eſſe petulantiam, impudentiam*; quæ vigent in choreis, easque ſcandaloſas ſimul, & periculoſas oſtentant?

Tert. l. de Pall. 3. Apol. 7. l. de idol. 16. l. de vel. Virg. 3.

Nec tanti gulā facias voluptatis, quanti periculum per ſuavitatem: Vitrea pudicitia eſt & lapſu facilis, in choreis autem trinum incurritur periculum: 1. famæ, & honoris: 2. pudicitiæ, & caſtitatis: 3. conſcientiæ, & ſalutis.

II. PARS. Tert. l. de ſpect. 27.

1. Bellè *pudicitia flos morum, honor corporum, decor ſexuum* nuncupatur. Hujuſcemodi autem flos facilè defloreſcit, honor dehoneſtatur, decor dedecoratur. Mulieres honoris ſtudioſæ omne improperii vitant periculum, nec ullum adeò grande eſt malum, quod non ultrò ſuſtineāt, ne honoris patiantur jacturam: ſic enim ſervant florem pudicitiæ vernantem, honorem corporum floreſcentem, & decorem ſexus coruſcantem: *Acerba licèt à fœminis æquo animo excepta, imò & ultrò appetita, famæ, & gloriæ causā.* Tantoperè decantatum Lucretiæ exemplum prodit Tertull. *Ad manum eſt Lucretia, quæ vim ſtupri paſſa, cultrum ſibi adegit in conſpectu propinquorum, ut gloriam caſtitati ſuæ pareret.* Inde deſumit anſam alloquendi Chriſtianas mulieres, easque ad famæ amorem & pudicitiæ ſtudium ſtimulandi; ut vel ſic ſexui, & religioni reſpondeant: *Ut vos quoq; benedictæ ſexui veſtro reſpondeatis.* Quæ honorem & religionem zelant, ſaltatorum cœtus velut ſcopulos fugiunt; in choreis cum hominibus minimè ſociantur, ne vel ſibi, vel aliis tentationis præbeant materiam. Quas ſic adhortatur Tertull. *Vos à fœminis nationum ut in cæteris, inceſſu quoq; divertere neceſſarium eſt: quoniam perfecta, id eſt Chriſtiana pudicitia, appetitionem ſui non tantùm non appetendam, ſed execrandam vobis ſciatis: quòd tentationibus viam aperire non debemus.* Mulieres, & puellæ religionis & honoris immemores, quæ periculoſos hominum adeunt cœtus; cum viris absque pudore tripudiant, tentationibus anſam præbent, *famæ ſuæ ornamenta deponunt;* & cum honoris & famæ jactura, caſtitatis, & pudicitiæ incurrunt periculum.

Tert. l. de pud. 1. Tert. l. ad Mart. 4. lib. 2. de cult. fœm. 2. Tert. l. de An. 33.

Tert.l.2. de cult. fœm.2. — 2. *Nam qui præſumit, minus jam veretur, minus præcavet: qui minus præcavet plus periclitatur.* Quærit acutè cauſam S. Ambroſius, cur adoleſcentula rectè educata, piis imbuta moribus, virtuti enutrita, ſimul cum virtute pudicitiā amittat. Reſpondet Mediolan. Antiſtes: *Fortè adoleſcentula capta eſt occaſionibus, quæ delictorum fomites ſunt.* (l. de pœnit. 2.) Quòd ſi virorum ac mulierum ſocietas eſt adeò periculoſa, quantò magis dum miſcentur in choreis? Quare, hominem hortatur Eccleſiaſticus: *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, ne fortè pereas in efficacia ejus.* (Cap. 9.) Lectio græca habet *cum pſaltrice.* Puellarum ſaltus quibus accedunt cantilenæ aures ſuaviter demulcentes, ſunt laquei, quibus illaqueantur juvenes. *Nemo cum ſerpente ſecurus ludit, nemo cum diabolo jocatur impunè.* (S. Chryſol. ſerm. 155.) In tripudiis autem *ſerpens latet in fœmina, quæ reptans greſſibus flexuoſis, lethale toto corpore virus effundit,* quo virorum toxicatur animus. Inde concludit Chryſol. *Si Joannes tantus, ſi Joannes talis, tanta eremo ſeparatus à fœminis, fœminarum pericula non evaſit: quis eſt, qui inter fœminas vivens evaſurum ſe ſine maximo labore, ſine maxima cautione confidit?* Argumentatur à majori ad minus; nam ſi *Joannes ſaltatrici addictus eſt in pretium*, quid non obtinebunt ſaltatrices ab hominibus ad libidinem pronis? (Chryſol. ſer. 127.) Ita captus eſt Herodes ſaltatricis venuſtate, ut ei dimidium regni promiſerit, & adhuc Joannis Baptiſtæ dederit caput. *En quò præcipitatur caro, dum ad luxuriæ facinus, voluptatis inflammatur incendiis.* Multa occurrunt in choreis, quæ tum viros, tum mulieres, ad laſciviam inflammant. Immodeſti motus corporis; aſpectus mutui, riſus, & corriſus; contactus manuum, & uberum; amplexus, oſcula, pleraque alia, quæ ut fatur Tertull. ſcintillas libidinum conflabellant *In omni ſpectaculo nullum majus ſcandalum occurrit, quàm ipſe virorum ac mulierum accuratior cultus: ipſa conſenſio, ipſa in favoribus conſpiratio aut diſſenſio, inter ſe commercio ſcintillas libidinum conflabellant,* (l. de ſpect. 15.) & ita in choreis ſimul cum pudicitia, anima, & ſalus periclitatur.

3. Magnâ cautelâ utendum eſt, ne animæ periclitetur ſalus, maximè inter tripudia, ubi Chriſtianæ mulieres totâ fidei ſubſtantiâ incedere debent, ne conſcientia earum lethale vulnus accipiat. Ideòque ſic fantur apud Tertul. *Debemus quidem ita ſanctè, & totâ fidei ſubſtantiâ incedere, ut confiſæ, & ſecuræ ſimus de conſcientia noſtra, optantes id perſeverare in nobis, non tamen præſumentes.* (Tert. l. de cult. fœm. 2.) Gratia, & ſanctitas ſunt fidei ſubſtantia, & animæ vita, ejusque inchoata ſalus. Quæ percupiunt conſummatam in cœlo ſibi comparare ſalutem, ſanctè, & totâ fidei ſubſtantiâ incedunt, fugientes choreas, & vitia quæ illas conſequuntur, & quæ ſunt, ut fatur Tertull. *crimina tam exitioſa, tam devoratoria ſalutis,* (l. de idol. 1.) & quia prædeſtinatio bono perſeverantiæ innititur, in divina miſericordia fiduciam ponunt de ſe nihil præſumentes, ſed ſemper in timore verſantes; nam *timor fundamentum ſalutis eſt: præſumptio impedimentum timoris.* (Tert. l. 2 de cult. fœ. 2.) Hoc etenim eſt diſcrimen inter timidos & præſumentes Chriſtianos, quòd illi ſuam agnoſcentes fragilitatem timent, & delinquendi præcavent periculum: quia *proximus periculo diu tutus non erit*: (S. Iſid. l. 2 Solil.) Iſti verò ni-

hil

hil timentes, ſed viribus ſuis freti, nullâ cautelâ utuntur, ſed omni periculo L.2. de
ſeſe exponunt, illi ſalutis obſtacula ſollicitè vitant, & ſancta ſollicitudine ſe- cult.
curitatem captant: iſti cum præſumente ſua ſecuritate vacillant, & pereunt, fœm.2.
quod his verbis optimè declarat Tertull. *Utilius ergo ſi ſperemus nos poſſe de-
linquere, quàm ſi præſumamus non poſſe. Sperando enim timebimus, timendo cave-
bimus, cavendo ſalvi erimus; contra ſi præſumamus, neque timendo, neque cavendo,
ſalvi non erimus. Qui ſollicitus eſt, is verè poterit eſſe ſecurus: at qui ſecurus agit,
non & ſollicitus, non poſſidet tutam & firmam ſecuritatem.* Quam quæſo con-
ſcientiæ ſecuritatem habere poſſunt viri, & mulieres in choreis, quibus
præſident dæmones? *Quis enim immundis ſpiritibus operatus, non conſpurcatus* Tert.l.de
& conſtupratus incedit? Quodnam eſt majus periculum delinquendi, quàm idol. 1.
in tripudiis, ubi liberè, & impudicè vagantur oculi? *Invicem ſe eadem oculo-* Tert.l.de
rum genera deſiderant, ejuſdem libidinis eſt videri, & videre. Nonne in choreis vel. virg.
frequentiſſimi ſunt caſus, ubi *titillante luxuriâ, & non tam ludente, quàm illu-* 2.
dente laſcivia, tot fornicationes, tot ſtupra, tot adulteria, tot inceſtus, vel o- Chryſol.
pere, vel ſaltem animo perpetrantur? Utinam ſaltator & ſaltatrix attende- ſer. 174.
rent ad iſtud Eccleſiaſtici monitum: *Communionem mortis ſcito, quoniam in* Cap.9.
medio laqueorum ingrederis. In choreis quamplurimi laquei ſunt, quibus dæ-
mon velut venator cingit & capit ſaltantes, eosque ad mortem æternam de-
ducit; nam *tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi, du-* Job.21
cunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, ut pœnas luant cho-
reæ criminoſæ.

Adeò ſceleroſæ ſunt choreæ, ut in eis criminum magnitudinem agno- III. PARS
ſcat Chryſol. qui ſic fatur de Baptiſtæ cæde. *Perdidit virtutum magnitudinem* Ser. 127.
criminum magnitudo. Neque magnitudo tantùm, ſed etiam criminum mul-
titudo deprehenditur in choreis: quæ ſunt criminoſæ, 1. gloriæ & vanita-
tis, 2. laſciviæ, & voluptatis, 3. ſacrilegii, & impietatis.

1. Bellè ad propoſitum Tertull. *Non probabis uſquam vanos curſus, & ja-* l.de ſpect.
culatus, & ſaltus vaniores. Choreæ dicuntur vanæ, tum quia bonum non re- 18.
ſpiciunt finem: tum quia nihil proficiunt, imò corpori afferunt laſſitudi-
nem, & animæ inflammant paſſionem: tum quia à vanitate ſunt inventæ:
tum maximè, quia ſunt fomites, & incentiva gloriæ, & vanitatis. Vanitas
tripudiantes ut plurimùm congregat. *Propter iſtos enim conventus, & mutuũ* Tert.l.2.
videre & videri, omnes pompæ in publicum proferuntur: aut ut luxuria negotie- de cult.
tur, aut gloria inſoleſcat. Duplex affert Tertull. chorearum motivum; gloriæ fœm. 11.
ſcilicet inſolentiam, & luxuriæ negotium: Utrumque ſceleroſum, choreæ
itaque criminoſæ ſunt gloriæ, & vanitatis, laſciviæ, & voluptatis.

2. Nam *& eſt omnis publica lætitia luxuriæ captatrix.* In choreis ineſcan- Tert.l.de
tur ſaltantes, & impudico captantur amore. Ibi juvenes amittunt libertatẽ, cor. mil.
& ſæpè ſæpiùs puellæ pudicitiam perdunt. Cùm enim promiſcuè verſen- 12.
tur, & favores abſque timore & pudore permittant, facilè corruunt. *Sic* Tert.l.de
frons duratur, ſic pudor teritur, ſic ſolvitur, ſic diſcitur aliter jam placere, deſidera- vel. virg.
ri. Hujuſmodi caſum puellarum quas gloria ad cœtus & choreas ducit, ſic 14.

ad

ad unguem deſcribit Tert. *Porrò ubi gloria, illic ſollicitatio; ubi ſollicitatio, illic coactio; ubi coactio, illic neceſſitas; ubi neceſſitas, illic infirmitas.* Habes optimè expreſſum ordinem & modum, quo juvenes inter tripudiandum inſequuntur puellas. Quæ pudicitiam amant, choreas averſantur velut caſtitatis naufragium, quod pro certo inſipientes illæ patiuntur, quæ cœtus, & impudicos ſectantur ſaltus. *Dicam, licèt nolim, nec difficile mulier ſemel fit, quæ non timet fieri.*

Tertull.

3. Tandem choreæ ſacrilegii & impietatis criminoſæ ſunt: Gentiles ſiquidem choreis, & luxuriæ vacabant, *nunc ex principalium proſperitatum exultatione: nunc ex municipalium ſolemnitatum proprietate*, præſertim diebus feſtis, falſis dicatis numinibus. Hos imitantur impii illi Chriſtiani, qui diebus feſtis, & Dominicis contra Eccleſiæ inhibitionem gentilium more tripudiant, & luxuriantur. Nam *hoc loco retractandum oportet de feſtis diebus, & aliis extraordinariis ſolemnitatibus, quas interdum laſciviæ ſubſcribimus, adverſus fidei diſciplinam, communicantes nationibus in idolicis rebus*, quantumvis Dei ſervi, & ancillæ, nullo obſcœnæ voluptatis genere cum gentibus, & idololatris communicare debeant. *Sed dicit aliquis, Non ſunt hæc ſacrilegiorum ſtudia, vota ſunt hæc jocorum. Erras homo, non ſunt hæc ludicra, ſed crimina.* Tum quia ethnicorum æmulantur impietatem, & ex feſtis Sanctorum ſumunt occaſionem laſciviendi: *malorum morum licentia pietas erit, occaſio luxuriæ religio deputabitur*: Tum quia auctorem habent diabolum, qui in Dei vertit injuriam dies ſacratos divino cultui. *Diabolus numeroſa genuit, & pernitioſa portenta, ut ridiculum de religione captaret, in ſacrilegium verteret ſanctitatem & de honore Dei, Deo pareret injuriam.* Tum quia dies feſti, & Dominici ſanctitati dicati prophanantur. Impius Chriſtianus his diebus laſcivè ſaltat, *ut prophanet totam de turpitudine ſanctitatem*, agendo ſcilicet choreas ipſo tempore, quo ſacroſanctum Miſſæ celebratur ſacrificium, adminiſtrantur Sacramenta, decantantur Veſperæ, & habentur conciones. Tum quia his diebus Deus miſericordiam ſuam oſtentat, quam impedit tripudians, & ejus irritat juſtitiam; nam *feſta in laſciviam traducere, eſt prohibitionem in reatum vertere.* Tum quia licèt Chriſtianus teneatur ſub præcepto vacare his diebus ab opere ſervili, tamen *melius fœminæ die Sabbathi lanam nerent, quàm tota die in neomeniis ſuis impudicè ſaltarent.* Tandem concludendum eſt cum Chryſologo: *Nos non declamare volumus, ſed clamare, ut feſtivitatum gaudia ſint cauſa veſtrarum, nataliumque veſtrorum ſolemnitas teneat in exultatione menſuram.* Abſcedant laſciviæ, abſcedant choreæ, abſcedat virorum ac mulierum conventus, abſcedant cuncta gentilium voluptatum lenocinia, ubi præſidet diabolus; nam *qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Chriſto.*

Tert. l. de cor. mil. 12.

Tert. l. de idol. 13.

Chryſol. ſer. 155.

Tert. apol. 35

Chryſol.

Chryſol. ſer. 27

S. Chryſoſt.

S. Aug. l. de 10. chordis. Ser. 127.

Chryſol. ſerm. 155

CONCIO TERTIA.

P*Roprius habitus uniuscuiusq́ eſt,tam ad uſum quotidianum, quàm ad honorem & dignitatem.* Homines à mulieribus ſicut ſexu ita & habitu diſcriminantur: hominum dignitas nō patitur eos muliebribus veſtiri,nec fœminarum honor permittit ut induantur viriliter,*quo modo celebrari nec modeſtia,nec verecundia,nec pudicitia permittunt.* Plures tamen reperiuntur viri, & mulieres, qui Bacchanalium præſertim tempore deſumunt habitus,nec uſui,nec honori,nec dignitati convenientes. Viri namque veſtes muliebres deferunt: fœminæ virorum indumenta deſumunt. Ejusmodi veſtium mutatio quàm ſit indecens,inhoneſta,& Chriſtiano nomine indigna,conſtat,quia eſt contra 1. modeſtiam, 2. verecundiam, 3. pudicitiam. Tert.l.de idol.18. Tert.apol.35.

I. PARS:

Nihil eſt Deo acceptiùs modeſtiâ: Amat Deus modeſtiam in cunctis hominibus,quia modeſtia naturam venuſtat,religionem honorat, virtutem cōmendat,& cunctis bonis exundat. *Dives eſt modeſtia, quæ Dei portio eſt.* Vel quia maximè eluxit in Deipara,quæ Dei portio eſt; nam Verbum humanatum inconſumptam habet portionem carnis, quam ſumpſit ex Virgine: Vel quia Chriſtianus modeſtia pollens à Deo adoptatur, & divinæ naturæ fit particeps. Plùs audet Philo Jud. & fœminam *felicitate modeſtiæ* beatam prædicat,Chriſtianæ mulieres ſtudioſæ virtutis *omnis malitiæ ingenia convertent in ſtudia modeſtiæ.* Sic Dei exiſtimationem & amorem merebuntur, quē demerentur quæ in omnem immodeſtiam diffluunt. Has namque averſatur Deus,præſertim quæ larvatæ incedunt, & indumentis ſexui contrariis veſtiuntur. *Nullum cultum à Deo maledictum invenio,niſi muliebrem in viro. Maledictus enim,inquit,omnis, qui muliebribus induitur.* Quòd ſi viri muliebriter veſtiti maledicuntur à Deo, à fortiori maledictione plectuntur immodeſtæ illæ mulieres, quæ viriles deferentes habitus, 1. naturam pervertunt, 2. religionem dediſcunt, 3. virtutem deprimunt. Tert.l.de vel. virg, 15. S.Ambr. l.1. offic. 18. l.de Abraham. Tert.l.3. adv. Marc.21 Tert.l.de idol. 16.

1. Certè habitum vertere naturæ totius ſolemne munus eſt: Viri, & mulieres habitum mutantes,agunt contra naturam,ut in Achille comprobatur, de quo ſic fatur Tertull. *Naturam itaq́ concuſſit Lariſſæus heros, in virginem mutando: ille ferarum medullis educatus, ille apud rupicem & ſylvicolam & monſtrum eruditorem,ſcrupeâ ſcholâ eruditus ſuſtinet ſtolam fundere, comam ſtruere, cutem fingere,ſpeculum conſulere, collum demulcere,aurem quoq́ foratu effœminatus.* Semel & iterùm veſtem mutavit Achilles: 1.cùm inter puellas puellarum more indutus fuit: 2. cùm ad debellandos Trojanos virilem reſumpſit habitum: *Planè poſteà miles eſt: neceſſitas enim reddidit ſexum. De prælio ſonuerat,nec arma longè. Ipſum ferrum virum attrahit.* Binam illam habitus mutationem damnat Tertull. *Uterq́ habitus mutandi malus: alter adverſus naturam, alter adverſus ſalutem.* Adverſus ſalutem habitū mutavit Achilles,quia viriliter indutus, & pugnans, vulneratus obiit: mutavit adhuc ad- Tert.l.de Pall.2. l de Pall. 4. Tert.

verſus naturam, puellæ ornatum deferens. In bina illa mutatione binum monſtrum agnoſcit Tertull. *Ecce itaq; mutatio, monſtrum equidem geminum, de viro fœmina, mox de fœmina vir.* Geminum illud monſtrum Bacchanalium tempore videmus, in quo viri mulieribus, fœminæ virilibus induuntur: quo nihil ſtultius, nihil prodigioſius, nihil monſtruoſius concipi poteſt. Nihil [S. Ambr. l. 1. de Virg.] ſtultius: *Quanta hac amentia, effigiem mutare natura?* Nihil prodigioſius: [Zen. Ver. ſerm. de contin.] *Nihil diſtat à prodigio quiſquis alterius cauſa & formam mutat & mores.* Nihil monſtruoſius; nam *omne quod contra naturam eſt, monſtri meretur notam, penes omnes: penes nos etiam elogium ſacrilegii in Deum natura dominum, & au-* [Tert. l. de cor. mil. 5.] *ctorem.* Turpe quidem eſt homines indui muliebribus, ſed multò turpius, fœminas virilibus veſtiri: quæ ſunt hujuſmodi, pervertunt naturam, & religionem dediſcunt.

[Tert. l. de an. 1.] 2. Chriſtiani ſedulò debent cuſtodire *modeſtiam fidei.* Modeſtiam fidei nuncupat Tertull. quia fides modeſtiam docet, quæ Chriſtianæ Religionis velut propria videtur; quare ex Chriſtianorum modeſtia Religionis veritatem probat, & vult ut gentiles ex modeſtia reliquum diſciplinæ ordinem [Apol. 39.] cenſeant. *Reliquum ordinem diſciplinæ exiſtimate qui ſit, de Religionis officio; nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit.* Tempore naſcentis Eccleſiæ tum viri, [Tert. apol. 6.] tum *fœminæ, modeſtiæ patrocinabantur,* & ſuâ modeſtiâ Chriſtianam diſciplinam multùm commendabant. Quantum diſtant ab illa modeſtia Chriſtia- [Tert. apol. 35] ni hujuſce ætatis, qui Bacchanalium tempore non verentur *catervatim curſitare, ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras?* Et quod eſt ſceleroſum magis, vagantur die noctuque cum indumentis ſexui & religioni contra- [Tert. l. de Pall. 4.] riis. *Cur iſtos non ſpectas vel illos item habitus, qui ſtare Religionem mentiuntur?* & quod eſt omni ſtupore majus, mulieres jam ætate grandævæ, veſtes mutant, larvatæ incedunt, & viriliter indutæ vicatim curſitant, & harum voluptatū [Tert. l. 2 de cult. fœm 9] lenocinio *ætates requietas jam, & in portum modeſtiæ ſubductas avocant;* tantò magis ſceleroſæ, & culpabiles, quod modeſtia ſexum, religionem, & ætatem [Tert. l. de Spect. 25] docet. *Avertat Deus à ſuis tantā voluptatis exitioſa cupiditatē.* Exitioſa ſanè voluptas, quæ naturā pervertit, religionē dediſcit, laudē dedecorat & deprimit.

[Tert. l. de vel. virg. 3] 3. *Si bonum eſt modeſtia,* laudem profectò merentur modeſtæ mulieres, quæ modeſtiam ſectantes, ſibi laudem comparant; extraneas ædificant, & [Tert. l. de exhort. caſt 1] Dei gloriam prædicant. Sibi laudem comparant, quia *etiam modeſtia laus eſt.* Extraneas ædificant, quas idcircò hortatur Tertul. *Cur non veſtris armis in-* [l. 2. de cult fœm. 11] *duta proceditis: tantò magis, quantò ad extraneas fidei: ut ſit inter Dei ancillas & diaboli diſcrimen: ut exemplo ſitis illis, ut ædificentur in vobis?* Tandem Dei gloriam prædicant. Quapropter modeſtiæ debetis invigilare, [Tert.] *ut magnificetur Deus in corpore veſtro. Magnificatur autem in corpore per pudicitiam, & per habitum pudicitiæ competentem.* Fœminæ quæ viriliter indutæ curſitant, ſeſe dedecorant, extraneas ſcandalizant, Deum inhonorant. Seſe dehoneſtant, de- [Tert. l. de Pall. 4.] ponentes veſtes muliebres, *indices quoq; cuſtodeſque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta.* Extraneas ſcandalizant: *Quantò blaſphemabile, ſi*

qua

quæ Sacerdotes pudicitiæ dicimini,impudicarum ritu procedatis? TandemDeum inhonorant,quod gentilibus exprobrat Tertul.*Cætera laſciviæ ingenia,etiam voluptatibus veſtris,per deorum dedecus operantur.* O quàm ingenioſa eſt luxuria! quot amorum artes argutè excogitat Venus? quot voluptatum varietates,homines docuerunt dæmonia? *Hæc qualia ſint interim jam ex Doctorum ſuorum qualitate,& conditione pronuntiari poteſt; quod nihil ad integritatem peccatores; nihil ad caſtitatem adamatores: nihil ad timorem Dei deſertores ſpiritus, aut monſtrare potuerunt,aut præſtare.* Perverſi illi ſpiritus veſtium docuerunt mutationem, ut viri muliebribus veſtiti, fœminæ quoque viriliter indutæ, dedecore afficerent Deum,tum per immodeſtiam, tum per impudentiam. Tert. l. 1. de cult. fœm. 2. apol. 14. Tert. l. 1. de cult. fœm. 2

Bonum eſt verecundia: quia,ut ait S.Ambroſ.eſt *pudor bonus magiſter officij*: *quem pudet facere in naturam vertit.*Peccandi pudor vertitur in naturam, ac ſi virtus ſit velut connaturalis verecundiæ; quæ propriis coloribus à S.Bernardo pingitur.*Verecundia eſt gemma morum,virga diſciplinæ,ſoror continentiæ, lampas pudicæ mentis, expugnatrix malorum, & propagatrix puritatis innatæ, ſpecialis gloria conſcientiæ fama cuſtos,vitæ decus,virtutis ſedes,naturæ laus, & inſigne totius honeſti.* Pudore paſſiones ſedantur,vitia frænantur. *Pudor frequenter eſt frænum vitiorum.*Pudore luxus reſcinditur,moderatio ſervatur. *Verecundia ab omni aliena luxu,ſobrietatem diligit,honeſtatem fovet.* Pudorē Chriſtianis velut bonorum operum parentem commendat Ennodius, *Matrem bonorum amate verecundiam.*CunctisChriſtianis neceſſarius eſt pudor.Hunc præſertim in adoleſcentibus requirit Ambroſ. *Ut enim in ſenibus gravitas, in juvenibus alacritas,ita in adoleſcentibus verecundia, velut quadam dote commendatur natura.* Quòd ſi in adoleſcentibus requiritur pudor, à fortiori deſideratur in mulieribus, & puellis, quibus *magis diſciplina verecundiæ & modeſtiæ incumbit.*Hanc enim præ ſe ferre debent in oculis,in verbis, & in cunctis operibus. Verùm,proh dolor! *nec fœmina nexu mitigantur ſecundùm pudorem*: Bacchanalium præſertim tempore, quo viriliter indutæ incedentes, impudentiam oſtentant 1. in oculis, 2. in verbis, 3. univerſaliter in cunctis. II. PARS. Tert. l. de vel. virg. 3. l 8. in Luc. 17 Ser. 86 in Cant. S Chryſoho. 26 in Matth. S. Ambr. L 1 offic. 43 Paræn. 6 l 1. offic 17 Tert. l. de Bapt. 17 Tert. l. 1 adv. Marc. 1

1. *Chriſtianus ſalvis oculis fœminas non videt, animo adverſus libidinem cæcus eſt*,probè noſcens oculos eſſe virtutis periculum, caſtitatis venenum, voluptatis illicium. Qui ad libidinem allici nolunt, *jubentur oculi cuſtodire cenſuram.* Homines Chriſtiani ut oculos à crimine cuſtodiant immunes, armari pudore tenentur, maximè fœminæ, quibus magis propria videtur verecundia. Quare Chriſtianam mulierem ſic hortatur Tertullianus: *Indue armaturam pudoris: circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* Mutuus oculorum aſpectus tum viris, tum mulieribus periculoſus eſt. Ut enim ait Chryſologus, *nonne oculus prævaricationis eſt author*, quia ad laſciviam allicit,ſpecumque trahit voluntatis conſenſum? Et ita *libidinoſa viſus tranſcurrentis affectio* animam contaminat, & inſtigat ad delinquendum. Tert. apo. 4 Salv l. 2 ad Eccleſ. l. de vel. virg. 15 Serm. 139. S H. l. Ca. 4 in Matt.

Quare *deprimendi ſunt oculi quaſi quidam raptores ad culpam*: ad quod verecundia fœminis potiſſimùm neceſſaria eſt, ne videantur, & ne videant: *eſt enim & in oculis verecundia, ut nec videre viros fœmina, nec videri velit.* Mulier ſeu puella verecunda non allicit virorum oculos; nam *quis audebit oculis ſuis premere faciem clauſam, faciem non ſentientem, faciem (ut ita dixerim) triſtem?* nec ſuos adhuc emittit oculos, ſciens quòd *nullus aſpectus tutus* eſt, & quòd ſint maximè pertimeſcendi *veloces jactus oculorum.* Scio quamplurimas eſſe pudoratas mulieres, quarum *diligo verecundiam*, quæ ſcilicet incedunt *depicta oculos verecundiâ.* Sunt tamen quamplurimæ minus verecundæ, quæ alienos alliciunt oculos, & in ſuis oculis impudentiam oſtentant. Alienos oculos alliciunt, tum per affectatum decorem, *perinde oculorũ incurſibus moleſtum*: tum per habitus novitatem, aut veſtis mutationem. Ex Hildeberto autem *affectatus decor, & quidquid aliud, quàm quod natum eſt, faſcinat oculos intuentium.* Impudens mulier idcircò luxui, fuco, larvæ, pantomimiæ mancipatur, *ut oculos, & ſuſpiria adoleſcentium poſt ſe trahat.* Neque tantùm alienos ad ſe allicit oculos, ſed ſuos adhuc *oculos impudenter extollit, quorum lenocinio mundus in flore eſt.* De filiabus Jeruſalem aſſeverat Propheta evangelicus, quòd *ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant.* Pedibus incedere ſolemus, non oculis; impudens tamen fœmina oculos petulanter jaciens in amaſios nutibus, incedit oculis, & ut fatur Chryſol. *occurrit laſcivia oculis ſoluta greſſibus, præventa illecebris*, queis illaqueare viros nititur, tum per oculorum inverecundiam, tum per verborum impudentiam.

S. Greg. l. 21. mor. 2 — D. Ambr. l. de pœn. 7. — Tert. l. de vel. virg. 15 — S. Hier. ep. ad Euſt. — S. Valer. hom. 16 — Tert. l. de pœn. 7. — Tert. l. 2. de cult. fœm. 13 — Tert. l. 2. de cult. fœm. 2. — Ep. 33. — Tert. l. 2. de cult. fœm. 3. — S. Zen. ſer. 1. in pſ. 130 — Eſa. 3. — Serm. 115.

2. Fœminarum *eloquium quieſcat verecundiâ retentum.* Quantumvis ingenti polleant ingenio, magnamque in ſuis ſermonibus oſtendant venuſtatem, dum ſimul cum hominibus converſantur, *quòd tacent, pudor eſt.* Ad inſtar Philomelæ quam à Tereo Thraciæ tyranno violatam, & elinguatam Poetæ fabulantur. Verùm, ut animadvertit Tertull. *Philomelam prudentiores, non linguæ cæde, ſed pudoris rubore mutam interpretantes.* S. Ambroſius Suſannæ prodit exemplũ, quæ ſe ſuâ noluit ſermonibus tueri innocentiã, pudoris memor magis, quàm ſalutis. *Tacebat in periculis Suſanna, & gravius verecundiæ, quàm vitæ damnũ eſſe putabat: nec arbitrabatur periculo pudoris tuendã ſalutẽ. Deo ſoli loquebatur, cui poterat caſta verecundia loqui.* Hujuſmodi exemplum imitari deberent virgines, ut verecundo ſilentio ſuam probarent virginitatem: *Vocis virginitas prima ſignetur, claudat ora pudor.* Multæ tamen ſunt, quarum ora pudor non claudit, quas meritò *loquaces* nuncupat Tertull. Verùm non eodem modo & fine loquaces ſunt omnes. Quædam ex urbanitate & ſermonis venuſtate loqui affectant: aliæ ex impudentia & voluptate: Verùm quovis modo loquaces ſint, pudorem offendunt. Nam *per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica*: Urbanitatis commercium non fit ſine jactura pudoris. *Teritur enim officiis pudor, audacia emicat, riſus ſubrepit, modeſtia ſolvitur*: adeò eſt urbanitas in fœminis periculoſa verecundiæ. Pudica virgo non ſit ſatis urbana, ut ſit ſatis verecunda.

Tert. l. de Pall. 5. — Tert. l. adv. Val. 1 — l. 1. ad Nat. 8. — l. 1. offic. 18 — S. Amb. l. 3 de Virg. — l. 1. ad ux. 8 — Tert. l. 1. ad ux. 8 — S. Ambr. l. 3. de Virg.

Dum

Dum aliqua incivilitatis nota inuritur verecundia, pudoris nitor micantiùs ſcintillat. *Deeſſe ſermonem virgini, quam ſupereſſe malo: pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem.* Multo magis criminoſæ ſunt mulieres quæ verba æquivoca proferunt, & abſque ullo pudore impudicè loquuntur: *in nobis pudet ac piget, ipſis nominibus ſcelerum pronuntiare:* impudentes tamen mulieres viriliter indutæ & larvatæ curſitantes, impuros & meretricios cum hominibus habent ſermones qui aerem toxicant veneno luxuriæ. D.Ambr. Tert. Apol.2

3. *Pudor ubique veſtitur*, præſertim in hominum conſortio, ubi pudicitia periclitatur: quæ ſocietate pudoris indiget, ut illæſa remaneat. *Etenim verecundia pudicitiæ comes, cujus ſocietate caſtitas ipſa tutior eſt.* Mulieres quæ exoptant cuſtodire verecundiam pudicitiæ cuſtodem, debent abeſſe ab impudicis cœtibus: *pedes domi figere*: quæ larvatæ incedunt *reſignarunt pudorem ſpiritus*; reſignato autem ſpiritus pudore, non difficile pudicitia corporis reſignatur. Conſtat namque *priorem eſſe pudoris quàm corporis plagam.* Pudor in fronte mulieris emicans, animi pudici indicium eſt: impudentia verò reſidēs mentis, imo & corporis impudicitiam denotat. Mulier impudens *ſexum pudoris exterminans*, nec Deum timet, nec homines reveretur, ſed audacter & abſque ullo rubore *totum pudorem in faciem omnium intentat*: nam palam & publicè laſcivè loquitur, oſcula & amplexus permittit, corporis occulta denudat, perpetrat, *& alia fœda quæ referre erubeſcimus.* Cum enim ſit virili modo induta nec probe ejus dignoſcatur ſexus, interdum cum viris, interdum miſcetur cum mulieribus: *& ex hac permixtione pudet dicere, quæ fœtida & immunda ſunt.* Hæc verò quantumvis probroſa impudentiſſimas illas fœminas pudore non afficiunt. Quas bellè Tertullianus nuncupat pudoris interemptrices: *Ipſæ illæ pudoris interemptrices ſemel in anno erubeſcant.* Nec mirum ſi numquam erubeſcant, cum ſint etiam pudicitiæ interemptrices. Tert. l. de vel. Virg. 11 D.Ambr. l.1. Offic. 18 Tert. li.2. de Cult. Fœm.13 Tert. l. de vel. virg 11 Tert. Scorp.9 Tert. l. de Spect. 17 Tert. l. de Spect. 21 Tert. l. de Præſ. 47 Tertull. L deSpect 17

Turpius adhuc libido virum cultu transfiguravit, quàm aliqua materna formido. Loquitur de Hercule, qui poſt reſecata hydræ capita, poſt debellatos Centauros, poſt Diomedem, Buſirim, Gerionem ter unum alioſq; ſuperatos tyranno, *totam epitheti ſui ſortem cum muliebri cultu compenſavit*: Siquidē Omphales amore victus, ſagittas jubaſq; leoninas deponens pellicis ſumpſit indumenta. Hanc Herculis muliebritatem turpiorem exiſtimat Tertullianus ea quâ Achilles puellarum more indutus eſt. In Achille enim veſtium mutatio ex materna proceſſit formidine, in Hercule verò ex libidine orta eſt. Quanto à fortiori turpior eſt in Chriſtianis hujuſmodi habitus mutatio? nam contra veritates fidei quæ caſtitatem commendant, & impudicitiam damnant, viri induuntur muliebriter & mulieres viriliter, & ita habitu 1. lenocinantur: 2. libidinem negotiantur: 3. denique ſcortantur. III. PARS. Tert. l. de Pall.4

1. *Nullus habitus licitus eſt apud nos illicito actui adſcriptus.* Quàm illicitus ſit mulieri virilis habitus & è converſo, inde patet, quia lenocinium ſapit. De muliere viriliter induta ſic fatur Tertullianus. *Veſpillo, leno, laniſta, tecum veſtiuntur*, quaſi pantomimia & veſtium mutatio, ſit impudentiæ leno & proſtitu- Tert. l. de Idol. 19 L. de Pall. 4.

ſtitutionis index. Mulier quæ Bacchanalium tempore larvata incedit, & vi-
Tert.l.1. ad Nat. 10 rili vagatur habitu, *de lenonio ludo jactitat*, nec ullo modo à proſtibulis diſcri-
Tert. Apol.6 minatur. *Video & inter matronas, & proſtibulas nullum de habitu diſcrimen reli-
ctum.* Idcirco Chriſtianas hortatur mulieres, ne hujuſmodi lenones deferant
L.2 de cult.Fæm. 9. habitus: *Ergo benedictæ, lenones & proſtitutores veſtitus ne in vos admiſeritis.* Vo-
cat lenones habitus, quia ſcilicet libidinem negotiantur.

Tert.l.2 de cult. Fæm.12 2. *Unde addiſcimus adverſus congreſſus & ſuſpiciones impudicas providendum
omnino eſſe; quid enim caſtæ mentis integritas alterius ſuſpicione maculatur? quid
ſperatur in me quod averſor? quid non mores meos habitus pronuntiat, ne ſpiritus
per aures ab impudentia vulneretur?* Pudica mulier gaudet pudicam videri, nec
quicquam agit quo de ejus pudicitia male judicetur. In cunctis præ ſe fert
pudicitiam, præcipue in veſtibus, ne ut impudica importune ſollicitetur:
quæ verò larvata eſt & viriliter veſtitur, meretrix ſuſpicatur, præbetque ten-
Baſ.Sel. Cor 18 Tert. tandi materiã, quaſi ex habitu negotietur libidinem: *Habitu ſeminando ſuam
turpitudinem publicat*, ut conſtat ex Thamar. *Thamar illa quia ſe expinxerat &
ornaverat, idcirco Juda ſuſpicione viſa eſt quæſtui ſedere, adeoque ſub velamento la-
tebat, habitus qualitate quæſtuariam mentiente, ut quæſtuariam voluerit, & com-
pellaverit, & pactus ſit.* Idem accidit mulieribus illis Bacchanalium tempore
larvatis & viriliter indutis, eas namque habitus qualitas dedecorat, & ut
pellices indicat. Viri qui eas meretrices ſuſpicantur, ut tales adoriuntur,
cum illis paciſcuntur, libidines negotiantur, & tandem ſcortantur.

Tert.l.de Pall.4 3. *Qualis ille Hercules in ſerico fuerit jam Omphales in Herculis ſcorto deſigna-
ta deſcripſit.* Ex mutatione veſtium Herculis & Omphales, quid evenerit ip-
ſa Omphales Herculis ſcortum deſignat. *Tantum Lidiæ licuit, ut Hercules in
In cap.24 Gen. Omphale, & Omphales in Hercule proſtitueretur.* Adnotat ſubtiliter Cajetanus
D.Amb.l.3.de Virg. quod Rebecca *deſcribitur ab habitu virgo.* Et bene quia *non ſatis probabilis vir-
go eſt, quæ requiritur, cum videtur.* Ipſe virginis occurſus, inceſſus & habitus
D Amb. ſunt ſigna prævia quæ ejus integritatem annuntiant. *Virginem mihi prius gra-
vitas ſua nuntiet, pudore obvio, gradu ſobrio, vultu modeſto, & prænuntia integri-
tatis, anteeant ſigna virtutis.* Quid augurandum eſt de fœmina viriliter indu-
Tert.l de Cor.mil. 14 ta, niſi luxuria? quænam ſunt ſigna quæ eam denotant, *quàm ſummæ laſciviæ
nota; extrema negatio verecundiæ; conflatio illecebræ?* Quæ cùm ſit impudice ve-
Tert.l. de Pall 4 ſtita & ut meretrix habeatur, viri quibuſcum curſitat audacter eam aggre-
diuntur; Siquidem *tentatio per licentiam operatur.* Omnis qui eam intuetur
Tert.l de Exhort. Caſt.8 concupiſcit, & *omnium pudendorum conſcias manus inſerit*; ne quid amplius
dicam: & quod ejus caſum inevitabilem demonſtrat, verſatur inter homi-
Min.Fel. in Oct. nes, *apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas.* Chriſtianæ mulieres pudici-
tiæ cuſtodiendæ zelatrices, ne umquam larvatæ incedatis, neque viriles de-
Tert.l.2. de Cult. Fœm.13 ſumatis habitus: *Veſtite vos ſerico probitatis, byſſo ſanctitatis, purpura pudicitiæ:
& ſic Deum habebitis amatorem.*

CON-

CONCIO QUARTA.

FUerunt alias tepentes Chriſtiani aſſeverantes gentilium ſpectacula non
eſſe à ſacris paginis expreſſe prohibita. *Quorumdam enim fides aut ſimpli-* Tert. l. de
cior, aut ſcrupuloſior, ad hanc abdicationem ſpectaculorum de Scripturis auctori- Spect. 3
tatem expoſcit, & ſe in incertum conſtituit, quod non ſignificanter, neque nomina-
tim nominetur ſervis Dei abſtinentia ejuſmodi. Plane nuſquam invenimus quemad-
modum aperte poſitum eſt, non occides, non idolum coles, non adulterium, non frau-
dem admittes: ita exerte definitum, non ibis in theatrum. Hanc theatri patroci-
nationem ut vanam rejicit Tertullianus. *Quàm vana, imò deſperata argumen-* Tert. l. de
tatio eorum, qui ſine dubio tergiverſatione amittenda voluptatis obtendunt, nullam Spect. 20
ejus abſtinentiæ mentionem ſpecialiter in Scripturis determinari; quæ directo prohi-
beat ejuſmodi conventibus inſeri ſervum Dei. Verum ad demonſtrandum thea-
trum ab Scriptura prohibitum, ſufficit Regii Vatis auctoritas: *Sed invenimus* Tert. l. de
ad hanc quoque ſpeciem pertinere illam primam vocem David; Fœlix vir, inquit, Spect. 3
qui non abiit in concilium impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, nec in cathe-
dra peſtium ſedit. Quod ſi ille fœlix eſt qui ſpectacula non frequentat; *itaque* Tertull.
contrario infelix qui in quodcumque concilium impiorum abierit, & in quacumque
via peccatorum ſteterit, & in quacumque cathedra peſtium ſederit. Theatrum
autem eſt concilium impiorum, via peccatorum, & cathedra peſtium. 1. Cō-
cilium impiorum quia in illo falſa dogmata propalantur, nefanda crimina
prædicantur; ſceleroſa numina demonſtrantur; fabulæ decantantur; ethni-
corū impietates imitantur. 2. Theatrum eſt via peccatorum, in illo namque
maxima ſunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentiſſime va- Lact. l. 6.
lent. Ex theatro ſiquidem multi *ingentem cumulum vitiorum congeſſerunt.* Tan- Div. Inſt. 20
dem 3. theatrum eſt cathedra peſtium: *nec inconcinne theatra peſtilentiæ cathe-*
dram quis vocaverit. Cui accinit D. Chryſoſtomus theatra nuncupans *civita-*
tum peſtes, malorum omnium fontes. Adeo contagioſa theatra exiſtimarūt Ro- Baſ. Mag
mani, quod ſummus apud illos *Pontifex propter cavendam animorum peſtilen-* de Temp.
tiam, ipſam ſcenam conſtrui prohibebat. Inde ſumit argumentum Tertullianus Clem. A.
ad demonſtrandum ex teſtimonio Gentilium æquitatem diſciplinæ chri- lex lib. 3. Pædag. 1.
ſtianæ theatrum reprobantis. *Ut jam hinc Ethnicis in teſtimonium cedat ſentē-* Hom. 56.
tia ipſorum nobiſcum faciens, & nobis in exaggerationem diſciplinæ, etiam humana de Pœ.
prærogativa. Toto tempore quo gentiles Romani frugalitatis, modeſtiæ & D. Aug. l.
virtutis moralis fuerunt ſtudioſi, à civitate & imperio theatra tanquam bo- 1. Civ. 12
nis moribus contraria propulſarunt. *Sæpe Cenſores naſcentia cum maxime* Lib. de Spect. 10
theatra deſtruebant, moribus conſulentes, quorum ſcilicet periculum ingens de laſci- Tertull.
via providebant. Conſulte deſtruxerunt theatra Cenſores ne mores deprava-
rentur; *quia nihil eſt tam damnoſum moribus quàm in aliquo ſpectaculo deſidere:* Sen. Ep. 7

tunc

tunc enim per voluptatem facilius vitia ſubrepunt. Primipili etiam Chriſtiani
D.Cypr. Ep.2.ad magis quàm Gentiles averſabantur theatra, tanquam *morum labes, probrorũ*
Donat. *fomenta, alimenta vitiorum.* Odienda ſane ſunt theatra, velut 1. fomenta libidinis: 2. alimenta impietatis: 3. principia infœlicitatis.

I PARS. *Si nec impudicitiam omnem amare jubemur, hoc modo à theatro ſeparamur,*
Tert l.de *quod eſt privatum conſiſtorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quàm quod alibi*
Spect.17 *non probatur.* Chriſtianus qui nullam impudicitiam jubetur amare, pudicitiam ſectari & impudicitiam averſari tenetur: neutrum valet exequi niſi
L.3. Var. theatrum fugiat, quod Caſſiodorus appellat *evacuatorem honeſtatis*, & quod
Ep.50 Tertullianus nuncupat *privatum conſiſtorium impudicitiæ.* Summus Pontifex Cardinales ad Conſiſtorium vocat, quibuscum negotia pertractat, quæ fidem, religionem, pietatem, & bonum Eccleſiæ regimen ſpectant: Theatrum eſt conſiſtorium impudicitiæ, in quo amores, fornicationes, adulteria, ſtupra, inceſtus, ſacrilegia negotiantur. Quapropter Tertullianus belle illud
Lib.de vocitat *ædem Veneris, templum Veneris, ſacrarium Veneris.* Dicitur 1. theatrum
Spect 10 *ædes Veneris*; quia Venus habitat in theatro, in eoque velut in ſolio regio cunctis ornata blanditiis ſedet: 2. *templum Veneris*, quia impudicitiæ dea *co-*
Salv.l.4 *litur Venus in theatris*, cui divinum amaſii deferunt honorem. 3. *Sacrarium*
de Prov. *Veneris.* In ſacriſtiis ſervantur ea quæ ad divinum cultum pertinent, ibique
Arnob.l.4 ſacerdotes ſacrificaturi ſacris induuntur veſtibus. Theatrum Veneri ſacratur
adv. Gen. in quo ſunt *lenocinia voluptatum*, quæ 1. oculos contaminant: 2. aures maculant: 3. animam fœdant.

Tert. l. de 1. *Loca nos non contaminant per ſe, ſed quæ in locis fiunt, à quibus & ipſa loca*
Spect 8 *contaminari altercati ſunt.* Triplici autem potiſſimum de cauſa contaminat theatrum: 1. ob fœditatem eorum quibus dicatum eſt: *Propterea autem com-*
Tertull. *memoramus, quibus ejusmodi loca dicantur, ut eorum demonſtremus eſſe, quæ in his locis fiunt, quibus ipſa loca dicantur.* Theatrum autem Veneri & Baccho dicatum eſt. *Theatrum Veneris, Liberi quoque domus eſt.* Neque Veneri dumtaxat & Libero; ſed falſis aliis nominibus conſecratum eſt theatrum. *Quæ privata & propria ſunt ſcenæ, de geſtu & flexu corporis, mollitiæ Veneris & Liberi immolant; illi per ſexum, iſti per luxum diſſ lutis. Quæ verò voce, & modis, & organis & lyris tranſiguntur, Apollines, & Muſas, & Minervas & Mercurios mancipes habent:*
Varr. 2. Ob fœditatem eorum quæ repræſentantur: Etenim *obſcœnum à ſcena.* Ob-
Tert.l.1 ſcœnitas nomen ſuum mutuatur à ſcena, in qua tragœdi & comœdi *omnem*
adNat.10 *fœditatem deſignant deorum*, & ut ait Chryſologus, *Gentiles deos ſuos fœditati-*
Serm.155 *bus exquiſitis, excogitato dedecore, & ipſa turpitudine turpiores videndosq; trahunt.*
Tert.l.de
Spect.17 3. Ob Actores qui ſupra theatrum apparent. *Ita ſumma gratia ejus de ſpurcitia plurimum concinnata eſt, quam Attelanus geſticulatur, quam mimus etiam per mulieres repræſentat. Ipſa etiam proſtibula publica libidinis hoſtiæ in ſcena proferuntur, plus miſeræ in præſentia fœminarum quibus ſolis latebant, perque omnis ætatis, omnis dignitatis ora transducuntur: loci iſtius elogium etiam quibus opus non eſt prædicatur. Taceo de reliquis etiam quæ in tenebris & in ſpeluncis*

luncis ſuis deliteſcere decebant, ne diem contaminarent. Hæc omnia ad theatri
contaminationem concurrunt. Quod ſi *de contaminatis contaminantur,* Tert. l. de
quomodo non contaminatus theatri *ſpectator,* tot fœda ante oculos habẽs? Spect. 8
Veri Chriſtiani ut oculorum ſervent munditiem, ſic fantur apud Theophi- Tert.
lum Antiochenum: *Nec ſpectacula ſpectare audemus, ne oculi noſtri inquinentur.* Lib. 3
Quomodo adhuc D. Hilarius hanc Vatis Regii deprecationem expendit:
Averte oculos meos ne videant vanitatem. *Quærendum eſt quos oculos, & à* Enar. in
qua vanitate quærat averti. Orat autem averti & animi & corporis oculos, eos Pſ. 118
ſcilicet qui theatralibus ludis incubant.

Nec dicat theatri propugnator: *Sol, imo etiam ipſe Deus de cœlo ſpectat, nec* Tert. l. de
contaminatur. Hujuſcemodi effugium duplici comparatione fulcitur: una ex Spect. 20
ſole, altera à Deo deſumpta. Primam non eſſe ad rem oſtendit S. neſius; nam
ſolaris radius quamvis cœnum contingat, purus nec inquinatus manet, ego ſi idem Adv. An-
fecero fontibus & mari opus habebo. Secundam velut abſurdam multis inſequi- dronic.
tur Tertullianus. 1. *Utinam autem Deus nulla flagitia hominum ſpectaret, uti*
omnes judicia evaderemus: ſed ſpectat & latrocinia, ſpectat & falſa & adulteria,
& fraudes & idololatrias & ſpectacula ipſa & ideo ergo non ſpectabimus ne vi-
deamur ab illo qui omnia ſpectat? Veneratio præſentiæ Dei, honor conſpectui
Dei debitus, Chriſtianorum oculos arcere debet à theatri inquinamentis.
2. *Comparas homo reum & judicem; reum, qui quia videtur, reus eſt: judicem qui
quia videt, judex eſt.* Deus eſt immenſus, ſanctus & juſtus. Ut immenſus, cun-
cta replet loca & omnia ſcibilia perſpicue cognoſcit. Ut ſanctus, ejus præ-
ſentia & ſcientia à nullo vel loco, vel objecto poteſt contaminari. Ut juſtus,
probos remunerat; improbos punit. Homo verò eſt limitatus, ad delinquẽ-
dum pronus, ut finitus neque cuncta replet loca, neque omnia ſcibilia cog-
noſcit: ut pronus ad delinquendum, & loca & objecta à quibus contami-
nari poteſt vitare tenetur: aliàs erit reus, & juſtitiæ divinæ pœnis ſubditus, *in* Jul Firm.
oculorum illecebras paſſivis cupiditatibus incurrens. Hæc autem paſſiva exprom- l. 2. in Mat.
pta licentioſa oculorum cupiditas, ſeu *paſſivitas affert libertinos,* qui facili & Tert l. de
vaga oculorum libertate abutentes objecta contaminata & contaminantia Pall. 2
cum jactura pudicitiæ conſpiciunt, *ſuppeditante materias paſſivitate luxuria.* Tert. A-
Fœda enim quæ demonſtrantur in theatro, ſpectatorum oculos alliciunt ad pol. 10.
laſciviam, eiſque concupiſcentiam important; ideoque theatri ſpectator à
theatro contaminatur, quia fœda intuendo *oculis concupiſcentiam implevit:* Greg.
laſcivientes oculi amores excitant, ſuntque prima fax quæ libidinem accen- Nyſſ. l. de
dit. *Nam res quoque non attrectandas laſcivi oculi atque procaces pertingunt,* quæ Virg 19
cùm nequeant abſque immunditia ſalaciter conſpici, ſpectantium oculos Greg. Naz. Orat de
contaminant, & cùm nequeant pudice audiri, audientium aures macu- laud. virg.
lant. Cyp.

2. *Loquacitas nulla turpis.* Fugandi ſunt ab ore turpes ſermones ad laſci- Tert. l de
viam allicientes. Humana caro adeo eſt ad luxuriandum prona, ut vel ſcin- Pat. 5
tilla verbi inhoneſti accendatur. Quare ſapienter vetat Apoſtolus, ne *forni-*

Ephes. 5. *catio & omnis immunditia nominetur in vobis*, ſedulò præcavens ne vel nomi-
natione rei venereæ veneris ignibus exuratur homo luxuriæ fomite conſla-
Tert. l. de Spect 18 tus ad libidines. *Quod in facto rejicitur, etiam in dicto non eſt recipiendū*. patran-
Tert. l. de Spect. 17 da non eſt opere luxuria, neque etiam ore propalanda. *Quod ſi nobis omnis*
impudicitia execranda eſt, cur liceat audire quæ loqui non licet? Non licet Chri-
Tert. ſtiano loqui verba inhoneſta: *cùm etiam ſcurrilitatem, & omne vanum verbum*
judicatum à Domino ſciamus: & conſequenter non licet audire turpes ſermo-
nes quos non licet proferre. In Chriſtiano & Chriſtiana deſiderat D. Am-
L. 2. de Virginib broſius *oculos verecundos, aures religioſas*. Oculos verecundos ne fœda intue-
antur; *cur aque liceat videre quæ facere flagitium eſt?* Aures religioſas, ne à ver-
Tert. bis inhoneſtis maculentur, *cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per*
Tert. *aures admiſſa non videantur hominem communicare?* Verba alterius ſexus veræ
& meræ ſunt pudoris inſidiæ, ipſa infractio & teneritudo fœmineæ vocis
virilem exarmat caſtitatem: Idcirco Joſephus ne amatoriis laſcivæ dominæ
vinceretur ſermonibus fugam capit, ſuas antes culpans, quod etiam abſque
Baſil. Sel. Ora. 8. ſui culpa hæc procacis fœminæ audierit verba, *Dormi mecum: Hac voce haud*
aliter aures mihi verberantur quàm gladio, quomodo agam? quomodo conſpurcatas
aures medicabor? quomodo tuorum verborum abſtergam inquinamenta? Innocuas
habet Joſephus à laſcivia aures, timet tamen ne impudicæ mulieris ſermo-
ne maculentur, ne conſpurcentur ſceleſtis fœminæ vocibus: quapropter
invitum aurium fugit inquinamentum. Quod ſi vir vitare debet dulcia fœ-
Prov. 5 minæ colloquia, cujus labia diſtillant mel libidinis: *Favus diſtillans labia me-*
retricis.

Non minus fœmina obturare debet aures, ne viri ſermonibus præbeat
auditum. Ipſa aſperitas virilis eloquii blande lenocinatur muliebri pudici-
Cap. 28 tiæ; quare mulierem hortatur Eccleſiaſtici author. *Sepi aures tuas ſpinis, lin-*
Tert. l. de vel. Virg. 17 *guam nequam noli audire*: Noli amatorias procorum audire voces. Chriſtianæ
caſtitatis diſciplina *barbar or* eſſe debet religioſa barbarie, ut renutu arceat
blanditiarū lenocinia. Caſta & honeſta illa eſt mulier, quæ ingrate audit &
inciviliter recuſat amatoria verba: Bene culta & male caſta illa eſt, quæ ur-
bane audientiam præſtat virilis eloquii blanditiis. Non dulcem ſed acerbam
L. de vel. Virg. 11 virginem exoptat Tertullianus. *Tandiu virgo quandiu acerba eſt*, quandiu ar-
boris fructus acerbus eſt, tandiu remanet intactus: Fructus maturus & ad
guſtum dulciter ſaporatus colligitur & cum voluptate comeditur. Virginis
In Agathone. acerbitatem in ejus auribus conſtituit Varro. *Virginis acerba aures, Veneris vo-*
cabulis imbui noluerunt. Virgo quæ immaturas & acerbas habet aures mellitas
virorum reſpuit voces; quæ verò dulces & bene ſaporatas ad venerea viri
Tert. vocabula exhibet aures, matureſcit in libidinem: *deſinit virginem cum natura*
D. Ambr. l. 2. de Virg. *cognoſcitur*. Non curans *verborum vitare laſciviam* ſcortatur in venereis voca-
Tert. l. de Spect. 21 bulis, ut deinde luxurietur in rebus, quod maxime metuendū eſt in theatro:
Qui filiæ virginis ab omni ſpurco verbo aures tuetur; ipſam in theatrum ad illas vo-
Tert l. 1. ad Nat. 16 *ces geſticulationesq; deducat*, ut aurium acerbitatem in ſuavem commutet ma-

turi-

turitatem. Nam *quotcumque adulteria, quotcumque ſtupra, mimis, comœdiis argumentorum vena ſunt*: His autem argumentis ex ſtupris & adulteriis deſumptis, maximam vim præbent mimi & comœdi, tum per fœda objecta, quæ ſpectantium oculis *exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Jovem illum ſuum non magis regno quàm vitio principem in terrenos amores cũ ipſis ſuis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubeſcentium raptus miniſtris avibus proſilire. Quare jã an poſſit eſſe qui ſpectat integer aut pudicus.* Vim enim præſtant venereis ſuis argumẽtis comœdi *per linguarum infeſtarum ingenia*, quæ veneno luxuriæ toxicãt *ipſum aerem qui incubat, ſceleſtis vocibus conſtupratum.* Hujuſcemodi autem luxuriæ venenum per oculos & aures admiſſum, animam inficit & contaminat; nam *cum ſpiritui appareant aures & oculi, nec poſſit mundus præſtari cujus apparitiores inquinantur*, oculis & auribus inquinatis anima neceſſario inquinatur. D.Cypr. Ep. 2 ad Don. Tert. l. 3. adv. marc. 21 Tert. l. de Spect. 17 Tert. l. de Spect. 17

3. *Si gulam & ventrem ab inquinamentis liberamus quanto magis auguſtiora noſtra oculos & aures ab idolothytis & necrotytis voluptatibus abſtinemus, quæ non inteſtinis tranſiguntur, ſed in ſpiritu & anima digeruntur? Quorum munditia magis ad Deum pertinet quàm inteſtinorum?* In Chriſtiano requiritur munditia tũ corporis, tum animæ, corporis fœdatur munditiès, cum luxuria opere conſummatur: animæ puritas inquinatur cum venereæ voluptates in ea digeruntur per impuras mentis cogitationes, & fœdos voluntatis affectus. Uti alimentum ab ore receptum & ad ſtomachum transmiſſum, digeritur in eo virtute caloris naturalis, ſic venereæ voluptates ab oculis & auribus captatæ in anima digeruntur reflexione, complacentia, deſiderio, amore: *Etiam cogitatus ſine carnis congreſſu adulterium perficit.* Quomodo autem adulterium mente perficiatur, optime declarat Tertullianus. Quia ſcilicet *habet ſecum animi licentiam, qui omnia homini quæ non habet, imaginario fructu repræſentat.* Imaginatio ſiquidem repræſentat menti figuras mulierum & delicias voluptatum, quæ ex earum concubitu guſtantur, quas intellectus contemplatur cum complacentia, & voluntas concupiſcit cum ardore: & ob hanc cauſam Gregorius Nazianzenus unum pertimeſcit, & aliud exoptat. Pertimeſcit *non corporum ſed animorum ſcortationem*: exoptat non carnis tantum, ſed & animi caſtitatem, *ſed & cogitatio virgineſcat, ne figuras operum in ſe ferat malorum; nã figura pars eſt ſcortationis.* Figuras appellat venereas cogitationes, in quibus moratur intellectus & voluntas blande deliciatur. Has autem figuras animã commoventes & turpantes mens mutuatur præſertim per oculos, quos *fornicantes* nuncupat Ezechiel Propheta, quia ab ipſis oritur animæ fornicatio. *Dominus adulterium etiam in concupiſcentia deſignat, ſi oculum quis impegerit libidinoſe, & animum commoverit impudice.* Animi commotio impudicos ſequitur oculorum jactus: quod probe ſciens Jacobus, *ut cogitationes cordis caſtas ſervare poſſit, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incaute aſpiceret, quod poſtmodum intuitus amaret.* Tert. l. de Spect. 13 Tert. l. de Monog. 10 Orat. 10 Cap. 6 Tert. l. de Idol. 2 D. Hier. in cap. 3 Thren.

Jobi non imitantur exemplum quamplures *oculos habentes plenos adulterii*: id eſt, plenos libidinoſis & adulterinis aſpectibus. Mulieres enim quas 2. Pet. 2

amant,& quas facere vellent adulteras, jugiter intuentur, eas in oculis & animo geſtant, continuoque cogitant & amant. Nam *dum laſciviunt oculi, caleſcunt appetitiones*; quæ inflammantur interdum ab oculis pulchras fœminas laſcive intuentibus, interdum ab auribus verba impura audientibus, *tam quæ videntur quàm quæ audiuntur magis accendunt*, & verbis & aſpectibus *fornax concupiſcentiarum magis inflammatur*. Idcirco Alexandrinus Clemens Chriſtianos adhortatur ut diligenti cura oculos & aures cuſtodiant. *Horum non ſolum uſus, ſed etiam aſpectus & auditus deponendam eſſe memoriam vobis annuntiamus. Scortatæ ſunt aures veſtræ, fornicati ſunt oculi veſtri, &, quod eſt magis novum ante amplexum, veſtri adulterium admiſerunt aſpectus.* Tantum abeſt ut qui theatra frequentant, voluptatum deponant memoriam, quas animus oculis fornicariis & ſcortantibus auribus concipit, quin imo interius eas magis combibunt, & memoriæ tenacius imprimunt. Licèt enim ſcena ſubito evaneſcat, & comœdiæ ſpectatoribus recentibus finiat, attamen *ſtatim ac deſcendiſti à theatro, quæ ſpectaſti ad memoriam recurrunt*; & quandiu vivimus, impura illa phantaſmata ita impreſſa perſeverant, nobisque continuum inferunt bellum, eaque dæmon in memoriam revocat, ut noceat amplius.

Clem. Alex. l. 3 Pæd 11

D. Chryſoſt hom. 54. in Gen.

Or. ad hort in Gen.

D Chryſoſt. hom. 3. de Pen.

Habes & theatri interdictionem de interdictione impudicitiæ, cum impudicitia à theatro vix ſeparari poſſit. Quapropter D. Auguſtinus theatrum vocitat *publicam flagitiorum profeſſionem*: Baſilius Magnus *communem & publicam diſcendæ omnis incontinentiæ officinam*: D. Chryſoſtomus *communem luxuriæ officinam, publicum incontinentiæ gymnaſium*: D. Cyprianus *puderis publici lupanarium, obſcœnitatum magiſterium*: Tertullianus *arcem omnium turpitudinum*. Arx repleta eſt alimentis, munitionibus armis, militibus, & cunctis ad ejus conſervationem neceſſariis: Theatrum eſt *arx omnium turpitudinum*; in illo namque rerum impudicarum aguntur comœdiæ, libidinis nundinæ celebrantur, ſtupra ſenſibus exponuntur, turpia verba & carmina audiuntur, perpulchræ fœminæ ornatu ſumptuoſius meretricio oculis objiciuntur, &c. dæmon libidines flabellat per *fornicarios viſus, turpia verba, delibuta membra, atque omnis plenos malitia cantus*. Milites qui in campo præliantur, expoſiti ſunt hoſtium ictibus: at qui ſunt in arce, ne feriantur ab hoſtibus, murorum & mœnium molibus tutantur, & tutò adhuc machinas explodunt, & tormenta bellica in hoſtes contorquent. Theatrum eſt *arx omnium turpitudinum*, quia mœniis & turribus propugnatum amatoriis jaculis lethaliter ferit: nam *quis integro verecundiæ ſtatu dicere queat illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obſcœnitates, illas motuum turpitudines, illas geſtuum fœditates? in illis imaginibus fornicationum omnis plebs animo fornicatur, & qui forte ad ſpectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur.* Arx eſt inexpugnabilis, quæ interius omnibus ad ſui defenſionem neceſſariis abunde munita, exterius auxiliares recipit copias. Theatrum *arx omnium turpitudinum* eſt inexpugnabile, quia ultra præſidiarios milites qui illud defenſant, habet patronos multos qui illud acerri-

Tert. l. de Spect. 17

L. de Cóſ. Evang. c. 33

Hom. 4 in Hexam.

Hom. 6. de Pœn.

de Spect.

Lib de Spect. 20

D. Chryſoſt. hom. 8. de Pœn.

Salv. l. 6. de Prov.

mè protegunt & propugnant. *Nullum mali difficilius extinguitur, quàm quod* S. Cypr.
faciles habet reditus, dum & multitudinis conſenſu aſſeritur, & excuſatione blan- de ſpect.
ditur. Securè ferit qui ex arte militat. Theatrum eſt *arx omnium turpitudi-*
num; ſecura habetur theatri libido, tot namque ſunt hac ætate comœdiæ
aſſertores & defenſores, ut quaſi licita ſint theatri delicta, ſecurè, & impurè
adeatur theatrum: quare theatrales actus nuncupantur à S. Auguſt. *Specta-* l. 1. Civ.
cula turpitudinum, & licentia vanitatum: adeò viget ejuſmodi licentia pa- 32.
tronorum multitudine, & delictorum impunitate auctorata.

Quonam illæ leges abierunt, quæ theatra ſtuprandis moribus orientia deſtrue- Tert. a-
bant? Quonam abiit fervor ille naſcentis Eccleſiæ, quo Chriſtianam Reli- pol. 26.
gionem profiteri volentes in baptiſmate ſpecialiter theatro renuntiabant?
Eo uſq; enervatus eſt Eccleſiaſtica diſciplinæ vigor, & ita omni languore vitiorum S. Cypr.
præcipitatur in pejus, ut jam non vitiis excuſatio, ſed auctoritas detur. Nam ma- de ſpect.
gis hac tempeſtate, quàm gentilium tempore frequentatur theatrum: dam-
natum, & fugatum à gentilibus theatrum à Chriſtianis excuſatur: Quan-
tumvis probroſum, periculoſum, & noxium ſit theatrum, ut honeſtum & u-
tile defenſatur: *Propterea maximè gemo, quòd tam grande malum hoc, malum* S. Chry-
eſſe non creditur: ſed quod eſt multò teterrimum, & favor, & clamor, & clauſus ſoſt. ho. 6.
adhibetur & riſus. Hujusmodi theatri patroni, & defenſores imitantur Pom- in Matt.
pejum Magnum, de quo ſic fatur Tertul. *Itaq; Pompejus Magnus ſolo ſuo thea-* l. de ſpe-
tro minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exſtruxiſſet, veritus quandoq; ctac. 10.
memoria ſuæ cenſoriam animadverſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit, & ad dedica-
tionem populum vocans, non theatrum, ſed Veneris templum nuncupavit. Ita da-
mnatum, & damnandum opus templi titulo prætexit, & diſciplinam ſuperſtitione
deluſit. Eodem modo theatri propugnatores comœdias, & tragœdias à Pa-
tribus damnatas excuſare nituntur, & recreationis, & utilitatis prætextu de-
fenſant: *Non deſunt vitiorum aſſertores blandi & indulgentes patroni, qui præ-* S. Cypr.
ſtant vitiis auctoritatem: quaſi ſicut innocens ſpectaculorum ad remiſſionem ani- de ſpect.
mi appetatur voluptas. Verùm non eſt appetenda animi voluptas, quæ non-
niſi cum conſcientiæ detrimento captatur. *In ſcenis neſcio an ſit corruptela vi-* Lact. l. 6.
tioſior; nam ſcenicæ fabulæ de ſtupris virginum loquuntur, aut amoribus meretri- c. 20.
cum, & quò magis ſunt eloquentes, quia flagitia illa finxerunt, eò magis ſententia-
rum elegantiâ ſuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ verſus numeroſi,
& ornati. Nam ſi obſcœni libri lectura memoriam fœditatibus replet,
quantò magis rei alicujus turpis inhoneſta repræſentatio? Nec dicas comœ-
dias eſſe hodie ab obſcœnitatibus expurgatas, magnamque utilitatem al-
laturas, tum ad ornatè loquendum, tum ad venuſtè pronuntiandum. Ve-
rum *ut abſurdam invenias (tuorum ſpectaculorum, quibus ſuſpenſus inhias) excu-* S. Chry-
ſationem; dicis te utilitatem capere ex his, quibus jacturam pateris irreparabilem. ſoſt. ho. 1
Nam ſi fortuitus mulieris aſpectus accendit concupiſcentiā, quantò majus de verb.
concupiſcentiæ incurrunt periculum, qui ex induſtria ad theatrum prope- Iſa.
rant, vel ad videndas pulchras mulieres ſumptuoſius ornatas, vel ad audi-

S.Chryſ. hom 6, in Matth. eudos demulcentes earum cantus, vel ad admirandam magnam quâ pollent in dicendo venuſtatem? *Neque verò iſtud mihi opponas, quòd jam quidquid ibi fit, ſimulatio & fictum argumentum ſit, non etiam veritas rerum : Etenim ſimulatio plurimos adulteros ferit :* reliqua dum finguntur, inutilia, futilia, & inania ſunt; at ficta & ſimulata libido concupiſcentiæ flabellat ſcintillas ;

Tert. l.de ſpect.18 *Quòd ſi tragœdia, & comœdia ſcelerum & libidinum actrices cruenta, & laſciva, impia, & prodiga, nullius rei aut atrocis, aut vilis commemoratio melior eſt.* Comœdiæ & tragœdiæ ſunt 1. cruentæ, quia ſpectatores cruentos intuentes actus, crudelitatem animo concipiunt, 2. prodigæ, quia ad theatri decorationem actorumque ornatum, multæ inſumuntur opes : laſcivæ, quia ad libidinem inflammant : 4. impiæ, quia impietatem denotant.

II. PARS. Tert.l. de ſpect.10. *Præſcripſiſſe debemus dæmones ab initio proſpicientes ſibi inter cætera idololatriæ etiam ſpectaculorum inquinamenta, quibus hominem à Deo avocarent, & ſuo honori obligarent, ejusmodi quoque artium ingenia inſpiraſſe :* Aſtutus ille ſerpens, ut propoſitum ſibi poſſet aſſequi finem, non propoſuit hominibus idololatriam per ſe nudam, quam ſciebat horreri, præſertim à Chriſtianis, ſed ſub

l. de ſpect. 12 ſpectaculis occultavit, & ut fatur Tertull. *poſteà placuit impietatem voluptate adumbrare*; ut ſic occultatam & adumbratam facilius ingeneraret mentibus, quod maximè exequitur in theatro; nam *fundamentum & radix impietatis vita corruptela eſt.* Nihil adeò corrumpit mores ac theatrum, & conſequenter nihil ita redolet impietatem ac theatrum. Quapropter venuſtè Tertull. tragœdias & comœdias nuncupat *ſacrilegas venuſtates.* In theatro nāque mactantur *impietatis hoſtiæ*, in theatro *impiæ voces* audiuntur, in theatro fit repræſentatio *libidinum impiarum.* Ipſi quoque ſpectatores & auditores *impii deprehenduntur*, & quod eſt omni ſtupore dignum, licèt *tam pius nemo,* ac Chriſtus, qui pietatem verbo & exemplo docuit, Chriſtianus tali nomine haud dignus, *ſub pio impius* efficitur, & 1. factam in Baptiſmate promiſſionem violat : 2. ſeſe Chriſtianum negat : 3. Chriſto renuntiat.

Theod.in pſ.13 L.adNat. 10. Tert.l.1. ad Nat.10 Tert.apo. 10. Tert.apol 7 Tert.l.1. ad Nat.10

Tert.l. de pœn.8 Tert. l.1. adv.Marc. 19 Tert.l. de ſpect.4. Hom. 21 ad pop. Antioch. Tert.l.de ſpect.24 Lib. de ſpect.4.

1. *Cùm aquam ingreſſi Chriſtianam fidem in legis ſuæ verba profitemur, renuntiaſſe nos diabolo, & pompæ, & angelis ejus ore noſtro conteſtamur.* Omne autem ſpectaculum eſt pompa diaboli; ſub ſpectaculo in communi theatrum continetur, quod ſpeciatim eſt pompa diaboli. Ut enim ait S. Chryſoſt. *pompæ ſathanicæ ſunt theatra.* Theatro particulariter renuntiat ſuſcipiens Baptiſmū: *Hoc erit pompa diaboli, adverſus quam in ſignaculo fidei ejeramus.* Multiplici autem ratione pompis diaboli, & ſpecialiter theatro, Chriſtiani in baptiſmate renuntiant; quia theatrum idololatriam ſapit; nam ut ratiocinatur Tertull. *Quid erit ſummum atq́; præcipuum, in quo diaboli, & pompa, & angeli ejus cenſeantur, quàm idololatria, ex qua omnis immundus & nequam ſpiritus? Igitur ſi ex idololatria univerſam ſpectaculorum paraturam conſtare conſtiterit, indubitatè præjudicatum erit etiam ad ſpectacula pertinere renuntiationis noſtræ teſtimoniū in lavacro, quæ diabolo, & pompæ, & angelis ejus ſint mancipata, ſcilicet per idololatriam.* 2. Quia theatrum ſuam à ſuperſtitione ſumpſit originem :

Æquè

Æquè ſpectaculis veſtris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas. Chriſtiani qui veram, & ſanctam profitentur religionem, *turpium & otioſarum ſuperſtitionum vitia* averſantur. 3. Quia theatrum eſt laſciviæ fomentum, improbitatis magiſterium, & vitiorum omnium conceptaculum. *Cenſenda eſt humani erroris latitudo; imò ſylva cædenda, quâ utiq; conceptis ſuperſtitionis ſeminibus, vitii puritatem obumbravit,* ſcilicet vitii originem. 4. Quia theatri inventor ſeu author eſt diabolus: quare S. Chryſoſt. theatrum vocitat *diabolicam officinam.* Ab hac officina reſonant fabulæ, *Remitto tauricas fabulas theatris ſuis.* Ab illa officina procedũt tot fœditates, quæ laſciviam ingenerant: quare S. Hier. abſolutè de *theatri luxuriis* loquitur, quia ut plurimum qui à theatro recedunt, ſunt *probroſiſſimi luxuriâ.* Ab illa officina dimanant tot vitiorum peſtes, quæ inficiunt animas: quia Chriſtianum urget Tertull. *Non ergo fugies ſedilia hoſtium Chriſti, illam cathedram peſtilentiarum?* Ab illa officina erumpunt obſcœna quæque & impiiſſima: & quamvis morati homines, *turpia timori, impia pudori habeant*, comœdi tamen & tragœdi, *ſub ipſa uſque impietatis eruptione* absque ullo timore & pudore apparent in theatro; audientium, & favorem ſpectantium ſibi conciliant, qui efficiuntur tot turpitudinum & impietatum *ſocii & plauſores.* 5. Quia in theatro multi adſunt dæmones, de quo idem aſſerendum eſt, quod de capitolio aſſerit Tert. *Capitolium omnium dæmonũ templum eſt: tot illi immundi ſpiritus conſidunt, quot homines capit.* Hac conſideratione utitur Tertull. ut à theatro avocet Chriſtianum. *Aliena eſt tibi religio quam tot diabolici ſpiritus occupaverunt.* 6. Quia theatrum *proprium eſt diabolo militantium*: Chriſtiani autem non diabolo, ſed Deo militant; *nam & militia Dei ſumus.* Ut autem animadvertit S. Chryſoſt. theatrum diabolus conſtruxit, ut per hoc *ad ſe traheret milites Chriſti,* quos fœdis voluptatibus (quæ in theatro repræſentantur) ad ſe trahere nititur. *Adulter neſcio quis diabolus, & à ſuis cultoribus ſic indigitatus, qui obtentu intemperantiæ, Chriſti milites ad indecora ſpectacula inneſcat.* Res ſcenicæ quæ ſunt luxuriæ incendium, libidinis fomes, & artificium delinquendi, ſunt diaboli negotium, ut ad ſe trahat Chriſti milites. Quivis dæmon Chriſtianis pernicioſiſſimus eſt, at qui allicit, & pertrahit ad comœdias, impudentior adhuc eſt, & magis extimeſcendus. 7. Quia *non convenit ſigno Chriſti, & ſigno diaboli:* Theatrum autem eſt diaboli ſignum: quare de comœdiis & tragœdiis, quæ in theatro aguntur, tanquàm de *ſacramentis diabolicis* fatur Petrus Dam.

Magnum ſanè eſt diſcrimen inter Sacramenta Dominica, & diabolica: 1. Sacramenta Dominica à Chriſto ſunt inſtituta; Sacramenta diabolica, auctorem habent diabolum. 2. Illa ſunt ſigna rei ſacræ: iſta rei turpis, & inhoneſtæ. 3. Illa ex opere operato conferunt ſanctitatem, iſta velut ex opere operato laſciviam, & improbitatem ingenerant 4. Illa Chriſtiani ſpẽ fulciunt, iſta ſpẽ tollũt. Velut deſperata videtur ſalus Chriſtiani, qui theatricæ voluptatis amore ineſcatur: *Quid autem ſpei ſupereſt hujuſmodi homini?*

Illa

Tert. apol. 36
Tert. ap. 6
Tert. l. 1 ad Nat. 9
Hom. 6 in Matth.
Tert. ap. 8
in vita S. Hilar.
Tert. ap. 38
l. de ſpect. 27
Tert. l. 1 ad Nat. 1
Tert. apol. 35
Tert. ibid.
De ſpect. 12
l. de ſpect. 8
S. Chryſo. hom. 6 in Matth.
Tert. l. de orat 14
Baſ. Mag. orat. 27
Tert. l. de idol. 19.
l. 6. ep. 28
Tert. l. de ſpect. 24

Illa cum gratia conferunt jus ad æternam felicitatem, iſta ad interminabilem ducunt damnationem. Juſtè inferni addicitur ſuppliciis Chriſtianus, cum diabolo *pactus ſimul perire.* Tert.

Propter has aliasque rationes Chriſtiani ſuſcipientes baptiſmum, theatro, quod eſt diaboli ſacramentum, renuntiarunt. Tert. *Quod autem ejeramus neq; facto, neq; dicto, neq; viſu, neq; proſpectu participare debemus.* Multi tamen ſunt Chriſtiani promiſſionis in Baptiſmo factæ immemores, qui theatra frequẽtant. Quemlibet illorum pungit S. Auguſt. l.4. de ſymb. ad catech. 1 *Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renunciaſti?* Eumdem inſequitur Salvianus, l.6. de Prov. velut ſuæ pollicitationis infractorem, & diaboli mancipium ſeu militem. *Spectacula etiam juxta noſtram profeſſionem opera ſunt diaboli: quomodo ô Chriſtiane ſpectacula poſt Baptiſmum ſequeris, quæ opus diaboli eſſe confiteris? Renuntiaſti ſemel diabolo, ſemel & ſpectaculis ejus, ac proinde neceſſe eſt prudens & ſciens, dum ad ſpectaculum remeas, ad diabolum te redire cognoſcas.* Et quod eſt deflendum magis, perverſi illi Chriſtiani poſt renuntiationem factam diabolo, & pompæ ejus, ad diabolum, & pompam ejus redeunt. Baptiſmo etiam renuntiant, & conſequenter ſe Chriſtianos negant. Tert. l. de ſpect. 24 *Cæterùm nonne ejeramus, & reſcindimus ſignaculum, reſcindendo teſtationem ejus?*

2. Chriſtianus theatro addictus ſe Chriſtianum negat, cùm veri Chriſtiani nota etiam apud gentiles in ſpectaculorum repudio conſtituta ſit: Tert. ib. *Numquid ergo ſupereſt, ut ab ipſis ethnicis reſponſum flagitemus? illi jam nobis renuntient, an liceat Chriſtianis ſpectaculo uti. Atquin hinc vel maximè intelligunt factum Chriſtianum, de repudio ſpectaculorum.* Chriſtianus theatra non repudians, ſed frequentans, Chriſtianitatis tollit indicium, & conſequenter ſe Chriſtianum negat. Tert. *Itaq; negat manifeſtè, qui per quod cognoſcitur tollit,* & conſequenter nequit ut Chriſtianus agnoſci: Tert. l. de ſpect. 27 *nemo te agnoſcit Chriſtianum.* Neque gentilis, neque fidelis te Chriſtianum cognoſcit: Tert. l. 1. ad Nat. 4. *qui vult intelligere qui ſint Chriſtiani, iſtis indicibus utatur neceſſe eſt.*

Plura ſunt, ſed præſertim tria Chriſtianitatis indicia, 1 Fides, quæ divinis aſſentitur myſteriis; Tert. l. de An. 6. *non enim omnium eſt credere, quod Chriſtianorum eſt.* 2. Laudis divinæ præconium: Tert. apol. 39. *Certè fidem ſanctis vocibus paſcimus;* nam Deum per fidem cognitum laudibus magnificant Chriſtiani. 3. Repudium voluptatum, quæ captantur ab ſpectaculis, quo antiquitùs Chriſtiani ad martyrium eruditi præparabantur. Tert. l. de ſpect. 1. *Sunt qui exiſtimant Chriſtianos expeditum morti genus, ad hanc obſtinationem, abdicatione voluptatum erudiri:* Homo autem theatro aſſuetus & mancipatus, nullum ex his indiciis oſtentat. Non 1. fidem, quia Salv. l. 6. de gubern. *in ſpectaculis quædam apoſtaſia fidei eſt.* Idcircò Rabanus Maurus acutè animadvertit, quòd dæmon protoparentibus In c. 3. Gen. *numeroſitatem deorum credendam propoſuit: quatenus fidei, quâ unum Deum colebant, caſtitatem corrumperet.* Eâdem aſtutiâ dæmon per tragœdos & comœdos, deorum proponit pluralitatem, ut Chriſtianos avocet à fidei caſtitate. Caſtitas eſt veræ fidei propugnaculum, veritatis cuſtos, Religionis Chriſtianæ murus inexpugnabilis: & ob hanc cauſam bellè nuncupatur à

Ter-

Tertull *Fides generis*, quaſi pudicus ſit fidelis, & quò majori pollet caſtitate, eò majori ſolidetur fide. Econverſò luxuria eſt veritatis interpolatio, credulitatis titubatio, mendacii parens, errorum matrix. In theatro autem maximè viget libido, & voluptas, quæ fidem effœminat: quare *diſcutiendæ ſunt deliciæ, quarum mollitia & fluxu fidei virtus effœminari poteſt.* Neque ſecundùm chriſtianitatis indicium habet theatri ſpectator. In comœdia namque nulla eſt de Deo cogitatio, nec beneficiorum ejus recordatio, nec laudum ejus decantatio. *An ille recogitabit eo tempore de Deo, poſitus illic ubi nihil eſt de Deo: ſed tragœdo vociferante, exclamationes ille alicujus Prophetæ retractabit, & inter effœminati hiſtrionis modos, pſalmos ſecum comminiſcetur?* Neque tertium habet chriſtianitatis indicium: mavult enim diſciplinæ chriſtianæ, imò & vitæ renuntiare; quàm voluptati, quæ captatur ab ſpectaculis. *Plures deniq; invenimus, quos magis periculum voluptatis quàm vita avocet ab hac ſecta.* 4. Fucatus Chriſtianus nullam præ ſe ferens chriſtianæ diſciplinæ notam, ſed gentiliū ſectans mores, nonne ut gentilis habendus eſt? Quare fictitios illos Chriſtianos ſic alloquitur S. Ephrem: *Ne decipiamini, fratres in Chriſto dilecti, non ſunt iſta Chriſtianorum, ſed gentium Deum non habentium.* Chriſtianus à gentili per theatri repudium diſcriminatur. Ut enim ait S. Auguſt. *bonus Chriſtianus, ne pergat ad theatrum, clamat poſt Chriſtum: alii concurrant, ſed fortè pagani.*

l. de pud. 1.
Tert. l. 2. de cult. fœm. 13.
Tert. l. de ſpect. 25.
Tert. l. de ſpect. 2.
Ser. 13. in Evang.

Quàm pauci hac ætate boni Chriſtiani! ſed quàm multi ementitii, & pravi Chriſtiani qui ethnicorum inſtar inhiant poſt theatrum, in religionis deſpectum, & Dei contumeliam. Nam ut philoſophatur Clemens Alex. *quando id quod in honorem alicujus idoli ab ethnicis agitur, à fidelibus Chriſtianis ſpectaculo frequentatur, & idololatria gentilis aſſeritur, & in contumeliam Dei, religio vera & divina calcatur.*

Strom. 2

Duplex invenio repudium: Unum laude & præmio dignum: aliud ignominiâ & pœnâ mulctandum: Unum eſt gentilium, qui cognito idololatriæ errore, & Chriſtianæ Religionis veritate, idololatriæ renuntiant, & Chriſtianam Religionem amplectuntur. *Laudem magis quàm pœnam merebatur repudium agniti erroris.* Aliud pravorum Chriſtianorum, qui agnitâ religionis veritate, & idololatriæ errore, religioni renuntiant, & idololatriam profitentur. Gentilis Chriſtianus factus ſcenicas reſpuit voluptates: *Quæ major voluptas, quàm faſtidium ipſius voluptatis?* Chriſtianus gentilium more vivens poſt voluptates anhelat, quem ſic pungit Afer: *Delicatus es Chriſtiane, ſi & in ſæculo voluptatem concupiſcis, immò nimium ſtultus ſi hoc exiſtimas voluptatem.* Ille ab impietate ad pietatem vocatus, *calcat deos nationum*: iſte ex pio impius factus, Religionem Chriſtianam calcat, & Chriſtum Dominum negat.

Tert. Apol. 12
Tert. l. de ſpect 29
l de ſpect. 28
Tert. l. de ſpect. 29
Tert. l. 5 adv. marc. 15

3. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Quid luci cum tenebris?* Chriſtus eſt juſtitiæ Sol, dæmon eſt princeps tenebrarum. *Non convenit caſtris lucis & caſtris tenebrarum.* Qui Chriſto ſubjectantur, non ſerviunt diabolo: econtrà, qui diabolo ſerviunt, ſe Chriſto ſubditos negant: cujusmodi ſunt theatro mancipati. *Quoniã ipſi impleverunt impietates,* à Chriſto deficiunt, & ad diaboli

Tert. l. de ſpect. 26
Tert. l. de idol. 19
Tert. l. adv. Jud. 11

Tert.l.de ſpect.24. caſtra confugiunt,& quia *nemo in caſtra hoſtium tranſit, niſi projectis armis ſuis, niſi deſtitutus ſignis, & ſacramentis principis ſui*; improbi illi tranſfugæ arma à Chriſto accepta (ſcilicet virtutes & ſanctitatem) projiciunt, Chriſti adhuc ſigna,& vexilla deponunt: ſuos Chriſtus milites his inſignibus dignoſci voluit: ſapientiâ ſcilicet,pudicitiâ,& veritate: *Quid enim inſigne præferimus, niſi primam ſapientiam, quâ frivola humana manus non adoramus: pudicitiam, quam nec oculis contaminamus: ipſam veritatem, quâ offendimus?* His inſignibus ſuos decoravit Chriſtus,quibus à diaboli militibus diſcriminantur. Inſignia illa dominica deponunt theatro mancipati, quia neque ſapientiam, neque pudicitiam,neque veritatem præ ſe ferunt: Non ſapientiam, quia *mortifera ingenio luxuria eſt.* Tum quia rationis exilium; nam *dum voluptas vincit,exulat ratio.*Tum quia intellectum obcæcat,& ſapientiæ lumine privat. Et ob hanc cauſam D.Paulinus Nolanus agnoſcit in laſcivo *intemperantiæ cæcitatem.*Non 2.præ ſe ferunt pudicitiam; nam theatrum propriè eſt emporium obſcœnitatum: ubi theatrales fœminæ totæ ad libidinem factæ omnes Venere, cupidineſque ſpirant.Quapropter ſicut gentiles theatro addicti non facilè Chriſtianam ſuſcipiunt Religionem; nam *quæ mulier laſciva,quis juvenis amaſius,facti ſunt Chriſtiani?* ſic Chriſtiani tragœdiæ, & comœdiæ aſſueti à pietate degenerant,& à fide deficiunt. *Quot utiq; & alia documenta ceſſerunt de his,qui cum diabolo apud ſpectacula communicando,à Domino exciderunt?* Non 3.veritatem,quia à theatro diſcunt probroſa,& fabuloſa gentilium numina,quæ inſinuat Tertull.veram & puram Chriſti originem referens: *Non quidem ita genitus ut erubeſcat de filii nomine, aut de Patris ſemine; non de ſororis inceſto,nec de ſtupro filiæ,aut conjugis alienæ: Deum Patrem paſſus eſt ſquammatum,aut cornutum,aut plumatum amatorem, aut in aurum converſum. Jovis iſtâ ſunt numina veſtri.*

Tert.l.1 ad Nat.4

Senec.

Philo Jud. l.2. Alleg.2

epiſt.12.

Tertull. Apol.3.

Tert.l.de ſpect.26

Apol.21

Propter has aliaſque ejuſmodi laſcivientes & probroſas fabulas, quæ in theatro decantantur, plures Chriſtiani inſignia Religionis deponunt, ſui principis arma projiciunt, à Chriſto deficiunt; quibus *minus impii ethnici, minus peccatores, minus hoſtes Chriſti.* Ethnici ſiquidem ad theatrum properantes promiſſionem factam non violant,non ſe gentiles negant, neque ſuis renuntiant numinibus,ſed illa potiùs profitentur, & colunt: falſi autem illi Chriſtiani *dum poſt Chriſtum ad diaboli ſpectaculum vadunt, Chriſto tanquã diabolo renuntiant.*In Baptiſmate diabolo renuntiârunt,in theatro factam in Baptiſmo renuntiationem retractant, & nova renuntiatione Chriſto renuntiant, & ut ait S.Ephrem: *Hodie conjunguntur Chriſto, & cras abrenuntiant,& abnegant,inhonorantque eum: hodie Chriſtiani,cras ethnici; hodie pii, cras impii; hodie fideles & ſervi Dei cras apoſtatæ inimicique Dei.*

Tert.l.de ſpect.7.

S.Cypr. de ſpect.

Impiam illam,& execrabilem mutationem deplorat Tertul. *Quale eſt enim de Eccleſia Dei,in diaboli Eccleſiam tendere?* Eccleſia diaboli eſt theatrum in quo congregantur mimi,hiſtriones,comœdi, tragœdi, ludiones impudentiſſimi,famoſæ meretrices,aliique actores probroſiſſimi, quorum congre-

l.de ſpect. 25.

gregatio dæmonis componit eccleſiam; ad quam tendit improbus Chriſtianus theatro addictus: Dei Eccleſia eſt congregatio fidelium: diaboli eccleſia eſt impiorum cœtus. In Dei Eccleſia 1. Deus laudatur, in eccleſia diaboli blaſphematur Deus. Annon rubore deberes affici Chriſtiane? *illas manus, quas ad Deum extuleris, poſtmodum ludendo fatigare, ex ore quo amen in Sanctum protuleris, mimo teſtimonium reddere?* 2. In Eccleſia Dei anima ſanctificatur: in eccleſia diaboli anima contaminatur, & tamen impius ille Chriſtianus tendit, ut aiunt, *de cœlo ad cœnum.* 3. In Eccleſia Dei eſt ſpes ſalutis, in eccleſia diaboli eſt evidens damnationis periculum: *ludi publici, ludibria ſpei noſtræ,* & tamen damnationis periculum ſpei ſalutis æternæ præfertur, & *ſtulti ea quæ ſunt noxia cupiunt.* 4. In Eccleſia Dei mens illuſtratur, anima vivificatur, in eccleſia diaboli intellectus excæcatur, & animæ vita deperditur. At *quid luci cum tenebris? quid vitæ, & morti?* Comœdiæ tamen frequentantur; *ludibria vitæ noſtræ in theatris deperimus.* 5. In Eccleſia Dei verbum Dei auditur, ſacroſanctum Miſſæ offertur ſacrificium: in eccleſia diaboli probroſi audiuntur ſermones, Veneri offeruntur ſacrificia. *Proinde frequenter vos hortatus ſum, ne quis eorum, qui huc adveniunt, divinaque doctrinâ fruuntur, quique tremendi ac myſtici parti-ipes ſunt ſacrificij, ad illa iret ſpectacula, ne divina cum dæmoniacis miſceret myſteria,* & tamen cum diabolicis divina miſcentur.

Tertul. Salv. l.6. de Prov. Prov.1. Tert.l.de ſpect.26. Salv. S.Chryſ. ho.1.de verb. Jo.

Et quod eſt deflendum magis, majus adhibetur ſtudium ad diabolica, quàm ad divina. *Quis eſt adeo doloris expers, ut non doleat, cùm in ea, quæ ad diabolum pertinent, plus ſtudii conferri cernat?* Nam 1. major Chriſtianorum numerus ad theatrum properat. *Quàm multi baptizati hodie Circum replere, quã iſtam Baſilicam maluerunt?* 2. Comœdiæ vel tragœdiæ aſſuetus, Eccleſiã non frequentat, nec Miſſæ aſſiſtit, nec Veſperas decantat, nec audit concionem: *Alius theatralibus ſollicitatus voluptatibus, Eccleſiã non frequentat.* 3. Pro comœdia expeditus eſt impius Chriſtianus, pro Eccleſia verè deſidiâ torpet. *Quotidie nos invitant ſpectacula, nec ullus pigritatur, nullus eſt qui cunctetur, nullus eſt qui negotiorum occupationes obtendat, ſed tamquam expediti, & omni cura ſoluti accurrunt omnes; Si ad Eccleſiã veniendum ſit; quaſi ex aliquo ſublimi gradu & honore deſiliendum ſit, ita pigritatur, & torpet, & inflatur, perinde quaſi quippiam fuerit Deo largitus.* 4. Tepentes Chriſtiani nauſeant in Eccleſia: cum tædio Miſſam vel concionem audiunt; ſemi hora vel hora, videtur illis ſæculum. In theatro cum gaudio *diei integri dimidiam partem conſumunt.* 5. Comœdiæ cum attentione & ſilentio aſſiſtunt: Eccleſiæ verò cum voluntaria diſtractione, & continua garrulitate, & ut addit Hugo Card. *illi ſoli attendentes Deo vero per Prophetas, & Apoſtolos loquente oſcitamus, ſcalpimus, & multus æſtus videtur eſſe.* 6. Pro divino cultu in Eccleſia exhibendo nulla exhibenda eſt merces; in eccleſia verò diaboli nullus recipitur, ad comœdiam, nemo admittitur quin priùs ſolverit; & qui pro redimendis peccatis vix aſſem largitur pauperibus, pro emendo inferno nummum

S.Chryſ. To.5.ſer. 48. S.Aug.in pſ.80. S.Ambr. in pſ.118 S. Chryſ. Hug. Card. in c.9.Joan.

Tert.l.5. adv. Marc.15 aureũ libenter præſtat. Qui eſt hujuſmodi, ethnicorum *æquarit impietates,* frequentando comœdias & tragœdias,quæ ſunt impiæ, & infauſtæ, quia ſuos ſectatores impios efficiunt,& infelices reddunt.

III. PARS Tert.l.3. adv. Marc.13 Cyril.Al. *Ignominioſæ ob idololatriam,& ob conſimilem impietatem* ſunt comœdiæ,& tragœdiæ, & *qui in ſcenis verſantur,& quibus inſatiabilis eſt amor carnis,& quibus impurus idololatriæ error gratus, execrandam vitam ducunt, ac turpiſſimis maculis inquinatam.* Comœdia ex actoribus & ſpectatoribus conflatur: Utrique vitam maculatam,ignominioſam & execrandam ducunt; nam 1.comœdi infames ab hominibus cenſentur: 2. ſpectatores à dæmonibus ſæpè poſſidentur: 3. tam comœdi,quàm ſpectantes à Deo odio habentur.

1. Romani ſpectaculorum adminiſtratores, theatri actores,comœdos& tragœdos cenſebant infames,ab officiis & dignitatibus arcebant, &, ut ait Tertull. *manifeſtè damnant ignominia,arcentes curia,roſtris,ſenatu,equite, cæteriſque honoribus,ac ornamentis.* Tertulliano aſſentit S. Auguſtinus, qui ſic de Romanis adhuc gentilibus fatur: *Cùm artem ludicram , ſcenamque totam probro ducerent, genus id hominum non modò honore civium reliquorum carere, ſed etiam tribu moveri,notatione cenſoria voluerunt.* Animadverte autem humani judicii cæcitatem: voluntatis humanæ pravitatem: theatri,& comœdiæ iniquitatem. 1. Humani judicii cæcitatem; nam *quale judicium eſt, ut ob ea quis offuſcetur,per quæ promeretur?* Theatri actores ob comœdias cenſebantur infames. 2. Voluntatis humanæ pravitatem: *quanta perverſitas! amant quos mulctant; depretiant quos probant; artem magnificant, artificem notant.* 3. Theatri iniquitatem. *Quanta confeſſio eſt malæ rei, cujus actores cùm acceptiſſimi ſint,ſine nota non ſunt?* Quòd ſi actores theatri infames ab hominibus cenſentur,ſæpè ſpectantes à dæmonibus poſſidentur.

l.de ſpect 22. — l.2. civ.13 — Tert.

Tert.l.de ſpect.26 2. *Cur ergo non hujuſmodi etiam dæmoniis penetrabiles fiant?* Hujus refert exemplum Tertull. mulieris cujuſdam,quæ renitente marito adiens theatrũ,fuit à dæmone poſſeſſa. *Nam & exemplum accidit Domino teſte,ejus mulieris quæ theatrum adiit,& inde cum dæmonio redijt. Itaq; in exorciſmo cùm oneraretur immundus ſpiritus quòd auſus eſſet fidelem aggredi; Conſtanter & juſtiſſimè quidem,inquit,feci,in meo eam inveni.* Timenda quidem eſt poſſeſſio corporis,ſed multò magis extimeſcenda animæ poſſeſſio, quæ hominem ſceleroſum efficit, & Dei animadverſionem incurrit.

Tert.l.de ſpect. 24 Tert.l.de ſpect.23. 3. Deus namque averſatur theatrum, actores theatri, & theatri ſpectatores. 1. Theatrum odit,quod ad diabolum pertinet: *Nihil enim non diaboli eſt,vel quidquid Dei non eſt,vel Deo diſplicet.* Quod Deo diſplicet,à Deo averſatur. Comœdos odit Deus; nam *cùm humana recordatio etiam obſtrepente gratia voluptatis , damnandos eos cenſeat , adeptis bonis dignitatum , in quemdam ſcopulum famoſitatis , quantò magis divina juſtitia , in ejuſm odi artifices animadvertit?* Hos autem potiſſimùm odit Deus , hypocritas , & adulteros veritatis. *Non amat falſum auctor verita-*

Tertull.

ritatis, adulterium eſt apud illum omne quod fingitur. Proinde vocem ſexus, ætates mentientem, amores, iras, gemitus, lachrymas aſſeverantem, non probabit qui omnem hypocriſim damnat. In comœdiis autem illa omnia mentiuntur, fingunt & ſimulant actores. 5. Theatri ſpectatores odit Deus, & interdum morte etiam temporali punit: ut accidit fœminæ cuidam, quæ in pœnam quod ſe ad theatrum contuliſſet, fato functa eſt, *Conſtat & alii linteum in ſomnis oſtenſum ejus diei nocte quâ tragœdum audierat, cum exprobratione nominatim tragœdi, nec ultra quintum diem, eam mulierem in ſæculo fuiſſe.* Inde theatrum à ſervo Dei alienum infert Tertullianus, utpote Deo odioſum: *Nihil ex his quæ ſpectaculis deputantur placitum Deo eſſe, aut congruens ſervo Dei, quod Deo placitum non ſit.* Theatrum non placet Deo cùm illud averſetur; Chriſtiano non congruit theatrum, quia actores & ſpectatores theatri odit Deus: quare *deprecanda eſt miſericordia Dei, ut donet intellectum ad iſta damnanda, & affectum ad fugienda, & miſericordiam ad ignoſcenda.* Qui theatro fuerunt mancipati, implorare debent divinam miſericordiam, & poſtulare veniam pro tot & tantis ſceleribus in theatro commiſſis; rogare divinam ſapientiam, ut aperiat mentis oculos ad cognoſcendum quàm periculoſum, criminoſum & damnoſum ſit theatrum: tandem divinam deprecari bonitatem ut largiatur gratiam qua poſſint fugere cathedram illam peſtilentiæ, quæ inficit animas, magiſterium illud obſcœnitatum, & fomentum cunctorum generatim vitiorum.

Tert. l. de Spect. 26

Lib. de Spect. 24

D. Aug. in Pſal. 50

CONCIO QUINTA.

CONvivia primorum Chriſtianorum ſic deſcribit Tertullianus. *Non prius diſcumbitur quàm oratio ad Deum prægustetur: editur quantum eſurientes cupiunt: bibitur quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur ut qui ſciant Dominum audire poſt aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit: æque oratio convivium dirimit. Hæc coitio Chriſtianorum merito ſane illicita ſi illicitis par; merito damnanda, ſi non diſſimilis damnandis.* Quantum ab illis diſtant convivia Chriſtianorum hujuſce ætatis, qui menſæ aſſident abſque ulla prævia oratione: qui ultra neceſſitatem comedunt; qui vino ſeſe ingurgitant: qui nullam Dei habent mentionem: qui inter cœnandum habent ſermones vel libidinis, vel detractionis, vel impietatis; qui de menſa egredientes nequaquam Deo gratias agunt? Inde prodeunt vel ad ludos & aleas; vel ad ſaltus & choreas; vel ad libidines & impudicitias; vel ad alia patranda facinora, quæ Bacchanalium tempore vigent: Tum enim *luſus & convivia conſtrepunt*; illicita ſane & merito damnanda, tanquam 1. noxia: 2. criminoſa; 3. impia.

Apol. 39

Tert. l. de Idol. 14

I. PARS. Falſo Gentiles primorum Chriſtianorum cœnulas ut ſceleroſas & prodigas damnabant: *nam & cœnulas noſtras præterquam ſceleris infames, ut prodigas ſuggillatis.* Quod falſo primis Chriſtianis objectabant Ethnici, hoc idem exprobrari poteſt his qui *ſub auctoramento ventris ſaginandi* convivia prodiga celebrant, in quibus cunctas conſumunt facultates, & jacturam faciunt bonorum: 1. fortunæ: 2. naturæ: 3. gratiæ.

Tert. Apol. 9

Tert. Apol. 9

L. 1. ad Ux. 8

1. Chriſtianum hortatur Tertullianus ut ſtudeat frugalitati: *Stude frugalitati.* Frugalitatis ſtudioſus alienus eſt ab ingluvie, quæ ciborum abundantiam ad corporis nutrimentum haud neceſſariam exoptat, *Corporis exigua deſideria ſunt, alimentis famem ac ſitim extinguere vult; quidquid extra concupiſcitur, vitiis, non uſibus laboratur. Non eſt neceſſe omne perſcrutari profundum, nec ſtrage animalium ventrem onerare, nec conchilia ultimi maris ex ignoto littore eruere.* Guloſus tamen neceſſariis ad vitæ conſervationem alimentis minime contentus, ſuperflua perquirit. *Undique convehunt omnia nota faſtidienti gulæ: una ſilva pluribus elephantis ſufficit, homo verò vix paſcitur terra mariq;.* In tribus maxime apparet fœdiſſima *gulæ flamma.* 1. in ſollicitudine quâ guloſus cibos ſectatur. 2. in abundantia ciborum. 3. in deliciis quas exquirit magnis ſumptibus. *Ventris operarios* bellè nuncupat Tertullianus eos qui omni ſollicitudine alimenta ſectantur. De hac ſollicitudine ſic fatur Joannes Damaſc. *Menſarũ ſtructores terram omnem & maria omnia perſcrutantur; ac ventri velut gravi cuidam ac moleſto domino vectigalia perferunt,* quia tanta cura tantoq; labore *cibos operoſius exquiſitos in gulam committunt.* Hos altiles homines appellat Tertullianus quos adhuc odiendos exiſtimat: *Altiles homines oderis.* Dicuntur altiles, quia alitum more ſaginantur, vel ad inſtar mactandi bovis impinguãtur. *Nunquid mactandi, quoniam nos ipſos ſaginamus?* 2. Et quamvis ciborum odienda ſit ſuperfluitas, & *quemadmodum ad medicamenta ſic ad alimenta* accedendum ſit, propter neceſſitatem ſcilicet; guloſus tamen exceſſum ciborum perquirit; quem ideo ſic pungit Tertullianus: *Omnes medullas terræ victui extorques, & uſque ad copias maris, quas ſanctiorem cibum deputas.* Nec attendit quòd illa nimietas eſt in pauperum detrimentum, quibus divitum debetur ſuperfluitas: *Superflua enim diviti neceſſaria ſunt pauperi.* Helluones illos latrocinii accuſant pauperes, apud D. Bernardum. *Clamant pauperes, Noſtrum eſt quod effunditis: nobis crudeliter ſubtrahitur, quod vos inaniter expenditis.* Exceſſum illum ciborum quem præparant in conviviis gulones, vocitat Tertullianus, *Voracitatis enormitatem:* vel ob grande quo æſtuant edendi deſiderium: vel ob multitudinem ciborum qui apponuntur: vel ob opiparas & delicatas eſcas. 3. Poſt diluvium hominibus permiſit Deus carnibus epulari, *quia non paradiſus cuſtodiendus, ſed totus mundus fuerat excolendus, robuſtus cibus carnis offertur, ut ad emolumenta culturæ aliquid humanorum corporum viribus adderetur:* Vides carnis eſum conceſſum, non gulonum delicias.

Sen. l. de Conſol. ad Albin.

Sen.

D. Aug. l. 3 de Doct. Chr. 12

L. de Pat. 15

L. 3. Parall. 77

Tert. l. 1 adv. Marc. 29

L. de Spect. 8.

D. Chryſol.

D. Aug. l. 10. Conf. 11

L. 1. adv. Marc. 14

D. Aug. in Pſ. 147

Ep. 42 ad Archiep. Senon.

Tert. l. de Jejun. 6

Dub. Tert. Ep. de cib. Judaic. 2

Verum quod agricolarum labori fuit impenſum, cedit in nebulonis voluptates, cujus iners otium laborantium privilegio perverſe potitur. Male pràſus

ſus & pejus cœnatus pauper, agriculturæ laboribus miſere æſtuat, & nebulo ignave otioſus, & pauperis labore dives, voluptuoſiùs epulatur, & delicias capıat in pane, vino, eſcis, & condimentis. Guloſi 1. in pane quærunt delicias: *Facilem cibum nempe panem effœminant quod frumenti eſt nutriens, excribrantes, ut quod eſt alimenti neceſſarium ſit probrum voluptatis*: 2. Delicias quærunt *in potu jucundiore*: nam æſtate vinum eis non placet niſi aut glacie aut nive frigeſcat. In delicioſam illam bibendi voluptatem declamat etiã gentilis Plinius: *Heu prodigia ventris! hi nivem illi glaciem, præſtant; pœnasq; montium in voluptatẽ gulæ vertunt. Servatur algor æſtibus, excogitaturq; ut alienis menſibus nix algeat.* Quaſi dicat; Faciunt ex æſtate hiemem ut gulæ ſatisfaciant. 3. Delicias quærunt in eſcis, quas nolunt niſi ſaginatas. Quos ſic urget Tertullianus: *Adjicito ad ſumptum conquirito altiliũ enormem ſaginam, defœcato ſenectutẽ vini.* Tandẽ delicias quærunt in condimentis; ſeu, ut fatur Tertullianus, *glorioſis & lautioribus eſcis.* Hujuſmodi condimenta lautiora & glorioſa nuncupat. Lautiora, quia gulonum irritant appetitum: glorioſa, quia de eorum inventione & artificio gloriantur. In condiendis illis cibis totum animi ſtudium adhibentes, excogitantes infinita condimentorum genera, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo coctã, modo aſſa, modo eliſa: modo pipere; modo allio, modo cumino, modo ſale condîta, ſecundùm conſuetudinem prægnantium mulierum deſignantes. Hos *edaces voraceſq; belluas* appellat Clemens Alexandrinus: *Annon enim ſunt ejuſmodi qui in multiplicibus exquiſitorum alimentorum voluptatibus verſantur?*

Clem. Alex. l. 2 Pædag. 1
Tert. l. 2 adv. Marc. 3
L. 15. c. 4
Lib. de Pœn. 11
L. 2 adv. Marc. 81
L. 2 Pædag. 1

Et quamvis D. Hieronymus illos à delicioſis illis & raris eſcis avocare moliatur, dicens: *Procul ſint à conviviis tuis phaſides aves, craſſi turtures, & omnes aves quibus ampliſſima patrimonia avolant*, quia tamen *nullum habet terminum delicata ingluvies*, cibi peregrini, rari & magno pretio empti, eos duntaxat delectant, & *quod diſſolutus deliciis ſtomachus vix admittat, ab ultimo portatur oceano.* Nec de ſumptibus quantumvis magnis cogitant, modò *cibis lautioribus* epulentur; adeo gulæ voluptatibus ſunt addicti. Hujus prodigæ voluptatis plura Romanorum refert Tertullianus exempla: *Præcidam gulam quâ Hortenſius Orator primus, pavum cibi cauſa potuit occidere: quâ Aufidius lurco primus, ſagina corpora vitiavit, & coactis alimentis in adulterinum provexit ſaporem: quâ Aſinius Celer, mulli unius obſonium ſex ſextertiis detulit: quâ Æſopus hiſtrio ex avibus ejuſdem pretioſitatis, ut canoris & loquacibus quibuſque centum millium patinam confiſcavit? Filius ejus poſt tale pulmentum potuit ſumptuoſius eſurire: margaritam namque, vel ipſo nomine pretioſam debauſit; credo ne mendicius patre cenaſſet. Taceo Nerones, & Apicios, & Rufos.*

Ep. 7 ad Salv.
Clem. Alex. l. 3. Pædag. 7
Senec. l. de Conſol. ad Albin.
Tert. li. 2. adv. Marc. 18
L. de Pal. 5

Romanos gulæ voluptuosè & prodigè indulgentes duplici ratione confutat Tertullianus. 1. Ex legibus Romanis, quæ frugalitati patrocinabantur. *Quonam illæ leges abierunt, quæ centum æra non amplius in cœnam ſubſcribi jubebant, nec amplius quàm unam inferri gallinam, & eam non ſaginatam?* 2. Exemplo Chriſtianorum, quia ſuis conviviis omnem arcebant curioſitatem, voluptatem & prodigalitatem. *Hæc qui editis, quantum abeſtis*

Apol. 6
Apol 9

abeſtis à conviviis Chriſtianorum. Verum ſi primiceri Chriſtiani ethnicorum
damnant ingluviem, hujuſcè ætatis Chriſtiani, à gentilibus de gula damnantur; nam in ſuis conviviis Ethnicorum abundantiam, pretioſitatem, delicias
& ſumptus longe ſuperant. Si Romanos de prodigalitate arguit Tertullia-
Apol. 16 nus: *Video enim & centenarias cœnas, à centenis jam ſeſtertiis dicendas*: quid di-
ceret de conviviis noſtris in quibus inſumuntur non centum ſeſtertia, ſed
mille, ſed decem mille, ſed centum mille aurei? Nam ut quis alios in ſumptu
& prodigalitate ſuperet, pretioſiores ambit eſcas.

Deus ut hominem ab amore pecuniæ avocaret, pretioſiorum ciborum
Tert. lib. 2 adv. marc. 18 ambitionem dimovere voluit: *Proinde ut & pecuniæ ardor reſtingueretur, ex
parte, quæ de victus neceſſitate cauſatur pretioſorum ciborum ambitio detracta eſt.*
Nebulones ordinem divinæ ſapientiæ pervertentes, pretioſiores quoſque
ambiunt cibos, qui nonniſi magnis ſumptibus haberi poſſunt; & ita ambi-
Tert. l. de Jejun. 6 tioſæ eorum edacitati *ipſæ divitiæ procurant*, ementes pretioſiores eſcas, quan-
tumvis carò conſtent, ut in pauperiem redigant ſumptuoſos, prodigos &
Juven. voluptuoſos gulones: qui *unâ, comedunt patrimonia, menſâ.*

2. Neque tantum fortunæ, ſed etiam naturæ bona, diſſipant guloſi: Nam
corporis pulchritudinem devenuſtant, robur debilitant, vitam dimidiant.
Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 2 Eſt *decor fœlicitas corporis, divinæ plaſticæ acceſſio, animæ aliqua veſtis bona*: Gula
ſeu ebrietas, hanc animæ veſtem contaminat, divinæ plaſticæ acceſſionem à
Deo elongat, corporis fœlicitatem infœlicem præſtat. Ideo D. Auguſtinus:
Serm. 33 ad Frat. *O ebrietas! numquid non per te inflatur ſtomachus? numquid non per te putreſcit
anhelitus? numquid non oculos cæcas? numquid non omnia membra debilitas?* Gula
Tert. l. ad Mart. 3 corporis robur debilitat. *Nempe enim & athletæ cõtinentur à cibis lautioribus, à
potu jucundiore.* At cur athletæ ab exquiſitis cibis abſtinent? *Ut robori ædifi-
cando vacent.* Nam ut aliorſum docet Tertullianus, *pugiles & picta olimpici
L. de Jejun. 17 Xerophagiis invaleſcunt.* Ipſa etiam experientia comprobatur, quod hi *qui ci-
Clem. Alex lib. 2 Pæd. 1 bis utuntur viliſſimis, ſunt robuſtiores, generoſiores, ſaniores.* Abſtinentes perfecta
ſanitate fruuntur, longamque habent vitam, ècontra gulæ indulgentes, æ-
gritudines patiuntur, vitamque dimidiant. *In multis eſcis erit infirmitas. Pro-
pter crapulam multi perierunt: qui enim abſtinens eſt adjiciet vitam.* Sicut autem
Eccl. c. 7 abſtinentia vitam conſervat, ita gula vitam adimit, quam ideo homicidam
L. de Jej. 2 nuncupat Tertullianus. *Teneo à primordio homicidam gulam.* Quare Eccleſia-
Cap. 18 ſtici auctor ſecundum verſionem Tigurinam ſic gulonem hortatur: *Cave
pauper evadas concinnandis de mutuo conviviis.* Cujus hanc prodit rationem:
Eris enim invidus vitæ tuæ: ſeu ut habet Hebræa lectio; *eris enim inſidiator vitæ*:
inſidiaberis tum vitæ corporis; tum vitæ animæ; nam gratia ſanctificans quæ
eſt vita animæ, per ingluviem amittitur.

Tert l. de An. 33 3. Anima moritur per peccatum, eſtque *in hominis corpore tumulata*: &, ut
ait Chryſologus, *fit in corporis ſepulchro vivo funus animæ jam ſepultæ.* Hoc eſt
Serm. 19 commune cuivis animæ peccatrici, ſpecialiter tamen convenit animæ epu-
lonis. Nam ut addit Tertullianus, *Exequias convivium patitur.* Duplex gu-

loſi

loſi celebratur funus; corporis ſcilicet & animæ. Corporis, quod perſæpe *funus inter coquus pretioſiſſimos invenit:* Animæ verò quæ in ventre cibis repleto velut in ſepulchro tumulatur. Ut enim ait Climacus: *quod ſi undique corrupto vino fœtet, & epulis ſatur eſt, cogita infœlicem animam in tali corpore, velut in ſepulchro defoſſam*. Et ita guloſus ſimul & ſemel eſt vivens & mortuus: Vivens corpore, mortuus anima: *Atque ut manifeſtius noveris, audi quomodo mortuos idem ipſe Redemptor noſter vivere prædicet: Deus, inquit, non mortuorum, ſed viventium eſt: Sed iſtud quoque, inquies, ænigma eſt. Igitur utrumque ſolvamus. Mortuus eſt quiſque vivens, cùm in deliciis degit: quonam modo? Ventri ſolummodo vivit, ſenſibus cæteris mortuus: neque enim aſpicit quæ aſpicienda ſunt, neque audit quæ neceſſario audire convenit, neque ea loquitur quæ decet loqui, nihilque in ſe vivere præter ſolam ventris ingluviem indicat.* Nempe guloſus ad ſolam ventris ingluviem intus velut vivens quoddam cadaver (quod eſt ænigmati ſimile) ſibi & Deo mortuus eſt. Sibi, quia mortuam & tumulatam in corpore defert animam: Deo, tum quia Deus mortuorum dedignatur eſſe Deus: tum quia Deum negat ut ventri indulgeat: tum quia nihil de Deo cogitat. Ut enim raciocinatur Tertullianus; *quotus quuque meminerit religionis occupatis memoriæ locis, impeditis ſapientiæ membris? Nemo, ita ut decet, ita ut par eſt, ita ut utile eſt, recordabitur Dei in eo tempore, quo ipſum ſibi hominem excidere ſolemne eſt.* Per gulam & ebrietatem hominis moritur ratio, ſapientia, religio, omneque fidei & pietatis exercitium. Nam, ut addit Tertullianus, *omnem diſciplinam virtus aut occidit aut vulnerat.* De Megarenſibus alias dictum eſt à Diogene: *Megarenſes obſonant quaſi craſtina die morituri.* Non ſolum ſibi craſtinam ominantur mortem; *qui victum in dies perſequuntur, perinde ac non victuri*; ſed hodie ſibi mortem afferunt, quia moriuntur fortunæ, moriuntur famæ, moriuntur corpori, moriuntur animæ, moriuntur gratiæ moriuntur diſciplinæ Chriſtianæ, moriuntur Deo, moriuntur cœlo; adeo prodiga, adeo crimino-ſa eſt gula!

Tert. | Grad. 26 | D. Chryſoſt. hom. 13. in 1. ad Timoth. | L. de Jejun. 6 | Tert. Apol 39 | Clem. Alex lib. 2. Pædag. 1.

II. PARS.

Gula *primordiale delictum* nuncupatur à Tertulliano. Primordiale delictũ Adamo tria mala attulit. 1. Eum diabolo ſubdidit. 2. Omnium vitiorum & paſſionum in Adamo ejusque nepotibus origo fuit. 3. Adamum è paradiſo terreſtri expulit. *Gulæ lapſus* peccatum originale æmulans, 1. nebulonem diabolo ſubdit: 2. eſt ſcaturigo à qua omne vitium omnisque paſſio diffluit: 3. guloſum à paradiſo cœleſti ejicit.

L. de Jejun. 8 | Tert. l. de Reſ. 40

1. *Primos homines diabolus eluſit*, dum eos ad manducandum vetitum pomum induxit: ſic eos à Dei dominio ſubſtraxit & ſuæ tyrannidi ſubdidit. Verum ſicut gula Adamum diabolo ſubſtravit, eodem modo ingluvies *ventris operarios contumelioſis patronis ſubjectione libertatis addicit.* Libertatem à Chriſto acceptam in miſeram ſervitutem commutant guloſi, quia dæmonis ſubduntur imperio: Ut enim ait Clemens Alexandrinus, *bis qui ad luxum menſarum propenſi ſunt præeſt dæmon belluo maximus, quem ego non vereor appellare ventri dæmonem.* Gulæ namque exceſſus *dæmoniorum pabula ſunt.* Quæ quo

Tert. l. de Spect. 18 | Tert. l. de Pat. 15 | L. 2. Pædag. 1 | Tert. l. ad Scap. 2

S.Joan. Dam.l.1 Parall.7 lautius epulantur eo periculoſius inferunt bellum. *Cùm te ultra quam ſat eſt paſcis, hoſtem paſcis*, qui te expugnabit, & in corde tuo tyrannidis ſuæ collocabit ſolium: quem ideo nuncupat Clemens Alexandr. *inhabitantem dæmonem.* Nimia ciborum ingurgitatio dæmonis habitatio eſt: guloſus dæmoniacus à dæmone obſeſſus, vel poſſeſſus acerbiſſime exagitatur, & ad omnia vitia & ſcelera diaboli tentationibus allicitur: qui ut eloquenter fatur Chryſologus, Ser.12 *cibum noſtrum deducit in crapulam, potum noſtrum in ebrietatem effundit, ut mentem faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus animi domicilium, animæ vas, murum ſpiritus, virtutum ſcholam, Dei templum, in ſcenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigat in theatrum.*

Tert.l. de Pat.5 2. Originalis culpa eſt *matrix in omne delictum, defendens de ſuo fonte varias criminum venas.* Idipſum de gula aſſeverant Patres; quam Baſilius Magnus Hom.1.de Jejun. appellat *univerſale venenum*, quod omnia toxicat; & ſicut fons venenoſus haurientes aquas inficit, eodem modo gula eſt *fons voluptatum, & impudentiæ fomes*, D Baſil de ver. Virg quia omnia ſcelera quantumvis atrocia perpetrare audet. Clemens L.2 Pæd.1 Alexandrinus gulam nuncupat *metropolim vitiorum*, quia ut vult Chryſologus, Serm.2 *oneratus venter ad vitia cor deponit.* Gregorius Nazianzenus gulam vocitat Orat.3 *malorum omnium parentem*; quia ab illa ſuam deſumunt originem. Nam ut animadvertit D. Chryſoſtomus, Hom.15 ad pop. Ant. *qui ventri miniſteria impendit, furari ſæpe cogitur, & aliena rapere & opprimere & violare*; horum exempla obvia ſunt. Tandem D. Chryſoſtomus gulam appellat Hom 33 in 1. Timoth. *malorum omnium receptaculum*, quia in illa òmnia mala recipiuntur, & ab illa paſſiones vigorem accipiunt. Idcirco appoſite S. Joannes Damaſcenus: L.1.Parall.77 *Quiſquis inexplebili voracitate præditus eſt, paſſiones per gulam novit*: quaſi ante ingluviem ſopitæ & quaſi ignotæ eſſent paſſiones, poſt gulam verò dignoſcantur. Etenim poſt gulam concupiſcibilis excitatur, inflammatur iraſcibilis ad diſcordias, rixas, injurias, pugnas, animadverſiones, hoſtilitates, perſecutiones, vexationes: Quare de guloſis ſic fatur Baſilius Magnus: L.de Abdic.rer. *Qui ejuſmodi ſunt, ii mendaces, ad jusjurandum parati, perjurioſi, litigioſi, pertinaces, clamoſi, illiberales, queruli, aliorum curioſi exploratores, tenebriones, totius honeſtæ vitæ de induſtria inimici, qui ut gulæ libidinem obtegant, innumerabilibus ſe aliis vitiis involvunt*, quæ à paradiſo cœleſti excludunt.

Tert.l.2 adv.Marc.4. 3. Dei *bonitas delicias adjecit homini, ut quamquam totius orbis poßidens, in amœnioribus moraretur, translatus in paradiſum.* Non diu tamen moratus eſt protoparens in amœniſſimo illo loco: Tert.l. de Pat.9 *Exinde homo terræ datus, & ab oculis Dei ejectus*: at quid de tam amœno loco Adamum ejecit? An homicidium commiſit in illa immortalitatis regione? An tentavit deſtruere Angelos qui ex ſua natura incorruptibiles ſunt? an Dei vivi templa & aras evertit? An idolis thus adolevit? Nequaquam, horum nihil patravit: ſed quia gulæ indulſit; de paradiſo ejectus eſt. Tert.l. de Jejun.3 *Receperat Adam legem non guſtandi de arbore mali & boni, moriturus ſi guſtaſſet: verum ipſe facilius ventri quàm Deo ceßit, pabulo potius quàm præceptis annuit: manducavit & periit.* Adami exemplum imitatus popu-

pu-

pulus Iſraeliticus: *Nam & primus populus primi hominis reſculpſerat crimen, pronior ventri quàm Deo deprehenſus.* Ideo in pœnam ſuæ voracitatis terram promiſſionis non eſt ingreſſus. Ut enim ait Tertullianus, *Judæo enim conditio gratior quaque gula erepta eſt, nedum ipſa terra paternæ promiſſionis.* Idem accidit helluonibus quos venter arcet ab ingreſſu cœli: *nec enim eſus aut potus eſt Dei regnum.* Tert. L. de Pud.7 Tert. l de Jejun.15

Adamus *ſalutem gulâ vendidit*: Liſimachus pro cratere aquæ regno ceſſit: Eſau etiã pro lenticulis primogeniti jus commutavit. His longe inſaniores ebrioſi & guloſi; nam ebrioſi pro mero, cœlorum regno renuntiant; *ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt*: guloſi adhuc pro opiparis eſcis vendunt gratiam, Dei adoptionẽ, & æternam hæreditatem *Vetus es, vera ſi velimus dicere, tu qui tantũ gulæ indulges, & merito te priorẽ jactitas; ſemper agnoſco ſapere Eſau venatorẽ ferarũ, ita paſſim indagãdis turdis ſtudes ita de campo laxiſſima tuæ diſciplinæ venis, ita ſpiritu deficis. Si tibi lenticulam de fruto irruſatam obtulero, ſtatim totos primatus tuos vendes*; & impia adhuc gula, religionem & Deum negabis. Tert. l de Jejun.3 1 Cor.6 Tert. l. de Jejun.17

Chriſtianum gulæ deditum Ethnico irreligioſorem aſſeverat Tertullianus. *Hinc tu eo irreligioſior, quanto ethnicus paratior. Ille idolo gulam ſuam mactat; tu Deo non vis.* Tantum abeſt ut epulo ſuam Deo mactet gulam; quin imo pro gula, 1. Spiritum ſanctum rejicit. 2. Chriſti crucem injuria afficit: 3. Deum ſibi ventrem efficit. III. PARS L. de Jejun.16

1. Nebulones ſic ironice alloquitur Tertullianus: *Quis ſanctior inter vos, niſi convivandi frequentior, niſi obſonandi pollucibilior?* Quantum gula Spiritui ſancto ſit contraria, inde deducitur: quia 1. animam donis Spiritus ſancti privat: *Sicut fumus fugat apes, ſic indigeſta ructatio avertit Spiritus ſancti chariſmata.* 2. Spiritus ſancti gratiæ reſiſtit: *Ut hinc jam animalis fidem ſemen ſuum recognoſcat, exinde deducens carnalium appetitionem & ſpiritualium recuſationẽ.* Nimia ſaturitas Spiritui ſancto reſiſtit, & ita obduratur, ut gratia quaſi ad ſilicem vibrata, ſtatim reſiliat; ut patet in populo Iſraelitico, qui poſt ingluviem, adeo obſtinatum habet cor, ut Deus illum duræ cervicis appellet: *Cerno quod populus iſte duræ cervicis ſit.* Conſtat etiam ex Evangelico divite, qui *epulis blandis ferrea viſcera nutriebat.* 3. Adverſus Spiritum ſanctum pugnat: quare de guloſis ſic fatur Tertullianus: *Hi Paracleto controverſiam faciunt,* & Chriſti crucem injuria afficiunt. L. de Jejun.17 D. Hier. in Regul. Monaſt. Tert. l. de Jejun.3 Tert. l. de Jejun.3 Chryſol. Ser. 121 L. de Jej.1

2. In tanta fuit exiſtimatione Crux apud primos Chriſtianos, ut Tertulliano teſte eam in cunctis præ ſe ferrent, *ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, quacumque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Hoc enim modo Chriſti paſſionem in memoriam revocabant, & ſuum erga Crucem demonſtrabant amorẽ: Guloſi ventri indulgentes, hujuſmodi pietatis exemplum è perverſo æmulantes, ſeſe apertos oſtendunt Crucis inimicos, quod Apoſtolus cum dolore & lacrymis declarat: *Multi enim ambulant quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis* L. de Cor. Mil.3 Phil.3

 Chri-

Chriſti: quorum Deus venter eſt. At cur Apoſtolus directe gulam opponit Cruci, non ſuperbiam, non avaritiam, non iram, aliaque ſcelera? cur nebulones citius quàm cæteros peccatores, ſpecialiter Crucis proclamat inimicos? Quia ſcilicet primum hominis peccatum fuit gula, ad quod delendum Chriſtus fuit cruci affixus: & quia gulones primordiale reſculpunt delictum, ſuoque ſcelere fructum Crucis deſtruere & inutilem reddere moliuntur; ob hanc cauſam Crucis inimici ab Apoſtolo propalantur: quos impios adhuc aſſeverat Paulus, quia ſibi ventrem Deum efficiunt.

L. de Jejun. 16. 3. Nebulonis religionem ſic graphice deſcribit Tertullianus: *Deus tibi venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & ſacerdos coquus & ſanctus Spiritus nidor, & condimenta chariſmata, & ructus prophetia. Apud te agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet.* Guloſi qui per omnia gulæ indulgent, qui ventri omnino addicti ſunt; qui ſoli ventri toti ſtudent; & ad illum omnes ſuas cogitationes, affectiones, opes, ſtudia, quaſi ad ſummũ & ultimum bonum referunt, ventrem pro Deo colunt. Illud enim cuique Deus eſt, quod maxime colit, cui totus ſervit, cui ſeſe ſuaque omnia impendit.

L. de Jej. 1. Hujuſmodi eſt nebulo, cujus ſtudium & fidem refert Tertullianus: *Agnoſco animalem fidem, ſtudio quo tota conſtat multivorantiæ pronam.* Deus eſt objectum fidei, quæ idcirco Virtus Theologalis dicitur: nebulonum animalis fides non eſt Virtus Theologica, quia Deum non reſpicit, sed ventrẽ: *Tales ſunt ii homines qui in ventrem crediderunt.* Non credunt in Deum guloſi, neque in Chriſtum, ſed in ventrem: quem Deo præponunt, & *ventris prælatione*, illum ut Deum colunt. Nam *hoc omnes Deum conſentiunt eſſe, quod cæteris rebus omnibus anteponunt.* Guloſus ventrem Deo præponit, *pronior ventri, quàm Deo deprehenſus*: pro gula Dei amicitiam contemnit, legem violat, ſacramenta prophanat, religioni renuntiat, divinam majeſtatem inhonorat, ejuſque veritatem negat.

(Clem. Alex. l. 2 Pæd. 1; Tert. l. de Jejun. 5; D. Aug. l. 1 de Doct. Chr. 7; Tertull.)

CONCIO SEXTA.

Tert. l. de Jejun. 9. HAbet & *abſtinentia vini ſuos titulos.* Moderatio tum in cibo tum in potu obſervanda eſt. Temperantiam haud ſervabit vino ſobrius, ſi habeat ventrem *eſcis ſtipatum*: & è converſo ſobrius non erit, abſtinẽs ab eſcis lautis & pretioſis, ſi inebrietur vino. *Pabuli preſſura formam præſtruens potui. Qualis enim eſus talis & potus: Veriſimile enim non eſt, ut quis dimidiam gulam Deo immolet, aquis ſobrius & cibis ebrius.* Hujuſmodi temperantia in eſu & potu, minime ſervatur Bacchanalium tempore, in quo homines opipare epulantur, ſæpe ſæpius vino inebriantur, &, ut ait D. Auguſtinus, *non ſatietate ſe replent, ſed mergunt diluvio.* Adverſum hunc exceſſum declamandum duxi oſtendendo ebrietatem eſſe, 1. turpem & inhoneſtam: 2. pernicioſam & noxiam: 3. ſceleroſam & impiam.

(Tert. l. de Jejun. 6; Tert. l. de Jejun. 9; L. Quæſt. in Gen. quæſt. 144)

Adeo

I. PARS.

Adeò turpis, & inhoneſta videbatur Romanis ebrietas, ut apud illos mulieres meribibulæ non ſecùs ac adulteræ cenſerentur infames. *Cùm mulieres uſq; adeò vino abſtinerent, ut matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos, ſua inedia necarint. Sub Romulo verò quæ vinum attigerat, impunè à Mecenio marito trucidata eſt: idcircò & oſcula propinquis afferre neceſſitas erat, ut ſpiritu judicarentur.* Si hac tempeſtate tanta ſævitia ageretur erga mulieres meribibulas, nimius effunderetur ſanguis: ſiquidem *nunc in fœminis præ vino, nullum liberum eſt oſculum.* Verùm quia viri magis, quàm fœminæ ſunt ad ebrietatem proni, ut à tam turpi, & inhoneſto arceantur vitio; ſatis eſt oſtentare, quòd ebrietas 1. ad inſaniam ducit: 2. ad vomitum compellit, 3. in belluas convertit.

[Tert. ap. 6.] [Tert.]

1. *Cognoſco dementiam de vanitate:* Gulones namque bibunt, ut alios bibendo proſternant, de eorumque victoria gloriam captent, & quia in hoc vincuntur certamine, vanitas eos ad dementiam & inſaniam deducit. Idcircò ebrietas *voluntaria inſania* nuncupatur, & adhuc *inſania circa guttur* vocitatur; quia ſcilicet vinum quod hauriunt gutture, eſt illis cauſa inſaniæ. Sunt nonnulli, qui dumtaxat circa unam rem ſtulteſcunt, & aliquo tantùm externo ſigno inſaniā demonſtrant: *Qui inſaniunt, alios in aliis vident:* ebrioſi verò in aſpectibus, ſermonibus, geſtibus, motibus, & in cunctis generatim operibus ſuam inſaniā oſtentant, quæ eos *aut indignantium oculis, aut irridentium ſibilis* exponit. Horum inſaniens ebrietas in conviviis & cœtibus manifeſtata, multorum ore volutatur: *unius dementia una vox:* neque à ſpectatoribus tantùm, ſed etiam ab audientibus irridetur. Tertullianus ut hominem ab ebrietate dimoveat, hac utitur ratione: Si inebriatus fueris, *riſum mihi incuties:* ſiquidem ebrioſus inſanit, & ridiculus apparet, & à cunctis velut inſanus irridetur. Unde S. Chryſoſt. *Quid ebrio turpius? Ridiculus eſt famulis, ridiculus eſt hoſtibus, miſerabilis apud inimicos, omnium deteſtatione dignus.* Homo à vino proſtratus *jacet ridiculus omnibus; & uxori, & pueris, & famulis: amici illius ignominiam cogitantes, ſeſe abſcondunt, & confunduntur: inimici autem oblectantur, irrident, & execrantur;* & quantò à pluribus ridiculus ille conſpicitur, *tantò deriſus denotatior ad contumeliæ morſum.*

[Tert. l. de Spect. 16.] [Sen. ep. 74. ad Lucil.] [Clem: Alex. l. 2. pæd. 1.] [Tert. l. de an. 17.] [S. Chryſoſto: ho. 29. in Gen:] [Tert. l. de ſpect. 16.] [l. 3. adv. Marc. 20.] [Hom. 27. in Act.] [S. Chryſo: hom. 29. in Gen.] [Tert. l. 1. ad Nat. 10.]

Vult S. Chryſoſt. occultari ebrioſum, ne ejus irrideatur turpitudo: *Si quis ebrietate vincitur, ne evulgetur, ſed à ſuis contegatur, & non ſit omnibus riſus, & turpitudinis argumentum.* Lacones econtrà volebant detegenda *deridenda perſonarum,* ut aliorum irriſione, cives nihil ridendum perpetrarent, ſervoſque temulentos filiis exponebant, & irridendos proponebant. *Ridete ſtupidiſſimas mentes: ſed quò faciliùs rideatis, & reſolutiùs decachinnetis,* diligenter conſiderate, quàm horribilis ſit eorum vultus, ut vel tam fœdo ſpectaculo ebrietatem horreatis. Plato ut ſuis diſcipulis ingereret ebrietatis horrorem, eos hortabatur, ut ſeſi fortè ebrioſos intuerentur in ſpeculo, ut ex ridicula ipſorum imagine, adeò turpe, & inhoneſtum vitium averſarentur. Si Minerva dicitur tibiarum abjeciſſe delectationem, ne inflato ore, indecora cer-

[Hom. 29. in Gen.] [Tert. l. 1. ad Nat. 19.] [Tert.] [Fulg. l. 7. c. 1.]

Clem. neretur: quis violentiâ non abhorreat, *in qua lingua præpeditur, labia ſolvun-*
Alex. l. 2. *tur, oculi detorquentur?* Turpis & inhoneſta viris eſt ebrietas, ſed multò tur-
pædag. 2 pior, & inhoneſtior mulieribus. *Nihil eſt ebria turpius muliere, nihil fœdius,* quæ
S. Chryſ. præ ebrietate vinum vomere cogitur.

hom. 39. 2. Adeò odioſa olim erat Romanis ebrietas, ut Bacchum vini, & ebrie-
in 1. Cor. tatis auctorem ab Italia eliminârint. *Liberum patrem cũ ſuis myſteriis, Conſu-*
Tert. *les, Senatus auctoritate, non modò urbe, ſed univerſa Italia eliminaverunt.* Bacchi
apol. 6. propudiata à gentilibus myſteria à Chriſtianis Bacchanalium tempore ce-
Tert, lebrantur: *Grande videlicet officium ſoros & toros in publicum educere, vicatim*
apol. 35. *epulari, civitatem taberna habitu adoleſacere, vinum luto cogere.* Vinum luto co-
gere, eſt vinum vomere, & luto miſcere. In hos vini vomitores inſurgit Jere-
mias Propheta: *Bibite, & inebriamini, & vomite;* quò nihil fœdius, nihil in-
Sen. l. 1. honeſtius poteſt excogitari. Hoc eſt tamen nebulonum negotium, *qui edunt*
de conſ. *ut vomant, & vomunt ut edant.* Idipſum agunt ebrioſi quod gulones, qui, ut
ad Albin ait S. Ambr. *replentur ut exhauriant: exhauriuntur ut bibant.* Turpis quidem
l. de Elia eſt omnis vomitio, ſed multò turpior, quæ ab ingluvie, & ebrietate proce-
13. dit. Gulonis, & ebrioſi vomitus, non ex ægritudine, & ciborum nauſea pro-
cedit, ſed ex intemperantia, quâ ſtomachum cibo & potu magis onerat,
quàm ferre, & concoquere poſſit: Ut enim ait S. Bern. *gula dediti nihil aliud*
faciunt, quàm ingerere, digerere, egerere, & ſic ebrius ructando, & vomendo
ſeſe ignominiâ dedecorat, quod illi exprobrat Abacuc Propheta, *Sit vomi-*
Cap. 2. *tus ignominia ſuper gloriam tuam.* Vomitus à voracitate, ebrioſi gloriam ob-
ſcurat, tum quia illum cæleſti gloriâ indignum efficit. Quod de Epulone di-
Ser. 121. vite aſſerit Chryſol. *Dives variis crapulatus ferculis, indigeriem ſuam ructabat*
ad cœlum: Tum quia ejus famam & honorem devenuſtat, tum quia ratio-
nem, quæ eſt hominis gloria, turpat: ebrietas namque rationalem homi-
nem in belluam convertit.

3. Metempſichoſim docuit Pythagoras, quâ homines in beſtias com-
Tert. l. de mutabantur; laude digni aves pulchras, & canoras induebant: Sic *pavum*
an. 33. *ſe meminit Homerus,* ſceleroſi verò & pœnâ mulctandi *in aſinos utiq; & mu-*
los recorporabantur. Verùm omiſſis Poëtarum figmentis, ob ebrietatem ap-
S. Chryſ. paret *beſtialis in homine deformitas.* Deteſtanda fuit olim illa metamorphoſis,
hom. 29. quã venefica Circe Ulyſſis ſocios medicato vino in porcos convertit, ſed
in Gen. abhorrenda magis ebrietas, quæ homines transformat in belluas. Ebrioſus
S. Chryſ. etenim *beſtia eſt magis, quàm homo.* Imò pejor beſtiis eſt nebulo, qui vel ex
hom. 27. propria intemperantia, vel ut aliis acquieſcat, ſeſe vino ingurgitat. Nam ut
in Act. ratiocinatur S. Auguſt. *Animalia ducuntur ad aquas, ubi ſaturaverint ſitim ſu-*
Ser. 131. *am, bibere nolunt, nec poſſunt. Conſiderent ebrioſi, an non pejores animantibus, cùm*
de temp. *enim animalia amplius quàm conveniat bibere nolunt, illi & duplum, & triplum*
quàm eis expedit, potum accipiunt. Erubeſcat ebrioſus, humanâ formâ depo-
ſitâ, belluinam induiſſe deformitatem, quò nihil turpius, & inhoneſtius, ni-
hil magis noxium & pernicioſius videtur.

Chri-

Chriſtiani olim *nullis conviviis celebres*:audierant enim à Sapiente : *Noli* II. PARS.
eſſe in conviviis potatorum,qui quaſi ſint in aliqua palæſtra, certatim bibunt, Tert.l. de
& quò quis invenitur *calicibus inſtructior*, victor,& magnanimus prædica- pœn.11
tur ; *nam qui plus hauſerit meri,is præ cæteris laudatur, is victoriam refert*. Et Tert. l.de
quamvis helluo hujuſmodi de victoria potiùs confundi, quàm laudari de- Jejun.17
beat ; *quæ gloria eſt capere multum? cùm ſuperſtes toti convivio fueris , vinceris à* S.Baſil. de
dolio : attamen qui in illo vinolento certamine minus bibit, dedecore affi- ebr.
citur,qui verò magis potat,honoratur.*Bibendi lege contenditur: qui poterit vin-* Sen. l. 18
cere,laudem meretur ex crimine. Quòd ſi convivarum nonnemo ſeſe velit à ep.1
potando excuſare,ut imbellis,& debilis cerebri vituperatur.*Nota grandis,ſi* S. Auguſt.
quis ſe excuſet.ſi quis fortè temperandum vinum putet,ut bibat per propinatio- ſer. 231 de
nem provocatur,ad eum crateres deferuntur,quos teſſeras dicunt, vel ho- temp.
noris,vel ſanitatis,vel amicitiæ.Hos calices verius nuncupabis inhoneſtos, S.Ambr.
morbidos,& inimicos. 1. Inhoneſtos,quia honorem tollunt. 2. Mor- ſer. de E-
bidos,quia corporis ſanitatem deſtruunt. 3.Inimicos,quia animæ ſalutem lia 13
impediunt.

1. Hominis dignitas ſita eſt in ratione : Ratio ita verum fulcit honorem, Tert.l.2
ut *nec bonitas ſine ratione bonitas*. Cuncta vitia à vero honore dejiciunt ho- adv.
minem,ſed nullum ita eum deprimit ac ebrietas, quæ rationem obnubilat. Marc.6
Sicut terræ nubes caligant cœlum ſic obſcurant animas intemperata convivia. Va- Chryſol.
pores ex aqua emergentes conflant nubes, quæ obnubilant Solem : vapo- ſerm.42
res è vino exurgentes,rationem,animæ Solem, obſcurant. Quamobrem
Clemens Alex.ebrioſum acephalum,ſeu ſine capite nuncupat, quia ratione,
quæ in capite reſidet,non utitur : *Ebrioſus vinum devorans devoratur à vino :* l.2 Pæd. 2
cum ſe putat bibere,bibitur. Piſcis hamum capiens,capitur ab hamo : non ab- Baſ.
ſimiliter à vino *homo rationalis capitur,ut rationale animal*. Addit S. Ambr. S Aug. l.
Veneno caro vulneratur,vino mens. Qui vulneratum, & ægrotantem habent de Salu.
intellectum , nullum rationis indicium oſtentant : Homo ſanam habens Doc.37
mentem,rationem demonſtrat per ſapientiam,prudentiam,conſilium, ſe- l.de Eli 12
cretum,moderationē,& operationē : ebrioſum in nullo horum ſe ratione Tert. l.de
præditum oſtendit. Non 1.per ſapientiam ; nam qui bibit *minus vinum,ſa-* an.17.
pit : Ebrioſus autem multum bibens vinum, etſi fuerit aliàs ſapiens, *oblivi-* S.Ambr. l.
ſcitur ſapientiam.Non 2.per prudentiā.Homo ratione utens,*ſapiens, & pru-* de El.9
dens habebitur: ex S.autem Ambr.*ebrietas prudentiā extinguit*.Non 3. per cō- Tert.l. de
ſiliū.Homo ratione pollens,*probum,juſtū, & licitum conſilium* ſubminiſtrat; teſt an.1.
ebrioſus nec ſibi,nec aliis ſcit præbere conſiliū. Unde S.Aug.*O ebrietas! ju-* l.de El.12.
dicio recto cares,conſilium nullum habes. Non 4.per ſecretum. Homines ratio- Tert. l. de
ne utentes *linguam conſignant*, neque commiſſum ſibi divulgant ſecretum : ſpect.5.
verùm *nullum eſt ſecretum, ubi eſt ebrietas*. Idcircò vinum *loquax* ab Athe- Ser.33. ad
næo vocitatur, quia qui fusè bibit, facilè in verbis effunditur : & ob hanc Frat.
cauſam S.Ambroſio teſte, judices olim ad occultam veritatem detegen- Tert. l.
dam,vino potius,quàm equuleo utebantur. *Plerique etiam vino utuntur, ut* adv.Val.1
equu- Prov. 20 Lib.1. l. de El. 12

equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut
patriæ ſtatum, ſalutem civium, defenſionis ſuæ prodant conſilia. Virtus enim ple-
rumq; vincit dolorem, fidem autem potus concludit. Non 5. per moderationem.
Tert. Homo *rationis gubernaculo* frænat paſſiones, & moderatè vivit, procelloſi
apol. 11. maris vitans ſcopulos: ebrioſi non in aqua ſubmerſi, ſed *vinis inundati* paſſi-
Tert. l. de onum procellis exagitati rationis patiuntur naufragium, & ut fatur Tertul.
jejun. 6. *univerſam vitæ converſationem, ſine gubernaculo rationis transfretantes, immi-*
l. de pœ- *nentem ſæculo procellam vitare non norunt.* Non 6. per ſermones: *Sermo ratio-*
nit. 1. *nis* eſt interpres: in ebrioſis autem nulla apparet *ratio ſermonis.* Nam ut ait
Tert. l. de S. Ambr. *vino madidi, & ſomnolenti, neſciunt mente, quid lingua proferat.* Neque
orat. 1. tandem per opera: operatio ſiquidem ſequitur eſſe, ut homo in ſuis operi-
Tert. l. de bus appareat, debet rationabiliter operari, *Quàm irrationabiliter diverſentur*
pœn. 1. ebrioſi, inde liquet, quia *multa ebrii faciunt, quibus ſobrii erubeſcunt.* Quare No-
Sen. ep. nius Marcellus lepide animadvertit, quòd ſobrius idem ſonat ac ſebrius, *ſe-*
83. *paratus ab ebrio*; qui etſi homo extrinſecùs appareat, à dignitate tamen ho-
Hom. 57 minis degenerat. Ex D. namque Chryſoſtomo, *ebrius eſt dæmon voluntarius,*
ad pop. *mortuus animatus, commune generis opprobrium.* Poſt hæc quis ſanæ mentis
propinatos calices dicet honoris monumenta, cùm verum auferant hono-
rem? quis ſanitatis adhuc ſymbola proclamabit, cùm tollant corporis ſani-
tatem?

Tert. l. de ❧ 2. *Vel de diſcipulo Timotheo argumentum ſatis eſt, quem propter ſtomachum,*
jejun. 9. *modico vino monens uti.* Benè modico vino; nam *ſanitas eſt animæ & corporis,*
Eccli 31. *ſobrius potus.* Vinum moderatè ſumptum multum prodeſt corpori, quod ro-
borat, nutrit, humectat, calefacit, concoctionem, diſtributionem ciborum
adjuvat, maximè in ſenibus. Quare à Galeno *lac ſenum*, & à D. Paciano, *de-*
fæcatio ſenectutis nuncupatur. Verùm ſicut vinum moderatè ſumptum, cor-
poris tuetur ſanitatem, ita vinum abundè, & cum exceſſu potatum, mor-
S. Chryſ. bos ingenerat. *Non ita terra natura vexata aquarum ſuperabundantiâ continuò*
hom. 1. *diſſolvitur, ut corporis vis molleſcit, diffluit, & exilis redditur vino potu continuo in-*
ad pop. *gurgitata.* Quod unum ſufficit ad helluones confundendos, qui quos pro-
S. Ambr. pinant calices, ſaluti, inquiunt, propinant. *Primò minoribus poculis, veluti veli-*
l. de Elia *tari pugna præluditur: ubi res calere cœperint, poſcunt majoribus poculis. Verùm*
31. *hæc non ſobrietatis eſt ſpecies, ſed bibendi diſciplina.* Et hanc bibendi diſciplinam
diſcunt, & docent, non ſolùm de fæce plebis homines, ſed magnates: neque
gentiles duntaxat, ſed etiam Chriſtiani, de quibus ſic fatur dubius Tertull.
Epiſt. de *Nec tamen deſunt, qui cùm ſibi nominis Chriſtiani vocem induerint, exempla præ-*
cib. Jud. *beant intemperantiæ & magiſteria. Videas ergo tales, novo genere adhuc jejunos, &*
4. *jam ebrios, non ad popinam currentes, ſed popinam ſecum circumferentes, quorum*
quiſq; ſalutat, non oſculum dat, ſed propinat.

Sententioſè Diodochus ſobrietatem vocitat *myſterium continentiæ*: Hoc ſobriæ frugalitatis ſacramentum ex adverſo opponitur ſacramento ebrietatis ab helluonibus & propinatoribus inſtituto. De quibus ſic fatur S. Am-

broſ. *Quid referam Sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inqui-* l. de Elia
unt, pro ſalute Imperatoris, & qui non biberit, ſit reus in devotione: videtur enim 17.
non amare Imperatorem, qui pro ſalute ejus non biberit. O piæ devotionis obſequiũ!
Poſt propinatam Imperatoris ſalutem, bibunt pro ſalute Imperatricis, pro
regiæ familiæ ſalute, neque adhuc ſiſtunt, ſed ulterius properant, dicentes:
Bibamus pro ſalute Ducis exercituum, pro comitum virtute. Neque his contenti
poculis, bibunt ad ſalutem patris familias, uxoris, filiorum, convivarum, i-
pſis Angelis impiè propinant. *Ignorant quòd nullus tam gravem injuriam SS.* S. Aug.
Angelis, vel ſanctis hominibus agnoſcitur irrogare, quàm illi, qui in eorum nomini- ſer. 131.
bus bibendo, per ebrietatem, ſuas animas probantur occidere. Tandem mille exco- de temp.
gitant titulos, ut bibant ad ſanitatem. *Et hæc donec ad menſas perveniatur ſe-* S. Ambr.
cundas. At ubi conſummata fuerint epulæ, & putet quis jam eſſe ſurgendum, tum in ibid.
integro potum inſtaurant ſuum, & cùm conſummaverint, tunc inchoare ſe dicunt:
tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres quaſi inſtrumenta bellorum. Hos
helluonum exceſſus ſic adhuc depingit S. Auguſt. *Jam tranſacto convivio ex-* Ibid.
pleta ſiti, cùm amplius bibere non poſſint, nec debeant, tunc quaſi novelli, quaſi & i-
pſa hora ſupervenerint, diverſis nominibus incipiunt bibere, & profano ſuo & ſa-
crilego bibendi ritu corporis ſanitatem lædunt, animæ mortem peccando
inferunt. Ut enim ait Baſilius Magn. *de ebrietate per ambitionem contendunt,* De ebr.
cujus auctorem legis diabolum habent, victoria verò præmium, peccatum, pro ſtul-
titia ſcyphos amicos nominantes crateres, qui corpori ſanitatem, & animæ
vitam auferunt.

3. *Si honeſta cauſa eſt convivij,* vinum eſt moderatè ſumendum, etenim *ex-* Tertull.
ultatio animæ & cordis, vinum moderatè ſumptum, quia ſcilicet ſapientem vi- apol. 39.
rum reddit *ſibi æquum & clementem, & convivis ſuavem, & famulis mitiorem,* Eccl. 31.
& amicis jucundiorem. Cujusmodi erant convivia primorum Chriſtianorũ, Clē. Al. l.
à quibus exceſſus, ingluvies, & ebrietas arcebatur. In illis convivæ ad invi- 2. pæd. 2
cem propinabant, & mutuò deferebant pocula, quæ Clemens Alex. nuncu-
pat pocula amicitiæ. *Nos qui ſumus genus pacificum, ſobriis hoſtibus amicitiæ er-*
go bibimus, ut verè & convenienti nomine appellentur pocula amicitiæ. Quantum
ab illis diſcrepant convivia hujusce temporis! In illis namque *editur, quan-* Tertull.
tum eſurientes cupiunt; bibitur etiam prout placuerit, nec erat qui cogeret ad
bibendùm: In iſtis velint nolint convivæ, coguntur ad bibendum. *O infe-* S. Aug.
licitas generis humani! Quàm multi inveniuntur, qui ebrioſos amplius quàm o- ſer. 13. de
portet, cogunt bibere! Hac importuna propinatione, ſeſe illorum inimicos de- temp.
monſtrant; nam *cùm ebrietatis malum ſit grave vitium, & Deo odibile, ita per u-* S. Aug.
niverſum mundum à pluribus in conſuetudinem miſſum eſt, ut ab illis, qui Dei præ- ſer. 131.
cepta agnoſcere volunt, jam non putetur, nec credatur eſſe peccatum: In tantum de temp.
ut in conviviis ſuis irrideant eos, qui minus bibere poſſunt: & per inimicam amici-
tiam adjurare homines non erubeſcunt, ut potum amplius accipiant, quàm oportet,
qui enim alterum cogit, ut ſe plus quàm opus eſt, bibendo inebriet, minus malum ei
erat, ſi carnem ejus vulneraret gladio, quàm animam ejus per ebrietatem necaret.

Bellè dicitur inimica hujuſmodi amicitia,quæ animam occidit , Deoque
Ser. 132. hominem inimicum reddit. Hoc argumentum urget S.Auguſt. *Et non ſit*
de temp. *tibi amicus,qui te Deo vult facere inimicum: Si te, & alium inebriaveris,habebis*
hominem amicum,habebis Deum inimicum: & ideò ſapiens conſidera,ſi juſtum ſit
ut te à Deo ſepares,dum te ebrioſo conjungis. Eodem ferè modo ratiocinatur S.
l.de El.14 Ambroſ.qui infenſos illos redarguit propinatores.*Vocas ut amicos,dimittis ut*
inimicos: quantò melius in terram tua vina fudiſſes? Quid te delectant damna ſi-
ne gratia? rogas ad jucunditatem,cogis ad mortem. Binum ibi incurritur da-
mnum,& illius, qui ad bibendum compellit alium, & ejus qui ex alterius
ſollicitatione plus æquo bibit: Qui ad potandum cogit, duplici ſcelere cri-
S.Aug. minoſus eſt,& duplici pœnâ mulctandus. Nam *quicumq; ad bibendum pronus*
ſer. 131. *fuerit,vel in convivio ſuo alios adjurare,vel cogere voluerit, & pro ſe, & pro illis in*
de temp. *die judicii reus erit.* Neque immunes ſunt à peccato, qui ex aliorum ſollicita-
tione plus quàm fas eſt bibunt. Hos inexcuſabiles judicat S.Auguſt. *Solent*
Ser. 132. *ebrioſi ita ſe excuſare,ut dicant,Perſona potens me coegit,ut amplius bibam, & in*
de temp. *convivio Regis non potui aliud facere. Ad excuſandas excuſationes in peccatis illa*
prætendimus,& quod implere nolumus,non potuiſſe nos dicimus. Nolle,in culpa eſt
noſtra,& non poſſe prætenditur.Etiamſi ad hæc veniretur; Aut bibas aut morieris;
melius erat ut caro tua ſobria occideretur,quàm per ebrietatem anima moreretur.
Eligenda eſt potius mors, quàm peccatum, quod committitur per ebrieta-
tem ſceleroſam, & impiam.

III. PARS *Neq; enim gulam ſumpſimus ad gulæ crimen.* Multa tamen ebrioſi per gu-
Tert.l.de lam committunt crimina; nam ut ait S.Auguſt.*Ebrietas ab anima injuria in-*
ſpect.2. *cipit,& flagitiorum omnium mater eſt; culparum materia, radix criminum om-*
l.de ſacr. *nium,origo vitiorum.* Adeò criminoſa videtur S.Chryſoſtomo ebrietas , ut
virg. 1. ab ea infinita mala dimanare affirmet: *Vini largior uſus, infinitorum eſt cauſa*
Hom. 10 *malorum.* Tædioſum foret ſigillatim cuncta referre;in præſentiarum tan-
in Gen. tùm demonſtrare contendam, ebrietatem eſſe ream & ſceleroſam, 1. libi-
dinoſæ voluptatis, 2. furoris,& crudelitatis, 3. blaſphemiæ,& impietatis.

Tert.l.de 1. *Appendices ſcilicet gulæ,laſcivia atq; luxuria:* quaſi gula tranſeat in luxu-
jejun. 17. riam,& libido ſit edacitatis ſequela. Hanc gulæ,& libidinis confœderati-
l.de ſpect onem,& inſeparabilem ſocietatem,ſic declarat Tertul. *Sed Veneri ac Libero*
10. *convenit. Duo iſta dæmonia conſpirata & conjurata inter ſe ſunt,ebrietatis,& li-*
bidinis. Venus à gentilibus ut dea impudicitiæ venerabatur; Bacchus verò
ſeu Liber,ebrietatis exiſtimabatur Deus.Idcircò Clem.Alexand. nuncupat
l.2.pæd.2 vinum *Bacchicum fomitem*,quia eſt Veneris lenocinium,juxta illud Sapien-
Prov.20. tis: *Luxurioſa res eſt vinum.* Quare Apoſtolus abſtinendum præcipit à vino ,
Epheſ.9. quod eſt libidinis fomes: *Nolite inebriari vino,in quo eſt luxuria.* Ut enim do-
ep.83. cet S.Hieron.*Venter mero aſtuans, citò deſpumat in libidines.* Quod exemplo
Loth confirmat: *Loth per temulentiam neſciens libidine miſcet inceſtum : &*
quem Sodoma non vicit,vina vicerunt. Inde audacter aſſeverat : *Ubicumq;*
Satu-

ſaturitas & ebrietas ibi libido dominatur: expecta ventrē & genitalia, qualis ordo membrorum, talis ordo vitiorum. Quod aſſumpſit ex Tertulliano, qui hac ſupra re ſic fatur: *Monſtrum haberetur libidoſine gula, cùm duo hæc tam unita atque concreta ſint, ut ſi disjungi omnino potuiſſent, ipſi prius ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus, & una regio eſt. Deniq; pro diſpoſitione membrorum, ordo vitiorum; prior venter, & ſtatim cætera ſagina ſubſtracta laſcivia eſt, per edacitatem ſalacitas tranſit.* Chriſtianus probè ſciens, quàm periculoſa ſit caſtitati gula, ſeu ebrietas, deberet ſobrietati invigilare: helluo nihilominus contra ſuam ſcientiam & conſcientiam ſeſe ad convivia confert: *Ubi laſcivia & ebrietates cùm plurimum ventris & libidinis cauſa frequentantur*, & ubi interdum furens ebrietas cum vino miſcet ſanguinem. In c. 1. ep. ad Tit. L. de jej. 1.

2. Nebulones Chriſtiani helluones ethnicos ſic alloquuntur: *Non multò ſecernimur à veſtra voracitate, ſi illa impudica eſt, noſtra crudelis: conjungimur ſi fortè naturâ, quâ ſemper ſævitia cum impudicitia concordat.* Ebrietatem ſequitur crudelitas & furor: *Cœperunt principes furere à vino* Anaxarchus, qui Scythas ad urbanitatem componere fruſtrà tentavit, dicere ſolebat quatuor eſſe crateres vini, Primum neceſſitatis: ſecundum voluptatis: tertium ebrietatis: quartum crudelitatis. Quod aſſeverat Eccleſiaſticus: *Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio, minorans virtutem, & faciens vulnera.* Quaſi dicat: Animoſitas & audacia, quam parit ebrietas, eſt cauſa cur ebrius alios imprudenter offendat, laceſcat conviciis, pugnis aggrediatur, aliaque multa faciat, quæ iram & furorem denotant. *Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* Sicut oleum fovet lucernam, ſic vinum iram inflammat. Unde quæſo tot diviſiones & lites inter amicos; tot diſſenſiones inter uxoratos; tot convitia inter vicinos, tot certamina inter milites, tot cædes, niſi ex ebrietate? *Cui ira? cujus patri væ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera? Nonne hu, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Nam ut animadvertit S. Ambr. *de ebrietate ad arma conſurgunt: calicibus tela ſuccedunt: pro vino ſanguis effunditur, & ipſum ſanguinem vina fuderunt.* Ad manum ſunt innumera propè exempla. Alexander Macedo Clitum ſibi amicum in calore vini telo confodit; Abſalon Ammonem fratrem ebrium interfecit; Ptolomæus Simonem Machabæum in convivio enecavit. *Infiniti numero, vino impellente, injuſta impiaque homicidia commiſerunt.* Referre ſufficiat execrabile facinus quod accidit Hippone S. Auguſtino Epiſcopalem ſedem occupante, & propter quod ſanctus ille Antiſtes tertiò ad populum concionem habuit. *Accidit hodie terribilis caſus, ut omnes audiſtis, propter quem ad Eccleſiam Hypponenſem etiam fœminas, & infantes congregare præcepi. Ecce præclariſſimus civis noſter, & ferè dilectus ab omnibus Cyrillus, filium habebat ut ſcitis, qui hodie ebrietatem perpeſſus, patrem, quem poſt Deum revereri debebat, occidit: matrem, à qua portabatur, prægnantem oppreſſit; ſororem, quam tenerrimè diligere debebat, violare voluit, & duas vulneravit ad mortem.* Utinam ebrioſi adeò horren-

Tert. l. 1. ad Nat. 15. Cap. 31 Eccleſ. Prov. 23. L. de Elia 12. S. Aug. l. de ſacr. Virg. 4. Ser. 33. ad Frat.

horrendum ſcelus mente perpenderent, ſerióque cogitarent ad quid com-
Chryſol. pellat vinum abundè potatum: *Ecce quid pariunt totis noctibus protracta con-*
ſer. 174 *vivia; ecce quid generat quòd cum menſura emitur, & ſine menſura bibitur vinū:*
ecce quò præcipitatur caro, cùm ad luxuriæ facinus, voluptatis inflammatur in-
cendiis. S. Auguſtinus uno & eodem die ter concionem habuit, ut memora-
tum enarraret crimē, tertiamque concionem finivit, auditores ſic alloquēs:
l. de Sal. *Caſum hujuſmodi inter cætera conſiderantes, nolite inebriari vino*, quia, ut ipſe a-
doc. 37 liorſum docet *ebrietas intra ſe vinum ſuſcipit inimicum, quod cùm introierit,*
mox impellit ad omne opus nefandiſſimum. Sunt ſanè multi Chriſtiani ebrieta-
Clem Al. tis oſores. *Hos laudo & admiror, qui vinum tanquam ignis minas, quàm longiſſi-*
l. 2. pæd. *mè fugiunt.* Sunt tamen multò plures vino dediti, qui in ebrietate fugiunt ut
2. Leones, præſertim *ipſis Bacchanalium furiis.* Hoc enim tempore omnia ſibi
Tert. licere exiſtimantes, erumpunt in laſcivias, violentias, impietates, & blaſphe-
apol. 6. mias.

l. de pud. 3. Ebrioſos contemplatur Tertul. vino inundatos, & *in blaſphemiā mer-*
15. *ſos*: Siquidem lingua *per vinolentiam armatur ad maledicta, & juramenta.*
S. Aug. Cuncta peccata horrenda ſunt, quia Deum offendunt; Verùm *multiplex eſt*
de Sal. *differentia peccatorum, quæ committuntur in Deum, & in homines, nihil tamen*
doc. 37. *ſceleſtius blaſphemiâ*: eò quòd impietatem admittat. Ut enim ait S. Joannes
S. Chryſ. Damaſc. *Qui peccat, legem Dei violat: at qui blaſphemat adverſus divinum no-*
in pſ. 97. *men, impietatem admittit.* Nolo modò recenſere blaſphemias, & impietates,
Paral. c. quas in Deum, & Sanctos vomunt ebrioſi, etiam adverſus ſacratiora religi-
59. onis myſteria. Has ſilentio præteriens, *horrebo planè ſputeum blaſphemiæ flatū,*
Tert. *de ebrioſo ore fœtentem.*

Scorp. 7. Pro coronide, *dabo catharticū vinolentiæ* Chriſtiani, illum abhortans cum
Tert. l. de Sapiente: *Ne intuearis vinum quando flaveſcit, ac ſplendeſcit in vitro color ejus:*
pall. 5. *ingreditur blandè, ſed in fine mordebit ut coluber.* Viſui oblectabile, gutturique
Prov. 23 ſuave eſt vinum: idcirco ebrietas *blandus dæmon, venenum dulce* nuncupatur
Ser. 26. à Chryſologo. *Verùm amaritudo animæ, vinum multum potatum.* Nam 1. fa-
Eccl. 30. cultatibus denudat; ſiquidem ebrioſi *abſorpti ſunt à vino*; nam dum abſor-
Iſa. 28. bent vinum, facultates eorum abſorbentur à vino: quod ipsâ experientiâ
Eccl. 19. conſtat. Profectò *operarius ebrioſus non locupletabitur.* Cuncta, quæ per heb-
domadam lucrantur operarii ebrioſi, uno ferè die expendunt, in tabernis
S. Amb. *uno die bibunt multorum dierū labores*: quod in una die expendunt, ſufficeret
l. de El. 12 ad nutriendam multis diebus familiam. *Unde trium vel quatuor dierum refe-*
S. Aug. *ctionem poterant habere, uno die cum grandi peccato contendunt perdere potius,*
ſer. 231. *quàm expendere. Et utinam potum tantummodo perderent, & non ipſi perirent.* 2.
temp. Ebrietas enim & eos depauperat, & corpori morbos ingenerat. Quare à S.
l. 4. apo. 4 Cyrillo *infirmitatis fons*, & adhuc à S. Baſilio vocatur *roboris corruptio*, quia
ſer. de eb. ut ratiocinatur S. Bernardus, *cibus indigeſtus malos generat humores, & corpus*
Ser. 36. *non nutrit, ſed corrumpit.* 3. Ebrietas mentem obnubilat; quapropter à Cy-
in Cant. rillo Alexandrino *deſipientiæ ſemita* nominatur. 4. Ebrietas hono-

rem

rem devenuſtat: *Inebriari vino dedecorat.* 5.Mortem accelerat,ideoque ebrie- Tert.l 4. adv. marc. 18
tas à Cyrillo dicitur *mortis janua*; à D.Baſilio *ſenectus immatura; brevis tempo-*
ris mors:& ob eamdem rationem helluones ironice alloquitur Tertullianus:
Cur ergo non conſtanter prædicatis: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur? L.de Jejun.17
6.Ebrietas ad peccandum inflammat:inde aſſerit D.Chryſ.*cùm quis ebrieta-* Hom.de ebr.
tibus deditus eſt, & dirumpi invitum, & ſponte neceſſe eſt peccare. 7.Cœlo privat:
ebrietas cœlum ebriis efficit inviſum. 8.Inferni ſuppliciis mancipat: *Audiſtis edi-* D.Chryſoſt. hom. 1. ad Pop.
ctum regis æterni, lamentabilem finem ebrietatis vel crapulæ didiciſtis. Deus nam-
que legem ſanxit,qua ebrioſos ad infernum damnat. *Quicunque ebrioſus pœ-*
nitentiam de ebrietate non egerit, ſed uſque ad mortem ſuam in illa permanſerit, in Orig.ho. 7.in Levit.
æternum profecto peribit. Attendant quæſo ebrioſi ad maledictiones quas in D.Aug. ſer.231.de Temp.
illos vibrat Propheta. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad*
miſcendam ebrietatem. Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & po- Eſa.5
tandum uſque ad veſperam, ut vino affluatis, propterea infernus dilatavit animam
ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino,

BEATITUDO.

SCHOLIUM.

Beatitudo 1. A terra peregrinatur: 2. In Cælo collocatur: 3. Beatitudinis objectum demonſtratur: 4. Perfectio declaratur: 5. Encomium prædicatur. 6. Poſſeſſio comparatur.

CONCIO PRIMA.

MARCIONEM cœlum averſantem, & beatitudinem in ter-
L.1.adv. Marc 14 ra collocantem inſequitur Tertullianus: *Averſaris cœlũ, & libertatem cœli inhabitantibus captas* Marcioni ſimiles
plurimi Chriſtiani, deſpicientes cœlum, & fœlicitatem
in terra collocantes: Verum fruſtra beatitatem quærũt
L.4.Confeſſ.12 in terra: quibus dicendum eſt, *Non eſt beatitudo ubi quæritis eam.* Quod trina ratione ex D. Auguſtino mutuata
Lib 10. Conf. 20 demonſtro: 1. Beatitudo perfecta cordis ſatiat deſiderium. *Quomodo quæro beatam vitam, quæ non eſt mihi donec dicam ſat eſt*: 2. Beatitudo perfecta triſti-
L. de Mor. Eccl. tiam & mœrorem excludit: *Nec miſeria & beatitudo ſimul in uno homine habitare conſueverunt.* 3. Beatitudo mutationem, mortem & finem neſcit. *Vi-*
L. 4. Conf. 12 *tam beatam quæritis in regione mortis, non eſt ibi ? quomodo enim beata vita, ubi nec vita?* Bona autem terrena, 1. ſatietatem non afferunt: 2. triſtitia & mœrore permixta ſunt: 3. mutationi & fini obnoxia ſunt.

I. PARS. Poſtquam Chriſtianus fide didicit, fœlicitatem perfectam nequaquam
L.5.adv. Marc 4 poſſe inveniri in terra: *Revertendum non erat ad infirma & mendica elementa.* Hujuſmodi loquendi modum mutuatus eſt Tertullianus ab Apoſtolo, qui Galatas poſt mundi repudium, mundo addictos proſpiciens, ſic redarguit:
Cap.4. *Quomodo iterum convertimini ad infirma & egena elementa?* Per hujuſmodi egena elementa, de quibus loquitur Paulus, intelligit Hugo Cardinalis honores, divitias & voluptates ſæculi: quæ hominis non valent ſatiare animã.

Quod

Quod ita evidens Gregorio Magno videtur, ut nolit illud ratione fulciri, ſed exemplo tantum confirmari ſuperborum, avarorum, & impudicorum, qui numquam ſatiari ſunt, 1. dignitatibus: 2. facultatibus: 3. voluptatibus. Hom. 1. in Evang.

1. Superbum belle comparat Tertullianus Cameleonti, fame ſemper laboranti, quia ſcilicet *de vento cibus*. Superbus vanitate enutritus, ſemper aviditate premitur, Sume tibi, ait D. Chryſoſtomus, de fæce plebis hominem, exime illum ab humilitate, inter cives cujuſdam urbis annumeretur, conditione privata minime contentus, ambiet magiſtratum. Sit in dignitate conſtitutus, nobilis concupiſcet honorem. Nobilitetur, Marchionis vel Ducis titulum exoptabit; Conſtituatur dux, principatum habebit in votis. Principis gaudeat dignitate, ad ſolium regium attollet mentem, Ad ſolium regiũ ſublimatus, haud quieſcet ejus animus, ſed plura adhuc deſiderabit regna, ut exemplo conſtat Nabuchodonoſor, & Alexandri Macedonis. Nabuchodonoſorem repræſentat Abacuc Propheta intentum in congregando exercitu, quo cunctas gentes ſuo ſubdat imperio, & ſtatim illum velut ebrium prodit. Nam ſicut ebrius, quò magis bibit, eò magis ſitit; quia vinum calorem excitat, & accendit humores; ſic Nabuchodonoſor eo majori æſtuabat ambitu, quo exercitus ejus plures debellabat populos. L. de Pall 5 Hom. 38 in 1. Cor. Cap. 1 Cap. 2

Habes ex iſto fomite æſtuantem magnum Regem, ſola gloria minorem. Loquitur de Alexandro Macedone Tertullianus, qui licèt nomine & re Magnus, tanto tamen fuit dominandi ardore inflammatus, ut ambitione qua æſtuabat minor habeatur. Illum depingit Daniel Propheta ſub figura animalis ita velociter currentis, ut pede terram haud tangere videretur. Nam ut belli fulmen regna ſubjugat, quibus minime ſatiatus, alia perquirit. Nec his adhuc contentus, poſt nova ſemper anhelat: quò plures reportat Alexander victorias, eò magis anxiatur ejus animus: nam poſt Theſſaliam victam, Græciam proſtratam; Darium debellatum, & maximam Aſiæ partem ſuo ſubditam imperio, ejus ambitio nullatenus ſatiata, novis ſemper inhiat triumphis. Et cum audiſſet ab Anaxagora Philoſopho plures exiſtere mundos, magnum perſenſit dolorem, præ triſtitia ingemuit, & vehementer lachrymatus eſt, quod adhuc unius mundi non eſſet Imperator. L. de Pall. 4 Cap. 8 Val. Max 18. c. 13

2. Divitiæ non magis ſatiant avaros; quàm honores ſuperbos. Quod oſtentat Tertullianus exemplo *illius hominis qui provenientibus fructibus* vocem emittebat ut pauper; *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* Avarus ille dives *conqueritur æque pauperibus: annon quem premit inopia dicit, Quid faciam? unde victus? unde calceamenta?* Annon artifex paupertate oppreſſus, clamat, Quid faciam, nihil habens quò debita ſolvam? Annon vidua fortunæ bonis depauperata, & numeroſa familia ditata, clamat: Quid faciam ad filios enutriendos, induendos & educandos? Annon pauper mendicans oſtiatim clamat, Quid faciam, cùm mihi ad victum neque etiam ſuppetat panis? Annon quivis miſeria & paupertate oppreſſus clamat: Quid faciam ut meæ ſubveniam egeſta- L. de Orat. 6 Luc. 12 Baſ. Mag. ſer. 6. de Div.

Baſil. ti? *Talia & locuples profert, urgent enim animam ipſius divitiæ à promptuariis emanantes.*

Tert.l. de Pud.7 Luc.19 3. Luxurioſus non ſatiatur adhuc voluptatibus. Ad manum eſt prodigus, qui *longe evagatus à patre*, acceptam à patre ſubſtantiam, *diſſipavit vivendo luxurioſe*. Si modo quæramus ab ipſo quid ex impudicitia captavit; reſpondebit, nihil præter famem: *fame hic pereo*. Nec mirum, quia *nihil prodigæ ſatu eſt voluptati*. D.Ambr. l. 7. in Luc. Quærit D. Auguſtinus cur Deus punire volens uxorem Loth, quod Lib.16. Sodomam verſus reſpexiſſet, mutavit eam in ſtatuam ſalis; nam intendens Civ.30 dare exemplum poſteris, magis conveniens videbatur transmutaſſe in ſtatuam æris vel marmoris, diu permanſuram, quam in ſtatuam ſalis quæ facile diſſolvitur. Loth eſt ſymbolũ ſpiritus, uxor verò Loth ſymbolum ſenſualitatis, quæ ſemper ad delicias & voluptates attendit. Inde colligit Cajetanus In cap.19. Gen. mulierem illam fuiſſe voluptati inclinatam, nam cùm ſuum ſequi deberet virum, ad Sodomam reſpexit, ubi forte luxuriæ operam dederat; quapropter juſto Dei judicio converſa eſt in ſtatuam ſalis, ut diſcamus venereas voluptates, perſimiles eſſe ſali tanto plus inflammanti quanto plus ſumitur. Sume in ore maſſam ſalis, illam comede & hauri, non ſitim extinguet, ſed magis accendet: habet enim qualitates aquæ maris, quæ pota ſitim facit. Non abſimiliter voluptas carnis nunquam ſatiat impudicos, qui voluptando bibunt luxuriæ ardorem: laſciviis ſatiati, ſitiunt laſcivias, ad inſtar Meſſalinæ Veneri addictæ, de qua fertur, *laſſata non ſatiata*.

Impudici, volutate vos in cœno libidinis; avari accumulate quaſcumque Eſa.55 volueritis divitias: ſuperbi, ſublimiores ambite dignitates. *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate?* Quæ verba ſic elucidat Lyranus: *Quare ponitis ſtadium & laborem veſtrum, circa bona temporalia, quæ non reficiunt, ſed magis famem & ſitim faciunt: quia cupiditatem accendunt?* Rup. Et ob hanc cauſam Chriſtus *ſitiens moritur, ut oſtendat nihil eſſe in mundo, quod ſitim expleat*; & non ſit triſtitia & dolore permixtum.

II. PARS. Populus Iſraeliticus etſi proſperitate fœlix, attamen *aliqua præſentium rerum* Tert.l. de Reſ.31 *tunc conflictatione mœrebat*: quia nulla eſt adeo proſpera fortuna, quæ afflictionibus & lachrymis non ſit obnoxia. Chryſol. ſer.64 *Habet hoc natura corporis humani, ut producat lacrymas vis gaudii, vis mœroris*. Hoc idem præſtant mundi bona, L.de Ira. 10 quæ gaudium & mœrorem afferunt. Quod innuit lepide Seneca producens in medium & ridentem Democritum, & flentem Heraclitũ. D. Auguſtinus qui experientia didicerat, hujuſce vitæ delitias & triſtitias, neſcit quibus tri- Lib.10. Conf.28 buenda ſit prælatio: *Contendunt lætitiæ meæ fluendæ, cum lætandis mœroribus; & ex qua parte extet victoria, neſcio. Contendunt mœrores mei mali, cum gaudiis bonis; & ex qua parte extet victoria, neſcit*. Verum hanc quæſtionẽ Ezechiel Propheta ſolvit, grande illud producens volumen, in quo eſt ſcriptum, *Lamentationes, Carmen, & Væ*. Carmen inter lamentationes & væ: Carmen in ſingulari, Lamentationes & Væ in plurali, ad oſtendendum quòd in mundo mœror de deliciis triumphat: & quòd terrena bona plus afferunt triſtitiæ & luctus,

luctus, quàm lætitiæ & gaudii. Tripliciter namque conſiderari poſſunt: dum acquiruntur; dum poſſidentur; & dum amittuntur: & in trino illo ſtatu, plus triſtitiæ afferunt quàm lætitiæ. Mundana fœlicitas, ait Gotfridus, *tripliciter miſeros onerat: labore, timore, dolore. Cum labore ſiquidem pervenit homo ad id quod cupit: cum timore poſſidet: cum dolore amittit.* Videamus modo labores, anxietates, timores & dolores eorum, qui temporalia bona 1. acquirunt: 2. poſſident: 3. amittunt. In c.13 Eſa.

1. *Contriſtetur illic qui fructum ſæculi ſuſpirat.* Qui terrena bona percupiunt multis torquentur anxietatibus. Quod probe ſciens D. Auguſtinus exclamat. *In bonorum cupiditate quantæ ſpinæ! in luxuria libidinum quantæ ſpinæ! in ardore avaritiæ quantæ ſpinæ!* In ardore avaritiæ multæ ſpinæ: ideo Salvator divitias cum ſpinis ſociavit; quia qui divitias comparant, ſpinas perſentiunt. In luxuria libidinum multæ ſpinæ, quas belle D. Ambroſius cum roſa comparat. Roſa eſt flos admirabilis ob coloris pulchritudinem & odoris ſuavitatem, eſt tamen ſpinis velut propugnaculis munita; neque colligi poteſt abſque læſione manuum. Venereæ voluptates ſunt vallatæ ſpinis quæ pungunt aggredientes, ut patet ex impudicis ſenibus Suſannæ amore ſauciatis; quorum amorem ſacer Textus dolorem & vulnus nuncupat: *Erant ambo vulnerati amore ejus, & indicaverant ſibi invicem dolorem ſuum.* Non minores ſpinas ſentiunt ambientes, quas ſic refert Tertullianus: *Sed enim illos qui ambitus obeunt capeſſendi magiſtratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis: nec incommodis tantum, verùm & contumeliis omnibus eniti in cauſa votorum ſuorum.* Hæ ſunt ſpinæ quæ dignitatum, divitiarum & voluptatum captationem ſequuntur. Quicumque eas perquirit, mœrore afficitur; nec ullam die noctéque requiem habet; die multa loca perluſtrat, nocte undequaque vertitur; Quod experimento didicit Regius Vates: *Quoniam die ac nocte converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Quod per diem patitur tormentum, urget illum ad deſiderandam noctem, & nocte anxiatus, poſt diem ſuſpirat. *Si dormiero, dicam: Quomodo conſurgam? & rurſum expectabo veſperã, & replebor doloribus uſq; ad mane.* Et ita qui poſtterrena anhelat, nunquam quieſcit à laboribus, anxietatibus, doloribus, & ſpinis. Nec fœlicior qui ea poſſidet. Tert. l. ad Mart. 2 In Pſ.102. Luc.8 L 3. Hexam.3 Dan.8. L. de Pæn. 11 Pſal.31 Job.7

2. Inter Gentilium nomina *Volupiam voluptatis* deam recenſet Tertullianus. Huic ædem dicarunt Romani, intra quam Angoræ deæ mœroris conſtruxerunt templum, ita diſpoſitum, ut nullus eſſet locus in templo Volupiæ dicato, quo Angora non aſpiceret. Hoc modo docuerũt nos nullum eſſe in mundo hominem adeo fortunatum, qui anguſtiis & afflictionibus ſit exẽptus. *Iſte quem beatum credis, ſæpe dolet, ſæpe ſuſpirat:* quamvis fauſtus appareat, vere infœlix eſt: *quæ expectantur foris, nitent, intrinſecus miſera.* Qui in ſæculo fœliciores exiſtimantur, tot plectuntur miſeriis, quæ vix numerari poſſunt: *Dici nequit quantum per horas, fert in hac vita miſeriarum, vita fœlicium.* Et ſicut qui aliquo cruciantur morbo, nullam ægritudinem ſuæ comparandam cenſent, ſic homines quam patiuntur adverſitatem cunctis majorem exiſti- L 2. ad Nat. 1. D. Aug. l. 4 Civ 4 Sen. l. de Rem. Fort. Sen. l. de beat. Vit. Sid. Apol. l.2. Ep.13.

D Chryſoſt.hom. 7.ad Pop. mant. *Moroſum eſt genus humanum, ſortem ſuam ſemper accuſans, & animum gerens gravatum.*

Tob.5 *Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Quale gaudium erit mihi cum viro nebulone, zelote, vinolento, & perdito? quale gaudium erit mihi cum uxore arroganti, laſciva, ludo & luxui dedita? quale gaudium erit mihi cum filiis ingratis, inobſequentibus & impiis? quale gaudium erit mihi cum ſubditis contumelioſis, perfidis & traditoribus? Sen.l.de Beat. Vit. *Præcipitat quiſque vitam ſuam, & futuri deſiderio laborat, & præſentium tædio.* Concupita & non obtenta bona eum cruciant; poſſeſſa verò ſui faſtidium ingenerant. Tert.l. de Cult. Fœm.6 Etiam *vina poſteriore quoque uſu depretiantur.* Hujus perpùlchrum habemus exemplum in Ammon qui ſororem ſuam Thamar tanto concupivit ardore, ut præ amore ægrotaverit: verum ſtatim ac illâ potitus eſt, ardentem illum amorem in averſionem convertit; L.2. Reg. 13 *ita ut majus eſſet odium, quo oderat eam, amore quo antea dilexerat.* Idipſum accidit multis, qui ante matrimonium ardenter ſeſe diligunt; matrimonio autem rato & conſummato ſeſe mortaliter averſantur.

Hujuſcemodi mutatio procedit, vel 1. quia venerea voluptas pœnitentiā affert. Boet.l.3. de Conſ.7 *Quid de corporis voluptatibus loquar, quarum ſatietas plena eſt pœnitentia?* Vel 2. ex mutabilitate voluntatis, quæ quod amabat heri, odit hodie: Greg. Mag.l.6 Mor.3 *Quæ mutabilitatis ſitæ onera, quia volens expetiit, nolens portat.* Vel 3. ex objecti amati defectibus, qui in ipſius poſſeſſione dignoſcuntur: Ennod.l.6 Ep.20 *Poſſeſſio eſt malignus fœlicitatis interpres.* Juvenis attendebat ad externum puellæ decorem, non conſpiciebat animum ejus arrogantia inflatū, ad luxum & ludum & laſcivia pronum: puellam exiſtimabat humilem, caſtam, mitem, virtutis ſtudioſam: & quia in poſſeſſione ſe videt deceptum, non inveniens quas cenſebat virtutes, ſed potius vitia eis oppoſita: pœnitet, ſed tarde; ſeſe accuſat erroris, & puellam illam quam ardenter diligebat, hoſtiliter odit. Tale eſt omne ſæculi bonum, Greg. Naz Orat. 42 *Antequam habeatur, in pretio eſt: idem acceptum vileſcit & contemnitur:* & ut vult D. Auguſtinus, Ser.15.de Diverſ. *omnis terrena poſſeſſio ſupplicium eſt cupiditatis.* Poma Sodomæ externam habent pulchritudinem, ſed intus cineribus ſunt repleta, Tert.Apol.40 *& ſi qua illic arborum poma conantur oculis tenus, cæterum contacta cineſcunt.* Suavem promittunt dulcedinem, verum guſtata amareſcunt, Hegeſip l. 4.c.18 *Spectes illic ad ſpeciem poma viridantia, formatos uvarum racemos, ut edendi generent ſpectantibus cupiditatem: ſi carpas faciſcunt, & reſolvuntur in cineres, fumumque excitant, quaſi adhuc ardeant.* Terrena bona pomis & uvis Sodomæ ſimilia, pulchra & dulcia extrinſecus apparent, ſunt autem intrinſecus deformia & amara; qui ea poſſident, non dulcedinem, ſed amaritudinem guſtant: Deut.32 *De vinea Sodomorum vinea eorum: uva eorum, uva fellis:* & ſicut mel in bilem convertitur: Clem.Alex.l.1 Pæd 9 ita mundi hujus ſuavitates & fœlicitates, in amaritudines & infœlicitates degenerant.

Tert l. 1. de Cult. Fœm.6 2. Verum eſto quòd rerum terrenarum *abundantia contumelioſa in ſemetipſam* non ſit, ſed temporalia bona cum gaudio poſſideantur: nonne grandem

dem affert ſollicitudinem timor ea amittendi? *Sollicita cogitatio hac quamdiu?* Sen Ep. ad Paulin. de Brev. Vit.
Quamdiu perfruar objecto illo tantopere dilecto? quamdiu vivam cum uxore adeo mihi chara? quamdiu hujus hæreditatis habebo dominium? quãdiu huic exercitui imperabo? quamdiu Senatoris aut Præſidis ſervabo dignitatem? quamdiu ero infulis pontificiis redimitus? quamdiu in ſolio regio ſedebo? Adeo ſollicita eſt hæc cogitatio *quamdiu*, ut perturbet delicias, queis potiuntur in curia Reges; voluptates innocuas, quibus uxorati fruuntur in matrimonio; oblectamenta, quæ in adminiſtranda juſtitia experiuntur Senatores: & cuncta generatim mortalium gaudia, *quæ adeo non ſunt gaudia, ut ſæpe initia futuræ triſtitiæ ſint.* Sen. ep 69 Quod ſi bonis adeo dilectis orbantur, tunc iſtud experiuntur Sapientis: *Extrema gaudii luctus occupat.* Prov. 14 Quomodo Hugo Victorinus hæc adhuc Sapientis expendit verba: Omnia flumina intrant in mare. *Quid eſt flumina intrare in mare, niſi omnem mundi delectationem terminari in amaritudines? Omne ergo flumen mare intrat, quia extrema gaudii luctus occupat*: Prov. 13 roſæ in ſpinas, dulcedines in amaritudines, tranquillitates in procellas & naufragia commutantur. *Vt eſt & illa navigiis, cùm longè à Caphareis ſaxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata decumanis, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, inteſtino repente percuſſu, cum tota ſecuritate deſidunt: non ſecus naufragia vitæ, etiam tranquillæ mortis eventus.* Tert. l. de An 52

Et ſicut is qui diu prope ignem permanſit, majus patitur frigus: ſic qui poſſeſſa & dilecta amittunt bona, majorem perſentiunt dolorem. Qualis quæſo agricolæ oblectatio habentis terras abundantes frumento, vites uvis onuſtas? at qualis dolor dum grando in una nocte, eum totius anni labore fruſtrat? Quale gaudium mercatoris in ſuo negotio proſperantis? at qualis ærumna dum eum negotiationis ſocii defraudant; dum naves in mari patiuntur naufragium; dum merces à prædonibus furantur; dum aliquo alio funeſto eventu fortuna penitus evertitur? Qualis lætitia uxoris cum marito ardenter eam diligente? verùm qualis triſtitia in ipſo juventutis flore viduari? Quale gaudium parentis habentis filium ſtudioſum, obſequentẽ & bene morigeratum? at qualis afflictio orbari benemerito filio, quem ut baculum ſenectutis proſpiciebat? Quale oblectamentũ Regis floreſcens regnum poſſidentis? at qualis dolor cùm de throno in ſervitutem cadit, & obtemperare cogitur injuſto diadematis uſurpatori? Annon quotidie hujuſmodi eveniunt caſus? Quot agricolæ tempeſtatibus grandinantur? quot mercatores divites qui in extremã rediguntur egeſtatem? quot uxores in ipſo hymenæi exordio viduatæ maritis? quot parentes qui charos amittunt filios, quando magis ſunt eis neceſſarii? quot Reges ſervi effecti & è ſolio detruſi? Nunne hac tempeſtate magnum vidimus Regem in throno ſedentem, & de throno deturbatum; purpura fulgentem, & in tenebroſo ergaſtulo incarceratum; ſceptrum manu tenentem, & catenas in manibus habentem; diademate coronatum, à ſicario publice detruncatum? Hanc mundanæ fœlicitatis viciſſitudinem & amaritudinem gravi ſtylo declarat Tertullianus:

I. de An. 52 *Multo violentior mors quæ per aliena graſſatur, quæ animam per commoda expellit; quæ tunc mori affert cùm jucundius eſt vivere, in exultatione, in honore, in requie, in voluptate.*

Ser. 1. Domin. Palm. Quærit D. Bernardus, cur Salvator *proceſſionem habere voluerit, qui mox futuram noverat paſſionem*, cujus hanc reddit rationem: *Ut amarior eſſet paſſio quam proceſſio præceſſiſſet.* Ab eodem enim populo, in eodem loco, & ipſo tẽpore, pauciſſimis diebus interpoſitis, primo cum tanto triumpho ſuſceptus, poſtea crucifixus eſt. Idcirco exclamat Bernardus: O *quam diſſimile, Tolle, tolle, crucifige eum, & Benedictus qui venit in nomine Domini, oſanna in excelſis!* *Quam diſſimile, Rex Iſrael, & Non habemus regem niſi Cæſarem! Quam diſſimiles rami virentes, & cruor, clavi & ſpina!* Unde hæc tam luctuoſa rerum facies: tã repentina cataſtrophe, tam tragicæ viciſſitudinis cauſa? *Ut videat ſæcularis anima, videat & intelligat, quoniam extrema gaudii luctus occupat. Hic nimirum eſt tranſitoriæ ſinus lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis.* Utinam bene cogitarent quod quotidie vident homines, mundi dulcedinem converti in amaritudinem; mel in fel; luxum in luctum; plauſum in planctum; gloriam in ignominiam; divitias in paupertatem; triumphum in funeſtam tragœdiam; perfectamque fœlicitatem nullatenus in mundo reperiri poſſe, ibi omnia mutationi, vel morti obnoxia ſunt.

III. PARS.

Tert. l. de Reſ. 54 D. Auguſt. Ser. 6. de Cœn. L. de dil. Deo 19 Mm Fol. in O.. *Mors non capit immortalitatem*, Beatitudo morti & mutationi non ſubjacet. Quia *non eſt vita niſi beata vita. Non eſt beata vita niſi vera vita: nec vera vita niſi æterna vita.* Quod ita certum videtur Auguſtino, ut velut articulũ fidei indubitate credendum proponat. *Futura vita creditur eſſe ſempiterna & ſempiterne beata: ubi eſt fœlix æternitas, æterna fœlicitas.* Quod unum ſufficeret ad demonſtrandum veram fœlicitatẽ nequaquã inveniri in terra: nam *quæ poteſt eſſe ſolida fœlicitas, cùm ſit ſomnio ſimilis? antequã teneatur, elabitur.* Hujuſcemodi viciſſitudo, fluxus & incõſtantia ex triplici procedit capite: 1. Ex mutabilitate bonorum mundi, quæ peritura ſunt: 2. ex mutabilitate hominis, qui moriturus eſt: 3. ex mutabilitate uſus & poſſeſſionis bonorum mundi.

Tert. l. de Pall. 2 Tert. l. de Spect. 29 Sen. 1. *Ita mutando erit mundus omnis, qui & diverſitatibus corporatus, & vicibus tẽperatus.* Terrena bona mutabilia ſunt, quia tempore menſurantur; nam *tempora labentia ſunt*, omnia etiam temporalia ſunt corruptibilia: & ita *inter peritura vivimus.* Etenim gloria tranſit, honor evaneſcit, voluptas fugit, pulchritudo defloreſcit, fortitudo perit, divitiæ amittuntur, domus evertuntur,

D. Aug. in Pſ. 58 familiæ mutantur, virtutes obliviſcuntur, & cuncta generatim fortunæ & naturæ bona, *iſta certe omnia mortalia ſunt.*

Tert. li. de Reſ. 54 Tert. l. de An. 27. 2. Homo quoque *multifariam demutatur, & habitu & ipſa corpulentia, & valetudine, & conditione, & dignitate, & ætate, ſtudio, negotio, artificio, facultatibus, ſedibus, legibus, moribus*: quot modis mutatur homo dum vivit, qui tandem ſubditur morti: nam *mors non aliud determinatur, quàm disjunctio corporis & animæ*: & ita homo mutabilis & mortalis, vel in vita, vel in morte, temporalibus denudatur bonis.

3. Nam.

3. Nam *mutari, & perire priſtino ſtatui, quem dum mutantur, amittunt.* Tert. l.
Nonne videmus quotidie continuas ſtatus mutationes, divitum qui eva- adv.
dunt pauperes, ſublimium qui dejiciuntur, aliorumque, qui dùm vivunt, Herm. 34.
temporalia amittunt bona? Quia ut bellè ad propoſitum ait S. Ambr. *Ad* De fid.
tempus credita, in perpetuum tenere non poſſumus, & licèt ea uſque ad ultimum reſ.
vitæ diem conſervent, in morte neceſſario amittunt.

Chriſtiani, qui fide, ratione, ipsâque experientiâ, certò cognoſcunt mundana omnia eſſe mutabilia; nonne ab illis cor avellere tenentur? *Cur ponimus corda noſtra in terra cùm videamus quia evertitur terra?* S. Aug. Plerique tamen in mundo felicitatem ſuam collocant, nec attendunt quòd mundus non felicitatem, ſed infelicitatem ſuis amatoribus præſtat. Chriſtiane, qui beatitatis æſtuas deſiderio, *ſi ſapis, ſi habes cor, ſi tecum eſt lumen oculorum tuorum, deſine ea ſequi, quæ & aſſequi miſerum eſt.* S. Bern. ep. 103.

CONCIO SECUNDA.

Apoſtolus municipatum in cœlis eſſe pronuntians, alicui utiq; civitati cœleſti eã deſignat. Tert. l. 3. adMarc. 23. Plura ſunt, quæ Chriſtianum urgent ut ad cœlum mentis attollat oculos. 1. Diſpoſitio corporea hominis, qui reſpicit cœlum, cùm cætera animantia terram intueantur. 2. Motus animæ rationalis, quæ Deum pronuntians, *non ad capitolium, ſed ad cœlum reſpicit: novit enim ſedem Dei vivi.* Tert. apol. 17. 3. Fides, quæ docet cœlum eſſe locum perfectæ felicitatis. 4. Quia homo naturaliter appetit beatitudinem, quam nequit habere in terra, ubi eſt peregrinus, egenus, & ſceleroſus, ſed in cœlo, ubi non erit peregrinus, ſed civis; non pauper, ſed opulentus; non ſceleroſus, ſed in ſanctitate conſummatus. Quod attendens Vates Regius, totus admirabundus exclamat: *Beati qui habitant in domo tua Domine!* Verè beati, quia 1. habitant in domo Dei, 2. habent poſſeſſionem Dei, 3. participes ſunt ſanctitatis Dei.

Qualis civitas nova Jeruſalem! Tanta eſt ejus dignitas, ut in ejus conſideratione præ ſtupore & gaudio effundat animam Propheta. I. PARS. Tert. l. de ſpect. 29. *Hæc recordatus ſum, & effudi animam meam in locum tabernaculi admirabilis, uſq; ad domum Dei.* Pſ. 41. Cœlum nuncupat tabernaculum admirabile, domum Dei glorioſam: Et meritò, quia eſt domus 1. admirandæ pulchritudinis, 2. ſtupendæ jucunditatis, 3. perpetuæ tranquillitatis.

1. Gentiles locum felicitatis Elyſios campos vocitârunt, & ſub hoc nomine cœlum adumbrârunt. *Elyſii campi fidem occupaverunt.* Tert. apol. 47. Verùm omiſſis Poëtarum fabulis, Beati cœlum inhabitant, quod eſt domus Dei, ſed admirandæ pulchritudinis. Cœli qui apparent, mira profectò præditi ſunt pulchritudine: Tanti eos facit Regius Vates, ut eos velut divinæ gloriæ decantatores prædicet: *Cœli enarrant gloriam Dei;* Pſ. 18. quia ſcilicet ex eorum pulchritudine homines moventur ad divinas decantandas laudes. Verùm quantumvis Dei magnalia in firmamento fulgeant, multò magis in Empyreo ſplendent; quod cunctos cœleſtes in nobilitate, pulchritudine, &

fulgore longè ſuperat. Quapropter in mundi exordio Deus poſuit aquas ſupra, & infra firmamentum, velut velum, quo Empyrei occultaret radios. Nam cùm ſit multò lucidius Sole, obcæcaſſet mortalium oculos, ait S. Auguſt. niſi appoſitum fuiſſet velamen aliquod ad impediendā tantam ſplendoris effuſionem. Firmamentum ſuis ſtellis illuſtratum, eſt quidem lucidiſſimum, attamen cùm S. Auguſtinus fulgores ejus Empyrei ſplendoribus

l.2. de Gen. ad lit. 5. confert, illud terram vocitat. *Sed ad illud cœlum cœli, & terra noſtra cœlum terra eſt.* Empyreum appellat cœlum cœli, quia cæteros cœlos tantùm lumine ſuperat, quantum alii cœli terram. Quòd ſi cœli quos videmus, tanto lumine coruſcant, tanto fulgore rutilant; quanta quæſo Empyrei pulchritudo, quantus ſplendor, in cujus comparatione, ait Auguſtinus, cœli quos intuemur,

l.12. Cóf. 2. nonniſi terra ſunt? *Ubi eſt cœlum quod non cernimus? cui terra eſt hoc omne quod cernimus.*

Si atrium palatii Regii eſſet adamantibus, ſmaragdis, unionibus & margaritis adornatum, nonne poſſet inferri: Si atrium ita ditatur, quales quæſo ſunt aulæ divitiæ? Si quod apparet eſt adeò pulchrum, qualis quæ latet pulchritudo? Eodem modo ratiocinandum eſt in præſenti materia. Si firmamentum eſt adeò fulgidum, quales ſunt fulgores domûs Dei? Si cœli

Venant. Fort. quos videmus, tanto ſunt decore micantes, qualis Empyrei decor? *Ubi ſemper liliorum roſarumque blandior lux arridet; ubi pictura floris odoriferi non marceſcit; ubi loci fœcunditas neq; nube premitur, neq; Sole ſiccatur; ubi juſtus gemmas calcabit in plateu, quas modò Reges non habent in coronis.* Hoc nonnemo ingenioſè expreſſit repræſentans cœlum ſtellatum cum hoc lemmate: *Pulchriora latent.* S. etiam Bernardus quoties intuebatur cœlum, in extaſim raptus,

Ser. 5. ad Matth. hæc proferebat verba: *Tota pulchra es patria mea, tota pulchra es, abſq; eo quod intrinſecùs latet.* Dilectus diſcipulus ut ſupernæ civitatis aliqualem nobis depingeret imaginē, coacervavit omnia quæ pulchriora, & ditiora cenſentur

Apoc. 21 apud mortales: *Et erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide: ipſa verò civitas aurum mundum ſimile vitro mundo, & fundamenta civitatis omni lapide pretioſo ornata: duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis: & platea civitatis aurum mundum.* Verùm hujusmodi dives deſcriptio, & quævis alia quæ fieri poteſt à mortalibus, num-

S. Aug. ſer. 153. de temp. quam ſatis exprimet civitatis cœleſtis decorem. *Cùm omnis anima ſancta cœleſtem Jeruſalem ingreſſa fuerit, multo plura, & magnificentiora perſpiciet, quàm & ei ſunt per ſacra eloquia, per Prophetas, & Apoſtolos nunciata.*

2. Domus igitur Dei eſt admirandæ pulchritudinis, & ſtupendæ adhuc

l. de ſpect. 29. jucunditatis, quam cum ſtupore contemplatur Tertul. *Quid admirer? ubi gaudeam, ubi exultem?* Supernæ civitatis deliciæ adeò ſuaves ſunt, ut ad eas cognoſcendas & deguſtandas, ejus aditum exoptet, & enixè poſtulet à Deo

Pſ. 26. Vates Regius: *Unam petii à Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini: ut videam voluptatem ejus.* Perfecti Chriſtiani apud Tertul. eodem æ-

l. de ſpectac. 28. ſtuant deſiderio; *Nam quid eſt aliud votum noſtrum, quàm quod & Apoſtoli,*

exire

exire de ſæculo, & recipi apud Dominum? Hic voluptas, ubi & votum. Empyrei gaudia paradiſo præfigurata ſunt terreno, in quo primos parentes juſtitia originali decoratos collocavit Deus. Locus ille tantis erat deliciis abundans, ut à ſacris Paginis, paradiſus voluptatis nominetur. Verùm ſicut umbra non attingit perfectionem veritatis quam adumbrat, ſic voluptates paradiſi terreſtris non aſſurgunt ad Empyrei delicias, ubi ipſemet deliciatur Deus. *Si paradiſum nominemus, locum divinæ amœnitatis recipiendis Sanctorum ſpiritibus deſtinatum.* Tert. apol. 47.

Elias Propheta innocuas Empyrei voluptates per vinum defœcatum oſtentat: *Faciet Dominus in monte convivium vindemiæ defæcatæ.* Regius etiam 26. Vates Deum repræſentat calicem in manu tenentem, in quo eſt merum, fæx, & vinum fæce mixtum. *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto; veruntamen fæx ejus non eſt exinanita; bibent omnes peccatores.* Hoc calice potat Deus, ſed diverſimodè, reprobos in inferno, viatores in ſæculo, & Beatos in cœlo. In inferno, reprobis præbet fæcem, nempe triſtitias, & dolores puros absque vino gaudii, & conſolationis. In ſæculo præbet viatoribus vinum mixtum, id eſt jucunditates cum fæce mœroris, & triſtitiæ permixtas, quas ideò nuncupat Philoſophus moralis *triſtes voluptates.* Tandem in cœlo Deus Epiſt. 68 merum præbet Beatis, ſcilicet jucunditates puras absque ulla triſtitia. Quapropter S. Auguſt. acutè animadvertit, quòd Apoſtolus loquens de hujusce vitæ afflictionibus utitur his terminis, quaſi, tanquàm, qui triſtitiæ vim & magnitudinem minuunt: *quaſi triſtes, ſicut egentes;* dum autem de cœli gaudiis loquitur, nulla utitur reſtrictione, ſed addit, ſemper, ut denotet eorum magnitudinem, & interminabilem durationem. *Non dixit Apoſtolus, quaſi gaudentes, ſed ſemper gaudentes, triſtitia noſtra habet quaſi: gaudium noſtrum non habet quaſi.* Conc. 2. in pſ.68.

Tantum, & tale eſt gaudium, quo fruuntur in cœlo Beati, *tanta eſt dulcedo futuræ gloriæ, quòd ſi una guttula in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem indulcoraret.* Quòd ſi una guttula tantam habet virtutem, quid dicendum de vivo fonte? *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Quid de deliciarum torrentibus? *Torrente voluptatis potabis eos.* Quid de gaudiorum fluminibus? *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Quid de diluvio, quod cœleſtem inundat Jeruſalem? *Dominus diluvium inhabitare facit.* Quid de oblectamentorum oceano, in quo immerguntur Sancti, & undequaque ineffabili replentur lætitiâ? Nam *gaudium erit eis intùs, & extrà: gaudium ſurſum atq; deorſum, gaudium circumcirca: ubique gaudium plenum,* quod magnitudine, & multitudine, mentis aciem longè ſuperat. *O quot, & quanta gaudia, quis obtinebit! quis de tot ac tantis beatitudinibus jubilabis!* At de quo gaudebunt Beati? ſed de quo non gaudebunt? Gaudebunt ſe eſſe ab hujus vitæ miſeriis liberatos: gaudebunt ob contemptum mundi, & victorias de dæmone reportatas: gaudebunt ſe eſſe à concupiſcentiæ ardoribus exemptos: gaudebunt ſe eſſe à peccato, & dãnatione immunes: gaudebunt ſe eſſe

S.Aug. ſer.8. de transf. Pſ.35. Pſ.45. Pſ.28. S.Anſel. S.Anſel.

ab exilio ad patriam transvolatos: gaudebunt Angelorum & Beatorum frui conſortio, gaudebunt ſe divinas intueri magnitudines, amare perfectiones: tandem *delectabuntur in multitudine pacis.*

Pſ. 36 Tert. l. de præſ. hær. 20. S. Aug. l. 19. Civ. 12

5. Beati in cœlo perfecta tranquillitate fruuntur. Etenim *eſt illis communicatio pacis.* Pacis deſiderium tam eſt homini naturale, ac gaudii votum, & *ſicut nemo eſt, qui gaudere nolit: ita nemo eſt, qui pacem habere nolit.* Verùm ubi pacem illam tantoperè exoptatam reperiet? Non in terra, quæ non eſt ſedes pacis, ſed belli theatrum. Bellum habet homo cum Deo, quem ſuis criminibus inſolenter aggreditur: bellum cum dæmonibus, qui indeſinenter ei parant inſidias: bellum cum proximo, à quo vel ſuperbia, vel avaritia, vel laſciviâ, vel invidiâ, vel aliqua paſſione dividitur: bellum cum creaturis, quæ adverſus illum armantur, ut vindicent injurias Creatori factas: bellum in ſemetipſo; nam caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.

Quòd ſi interdùm pace frui videtur, mox ut incipit, finit: ſi interdùm ei creaturæ obſequuntur, ipſum ſtatim perſequuntur: ſi interdùm cum proximo init amicitiam, mox levi de cauſa eam frangit: ſi interdùm dæmones à tentationibus quieſcunt, illum ſtatim majori adoriuntur impetu: ſi interdùm in Dei benevolentiam redit, mox perdit gratiam, & cadit in peccatū.

Hugo Card. in pſ. 4 S. Aug. l. de dil. Deo 18. Pet. Dam. op 50 c. 15.

Vera pax, tranquilla requies non alternat, nec alternas viciſſitudines reciprocat: Pax hujus temporis ſæpè variatur, & immutatur. Idcircò non in terra, ſed in cœlo vera pax dumtaxat reperitur, quia *regnum Dei plenum eſt pacis.* In cœlo ſiquidem homo in ſemetipſo tranquillus, neque poſt reſurrectionem inter corpus, & animam ullum erit diſſidium. *Cum ſpiritu ſiquidem & caro ſpiritalis facta concordat, & totus homo in nullo penitùs diſſonat.* In cœlo non timebit creaturarum perſecutiones; nam *Beatorum feliciſſima voluntati cuncta prorſus elementa deſerviunt; & cuncta ad eorum nutum, omnia ad eorum vertuntur arbitrium.* In cœlo perpetua cum fratribus fruetur pace, nihilque eorum dividet voluntates: *Omnium mentes in mutui amoris unione conflata, nulla invicem varietate diſſentiunt: ſed in communi voluntatis ſtudio omnes unanimiter fœderantur.* In cœlo nullis diaboli impugnabitur inſidiis, quia *nec erit hoſtis impugnans, nec ulla illecebra.* In cœlo nullo ardebit concupiſcentiæ incendio: *ibi natura humana quæ vitiata fuerat, cunctis paſſionum ſqualoribus defæcata, tripudiat, & azima facta in ſuæ puritatis munditie perſeverat.* In cœlo divinam perpetuò ſervabit benevolentiam, nec unquam à ſanctitate decidet. Quod

S. Auguſt. Soliloq. 35

Cap. 25

probat Dionyſius Carthuſ. ex iſto Jobi loco: *Qui facit concordiam in ſublimibus ſuis, in angelicis quoq; ſpiritibus ſummam, & indiſſolubilem facit concordiam, implendo eos tanta beatitudinis ſuæ communione, quòd nec à ſe, nec à Deo diſcordare nullatenus queant.* Res in ſuo centro quieſcunt, nec moventur; cœlum eſt

S. Aug. Soliloq 25

centrum hominis, Beati in cœlo exiſtentes ſunt in centro, *ubi erit ſumma ſecuritas, ſecura tranquillitas, & tranquilla jucunditas,* & plena deſideriorum ſatietas; nam Sancti in cœlo omnia ſimul cum Deo poſſident.

II. PARS. Tert. l. de pat. 13.

Quamdiu homines degunt in terra, *ſunt in penuria mundi.* Quænam quæſo

ſo major egeſtas, quàm nihil ſibi proprium habere, uti tantum modica re, & uti adhuc ad breve tempus? Ea eſt conditio mortalium, qui 1. nullius rei ſibi proprietatem poſſunt vendicare, 2. qui dumtaxat uſum habent rerum, 3. qui uſum modicum, & brevi duraturum habent. Non eſt æqua ſors Beatorum, qui in cœlo 1. Deum poſſident, 2. omnia in Deo poſſident, 3. æternaliter Deum poſſident.

1. *Quod noſtrum videtur alienum eſt.* Quàm diſſimilis eſt mortalium, & Beatorum ſtatus! Sæculi homines inopes ſunt, & nonniſi de ſua paupertate valent gloriari: Beati verè ſunt divites & meritò de ſua opulentia gloriantur; *In portione mea dives ſum.* 2. Sæculi homines rerum dumtaxat uſum, non poſſeſſionem habent: Beati in cœlo *poſſidebunt hereditatem, ipſum Deū.* 3. Bona quibus ſæculi homines utuntur intra terminos terræ mariſque finiuntur. *Divites quantumvis fines ſuos extendant, & terra deficit, & mare includit inſanas cupiditates:* Beatorum verò *portio non deficit, mari non clauditur.* 4. Mortalium bona multis ſunt obnoxia caſibus: at Beatorum *portio non ariditate ſiccatur, non imbre diluitur, non frigore uritur, non tempeſtate quaſſatur.* Mortalium fucata felicitas mera eſt infelicitas: At *quid poteſt eo eſſe felicius, cui efficitur ſum conditor cenſus, & hereditas ejus dignatur eſſe divinitas?* Divitiæ cujusvis hominis ex ejus cenſu cognoſcuntur. Inde colligenda eſt Beatorum opulentia, quorum Deus eſt hæreditas, & cenſus: Fit mutuum & commercium inter Beatos, & Deum, *illi ipſo poſſidente fiunt hereditas ipſius: & ille viciſſim fit hereditas ipſorum.* Deus Beatos poſſidet velut ſibi peculiare bonum: Beati Deum poſſident velut hæreditatem ſibi propriam cunctaque ſimul cum Deo poſſident.

Tert. l. de Pat. 7.
S. Ambr. ſer. 8. in pſ.
S. Aug. in pſ. 15.
S. Ambr.
S. Proſp. l. 2. de vit. contemp. 16.
S. Aug. tract. 2. in Joan.

2. *Præſume omnia habere, ſi habeas Dominum cujus omnia.* Nullus mortaliū cunctorum bonorum cumulatione utitur: at in cœlo eſt quidquid amatis, quidquid deſideratis. Si delectet pulchritudo, fulgebunt Juſti ſicut Sol: ſi velocitas aut fortitudo, erunt ſimiles Angelis Dei: ſi longa & ſalubris vita, ibi erit ſana æternitas, & æterna ſanitas: ſi ſatietas, ſatiabuntur cùm apparuerit gloria Domini: ſi melodia, ibi Angeli ſine fine concinunt Deo: ſi voluptas, torrente Deitatis ſuæ potabit eos Dominus: ſi ſapientia, omnes erunt docibiles Dei: ſi concordia, cibus erit illis voluntas Dei: ſi poteſtas, introibunt in potentias Domini, & omnipotentes erunt voluntatis ſuæ: ſi honores & divitiæ, Deus ſervos ſuos bonos & fideles ſupra multa conſtituet. Quia tunc erit *Deus omnia in omnibus.* Super terram Deus non eſt omnia in omnibus: divina ſapientia diviſit hominibus bona tum fortunæ, tum naturæ, tum gratiæ. Samſoni quippe dedit vires corporis, Salomoni ſapientiam, Abſaloni decorem, Eſther pulchritudinem, Judith venuſtatem, Jobo divitias, Machabæis gloriam, Abrahamo fidem, Joſepho caſtitatem, Moyſi manſuetudinem, Phinei zelum, Davidi teneritudinem, Paulo ſcientiam, Petro dilectionem, Martyribus conſtantiam, Confeſſoribus humilitatem, Virginibus puritatem, cæteriſque Sanctis ſpecialia Deus largitus eſt dona: *At cùm mortale hoc indutū fuerit immortalitate, & corruptivū hoc incorruptione veſti-*

Tert. l. 1. ad ux. 4
S. Aug. l. de ſpir. & an. 64.
1. Cor. 15
S. Hier. l. 1. contr. Pel. 11

veſtitum, tunc Deus erit omnia in omnibus, ut non ſit tantùm in Salomone ſapientia, in Davide animi manſuetudo, in Elia, & Phinees zelus, in Abraham fides, in Petro perfecta dilectio, in Vaſe electionis ſtudium prædicandi: ſed totus in cunctis, ut omni virtutum choro Sanctorũ numerus glorietur. S. Auguſt. addit quòd Paulus his verbis: *Ut ſit Deus omnia in omnibus,* innuit quòd Beati poſſident quidquid pulchrum & delectabile imaginari poteſt imaginatio; quidquid pretioſum & ſublime mens valet concipere. Extendat ſuas intellectus cogitationes ad quodcumq; voluerit bonũ: *cui portio Deus eſt, totius poſſeſſor eſt naturæ;* & quod eſt admiratione dignum, omnes Sancti cuncta bona in Deo poſſident, & quilibet adhuc Sanctus omnia in Deo poſſidet. *Unde verò omnia poſſidebat? quia omniũ creatori adhærebat.* Cuncta in Deo formaliter, vel eminenter continentur; quæ Deus cuivis largitur Beato, dum ſe ejus ſummum bonum, & felicitatis ſuæ objectum exhibet. *Sic à perfectis & immortalibus filiis habentur omnia, ut ſint & omnium ſingula, & omnia ſingulorum.* Bona quæ eminentia pollent absque ſui diviſione communicantur; lux Solis non dividitur, etiamſi ſuper varias mundi ſeſe diffundat partes: Deus lumen indeficiens, ensque ſpirituale ſupremum, nullius eſt diviſionis capax, totus Beatis communicatur, licèt non totaliter, quia à nulla creatura (ſed tantùm à ſemetipſo) poteſt comprehendi.

Ser. 16 de verb. Apoſt.
S. Amb.
S. Aug. in pſ. 42
S. Aug. l. 2. quæſt. Evang. 33

Ea eſt portio quam terrenæ partes æquare non poſſunt. Nam 1. terrena hæreditas in poſſeſſione vel vſu rerum temporalium ſita eſt: cœleſtis hæreditas in poſſeſſione Dei conſiſtit. 2. Terrena hæreditas à pluribus haberi nequit abſque diviſione bonorũ: cœleſtis hæreditas absque ulla objecti beatifici ſectione poſſidetur. *Indiviſum regnum Chriſti eſt, indiviſa hæreditas: ſolida ad ſingulos Chriſti dona perveniunt; omnes habent & nemo fraudatur.* 3. Hæreditas terrena decreſcit dum hæredum numerus accreſcit: Ut enim ait S. Ambro. *Alia conditio eſt hæreditatis humanæ, ſi diviſa fuerint emolumenta, minuuntur, & hæredis eſt damnũ adſcriptio cohæredis.* Cœleſtis hæreditas, ab hæredum numero nullam capit diminutionem, imò magis incrementatur, & augeſcit, *non minuitur hæredi, quidquid à cohæredibus vindicatur: manet emolumentũ integrũ, & eo magis ſingulis creſcit, quò pluribus fuerit acquiſitum,* quilibet enim ex aliorum felicitate, accidentalem acquirit gloriam. 4. Terrena hæreditas inter cohæredes invidiam, animadverſionem, diſſidia, & lites adducit. *Iſta quæ appetitis, quia exigua ſunt, nec ad alterum, niſi alteri erepta, transferri poſſunt: eadẽ affectantibus, pugnam, & jurgia excitant:* cœleſtis hæreditas ſecum non affert æmulationem, ſed charitatem, non diſſidium, ſed unionem, & pacem. *In civitate Dei præmium, & ſingulorũ erit omnium per charitatem, ubi nullus ſuperior ſuperbus erit, nullus inferior invidus:* ſed quivis eſt alienæ felicitatis particeps, de aliorum proſperitate lætatur, victoriis triumphat, diademate coronatur, ejusque gloria decoratur Virginum nitore, Martyrum cruore, Angelorum ſplendore, Deiparæ conſortio, Chriſti aſpectu, viſione Dei, quem in æternum poſſidebit.

S. Ambr.
S. Ambr.
Ser. 14. in pſ. 118
S. Ambr.
Sen. l. 3. de ira. 25
S. Aug. l. 22. Civ. 22.

3. Nam ut ratiocinatur Tertull. anima beata *in æternitatis conſortio poſita, participet cum illo neceſſe eſt, & vires, & leges, & conditiones æternitatis.* Æternitas eſt perfectio Deo eſſentialiter conveniens: Beati in cœlo divinæ æternitatis participes ſunt: cum hoc tamen diſcrimine, quòd divina æternitas neque initium, neque finem habet, participata verò Beatorum æternitas, initium quidem habet, quia cœpit in tempore, verùm finem nunquam habebit, quia *Creatoris ſui æternitate ſunt firmi.* Diſcrimen illud notant Theologi, docentes Deum æternum eſſe à parte ante & à parte poſt; nam *Deus tam alienus ab initio & fine eſt, quàm à tempore arbitro & metatore initii, & finis.* Beatorum verò gloriam æternam eſſe, non à parte ante, ſed à parte poſt, quia licèt inceperit in tempore, *in infinitam æternitatem propagabitur.* — l. adv. Herm. 39; S. Aug. l. 9. Civ.; Tert. l. 1. adv. Marc. 8.

Ad denotandam interminabilem æternitatem Romani utebantur corona, & ob eamdem rationem Sancti pinguntur diademate coronati. Coronata æternitas, tum Deo, tum Sanctis competit. Corona, quæ divinam deſignat æternitatem, eſt tota rotunda, quia *in rotundo nec principium, nec finem poteris invenire*: corona, quæ æternitatem Beatorum denotat, rotunda eſt à parte poſteriori: *Summitas throni rotunda erat à parte poſteriori.* Quia ſcilicet regnabunt in æternum: *Suſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur: conteret autem & conſumet univerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Omnia quæ ſunt in mundo brevi finientur tempore, at in cœlo Beati *regnum immobile* poſſident, eorum gloria utpote æterna numquam finem habebit: *Nec putes, quia verbis finitis finitur æternitas: Æternitas in verbo quatuor ſyllabis conſtat, in ſe ſine fine eſt.* — Tert. apol. 48; Pet. Dá. ſer. 1. de nat. Virg.; l. 3. Reg. 10.; Dan. 2.; Hebr. 12; S. Aug in pſ. 145.

Interminabilem illam cœli felicitatem nobis proponit Apoſtolus: *Habemus domũ non manu factam, ſed æternam in cœlis*: 1. ut eam ſeriò recogitemus ad inſtar Vatis Regii, qui de ſemetipſo aſſeverat: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* 2. Ut videamus, quàm brevis ſit duratio rerum temporalium æternitati comparata. *Veri Sancti, præſentis vitæ dies, nihil eſſe cõſpiciunt, dum illuminatæ mentis oculos in conſiderationem æternitatis defigunt.* 3. Ut æternitatis conſideratione deſpiciamus temporalia; nam *æternis inhianti, faſtidio ſunt tranſitoria.* 4. Ut cordis deſideria attollamus ad cœlum, ubi Beati ſunt divinæ ſanctitatis participes. — 2. Cor. 5; Pſ. 79.; S. Greg. l. 8. mor. 20.; S. Bern. ep. 12.

III. PARS

Deus eſt eſſentialiter ſanctus, quia *ſanctitas propria eſt natura ejus.* In cœlo autem Beati *Creatoris ſui munere ſancti ſunt*: ratione divinæ 1. unionis, 2. viſionis, 3. dilectionis. — Tert. l. de mon. 3.; S. Aug. l. 9. Civ.

1. Solus Deus ſine peccato. Deus ex ſemetipſo eſt impeccabilis; Beati ex Dei dono ita ſunt impeccabiles, ut nequeant peccare. Deus ſanctificat & juſtos in via, & Beatos in patria. Juſtorum ſanctitas eſt amiſſibilis; & de facto amittitur, quoties peccant mortaliter. Beatorum ſanctitas amitti nequit, 1. quia ſunt in termino, in gratia conſummati, & gloriâ confirmati, 2. quia Deo inſeparabiliter uniti. Ex S. autem Ambr. *qui Deo proximus eſt, lapſui non poteſt eſſe vicinus,* 3. quia nullis amplius cupiditatibus, & paſſio- — Tert. l. de an. 41.

S.Aug.l. 22 Civ. 4 nibus obnoxii, *nullum erit omnino peccatum, vel ſub quo jaceat, vel cui credat, nec contra quod laudabiliter dimicet, pacatiſſima virtute perfectus.* 4. Nullum erit illicium peccandi: *Tunc erit remiſſio peccatorum, quando tolletur materia tota peccandi.* Honores, divitiæ, voluptates carnis, ſunt materia tot criminum, quæ perpetrantur in mundo: in cœlo Beati non æſtuabunt amore dignitatum, divitiarum, libidinum, *non enim tam frivola, tam ſpurca Deus ſuis pollicetur.* Imò poſt reſurrectionem *peccati caro, caro totius efficietur ſanctitatis.* Tandem mortales cadunt in peccatum, vel ignorantiâ, vel malitiâ, vel infirmitate, vel paſſione, vel timore. Nullo autem ex his modis Beati poſſunt peccare. Non ignorantiâ, quia Deum intuitivè vident, & cuncta ad ſuum ſtatum pertinentia perfectè cognoſcunt. Non malitiâ, quia voluntas eorum eſt omnimodè conformis divinæ voluntati, quæ eſt perfecta rectitudinis regula. Non infirmitate, quia poſſunt quidquid volunt; & nihil volunt quod non ſit rationi conveniens. Non paſſione, quia pacatiſſimi ſunt, nec ullis inordinatis agitantur motibus. Non timore, quia, ut ait S. Auguſt. *Certè ita certi erunt nuſquam illud bonum ſibi defuturum, ſicut certi erunt, nec ſe ſuâ ſponte illud amiſſuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus ſuis invitis ablaturum.* Non tandem ullo alio modo, qui Deum clarè, & intuitivè vident.

S.Chry. ſolog. ſer. 95. Tert. l. 1. ad ux. 1. Chryſol. ſer. 95. l. de ſpir. & an. 64

Tert. l. 4 adv. Marc. 22. 2. Moyſi Dei faciem ejusque gloriam videre cupienti dixit Deus: *Poſteriora mea videbis*, quia in ſtatu viæ *Dei faciem nemo homo videbit, & vivet.* Pro futuro autem in patria *faciē ad faciem viſibilem ei ſe repromittit.* Beati in cœlo participes ſunt ſanctitatis divinæ, quia per viſionem Deo aſſimilantur. Sicut in Incarnatione divinum Verbum ſuas humanitati largitur perfectiones, ita ut Chriſtus ratione unionis hypoſtaticæ ſit impeccabilis, & ſanctus: eodē ferè modo Beati in cœlo ratione viſionis beatificæ impeccabiles, & ſancti ſunt effecti. *Tunc ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Quod Sol operatur in natura, hoc idem operatur Deus in gloria: Sol nubem illuminādo, eam ſibi efficit ſimilem. Eodem modo Deus Beatis, qui eum clare vident, ſanctitatis ſuæ ſimilitudinem largitur. Quodvis attributum divinum ſeſe in Beatos, & Angelos diffundit. Divinus amor efficit Seraphinos ſacro igne ardentes, divinâ potentiâ, Poteſtates Dei dominium ſuſtinentes; divina ſanctitas, Sanctos ſanctitatis divinæ participes: Creata ſanctitas in unione cum Deo ſita eſt; Beati per viſionem Deo inſeparabiliter uniuntur. Sancti in cœlo exiſtentes nequeunt à divina ceſſare viſione, & à Deo removeri, niſi in Deo dignoſcantur defectus, vel aliquod objectum Deo perfectius ei proponatur. In Deo nulli ſunt defectus; aliàs non eſſet infinitus, & conſequenter nec Deus. Nullum adhuc objectum proponi poteſt Beatis quod divinam ſuperet perfectionem. Imò cùm Deus ſit ſummum magnū, in infinitum excedit omnem creatam perfectionem, & ita Beati qui Deum clarè vident, nequeunt ab eius viſione ceſſare; ſuntque divinæ ſanctitatis participes, tum per viſionem quâ Deo aſſimilantur, tum per amorem, quo in Deum transformantur.

3. Se-

3. *Solemnia charitatis* agnoſcit Tertullianus non ſolum in Deo qui ſe infinite amat, ſed etiam in cœlo, ubi Deum Beati tota charitate diligunt: Viatores, qui Deum cognoſcunt dumtaxat in ænigmate per fidem, eum tota latitudine charitatis non diligunt; è contra comprehenſores Deum toto charitatis & voluntatis ardore diligunt, quia eum clarè & intuitivè contemplantur. Illorum charitas amiſſibilis eſt, & de facto amittitur per peccatum, iſtorum charitas amitti nequit, quia impeccabiles ſunt. Illorum amor cōtinuus non eſt; ſæpe enim interrumpitur vel ob ſomnum, vel ob dependentiam facultatum animæ à ſenſibus, iſtorum amor continuus eſt, neque umquam interrumpitur; nam Deum perſpicue & indeſinenter intuentes, eum ſemper & neceſſario diligunt. Ep. de cib. Judaic. 1.

Nullus eſt qui non velit æterna fœlicitate potiri, ſed fere nemo eſt qui ſit ſanctitatis ſtudioſus. Verùm dicam illi cum D. Auguſtino: *Si vis eſſe beatus, eſto immaculatus. Illud enim omnes, hoc pauci volunt, ſine quo non pervenitur ad illud quod omnes volunt.* Sanctitas viæ eſt neceſſaria ad comparandam ſanctitatem patriæ: Ut quis habere valeat in cœlo gratiæ conſummationem, debet habere in mundo gloriæ inceptionem. *Quærenda eſt gloria Dei per vias ejus: nam quomodo alioquin eo pervenitur, ſi via, quæ eo ducit, non teneatur?* Nonne ille cenſeretur inſanus, qui Matritum proficiſcens magni momenti negotia tractaturus, verſus Lutetiam properaret? Talis eſt Chriſtianorum ſtultitia, qui cœlum ſe velle proclamant, & tamen non ſequuntur iter quod ducit ad cœlum, nec attendunt quòd cœlum *nulli conceditur maligno; immo ad quod nullus admittitur niſi dignus.* In Pſ. 118. D. Greg. l. 16. Mor. 4. Pet. Bert. Card. l. pro libert. Eccl.

Ex mente Scoti qui finem aliquem vere deſiderat, duo agit: 1. Tollit obſtacula, quæ ejus aſſequutionem impediunt: 2. Eligit media quæ ad illū conducunt. Obſtacula Beatitudinis ſunt peccata, quæ maculant animam. Hæc obſtacula removenda ſunt, quia peccatores *ſunt averſi ab ipſo Deo, & cœlo.* Media beatitudinis acquirēda ſunt, ſanctitas, gratia, merita & virtutes: Deus namque juſtis æternam promiſit fœlicitatem. *Has ergo habentes promiſſiones, chariſſimi, emundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Viatores inter duos terminos verſantur; vitæ & mortis, cœli & inferni, æternæ fœlicitatis vel æternæ damnationis. Peccata & ſordes ducunt ad infernum, & æternam miſeriam: ſanctitas & merita ducunt ad cœlum & beatitudinem æternam. Tollantur peccata quæ ducunt ad mortem & damnationem, ſectentur virtutes quæ ad vitam & fœlicitatē ducunt: Nam ut ait ex Apoſtolo Tertullianus, *ſtipendia enim delinquentiæ mors, donativum autem Dei vita æterna: ita ab injuſtitia & delinquentia membra noſtra divellens, & juſtitia & ſanctimonia adjungens: & transferens eadem ab ſtipendio mortis, ad donativum vitæ æternæ.* Deus erga juſtos & peccatores juſtitiam exercet, crimino ſos in inferno æternis mulctat ſuppliciis, Sanctos in cœlo interminabili fœlicitate præmiat. Alias *nullam omnino cōpetiſſet imperari propriam ſanctimoniæ & juſtitiæ diſciplinam ſi non ipſius eſſet & præmium diſciplinæ.* Tertull. In 1. diſt. 1. Tert. Apol. 40. 2. Cor. 7. L. de Reſ. 47.

CONCIO TERTIA.

Tert.l. 2 ad Nat. 8

DEum exiſtimo omnibus colendum, omnibus demerendum, ut verum perfectæ fœlicitatis objectum: ſiquidem objectum Beatitudinis debet eſſe infinitum, immutabile, & ſeipſo ſufficiens ad perfectè beandũ. Debet 1. eſſe infinitum; etenim ſi eſſet limitatum & finitũ, plura ei deeſſent, nec cordis appetitũ valeret ſatiare. 2. Debet eſſe immutabile & immortale, quia ſi mutationi & morti eſſet obnoxium, volũtas perpetuò illud amittendi anguſtiaretur timore. Deinde anima rationalis cùm ſit immortalis, ad ſuam fœlicitatẽ objectum deſiderat incorruptibile. 3. Debet eſſe ſufficiens ad plene beandum; quia ſi egeret, nec ſe nec alia à ſe poſſet beare. Nihil eſt in mundo quod habeat tres illas conditiones ad objectum beatificum requiſitas. Nam 1. præſtantiora quæque bona non ſunt infinita, cùm ſint effectus à prima cauſa producti & dependentes: dependentia autem limites & finitatẽ importat. 2. Non ſunt immutabilia, quia corporalia peritura ſunt, & ſpiritualia poſſunt abſolute loquendo, annihilari à Deo. 3. Non ſunt ſeipſis ſufficientia ad beandum, quia pluribus indigent: Deus ſolus has tres objecti beatifici conditiones habet; quia eſt 1. infinitus: 2. immutabilis: 3. ſufficiens.

I. PARS. Tert.l. de Car. Chr. 15

Voluntas ſeu cor, eſt *principale in anima*: tum ob libertatem qua pollet; tũ ob imperium quo cunctis animæ & corporis dominatur facultatibus: tum maxime ob deſiderium boni infiniti quod ad ſui repletionem exoptat. Bonum in communi eſt objectum humani cordis, ſub bono autem in communi continetur omne bonum, ideoque nequit ſatiari niſi omni bono. Solus Deus eſt omne bonum; quia infinitus eſt. Infinitus in ſua natura, quæ increata eſt: infinitus in ſuis perfectionibus, quæ à nullo dependent: infinitus in notitia, quia cuncta ſcibilia perfectiſſime cognoſcit: infinitus in amore, quia bonitatem ſuam amat quantum eſt amabilis: infinitus in potentia, quæ omne poſſibile valet producere, & generatim infinitus in cunctis. Deus nõ clauditur locis, quia eſt immenſus; non finitur tempore, quia eſt æternus; non comprehenditur ab Angelo, quia eſt incomprehenſibilis; non declaratur ab homine, quia eſt ineffabilis; è cunctis Angelis & hominibus non ſatis æſtimatur, quia eſt *ineſtimabilis etſi humanis ſenſibus aſtimetur*. Homines autem Dei infinitatem æſtimantes aſſeverant quod 1. nihil ei deeſt: 2. à nullo dependet: 3. cuncta perfectiſſime continet.

Tert.Apol.12 — Tert lib. adv. Hem. 12

1. Deus *ut eſſet, nullius eguit auctoris*; quia prima cauſa à nullo potuit produci, aliàs non eſſet prima. At *Deus ſolus eſt, primus & omnium auctor & omnium Dominus*. Poſito autem quod Deus ſit prima cauſa, & *natura auctor*: à Deo indigentia removenda eſt, quia *indignum ut magnus ille Deus alicujus opera indigeret*. Etenim ſi indigeret non eſſet Deus: *Deus non eſt indigens aliquo*. Hujuſcemodi non indigentia videtur Vati Regio eminentiſſima divinitatis nota,

Tert.lib. adv. Herm. 6 — Tert.l. de An. 16 — Tert.Apol.11 — Act. 1

Dixi

Dixi Domino; Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges. Deus utpote Pſal.14
infinitus neque indiget aliquo, neque ab alio dependet.

2. *Infectum facto validius, multoq; ſublimius erit eo, quod ut eſſet aliquem habuit auctorem.* Licèt cauſæ ſecundæ univocæ non ſint ſemper ſuis effectibus nobiliores; attamen cauſa prima eſt abſque ulla comparatione nobilior & ſublimior cunctis creaturis quæ ab illa procedunt. Quia Deus eſt infectus, creaturæ à Deo factæ ſunt: Deus eſt independens, creaturæ à Deo dependẽt; qui eis quoſdam perfectionis largitus eſt gradus. Limitatio ſemper à ſuperiori cauſa procedit: Territoria Epiſcoporum menſurantur à Summo Pontifice: Judicum juriſdictio ab auctoritate regia terminatur; cuncta creata in ſuis perfectionibus limitata ſunt à Deo. Nam *Deus univerſitatis conditor, mundi totius gubernator*, bona creaturis largitus eſt, juxta beneplacitum voluntatis ſuæ. Deus ècontra eſt infinitus in perfectionibus, quia à nullo dependet: ſi enim dependeret, non eſſet cauſa prima, nec Deus, *Deſinit enim ſi ſubjectatur*: nemini autem ſubjici poteſt, quia *ante omnia & ſuper omnia Deus*: & conſequenter eſt independens, infinitus, & cuncta perfectiſſime poſſidet.

Tert lib. adv. Hermog.18 — Tert.lib. adv.Jud.2 — Tert l.1. Adv.marc. 6. — Tert. lib. adv.Hermog.4.

3. *Dei hoc eſt omnia illius eſſe, & omnia ad illum pertinere.* Dei infinitatem cõparative & abſolutè conſiderat Scotus. Comparative in ordine ad creaturas quas incomparabiliter & ultra omnem proportionem poſſibilem ſuperat. Nam ſummum magnum quod eſt Deus, *unicum ſit neceſſe eſt, aut quid erit unicum aut ſingulare, niſi cui nihil adæquabitur? quid principale niſi quod ſuper omnia?* Accumula ſi velis Chriſtiane, honores, voluptates, opes, & quidquid eſt in mundo opulentius, jucundius, ſublimius. Adde metallorum valorem, unionum fulgorem, mixtorum varietatem, plantarum virtutem, florum decorem, animalium diverſitatem; cunctaque intra elementorum ambitum comprehenſa. Oculos attolle ad cœlos & ſidera, eorum intuere magnitudinem, pulchritudinem, ſplendorem, ordinem, diſpoſitionem, motum, influxum. Mente aſcende in Empyreum, & vide Angelos, Archangelos, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes, Thronos, Cherubinos, Seraphinos: Congrega in unum omnia fortunæ, naturæ, & gratiæ bona. Adjunge cunctas creaturas exiſtentes, actuales, & poſſibiles: eaque omnia (ſi fieri poteſt) per milliones multiplica: *Omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari.* Non dicit Sapiens Deum ſuperare cuncta bona creata, ſed quod cuncta bona creata non valent Deo comparari. Unitas quæ eſt principium numeri, poteſt comparari cum centum, cum mille, cum centum millibus, cum millionibus: quia omnes illi numeri finiti ſunt. Item *divinis comparabuntur humana, Deo non ita*: Quare Tertullianus dicit, *ſalvum Deo eſſe, ut nemini ſit comparandus*: quia nequit fieri comparatio inter creaturas quæ limites habent, & Deum qui fine caret. Quænam quæſo comparatio? Nam *omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.* Quod probe cognoſcens Regius Vates fatetur ſubſtantiam ſuam eſſe nihil corã Deo: *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* O Deus! dum contemplor tuam ſublimi-

Tert.l.1. adv.marc. 11 — Quodl. 5. — Tert.lib.1 adv. Hermog.4 — Prov.3 — Tert.l.1 adv.marc. 4. — L.adv. Herm.6 — Eſa.40

limitatem & meam humilitatem; divitias tuas & meam egeſtatem; pulchritudinem tuam & meam deformitatem; fœlicitatem tuam & meam miſeriam; perfectiones tuas meoſque defectus, fateor te eſſe omnia, me verò nihil; te eſſe bonorum pelagus, me miſeriarum fontem; tibi eſſe, competere; mihi verò non eſſe, convenire.

Si abſolute de Dei infinitate loquamur, nihil ei deeſt; ſed cuncta in univerſum perfectiſſime continet: Ut enim ratiocinatur Tertullianus, *ex hoc Deus & indubitatus Deus, quia omnia ipſius: & ita alius idcirco non Deus, quia omnia non ejus.* Deus eſt vere & abſque ullo dubio Deus, quia omnia poſſidet, omnia vero habet, quia eſt infinitus; creatura verò Deus non eſt, quia cuncta non habet: cuncta autem non habet, quia finita & limitata eſt: & ob hanc cauſam audacter de Deo aſſeverat Job: *ipſe ſolus eſt*; ut innuat creaturas non eſſe. 1. Creaturæ non ſunt, quia de nihilo productæ ſunt. 2. Creaturæ non ſunt, quia ad nihilum redigerentur niſi eas divina conſervaret potentia. 3. Creaturæ non ſunt, quia ſuum eſſe habent per participationem & cum dependentia. 4. Creaturæ non ſunt, quia plura eis deſunt: nam elementis & cœlis deeſt vita: floribus & plantis deeſt ſenſus: belluis deeſt ratio: hominibus deeſt incorruptio: Angelis deeſt poteſtas generandi & creandi. 5. Creaturæ non ſunt, quia plus non eſſe quam eſſe habent. Homo exempli gratia qui parvus mundus vocitatur, non habet eſſe elementorum, nec ſiderum, nec arborum, nec florum, nec animalium, nec Angelorum. Et licèt ſit ejuſdem ſpeciei cum aliis hominibus, eorum tamen non habet proprietates individuantes, nec fortunæ bona, nec corporis dotes, nec qualitates animæ, nec gratiæ dona. 6. Creaturæ non ſunt, maxime homines, qui nec omnes habent perfectiones; & ſi quas habent perfectiones, *non tamen perfecte eas habent*: quia eas ab alio, & finitas, habent.

L. 1. adv. marc. 12

Cap. 23

Tert. l. 2 adv. marc. 16

De Deo vero merito pronuntiat Propheta; Ipſe eſt qui eſt, quia cùm ſit *natura Dominus*, non eſt de nihilo productus. 2. Deus eſt qui eſt, quia deſtrui & annihilari non poteſt; *non eſt autem Dei deſinere de ſtatu ſuo*. 3. Deus eſt qui eſt, quia à nullo dependet; *ab illo enim omnia*: ideoque à nulla cauſa poteſt depõdere. 4. Deus eſt qui eſt, quia eſt ens per eſſentiam, & non per participationem: quare *ſi non eſt, Deus non eſt*. 5. Deus eſt qui eſt, *quia ſolus Deus perfectus*, nihil ei deeſt. 6. Deus eſt qui eſt, quia habens in ſemetipſo cunctarum perfectionum *ipſam matricem bonitatem*, nullum in illo reperitur non eſſe. 7. Deus eſt qui eſt, quia cunctas perfectiones perfectiſſime continet.

Tert. l. de Cor. Mil. 5. Tert. l. 1. adv. marc. 6. Tert. lib. adv. Valent. 18 Tert. l. 1 adv. marc. 3. Tert. l. 2 adv. marc. 16 Tertull.

Perfectiones ſunt in duplici differentia. Aliæ mixtæ quæ in ſuo conceptu aliquem important defectum, nec ſunt meliores ipſæ quam non ipſæ; ut verbi gratia, ratio corporis, quæ eſt imperfectior ſpiritu. Aliæ ſimplices quæ in ſuo conceptu nullam denotant imperfectionem; ſuntq; meliores ipſæ quàm non ipſæ, ut ſapientia quæ eſt perfectior inſipientia ei oppoſita: Cunctæ perfectiones, ſive mixtæ & compoſitæ, ſive ſimplices & puræ ſunt in Deo, ſed diverſimode. Illæ non formaliter (quia ratio formalis earum cùm involvat de-

defectum, Deo repugnat) ſed eminenter, quia effectus eminenter continentur in cauſa univerſali æquivoca: eſt autem *Deus omnipotens Dominus, & conditor univerſitatis.* Iſtæ ſunt in Deo formaliter, quia conceptus earum cùm nullam dicat imperfectionem, Deo competit; & ita Deus nequit dici lapis, arbor, equus formaliter, (ſed eminenter tantum:) optime autem dicitur ſapiens, juſtus, & miſericors. Tert. l. 1. adv. marc. 2.

Et quamvis perfectiones ſimplices ſint communes Deo & hominibus, homines tamen quas habent, *non tales quales Deus*: Tum quia homines eas habent ab alio; Deus autem à ſemetipſo: Tum quia in hominibus perfectiones non identificantur inter ſe (ſapientia enim non eſt juſtitia;) in Deo autem ſunt inter ſe identificatæ: Tum quia in hominibus ſunt finitæ & limitatæ, nec omnem important perfectionis gradum, in Deo verò ſunt infinitæ, quia *ſicut Deus æternus, ita & perfectus in omnibus.* Tũ quia de hominibus nequeunt prædicari in abſtracto. Homines dicuntur quidem juſti & ſancti, ſed non juſtitia & ſanctitas (quia termini concreti dicunt aliquem gradum perfectionis, termini autem abſtracti dicunt omnimodam perfectionem:) de Deo vero etiam in abſtracto prædicantur; Deus namque nuncupatur juſtus, ſanctus, & etiam juſtitia, ſanctitas, & ut ait Tertullianus, *Magnitudo Deus dicitur.* Magnitudo autem infinitam importat magnitudinem, quæ ex divina perfectione recte colligitur; ſicut immutabilitas ex æternitate deducitur. Tert. l. 2. adv. marc. 16 Tert l 1. adv marc. 24 L. 1. adv. Marc. 2

Animam immortalem tuentes immutabilis fœlicitatis deſiderium ei tribuere debemus: hanc autem immutabilem fœlicitatem aſſequi nequit niſi Deũ poſſideat qui eſt ſummum bonum, infinitum, & immutabile, nam *periculũ ſtatus ſui Deo nullum eſt*, Imperator ille qui ſe omnia fuiſſe jactitabat, de mẽdacio gloriabatur, nam ſi fuerat omnia, quomodo adhuc non erat omnia? & ſi deſierat fuiſſe omnia, quomodo fuerat omnia? Solus Deus ſe omnia ſemper & fuiſſe, & adhuc eſſe valet merito gloriari: *Cæterum Deum immutabilem credi, neceſſe eſt*: divina autem immutabilitas recte colligitur ex Dei 1. infinitate: 2. ſimplicitate: 3. æternitate. II. PARS. Tert. l. de Reſ. 2 Tert. l. de Car. Chr. 3 Tert. l. adv. Prax. 27

1. Creatum & temporale *totum verſiforme eſt.* Elementa continuo dimicant, & invicem ſeſe conſumunt: terra perpetuo mutatur, & diverſa à ſemetipſa apparet, ſecundùm varia anni tempora: *Sic & terram ſi recenſeas temporatim veſtiri amantem, prope ſis eamdem negare, memor viridem cum conſpicis flavam, mox viſurus & canam.* Mare procellis agitatur, & nunquam magis timendum, quàm dum pacatum & tranquillum videtur. *Sic & mari fides infamis dum & flabris aquæ mutantibus de tranquillo probrum, de fluſtris temperatum, & extemplo de decumanis inquietat.* Aer nunc ſerenus, nunc nubilus. *Cœli ambitus nunc ſub divo ſplendidus; nunc nubilo ſordidus; aut imbres ruunt, aut ſi quæ miſſilia cum imbribus, dehinc ſubſtillum, & denuo ſudum.* Cœli indeſinenter moventur, ſingulisque momentis ſiderum conjunctiones & aſpectus mutant: *dies & nox invicem vertunt, Sol ſtationibus annuis, Luna modulationibus menſtruis variat. ſiderum diſtincta confuſio interdum dejicit quid, interdum reſuſcitat.* Tert. l. de Pall. 2

Corpora inanimata diviſione deſtruuntur; vegetantia nimia vel humiditate vel ſiccitate pereunt. Homo *mortem vivit*; nam ſtatim ac natus eſt, incipit mori, & quo plus diſtat ab incunabulis, eo magis ad tumulum accelerat. *Sed læta jam malo, quippe & læta mutant.*

Tertull.

Tertull.

Hanc rerum mutationem ſub nomine figuræ prætereuntis denotat Apoſtolus: *Præterit figura hujus mundi.* Animadvertit autē D. Chryſoſtomus quod mundum repræſentat Paulus velut ſcenam, in qua peragitur hujus vitæ Comœdia. Theatri locus eſt terra, Actores homines, portæ per quas Actores intrant & exeunt, ſunt nativitas & interitus: Brevi finitur Comœdia; nam Actores tranſeunt nec morantur. Supra Theatrum illud pertranſiit famoſū Aſſyriorum imperium quod de antiquitate cum mundo decertans, nonniſi cum mundo finem accipere videbatur. Illud occuparunt Medi, Perſæ poſt Medos, poſt Perſas Græci, poſt Græcos Romani, poſt Romanos Germani, quibus ſuccedent alii. Supra Theatrum illud pertranſierunt tot urbes potētiſſimæ, arces fortiſſimæ, palatia ſuperbiſſima, ſupellectilia opulentiſſima, horti amœniſſimi, & innumerabilia artis miracula, quæ incorruptibilia eſſe non potuerunt, cùm ipſorum auctores corruptioni fuerint obnoxii. Supra Theatrum illud pertranſierunt tot exercitus adeo numeroſi, ut eos vix terra caperet; tantæ defecerunt vires, nec temporis curſum, nec mortis imperiū ſuperare valentes. Supra Theatrum illud pertranſierunt Heroes illi victoriis famoſi, triumphis glorioſi, quorum gloria & fortitudo, in momento evanuit. Super Theatrum illud pertranſierunt ſpecioſæ illæ mulieres, quas natura velut pulchritudinis prodigium formaverat. Harum gratiæ & venuſtates fuerunt morborum ludus, & præda mortis. Super Theatrum illud pertranſierunt tot Oratores eloquentiſſimi, Philoſophi ſapientiſſimi, Doctores celebratiſſimi, Prælati illuſtriſſimi, Martyres invictiſſimi, & generatim omnes Dei amici, quos eximere noluit à lege cui ſe ſubdiderat; nam humanam aſſumens naturam ſeſe morti ſubjecit, quæ *ipſum Dominum confixit.* Unde belle ad propoſitum D. Chryſoſtomus: *Talis eſt jucunditas rerum quæ ad hanc vitam pertinent; ſimul & cernitur & interit.*

1. Cor. 7

Tert. li. de Reſ. 26

In Pſ. 12 8

Solus Deus de incorruptibilitatis proprietate fœlix, quia ſolus Deus eſt infinitus in perfectione: *incorruptibilitas ſubſtantia divina*, ex ejus infinitate mutuanda eſt: Nam *qui ſine fine eſt, etiam incorruptibilis ſit neceſſe eſt: converti enim in aliud, finis eſt priſtini: non competit ergo converſio ejus, cui non competit finis.* Quæ facta ſunt, finita ſunt, quia ab aliqua cauſa dependent. Deus non eſt effectus nec ab ulla cauſa dependet: idcirco infinitus eſt, quia ſicut dependentia finitatem importat, ita independentia infinitatem denotat, & conſequenter immutabilitatem. Quod ſic elucidat Tertullianus: *Quod factum conſliterit, ejus natura capiat demutationem, infectum autem immobile ſtabit. Quod cùm ſoli Deo cōpetat ut ſoli infecto: & idcirco immortali & inconvertibili, cæterorū omniū factorū convertibilē & cōmutabilē eſſe naturam.* Et ob hanc cauſam ut optime animadvertit S. Bernard. Apoſtolus Deum ſolum prædicat immortalem:

Tert. l. 2 adv. Marc. 16

Tertull.

Tert. l. de Car. Chr. 3

L. de An. 21

Ser. 81. in Cant.

Tum

Tum quia etſi animæ rationales & Angeli ſint immortales, immortalitatem non habent à ſe, ſed à Deo; Deus autem à ſe & eſſentialiter eſt immortalis. Tum quia immutabilitas eſt quædam immortalitas, ſicut omnis mutabilitas eſt quædam mors, quia quod mutatur tranſit ab eo quod erat, ad id quod non erat; quod eſt velut quædam mors & interitus prioris eſſe, quod hac mutatione deperditur; amittens *quod fuerat, cùm ſit ex demutatione quod non erat*. Tum quia immutabilitas quæ ſoli Deo competit, eſt ratio & quaſi medium immortalitatis ejus: Tum quia ſolus Deus eſt ſumme ſimplex; immutabilitas autem ex ſimplicitate infertur. 1. Timot. 6. Tert. l. adv. Hermog. 12

2. Omne compoſitum ſubjacet mutationi, quia nonniſi unione partium exiſtit, quarum una habet rationem potentiæ paſſivæ, altera ratione actus. Cuncta temporalia mutabilia ſunt, quia compoſitionem admittunt. Quædam ex materia & forma conſtituuntur, & ex hac unione reſultat compoſitum phyſicum naturaliter corruptibile: Alia plures partes materiales important, quibus integratur totum plures habens defectus à corporibus inſeparabiles: & cunctæ in univerſum creaturæ ſunt compoſitæ ex genere & differentia, natura & ſuppoſito, ſubſtantia & accidente; & ut vult Subtilis Doctor aliqua perfectione particulari; & tot privationibus, quot ſunt excellentiæ actuales, vel poſſibiles in tota latitudine entis. Verum ſicut compoſitum non eſt immutabile, ita *nihil ſimplex mutabile eſt*: quia non admittit partes: & ut fatur dubius Tertullianus, *non habet in ſe diverſitatem ſui quidquid eſt ſimplex*. Deus autem eſt ſumme ſimplex, & ita omnimodam negat compoſitionem; nam cùm ſit actus purus, nullam potentiam paſſivam admittit: (ea namque quæ ſunt in Deo, ſunt unum, non per compoſitionem, ſed per identitatem: quia infinitum identificat ſibi omne compoſſibile:) & cùm ſit adhuc ens neceſſarium & æternum, ratione neceſſitatis & æternitatis, tum compoſitionem, tum mutationem excludit. D. Aug. l. de Trin. 6 L. de Trin. 5.

3. *Æternitas amitti non poteſt: quia niſi amitti non poſſit, æternitas non eſt. Ergo nec demutationem potuit admiſiſſe, quia ſi æternitas eſt, demutari nullo modo poteſt*. Ita confœderatur cum immutabilitate æternitas, ut ſi poſſet mutari, non eſſet æternitas: æternitas enim ex ſua natura mutabilitatem negat: Deus autem eſt æternus: inde concludit Tertullianus, *Dominum vero æternum, aliud eſſe non poſſe, quàm quod eſt ſemper*: quod ipſemet aſſeverat Deus; *Ego Deus, & non mutor*; ſiquidem mutari nequit à non eſſe ad eſſe, vel ab eſſe ad non eſſe, quia eſt æternus: divina autem æternitas negationem tum initii tum finis importat. *Quis enim alius Dei cenſus, quàm æternitas? quis alius æternitatis ſtatus, quàm ſemper fuiſſe & futurum eſſe, ex prærogativa nullius initii & nullius finis?* Neque 2. de loco ad locum, quia eſt immenſus; Deus autem ratione immenſitatis eſt ubique præſens, & ut ait Tertullianus, *plena & occupata ſunt omnia ſuo auctore*. Neque 3. vel per amiſſionem, vel acquiſitionē alicujus perfectionis, quia eſt infinitus; infinitas autem utriuſque eſt incapax; *Cùm Deus faciat tantum, quantus eſt*. Neque 4. intellectu *quaſi judicia ſua aut damnet præterita, aut* Tert. l. adv. Hermog. 12 Tert. lib. adv. Hermog. 4 L. 1. adv. Marc. 11 Tert. l. ad. Herm. 7 Tert l. 2. adv. Marc. 23

aut ignoret futura: quia cùm ſit ſapientiſſimus, ignorantia non obnubilatur, neque inconſtantia agitatur. Etenim ſi in ſuis judiciis inconſtans eſſet Deus, liceret exclamare, *O Dominum futilem, inſtabilem, infidelem, reſcindentem quæ inſtituit!* Neque 5. voluntate, quæ cum rectiſſima ſit, nullis paſſionum movetur perturbationibus: nam ut fatur Tertullianus: *Et puto Deo nec livorem, nec dolum, nec inconſtantiam, nec lenocinium adſcribi poſſe.* Tandem cum nullo modo poſſit mutari: *Porro naturam certam & fixam, haberi oportebit apud Deum, inconvertibilem & immutabilem*: natura divina debet eſſe fixa, ut cordis humani inconſtantiam & inſtabilitatem firmare & ſiſtere valeat. Debet eſſe immutabilis, ut cor humanum reddat immobile & velut immutabile, quod in cœlo præſtat Beatis ut ipſimet fatentur: *Per hoc quod aſpicimus ſuam eſſentiam, à mutabilitate noſtra liberati, figimur in æternitate: morte carebimus videndo vitam; mutabilitatem noſtram tranſcendemus, videndo immutabilitatem.* Scilicet alia erit Beatorum conditio: eorum quippe beatitudo fine carebit, quia erit æterna; mortem non timebit, quia erit immortalis; non erit mutationi obnoxia, quia erit immutabilis; nullam patietur egeſtatem, quia fruetur bono ſufficienti.

Tert. l. 2. adv. Marc. 7.
L. de Reſ. 21
Tert. lib. adv. Hermog. 12
Greg. Mag. hô. 1 in Ezech.

III. PARS

Tert. l. de Spect. 29

Vera nequit eſſe Beatitudo, niſi ſit *vita ſufficiens*: nequit autem eſſe vita ſufficiens, niſi habeatur bonum ſufficiens. Ideoque ad beandum hominem 1. mundus non ſufficit: 2. ſolus Deus ſufficit: 3. miſer tamen homo potius in mundo deficiente, quàm in Deo ſufficiente fœlicitatem quærit.

Tert. lib. adv. Prax. 15
In Pſ. 109.
Eccleſ. 1
Rup. in c. 3. Joan.
Hug. in c. 1. Eccleſ.
Serm. de Cœn. Dô.
L. 6 Eth.
L. 6. Ep.

1. Ad beandum hominem mundus eſt *inſufficiens*: quia ut optime ratiocinatur D. Auguſtinus, *res temporales nemini conferunt veram fœlicitatem, quia non eximunt inſatiabilem cupiditatem.* Ea eſt proportio inter oculum & cor humanum, quod *non ſaturatur oculus viſu*, neque cor rebus creatis ſatiatur. *Cor quidem hominis copia mundi non ſatiat.* Oculus cuncta corpora lucida & colorata aſpicit, nec ſaturatur eorum viſione. Cor etiam honoribus, voluptatibus, divitiis, cunctiſque mundi bonis minime ſatiatur: *Affectus hominis majus quid quàm ſit mundus deſiderat.* Hominem nuncuparunt parvum mundum Philoſophi, hos tamen erroris arguit Richardus Victorinus: & merito: Nam *major mundus dicendus eſt ille animus, quem totus mundus nulla ſui dilatatione, nulla ſui multiplicatione ſatiare poteſt.* Accumula cuncta quæ ſunt in mundo majoris momenti; *nec totus mundus cordi humano ſufficit*: Mundos multiplica uſque ad centeſimum & milleſimum, & dicam tibi cum Gerſone Sorbonæ Cancellario: *Totus iſte mundus ſenſibilis, ad animæ ventrem quid eſt, niſi bolus exiguus? nam ſi mille millia mundorum adjeceris, eum non implebunt.* Magnum vas re exigua impleri nequit: cor humanum in ſua natura finitum, nullos habet in ſuis deſideriis limites. Nam ut docet Philoſophus, *infinita eſt natura cupiditatis*: ea quæ ſunt in mundo, finita & limitata ſunt; nam ut ait doctus Platonis diſcipulus, *Magnum in terris nihil eſt, cum terra ipſa minima ſit.* Adeo exigua eſt terra ut per reſpectum ad cœlum, (cujus eſt centrum) nihil ſit præter punctum, foretque imperceptibilis homini

mini

mini qui per impoſſibile in firmamento collocaretur. Quocircà dum felicitatem in mundo quærimus, *maxima quærimus in minimis, copiam in penuria*. Et hujusmodi non ſufficientia deſumenda eſt, tum ex defectu bonorum mundi, tum ex magna cordis humani capacitate, quod nunquam terrenis poteſt ſatiari. Quod experientiâ ipsâ comprobatur; nam homines, qui in ſeculo majori gaudent fortunâ, ſunt inter divitias pauperes; in abundantia egeni, in poſſeſſione novis agitati deſideriis, fatebunturque cum S. Auguſt. ſi verum dicant: *Quidquid hîc nobis providerimus ad refectionem, illic rurſus inveniemus defectionem*. Sæculi bona limitata ſunt, deinde ſunt inter ſe ſeparata; dominatio non eſt pulchritudo, pulchritudo non eſt ſcientia; ſcientia non eſt opulentia; ideo qui bono aliquo terreno potitur, alio indiget, & ita anima humana terrenis rebus *occupari poteſt, repleri non poteſt*. *Capacem Dei animam quidquid eſt Deo minus non implebit*, & ob hanc cauſam Deum ſic alloquitur S. Auguſt. *Quoniam ſi cuncta quæ feciſti mihi dederis, non ſufficit ſervo tuo, niſi teipſum dederis*. Ficin. In pſ. 84. Laur. Juſt. l. de lig. vit. Man. c. 3.

Hoc animadvertit S. Auguſt. diſcrimen inter creaturam, & creatorem, quòd *creatura ex ſe eſt ſummè deficiens, Deus autem ex ſe ſummè ſufficiens*. Creatura ſummè deficiens, nec ſe, nec alia à ſe, valet beare: At *Deus dives perfectus ſine indigentia*, & ſummè ſufficiens, & ſe & homines beatificat. Quod denotatum vult Hugo Victorinus duplici oleo; quorum unum defecit ad lampades fatuarum virginum; ad aliud verò vaſa viduæ Sareptanæ defecerunt. *Habet oleum Deus; habet oleum & mundus. Ad oleum Dei vaſa deficiunt: oleum mundi in vaſis deficit. Oleum Dei dulcedo æternorum, oleum mundi delectatio præſentium: illa ſufficit, iſta deficit*. Eadem veritas conſtat ex verbis Philippi Apoſtoli, qui Domino de panibus hujus mundi percontanti reſpondit: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt*, pertractans autem de incorporeo, & cœleſti pane, qui cordi hominis ſufficit, ſic fatur: *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*. Ubi ſufficit opponit non ſufficit: Mundus ad beandum non ſufficit, Deus econtrà ſufficit. Solil. 1. S. Ir. l. 4. c. 28. l. Miſcel. ſ 1. Joan. 6.

2. Ut ex verbis Philippi oſtentat Tertull. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*, & hac Doctoris Subt. ratiocinatione poteſt demonſtrari. Non poteſt admitti proceſſus in infinitum, neque in creatura felicitatis capaci, neque in bono quod eam beare valeat: Sed neceſſariò ſiſtendum eſt in aliqua creatura, quæ poſſit felicitate potiri, & in quodam bono, quod ſeipſo poſſit beare. Creatura beatitudinis capax, eſt Angelus, & homo; nam *nullum animal, quod caret ſcientia & ratione, beatum eſſe poteſt*. Bonum quod ſeipſo beare poteſt, eſt Deus: anima rationalis ideò eſt beatitudinis capax, quia eſt imago Dei. Ut enim ait S. Auguſt. *homo Dei capax eſt eò, quòd ejus imago eſt*; ideò Deus animam valet beare, quia eſt ſummum bonum, in quo ſunt omnia bona. Unde ſic uxorem monet Tertul. *Præſume, oro te, nihil tibi opus eſſe, ſi Domino appareas, imò omnia habere, ſi habeas Dominum, cujus omnia*. Anima Dei capax ad ſuam beatitudinem Deum naturaliter deſiderat; quomodo intelli- l. adv. Prax. 24. S. Aug. l. 83 qq. 5. Ser. 245. l. 1. ad ux. 4.

2.p.tit.5 c.14.pſ. 41. git S. Antoninus iſtud Davidicum, Abyſſus abyſſum invocat, *Abyſſus, cui non datur fundus, eſt Deus infinitus, cujus magnitudinis nōn eſt finis. Abyſſus eſt anima noſtra infinitæ capacitatis in potentia. Abyſſus ergo invocat abyſſum, quia anima quaſi infinitæ capacitatis, appetit Deum nobiliſſimum, & ſummum bonum.* Abyſſus abyſſum exoptat, neque niſi abyſſo repleri poteſt; nam ſi quis (ſi eſſet poſſibile) cunctas in ſua poteſtate haberet creaturas, numquam ejus anima absque Dei poſſeſſione eſſet ſatiata. Quod probè intelligens S. Auguſt. ſic

l.13.Cō-feſ.c.8. Deum alloquitur: *Malè mihi eſt præter te, & omnis copia, quæ Deus meus non eſt, mihi inopia eſt.* Solus Deus abyſſus infinitæ magnitudinis, animam abyſſum infinitæ capacitatis valet replere; qui idcircò dicitur *Saddai*, quia ut ait

l. de pœn.t. 3. Tertul. *Deus in omnia ſufficit.* Qui dicit argentum, ſub hoc nomine cunctas exprimit divitias: qui dicit Deum, omnia in univerſum complectitur bona. Unde ſi per impoſſibile Deus ſolus eſſet in mundo, nullæque eſſent creaturæ, anima ſolo Deo absque ullis creaturis, perfecta frueretur felicitate. *Et*

S. Aug. in pſ.87. *quid aliud quærimus, ubi ſolus ſufficit, per quem facta ſunt omnia?* Ex Tertul.

l. adv. prax. 5. *Ante omnia enim Deus erat ſolus ipſe ſibi, & mundus, & locus, & omnia.* Deus tamen ab æterno, ſeipſo, eſſentiali fruebatur felicitate, quæ nullo modo incrementata fuit creaturarum productione. *Beatitudo Dei nec minor fuerat ſi-*

S. Aug. tract. 85. in Joan. *ne nobis, nec fit major ex nobis.* Deus ſolus ad beatitudinem eſſentialem ſufficiens, ſufficiens eſt etiam ad participatam felicitatem. *Certè quod Deo ſufficit, tibi ſufficit*, ait ad propoſitum Venantius Fortunatus.

S. Aug. Solil. 3. Prô dolor! Quantumvis Deus ſit ad beatitudinem ſufficiens, & mundus inſufficiens; *Heu! miſeria ſuper miſeriam: mundus clamat, Deficio: tu Domine clamas: Reficio. Et miſeria mea prava magis ſequitur deficientem, quàm re-*

Jerem. 2 *ficientem.* De quo ipſemet conqueritur Deus: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas: ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Duplici crimine ſunt culpandi, tum quia deſpiciunt ſummum bonum, infinitum, immutabile, ſummè ſufficiens, quod ſolum valet cordis replere vaſtitatem, firmare inſtabilitatē, ſatiare cupiditatem: tum quia in terrenis bonis felicitatem ſuam collocant, quæ cùm ſint finita, mutabilia, & egena, nequeunt humani cordis replere vaſtitatem, firmare volubilitatem, ſatiare capacitatem. Eò magis ſceleroſi Chriſtiani, quòd fides eos docet Deum ſolum eſſe veræ beatitudinis objectum.

Hug. Vict. l.1. Miſcel. tit. 1. Veritas, & bonitas ſunt duæ ſummi boni proprietates. Veritas, quæ ſe Chriſtianis per fidem manifeſtat, eos ad ejus cognitionem adducit: bonitas quæ per gratiam ſeſe cordibus infundit, eos ad illius amorem accendit. Cognitio quam habent ex fide, judicium veritatis prodit: amor gratiâ inflammatus, judicium pronuntiat bonitatis. In utroque judicio errant homines. In judicio veritatis errârunt gentiles; nam lumine fidei deſtituti, in rebus creatis beatitudinem collocârunt. In judicio bonitatis criminoſi errant Chriſtiani; nam contra lumen fidei, quæ docet ſolum Deum eſſe objectum veræ felicitatis, in temporalibus conſtituunt felicitatem, multò gentilibus

libus criminoſiores; nam *veritas Dei tanto reatu majori contemnitur* , *quantò* S Aug ep.
celebriori excellentia prædicatur. ad Deod.

Duplex refert Vates Regius hominum judicium circa veram felicitatē.
Unum ſapienter & chriſtianè ſentientium : aliud ſtultè, & ethnicè ſentien-
tium : Illi Deum ſolum beatitudinis exiſtimant objectum : unde beatam
gentem prædicant, quæ Deum poſſidet, *Beata gens, cuius Dominus Deus ejus.* Pſ.32.
Iſti pro objecto beatitudinis res temporales conſtituunt, beatoſque procla-
mant, non qui in cœlo Deo fruuntur, ſed qui in terra pollent fortunæ bonis.
Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt. Illi fidem Chriſtianam profitentes, Pſ.55.
chriſtianè loquuntur. Vt enim ait S. Auguſt. *Nemo ſibi promittat felicitatem* In pſ.91.
ſæculi, quia Chriſtianus eſt. Addit ſtatim : *Chriſtiani non ſumus niſi propter futu-*
rum ſæculum. Iſti gentilium more viventes, ethnicè fantur : *Sed qui dixerunt* Pſ.55.
filii alieni, quorum os locutum eſt vanitatem.

Quàm autem vanè, & falsò loquantur conſtat, 1. Quia *miſerum eſſe om-* S. Aug. l. de Beat. vit.
nem qui egeat dubitat nemo : homines autem qui in ſeculo cenſentur fortuna-
ti, egent, ſuntque *in penuria mundi.* 2. Quia beatitudo triſtitiam, & amari- Tert. l. de
tudinem excludit : terra amaritudinibus repleta eſt. *Ideò Deus felicitatibus* pat. 13.
terrenis amaritudines miſcet : ut alia quæratur felicitas, cujus dulcedo non fallat. S. Aug. ſer.
3. Quia vera beatitudo, quæ *virtutis eſt præmium*, non eſt apud ſceleroſos. 29 de verb. Dō.
Inde concludit S. Auguſt. *Non magnipendamus terrenam felicitatem, quæ ple-* S. Aug. l. 4.
rumq; malis conceditur. 4. Vera beatitudo largitur impeccabilitatem, ut e- Civ. 21
nim ait S Auguſt. *Hic præceptum eſt ut non peccemus, ibi præmium non poſſe pec-* l. 2. de civ.
care. Mundana autem felicitas ad peccandum inducit, præbetque peccandi 23.
licentiam, & materiam : *Felicitas peccatorum fovea illorum.* 5. Quia homo l. 3. cont. duas ep.
beari nequit poſſeſſione rei quæ ſibi inferior ſeque deterior ſit. Ut enim Pet. 7
ratiocinatur S. Auguſt. *Cùm beatus fueris, melior utiq; eris, quàm cùm miſer es.* S. Aug. in
Fieri autem non poteſt, ut res deterior te faciat meliorem. Homo es, deterius te eſt, pſ. 9
quidquid cupis, quo beatus eſſe deſideras. Aurum, argentum, qualibet corporalia, In pſ. 32
quibus inhias acquirendis, fruendis, poſsidendis, inferiora te ſunt. 6. Quia beatitu-
do omne ſatiat deſiderium : *Omnia optanda complectitur felicitas,* bona ter- S. Aug. l. 4
rena cordis non ſatiant deſiderium. Civ. 21.

Solus Deus eſt veræ felicitatis objectum , quia à beatitudine egeſtatem
expellit, mœrorem rejicit, malitiam excludit, peccandi potentiam tollit, ho-
minem meliorem efficit, cordis deſiderium plenè ſatiatum reddit : tandem S. Aug l. 5.
Deus felices facit, quia eſt vera opulentia mentium. Quod probè ſciens Pro- Civ. 18
pheta Regius ad beandum hominem, *tulit de medio alia quæ dat Deus, & de-* S. Aug. in
dit ipſum Deum. Ethnici in judicio veritatis errârunt : *Ideò malus felix puta-* pſ. 32
tur, quia quid ſit felicitas ignoratur. Perverſi Chriſtiani in judicio bonitatis er- S. Aug. tr. 26 in Jo.
rant : *Fallax enim felicitas ipſa eſt major infelicitas.* Probi Chriſtiani, fide il- S. Aug. in
luſtrati, & ſummi boni amore ſuccenſi, neque in judicio veritatis, neque in pſ. 93.
judicio bonitatis deficiunt, quia *non intendentes in homines qui proſpe-* S. Aug. in
rantur in hoc ſæculo felicitate falſa atq; ventoſa , & prorſus ſeductoria : pſ. 124
ſed

ſed levantes animas ad Deũ affectu charitatis atq; pietatis, illum ſolũ cogitant,
l.50. Ho. amant,deſiderant: dicuntque Deo cum S.Ambroſio: *Non quæſivimus quæ*
Ho. 10 *ſæculi ſunt,non quæſivimus partem de poſſeſſionibus, ſed te elegimus in portionem.*
Quem adhuc ſic deprecantur apud S.Auguſt. *O Domine Deus noſter, veniamus ad te,fac nos beatos de te: nolumus de auro, nolumus de argento, nolumus de fundis,nolumus de iſtis vanitatibus inſtar fumi tranſeuntibus.* Te ſolum volu-
S.Aug. mus bonum ſummum,infinitum,immutabile,ſufficiens ad beandum. *Qui verè Chriſtianus eſt,non iſta omnia tranſitoria debet petere, ſed totum pondus intentionis vel orationis ſuæ,ad expetendam æternam beatitudinem debet impendere.*

CONCIO QUARTA.

Tert. apol. 17. ANima rationalis Deum magnum,Deum bonum,naturaliter nominat & *pronuntians hæc,non ad capitolium,ſed ad cœlum reſpicit, novit enim ſedem Dei vivi: ab illo & inde deſcendit.* Anima naturaliter exoptat ſuam perfectionem,quietem,& beatitudinem.Nequit homo quandiu eſt viator ſuper terram ultimatè perfici, immutabili quiete potiri, interminabili felicitate frui.In cœlo dumtaxat debet ultimatam habere conſummationem,immobilem quietem,æternam beatitudinem. 1. Conſummationem, per unionem ad finem ultimum. 2. Quietem,per unionem ad centrum. 3.Beatitudinem,per vnionem ad ſummum bonum.

Scorp.10 1. Quærit Tertull.an repeiatur finis in cœlo: *Ergo nec eſt finis in cœlis?* nam cùm beatitudo ſit æterna,& æternitas careat fine, non videtur finis in cœlo.Imò ex Laur.Juſtiniano, in cœlo *triplex eſt finis: terminationis, con-*
l.de lig. vit. *ſumptionis,& conſummationis.* 1.Finis terminationis, eſt vitæ terminus, Sanctosque à via ad terminum deducit. 2. Finis conſumptionis peccata conſumit, Sanctosque impeccabiles efficit. 3. Finis conſummationis gratiam conſummat,Sanctorumque animas ultimatè perficit.

Tert.l.de Pat.1. 1. *Dei judicium in ſuos, in æternitate, aut pœna,aut ſalutis vertitur.* Homo poteſt conſiderari vel in via, vel in termino. Via deſumitur à primo, uſque ad ultimum vitæ inſtans; quandiu ſcilicet anima unita eſt corpori: terminus verò accipitur ab ultimo non eſſe vitæ, ſtatim ac mors à corpore ſeparat animam. In via,homo ratione utens (ſimul cum gratia,)
Tert. l. adv.Val. 1. mereri,& etiam demereri poteſt; nam *meritorium factus eſt mundus.* In termino homo nec mereri, neque demereri valet,ſed juſtus præmiatur,ſceleroſus punitur.Ut enim ait Tertull.*Erimus iidem,qui nunc ſemper: Dei quidem*
Apol.48 *cultores apud Deum ſuperinduti ſubſtantiâ propriâ æternitatis: prophani verò, & qui non integrè ad Deum, in pœnam æquè jugis ignis, habentes ex ipſa natura ejus, divinæ ſcilicet ſubminiſtrationem æternitatis.* Damnati, & Beati ſunt in termino, ſed diverſimodè: illi in termino miſeriæ,ubi

in

in æternum à Deo ſeparabuntur: hi in termino fœlicitatis, uniti inſeparabiliter Deo fini ultimo. Ut enim ait D. Auguſtinus: *ipſe finis erit deſideriorum noſtrorum qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur.* Lib 22. Civ. 30.

Hos duos terminos denotatos vult Tertullianus per Angelos aſcendentes & deſcendentes per ſcalam Jacob in ſomnis demonſtratam, *Cum ergo Iacob ſomniat ſcalas obfirmatas in terra ad cœlum, & Angelos alios aſcendentes, alios deſcendentes: innixum deſuper Dominum; ſcalis hu iter ad cœlum demonſtrari: quò alij perveniant, unde alij decidant, Domini conſtitutum eſſe judicio.* L. 3. adv. Marc. 23. Peccatores deſcendunt, peccata enim ſunt itinera inferni: juſti aſcendunt, virtutes namque ſunt viæ quæ ducunt ad cœlum, ubi Beati ſunt in fine fœlicis terminationis Chriſtianæ *ibi tibi finis eſt, & alibi via eſt*: ubi beato fine valeas terminari, debes illum in via, per opera juſtitiæ mereri. *Fœlicitas eſt quam boni habent præcedentibus meritis.* D. Aug. Tract. 1. in Joan. Meritum vitæ neceſſario præcedere debet præmium patriæ: nam ut ait D. Auguſtinus: *Lege æterna, incommutabili ſtabilitate firmavit Deus, ut in voluntate meritum ſit, in beatitudine autem præmium.* D. Aug. l. 4 Civ. 18. L. 1. de l. Arb. 14. Nolite errare fratres, in cœlo dumtaxat reperitur finis beatæ terminationis, *qui nulli deferetur indigno, nulli negabitur digno*: cui adhuc conſumptionis finis conceditur, quo impeccabilis efficitur. D. Aug. l. 22 Civ 30

2. In cœlo *finis invenietur malignitatis*: Beati namque impeccabiles ſunt participative & indirective. Participative, quia divinæ & eſſentialis impeccabilitatis participes: *Exultant coronati.* Directive, quia à divina diriguntur voluntate: Dei voluntas cum ſit rectiſſima & totius rectitudinis regula, bonitati ſuæ immutabiliter adhæret, nec ullo modo poteſt ſeparari. *Immobilis voluntas Dei, quæ nullius peccati movetur illecebris.* Beati autem in cœlo ſunt penitus divinæ illi rectitudini conformes: cuncti homines ſunt à divina voluntate regulabiles. *Cum ſolum ſit in nobis velle, & in hoc probetur noſtra erga Deum mens, an ea velimus quæ cum voluntate ejus faciant.* Divina voluntas etſi malum culpæ permittat, illud non vult, ſed bonum tantum intendit. Peccatores malam ſuam erga Deum mentem demonſtrant; quia contra ejus voluntatem, propria abutentes voluntate, operantur malum. *Ita noſtra eſt voluntas, cum malum volumus adverſus Dei voluntatem, qui bonum vult*; In cœlo Beati nihil volunt contra Dei voluntatem, imo habent *voluntates bonæ mentis*; quia in cunctis divinæ conformantur voluntati. Quod hac comparatione declarat Bernardus: Quomodo ſtilla aquæ multo infuſa vino deficere à ſe tota videtur, dum & ſaporem vini induit & colorem: quomodo ſolis luce perfuſus aer, in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam ipſum lumen eſſe videatur: Sic omnem in æterna beatitudine in ſanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo, neceſſe eſt à ſemetipſa liqueſcere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem.

Tertull. l. 1. adv. Marc. 22. Tertull. Scorp. 6. D. Ambr. in Pſ. 39. Tert. l. de Exh. Caſt. 2. Tertull. Tert. l. de Exh. Caſt. 11. Lib. Med.

Licet omnis qui peccat propria voluntate peccet: ideo *voluntarius peccator* dicitur: attamen ſæpe ſæpius & mundi illecebris, & carnis ſtimulis, & dæmonis tentationibus, allicitur ad peccatum: *Ita diaboli opus unum eſt,* Tert. l. de Pud. 12. Tert. l. de Exh. Caſt. 2.

tentare quod in te eſt, an velis, at ubi voluiſti, ſequitur ut & ſibi ſubjungat, non operatus in te voluntatem, ſed nactus occaſionem voluntatis. Beati autem in cœlo, nec mundi moventur illecebris, nec carnis perturbantur ſtimulis; neque amplius ſubjacent diabo'i tentationibus. *Tunc implebitur quod Sponſa Sponſus loquitur: Veni Sponſa mea, tempus putationis advenit: ſurculus enim cum putatur, remanente quod utile eſt, abſcinditur quod ſuperfluum eſt. Ita ex humanæ natura manet quidem omne quod Conditor fecit, tollitur autem quod diabolus addidit*, nempe peccatum.

Pet. Dam. Op. 50. c. 15.

Liberum hominem produxit Deus, eique ad bonum & malum contulit libertatem. *Tota ergo libertas arbitrij in utramque partem conceſſa eſt illi, ut ſui dominus conſtanter occurreret, & de bono ſponte ſervando, & de malo ſponte vitando.* Homo à dæmone victus, etſi libertatem ſervaverit, quia tamen per originale peccatum paſſus eſt ignorantiam in intellectu, pravitatem in voluntate, rebellionem in carne, in concupiſcibili & iraſcibili deordinationem; caro libertate utitur in bonum, & ſæpe ſæpius abutitur in malum. Verum in cœlo immunis eſt à peccato: *Nam ſemel in patria locatus lubricum non debet habere veſtigium, ſed tenere ſtatus proprij firmamentum.* Ibi enim voluntas non erit amplius indifferens ad bonum & malum; ſed neceſſario & indeſinenter Deum amabit: ut enim ait D. Auguſtinus, *Quod diligunt & unde beati ſunt, auferre illis nemo poteſt.* Hæ aliæque rationes oſtentant nos fore in cœlo impeccabiles, *ut gaudeamus liberati* à peccato, adepti finem conſumptionis, qui peccatum omne conſumit; & finem conſummationis, qui hominem ultimate perficit.

Tert. l. 2. adv. Marc. 6.

D. Ambr. in Epiſt. 39

Lib. de Agon. Chr. 7.

Tertull. Scorp. 6.

3. Eſt in cœlo Beatus *ſublimatus in conſummationem*: quia ſcilicet ultimatè perficitur. Dupliciter poteſt aliquid conſummari. 1. Dum in ſui productione omnem ſuam recipit perfectionem: 2. Dum poſt ſuam productionem, ad ſuum pervenit finem, à quo conſummatur. Primo modo entia irrationalia conſummata ſunt: qui cum non ſint fœlicitatis capacia, dum fuerunt producta, omnem ſuam acceperunt perfectionem. Secundo modo homo conſummatur, dum in cœlo attingit beatitudinem, ad quam ordinatus eſt, & à qua ultimate perficitur. Ratione hujus diſcriminis Deus, ut D. Ambroſius animadvertit, poſt productas creaturas irrationales, earum prædicavit bonitatem; quia in ſua productione perfectionem ſibi convenientem acceperant: Hominis vero non commendavit bonitatem, eo quod in ſua creatione non fuerit ultimate perfectus, ſed in cœlo dumtaxat ſuam expectat conſummationem: nam *finis humanæ creaturæ eſt adhærere Deo: in hoc ejus fœlicitas conſiſtit.*

Tert. lib. adv. Jud. 14.

D Thom. l. 3 cont. Gen. 116.

Erga hominem velut pictoris perſonam agit Deus. Pictor pulchram perficere volens picturam: 1. telam præparat ad recipiendos colores apte diſpoſitam: 2. ſupra telam ſic præparatam applicat colores: 3. applicatos colores quovis penicilli artificio illuſtrat; ſicque picturam conſummat. Eodem fer, modo operatur Deus. Nam 1. humanam animam ad ſui imaginem format

cam-

eamque gratiæ & ſanctitatis capacem efficit. 2. Animam ſanctificat & divinæ ſimilitudinis coloribus exornat; inchoatam in via ſimilitudinem in patria conſummat. Anima humana in triplici ſtatu poteſt conſiderari. 1. In ſtatu naturæ, in quo cunctis creaturis irrationalibus antiſtat. 2. In ſtatu gratiæ, ſtatu naturæ perfectiori, in quo divinæ imagini additur divina ſimilitudo. 3. In ſtatu gloriæ, ſtatu gratiæ longe nobiliori, in quo inchoata ſimilitudo conſummatur, & anima ultimate perficitur per unionem ad Deum, qui eſt finis ejus ultimus & perficiens. *Ipſe eſt enim beatitudo finalis; ipſe eſt perfectionis finis, qui conſumentem non habet finem.* D. Aug. l. 19. Civ. 10 In Pſ. 30.

Ex D. autem Auguſtino, *duobus modis dicimus finem, vel quo fit ut non ſit quod erat: vel quo fit ut perfectum ſit quod imperfectum erat.* Primo modo finem habet panis quia comeditur. Secundo modo finem habet veſtis, quia perficitur: Ideoque *dicitur finis qui conſumit, & dicitur finis qui perficit.* Fine conſumente finitur panis, fine perficiente finitur veſtis. *Aliter dicitur finis qui pertinet ad conſummationem, aliter qui pertinet ad conſumptionem, aliter tela finitur texendo, aliter à tineis comedendo.* In cœlo finitur anima non quomodo finitur panis; ſed eo modo quo finitur veſtis: Deus enim illam non conſumit deſtruendo; ſed conſummat perficiendo. *Finis eſt Deus, non qui conſumat, ſed qui conſummet: conſumere enim perdere eſt, conſummare vero perficere.* Animæ beatæ non deſtruuntur neque conſumuntur; ſed perficiuntur & conſummantur, unitæ cum Deo à quo ultimam ſuam mutuantur perfectionem. Inde concludit D. Auguſtinus: *Finis ergo propoſiti noſtri Deus eſt, quia in illo proficimus, & ab illo perficimur: & hæc eſt perfectio noſtra ad illum pervenire: & cum ad illum perveneris, ultra non quæras: finis tuus eſt.* D. Aug. in Pſ. 54. D. Aug. l. 83 QQ. 69. D. Aug. in Pſal. 56.

Non eodem modo finem inveniunt juſti & peccatores. Utrique naturaliter conſummantem appetunt finem, & averſantur conſumentem finem. Sceleroſi tamen à cœlo ſeſe elongantes, à fine conſummante deviant: & peccando ad finem conſumentem accelerant; Nam etſi peccata non conſumant naturam, deſtruunt tamen ſanctitatem & gratiam: & ita sceleroſi illi *naturaliter appetentes unde finiant appetitum; naturaliter reſpuentes modo appropinquent fini, fini dico conſumptionis, non conſummationis: quamobrem non beato fine conſummari, ſed conſumi vacuo labore accelerant:* ſuis criminibus properantes ad infernum, ubi meritis & virtutibus denudati, ſceleribus & peccatis turpati, abſque fine patientur. Juſti econtra fugiunt conſumptionis finem, conſummationis finem perquirunt, & pleno virtutis opere laborant ut perficiantur in cœlo per unionem ad finem conſummationis, & perpetua fruantur quiete, per unionem ad ſuum centrum. D. Bern. de dil. Deo.

Cor humanum nuncupat Tertullianus theſaurum, *ad quem Deus reſpicit:* Cœlum adhuc theſaurum vocitat: & quia ubi eſt theſaurus, ibi eſt cor, & è converſo *ubi erit cor, ibi erit theſaurus:* inde nos ſtimulat ut ad cœlum attollamus cordis affectus. *Ibi ergo ſit cor noſtrum, ubi volumus habere theſaurum.* Theſaurus cordis Deus eſt; & ut fatur D. Thomas, *centrum totius amoris.* Pretioſum II. PARS. Lib. de An. 15. Lib. ad Matth. 3.

tioſum illum theſaurum Beati poſſident, huic amoris uniuntur centro, ad quod 1. cor naturaliter inclinatur: 2. in quo conſervatur: 3. & perpetua quiete potitur.

Tert. l. de Mon. 19. Tertull. Apol. 19.

1. *In meliorem ſtatum deſtinamur*, ad cœlum ſcilicet *ſedem Dei vivi*; ad quem (ut ad ſuum centrum) cor naturaliter inclinatur. Quævis creatura ad ſuum centrum naturaliter propendit, quæ vita ſenſu vel ratione caret, ad illud fertur naturali propenſione ſeu appetitu innato. Hoc appetitu terra deorſum vergit, ignis ſurſum aſcendit, fluvii ad mare curſitant, cœli moventur in gyrum, & cuncti mortales ad Deum & ad beatitudinem velut ad ſuum centrum naturaliter feruntur. Reprobi etiam & dæmones Deum naturaliter amant (quamvis ejus juſtitiam averſentur) ad illumque moventur appetitu innato quem etiam deperdita fœlicitate non perdiderunt. *Peccando nec pietatem nec fœlicitatem tenuimus: voluntatem fœlicitatis, nec amiſſa fœlicitate perdidimus.* Solus peccator appetitu libero, ſeſe à Deo elongat, ad quem naturaliter inclinatur.

D Aug. l. 22. Civ. 30

In homine duplex eſt appetitus: innatus ſcilicet & liber. Criminoſus peccator, appetitu innato Deum diligit, appetitu libero Deum odit: appetitu naturali fertur ad centrum, appetitu libero removetur à centro: appetitu naturali conſervationem deſiderat, appetitu libero deſtructionem procurat; ſimilis reo, qui ultimo mulctatus ſupplicio & à quatuor equis in diverſas oras protractus, vult, non vult, amat, odit; approximatur, elongatur; percupit, fugit. Juſtus econverſo, Deum quem naturaliter appetit, appetitu libero quærit: fugit peccata, quæ eum à ſuo centro removent: ſectatur virtutes, quibus ſibi valeat comparare cœlum, ut ibi conſervetur per unionem ad centrum.

Tert. lib. adv. Jud. 3.

2. *Iſrael in eremo manna cibatus quadraginta annis ad inſtar æternitatis redactus.* Si Judæi in deſerto ubi erant advenæ & peregrini tot annis à Deo conſervati ſunt, quanto magis in cœlo Beati per unionem ad ſuum centrum conſervantur? Creaturæ extra ſuum centrum nequeunt conſervari: piſces in aqua viventes, extra aquam moriuntur; ignis abſque pabulo ſub concavo lunæ conſervatur, extra ſuam ſphæram indiget alimento, & extinguitur ſtatim ac lignum vel alia materia combuſtibilis ei deficit. Hoc idem accidit homini, qui animæ vitam tamdiu conſervat, quandiu unitur Deo; Beati autem perpetuo uniuntur Deo, & nunquam à Deo ſeparabuntur, *Lex æterna ſervabitur, & illa duo præcepta de diligendo Deo & proximo, in illa perfecta & ſempiterna dilectione tenebimus.* Beati nequeunt ſeparari à ſuo centro, niſi vel à Deo per animadverſionem & juſtitiam, vel ab aliis Beatis per coactionem: vel à ſemetipſo per peccatum & malitiam. Non à Deo qui non odit diligentes ſe, neque ſtudioſos punit: nam *præmium erit virtutis, ipſe qui virtutem dedit.* Nemo ab aliis beatis, tum quia omnibus eſt *ipſa vita æterna communis*: tum quia *quod diligunt & unde beati ſunt, auferre illis nemo poteſt.* Nec tandem à ſeipſis peccata committendo. *Hic præceptum eſt ut deſideriis peccati non obediamus, ibi præmium ut deſideria peccati non habeamus.*

D. Aug. l. de Sp. & lit. 19. D. Aug. l. 22. Civ. 30. D. Aug. l. de Ag. Chr. 7. D. Aug. l. 3. cont. duas Ep. Pelag.

Sicut

Sicut nulla major eſt fœlicitas quam inſeparabiliter uniri Deo, ita nulla major eſt infelicitas, quàm à Deo ſeparari, *perire à regno Dei, exulare à civitate Dei, vitâ Dei carere*. Tantam timeamus infelicitatem, & ſi quamdiu ſumus in ſeculo, non poſſumus Deo inſeparabiliter uniri, adhæreamus illi per gratiam & amorem, ut valeamus illi uniri per gloriam. Nam *poſt hanc vitam merces perficiens redditur, ſed eis tantùm, à quibus in hac vita ejuſdem mercedis meritum comparatur*. Juſti per opera virtutis merentur cœlum, ubi ſuo uniti centro conſervantur, & perpetuâ quiete fruuntur. D. Aug. in Pſ. 80 D. Aug. l. de perf. Juſti ratioc. 17

3. Siquidem *conſtabiliti ſunt, & in requiem ex veritate compoſiti*; eò quòd ſuo centro immobiliter adhæreant. Natura eſt principium motûs & quietis: verùm quietem producit non in termino à quo procedit motus, ſed in termino ad quem tendit motus. Cadens lapis non invenit requiem in initio ſui deſcenſûs, neque in medio aëris per quem tranſit; ſed in terra, quæ eſt terminus ad quem movetur. Deus qui eſt natura naturans, & naturę auctor, animabus noſtris dedit propenſionem ad requiem: idcircò perpetuo agitantur motu donec illam inveniant. Hanc autem quietem non reperiunt in terra per unionem ad creaturas: hîc enim *ambulamus in re laboris, ſed in ſpe ſalutis*; ſed expectant in cœlo, *ubi eſt requies à laboribus*. Quod nonnemo acuto expreſſit emblemate, depingens in ſcuto duas alas ignitas cum hoc lemmate: *Quieſcimus in ſublimi*. Intellectus & voluntas ſunt duæ alæ animæ rationalis, quibus fertur in cœlum, ut ſuo centro unita quieſcat: in terra namque non quieſcit, ſed perpetuo volvitur motu. Etenim *inquietudo variat affectiones, ut in altera alteram perimat: quies autem habet conſtantiam, in qua maximè intelligitur, quod dicitur, eſt*. Quandiu homo eſt in ſeculo, cor ejus non conſtantiâ firmatur, ſed inquietudine agitatur. Quod probè intelligens D. Bernardus ait: *Nihil eſt in me corde meo fugacius. Cor meum, cor vanum, vagum, & inſtabile. Sicut enim molendinum velociter volvitur, nihil reſpuit, ſed quidquid imponitur, molit: ſi autem nihil imponitur, ſeipſum conſumit: ſic cor meum ſemper eſt in motu, per multa diſpergitur, huc illucque quærit, donec requieſcere poſſit, & nihil invenit, quod ei ſufficiat, donec revertatur ad Deum.* Tert. l. adv. Valent. 12 D. Aug. epiſt. 119 ad Januar. D. Bern. l. Med. D. Aug. l. 3. de lib. arb. 8 L. Med. 9

Tanta dignitate pollet cor humanum, ut nequaquam in creatura, ſed in Deo ſolo quieſcere poſſit: *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te*. Attende circulum, & cuncta præter centrum conſpicies moveri. Sic orbes cœleſtes moventur circa terram, quæ cùm ſit centrum mundi, permanet immobilis: *Terra eſt hypoſtaſis generationum ſibi ſuccedentium*; & ob hanc cauſam veteres finxerunt rotam à fortuna rotatam, habentem in medio centrum immobile. Centrum illud immobile eſt Deus, rota verò ſunt bona temporalia. Animæ huic rotæ affixæ perpetuò volvuntur: quod procedit ex mutabilitate rerum ſeculi, quæ cùm ſint mobiles, cordis inſtabilitatem & motum ſiſtere nequeunt. Animæ verò beatæ divino huic centro unitæ immobiles ſunt, & perpetuâ fruuntur quiete. D. Aug. l. 8. Conf. Gregor. Naz. Or. 4

O quàm felices animæ illæ, quæ in cœlo regnant, immobiliter Deo unium-

uniuntur, & quiete nunquam periturâ potiuntur! at quàm infelices animæ illæ, quæ in æternum à Deo ſeparatæ nullam ſperant quietem, ſed interminabili anxietate agitantur! Vis, Chriſtiane, frui illâ quiete, quam Beati ſemper poſſident, & quam reprobi nunquam habebunt? *Convertere homo ad Deum tuum, qui eſt requies tua, extra quem non eſt niſi tormentum.* In Deo ſolo eſt requies: *Væ animæ audaci, quæ ſperavit ſi à te receſſiſſet, melius aliquid habituram: verſa & reverſa in tergum, & in latera, & tu ſolus requies.*

D. Cypr. ſerm. de Aſcenſ.

D. Aug. l. 6. Conf. 16

Nonnulli quærunt quietem in conjugio, & nihil inveniunt niſi diſſidia, ſuſpiciones, livores, odia, infidelitates, adulteria. Quidam in filiis, & nihil inveniunt præter ingratitudinem, inobedientiam, contemptum, ſævitiam. Quidam in amicis, & inveniunt duntaxat ſimulationes, dolos, perfidias, traditiones. Illi in divitiis, & nihil inveniunt præter anxietates, labores, timores, anguſtias: iſti in voluptatibus, & nihil inveniunt præter amaritudinem, egeſtatem, infirmitatem, hebetudinem. Alii in honoribus, & inveniunt inſtabilitates, pericula, dejectiones, caſus. Cæteri in vitiis, & nihil inveniunt niſi remorſus, vermes rodentes, vivum infernum, & damnationem. Nam ſicut equi molendini rotam continuò volvunt, ſic *impij in circuitu ambulant*; ſemper moventur, & nunquam quieſcunt. Quibus dicendum eſt: *Non eſt requies ubi quæritis eam.* Quæritis in terra quietem, quæ invenitur duntaxat in cœlo; quæritis requiem in temporalibus, quæ nequit inveniri niſi in Deo. *Quieſcat in te, Deus meus, cor meum; cor enim meum eſt mare magnum, tumens fluctibus. Tu, qui imperâſti ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna; veni, & gradere ſuper fluctus cordis mei, & tranquilla & ſerena ſint omnia mea, quatenus te unicum bonum amplectar ſine tumultuantium cogitationum cæca caligine.* Sic loquuntur veri Chriſtiani, non in terra, ſed in cœlo; non à creaturis, ſed à Deo quietem expectantes. Et quia dum exiſtunt in ſeculo, nequeunt centro inſeparabiliter uniri, ad illud tendunt circulo amoris, qui à Deo incipit, & ad Deum finit; nihil amantes, niſi aut Deum, aut propter Deum, aut in ordine ad Deum: *quia Deus amor eſt, quem qui amat, amorem amat; amare autem amorem, circulum facit, ut nullus ſit finis amoris.*

Pſal: 24

D. Aug. l. 4. Conf. 12

D. Aug. Med.

Rich. Vict. de grad. cha. c. 12

Criminoſi illi, nec-non & innocui Chriſtiani perfectiſſimè denotantur per columbam & corvum à Noë emiſſos ex arca, ut dignoſceret an aquæ diluvii eſſent diminutæ. Corvus enim ad Noë non eſt reverſus, ſed ſuper cadavera, quæ movebantur, (ad ea devoranda) requievit: columba verò diu quærens ubi requieſceret pes ejus, nec inveniens, ad Noë reverſa eſt. En verum peccatorum & juſtorum ſpecimen: ambo ex arca divinæ bonitatis exeunt, utrique tamen ad eam non redeunt. Peccatores velut corvi ſceleribus denigrati, terræ cadaveribus hærent: quia honores, voluptates, divitias inordinato amore diligunt: juſti autem velut columbæ innocentiâ dealbatæ, ſuper turbidas ſeculi aquas volant, ſed minimè requieſcunt; quia earum non turpantur amore. *Non tamen quòd in ſeculo ſumus, à Deo excidimus; ſed ſi quid de ſeculi criminibus*

Tert. l. de Spect. 9

attigerimus. Peccatores Luciferi imitantur c imen, qui poſt accepta à Deo magna naturæ & gratiæ dona, à Deo deſciit, & in pœnam tantæ ingratitudinis in æternum à Deo ſeparabitur. Juſti, humanati Verbi ſequuntur exemplum, quod ut ipſemet ait: *Exivi à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Peccatores nullam habent requiem, ſed continuas patiuntur anxietates: tum ob inſtabilitatem rerum quas amant, tum ob remorſus conſcientiæ qui eos cruciant. In terra juſti tranquillitate & pace conſcientiæ fruuntur, in cœlo ſuo uniti centro æternâ quiete potiuntur, & immortali gaudebunt felicitate per unionem ad objectum beatitudinis. Joan.16

Spero à Chriſto regnum Dei, æterna & cœleſtis poſſeſſionis. Sic loquitur juſtus, qui æternam felicitatem poſſidebit poſſidendo Deum. Deus conſiderari poteſt vel in ordine ad ſeipſum, vel in ordine ad creaturas irrationales, vel in ordine ad homines ratione præditos. In ordine ad ſeipſum Deus habet rationem ſummi boni, & objecti beatifici, divinæ & eſſentialis felicitatis: non habet rationem finis ultimi; ſi enim ordinaretur ad ſemetipſum ut ad finem ultimum, eſſet prior & poſterior ſemetipſo, diſtingueretur à ſemetipſo, quia medium diſtinguitur à fine; eſſet finitus & dependens, haberetque cauſam efficientem, quia habens cauſam finalem habet quoque efficientem: quæ omnia Deo repugnant. In ordine ad creaturas irrationales, habet è converſo rationem finis ultimi, quia illas produxit, & ad ſui honorem ordinavit; non habet tamen rationem ſummi boni, quia creaturæ illę cùm non ſint intellectu & voluntate præditæ, non ſunt felicitatis capaces: in ordine autem ad homines cognitionis & amoris capaces, habet rationem tum finis ultimi, tum ſummi boni. Homines enim non ſunt in cœlo beati, niſi per unionē ad objectum beatitudinis, quod poſſident, 1. viſione. 2. dilectione. 3. fruitione. III PARS Tert. l. 3 adv. marc. 23

1. *Adeò contemplatio eſt ſpei in hoc ſpatio per fidem non repræſentatio;* poſſeſſionē verò Dei, quam expectant in terra fideles, per viſionem habent in cœlo comprehenſores, ideòque quivis Beatus intuitivè videns divinam eſſentiam clamat apud Tertullianum: *Hanc video, hac perfruor.* Res temporales quantumvis cognoſcantur, non poſſidentur, quod ex duplici defectu procedit. 1. Ex defectu rerum mundanarum, quę cùm ſint accidentibus occultatæ, eorum ſubſtantia non apparet. 2. Ex defectu oculorum, qui ejuſmodi operimenta haud penetrare valentes, eas non intuitivè cognoſcunt, ſed tantùm abſtractivè per ſpecies & imagines mediis ſenſibus mutuatas, & ob duos illos defectus *oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur.* Hujuſmodi autem defectùs non reperiuntur in cœlo. Nõn ex parte Dei, qui nullo accidente cogitur; neque ad illum videndum mutuanda eſt aliqua ſpecies ſenſibilis. Ut enim ait D. Auguſtinus; *Ibi ſine ulla corporis ſimilitudine perſpicua veritas cernitur,* quia non abſtractivè, ſed intuitivè videtur. Non ex parte Beatorum, quorum intellectus lumine gloriæ elevatus clarè & perſpicuè divinam intuetur eſſentiam. In hac vita unitur Deus fidelium mentibus mediâ fide infusâ obſcurâ, quæ lucet in caligi- Tert. l. de Ref. carn. 23 Sen. ep. 110 L. 12 de Gen. ad litt. 26

liginoſo loco, nec Deum cognoſcit niſi per ſpeculum in ænigmate. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Quia verò Beatorum mentibus unitur Deus medio lumine gloriæ, quo clarè Dei intuentur majeſtatem: *Sic videbunt multò excellentius quomodo hîc ſolent videre Prophetæ; divina videbunt quando de Deo pleni erunt, nec erit quod lateat cognitorem.*

D. Aug. Serm: 152 de Temp.

Apoc. Beatæ hujus viſionis proprietates exprimit Joannes ſub figura hujus fluvii, qui cœleſtem inundat Jeruſalem. 1. Fluvius ille de throno Dei, & de ſede Agni procedit: viſio beatifica dimanat à Deo, qui gloriæ lumen largitur Beatis: & à Chriſto, qui auxilium illud ſupernaturale ſuo ſanguine meruit. 2. Aquæ fluminis illius ſunt aquæ vitæ, & Beatorum vita initiativè in viſione Dei conſiſtit. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum.* 3. Fluvius ille perlucidus eſt, & criſtallo ſimilis: viſio beatifica eſt diſtincta, clara, intuitiva, & facialis. 4 Fluvius ille ex utraque parte habet arbores ferentes ſingulis menſibus poma ſuaviſſima cujuſvis generis: viſio beatifica Deum poſſidet, cunctaque bona ſimul cum Deo poſſidet.

Joan: 17

Pſal: 26 Quod probè ſciens Vates Regius Deum ſic alloquitur: *Tibi dixit cor meum: exquiſivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.* Quaſi dicat: O Deus, non curo de terrenis divitiis, venereas voluptates nolo, ſeculi honores non quæro, dominationem non ambio, regna & diademata non exopto, te ſolum deſidero, qui per tuî viſionem & poſſeſſionem plenam mihi largiri potes ſatietatem: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Non immeritò Propheta, Deus videndo ſuam eſſentiam ſemetipſum poſſidet: ita videndo divinitatem Deum poſſidebis. Qualis quæſo cœleſtis gloria, *ubi Deo & hominibus ſit una poſſeſſio*! Objectum beatificum, quod Deus poſſidet eſſentialiter, Sancti participativè poſſident, tum per viſionem, tum per amorem.

Ven. Fort.

Tert. l. de Reſ. carn. 13 2. In via *nec poſſeſſio, ſed expectatio* Dei eſt. Fides aliquam Dei notitiam, ſed imperfectam præſtat. Spes ad Deum deſiderium noſtrum ſublevat: ſed neque fides, neque ſpes plenam Dei poſſeſſionem dat. Juſti charitate exornantur; ſed quia nondum eſt conſummata, perfectè Deum non poſſident: in cœlo verò, ubi ſunt perfectiſſimâ charitate accenſi, totis viribus Deum amāt, & fervido illo amore Deum poſſident. Quapropter D. Auguſtinus ſic Sanctum alloquitur: *Videbis, & amabis, & totum habebis, & totum ille habebit: quia tu & ille unum eritis.* Viſione Deum Beati poſſident: & quia amor eſt operatio eorum perfectior, in qua ratio beatitudinis formaliter ſita eſt, potiori jure Beati per amorem Deum poſſident. Amor amantem transformat in amatum; amor Beatos in Deum transformat, & ratione intimiſſimæ illius unionis & transformationis Deus Beatos poſſidet, & Beati Deum poſſident. Et quia ex D. Auguſtino *nemo beatus eſt, qui eo quod amat, non fruitur.* Beati Deum fervidè amantes, Deum adhuc per fruitionem poſſident.

In Pſ 36

L. 8. Civ. 9

D. Aug. l. de Mor. Eccleſ. c. 3 3. Homo vel non habet quod amat, vel habet quod amat; ſed quod amat, noxium eſt; vel non amat quod habet, etiamſi ſit bonum, vel optimum amat & ha-

& habet: 1. *Neque ille dici poteſt beatus qui non habet quod amat*, quia egeſtate premitur, & deſiderio habendi agitatur. 2. *Neque qui amat quod habet, ſi noxium ſit*: quia vera beatitudo nullum affert detrimentum, ſed potius omne bonum confert. 3. *Neque qui non amat quod habet, etiamſi optimum ſit*: quia inordinatum habet amorem, beatitudo omnem voluntatis deordinationem excludit. *Quartum reſtat ubi beata vita inveniri poteſt, ſcilicet cum id, quod eſt hominis optimum, & amatur & habetur.* Hujuſmodi eſt Beatorum in cœlo felicitas, qui Deum ſummum & infinitum bonum amant, & habent. & ita Beati Deum poſſident viſione, dilectione, fruitione. Multæ ſunt cognitiones, quæ rei cognitæ poſſeſſionem non tribuunt. Pulchritudo corporea non poſſidetur, etiamſi videatur. Multa ſunt quæ amantur, & non poſſidentur: amata pulchritudo non ſemper poſſidetur. Tandem multæ ſunt poſſeſſiones, quæ nullam afferunt jucunditatem. Quot viri venuſtas habent uxores, quæ eis non gaudium, ſed mœrorem ingenerant? Cœleſtis beatitudo hos non patitur defectus: nam Sancti videndo Deum, Deum poſſident; amando Deum, Deum habent; & fruendo Deo, ſummâ jucunditate gaudent.

Verùm fidei, ſpei, & charitatis actus ſunt prævię diſpoſitiones ad viſionem, amorem, & fruitionem. Ut quis in patria valeat uniri Deo per viſionem, amorem, & fruitionem, debet illi uniri per fidem, ſpem, & charitatem. Quod denotatum vult D. Hieronymus per Liam & Rachelem uxores Jacob, quæ ſignant vitam juſtorum in terra, & vitam Beatorum in cœlo. 1. Jacob prius Liam quàm Rachelem in matrimonium duxit: & homines ſunt prius viatores, quàm cõprehenſores. 2. Jacobo Lia tædio erat, Rachel verò in deliciis: faſtidium Chriſtiano mundus ingenerat, cœlum deſiderium accendit. 3. Lia erat lippiens, ſed fœcundiſſima; Rachel pulcherrima, ſed ſterilis. Fideles in via Deum obſcurè cognoſcunt, ſed ſunt in ſtatu meriti: Beati in patria Deum vident facie ad faciem, ſed ſunt in termino, neque amplius mereri poſſunt. 4. Lia idem eſt ac laborioſa, quia viatores laborare, & benè operari debent, ut ſibi cœlum valeant comparare: Rachel dicitur *Viſio prophanationis, non quòd prophanè videat, ſed quia viſibilia ſenſibiliaq; collata cum immortali natura, inviſibili & intelligibili, non religioſa, ſed prophana eſſe judicat.* Tale eſt profectò veri Chriſtiani judicium qui terrena bona cœleſti felicitati comparata, in quâ *omnia ſancta ſunt*, velut prophana exiſtimat. Hujuſmodi erat mens Regii Vatis dicentis: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* Quæ verba ſic elucidat D. Auguſtinus: *Cœpit cogitare civitatem ipſam Jeruſalem, & arguere ſe quia pecus fuit, & terrena deſideravit*; unde pœnitentiâ ductus quòd mundum, & quæ in eo ſunt, nimio fuiſſet proſecutus amore, Deum alloquitur: *Servas mihi tu in cœlo divitias immortales, teipſum: & ego volui à te quod habent impii in terra, aurum, argentum. Hæc pro magno deſideravi ſuper terram, cùm ſerves te mihi in cœlo Deus.* Comparatione utitur Propheta, quâ ſe ad terræ contemptum, & cœli deſiderium ſufflammet. *Comparavit voluntati ſuæ præmium cœleſte, quod accepturus eſt; vidit quid ibi reſervaretur, & cogitans &*

L. adv. Jovin.

Phil. Jud. de Congreſſu quærend. erudit.

D. Aug. in Pſ. 49

æſtuans in cogitatione cujuſdam rei ineffabilis, non dixit: Illud, aut illud mihi eſt in cœlo? ſed quid mihi eſt in cœlo? quod eſt illud quod habeo in cœlo? quantum eſt? qua'e eſt? Certum tantum, quantus eſt Deus quem Beati poſſident,

D. Aug. in Pſ. 83

quibus *non aliquid Deus daturus eſt quod fecit, ſed ſeipſum qui fecit omnia.* In cujus comparatione terrena cuncta nihilum & prophana vero Chriſtiano videntur, qui illa deſpicit, ut à Deo valeat beari.

CONCIO QUINTA.

Tert. l. de Spect. 30

C*Æterùm qualia illa ſunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt?* Sanè cœli bona talia & tanta ſunt, ut viatoribus incomprehenſibilia & ineffabilia videantur. Verùm licèt pro hoc ſtatu ea

Tertull.

non valeamus perfectè percipere, *tamen hæc quodammodo habemus per fidem, ſpiritu imaginante repræſentata.* At inter Doctores fide illuſtratos nemo melius de beatitudine ratiocinatus eſt ac D. Auguſtinus. Magnus ille Doctor adeò altè de cœleſti gloria loquutus eſt, ut ſublimius nihil dici poſſit, & tam clarâ methodo beatitudinem propalavit, ut nihil adduci valeat patentius.

In Pſ. 49

Tribus namque verbis cuncta quæ de felici illo ſtatu fari poſſunt, complexus eſt: *In cœlo omnia ſumma ſunt, vera ſunt, æterna ſunt.* Poſt hæc, quid homines poſſunt enarrare de cœlo, ubi omnia ſunt, 1. ſumma in perfectione. 2. vera in æſtimatione. 3. æterna in duratione?

I. PARS.

Tert. l. 1 adv. Marc. 3.

L. 2. de lib. arb. 9

Tert. l. de Reſ. 23

Deus eſt *ſummum magnum*; ex D. autem Auguſtino, *nemo beatus niſi ſummo bono.* In terra ſumma non reperitur beatitudo; quia *animo ſolo adhuc poſſumus cœleſtia attingere, quæ non quæreremus, nec ſaperemus, ſi poſſideremus.* In cœlo duntaxat ſancti ſummâ illâ felicitate potiuntur, quia ſcilicet ſummo bono fruuntur: nam, ut addit D. Auguſtinus, *Beatus eſt qui ſummo bono perfruitur.* Beati autem ſummo bono fruuntur tribus operationibus ſummis, 1. viſione 2. dilectione. 3. delectatione.

L. 1. adv. Marc. 2

D. Aug. l. 1 Trinit. 14

Chryſol. Ser. 45

1. Aſſeverat Tertullianus Deum eſſe in cœlo *viſum quidem ſecundùm hominum capacitatem, non ſecundùm plenitudinem divinitatis.* Etſi Beati Deum non comprehendant (qui à ſe ſolo poteſt comprehendi, eò quòd ſolus ipſe cogitione infinitâ polleat) illum tamen perſpicuè vident, & *ipſa viſio quæ eſt facie ad faciem, ſummum præmium promittitur juſtis:* habet ſiquidem omnia ad ſummam operationem requiſita. Eſt namque *perfectiſſima operatio optimæ potentiæ, reſpectu optimi objecti.* Eſt etenim 1. operatio intellectûs,

D. Bern. Serm 31 in Cant.

D Bern. Serm. de Nat. Virg.

qui eſt prima animæ potentia, & ſola ad divinas irradiationes recipiendas apta. Ea namque eſt proportio inter ſolem materialem & ſpiritualem, quod ſol corpus illuſtrat mediis oculis, animam Deus illuminat medio intellectu. Sol per propriam lucem ſeſe oculo manifeſtat, Deus intellectui ſeſe oſtentat per lumen gloriæ, quod vocitat D. Bernardus *lumen plenum de lumine pleno.*

Nul-

Nullus intellectus creatus poteſt propriis viribus Deum intuitivè contemplari, ſed indiget lumine gloriæ, quo elevatus ut ſol irradians ſplendeſcit. 2. Viſio beatifica ſummam à Deo, quem clarè intuetur, mutuatur nobilitatem: quapropter Doctor Angelicus eam quodammodo exiſtimat infinitam, & cum unione hypoſtatica, & maternitate beatiſſimæ Virginis comparat. 3. Hujuſmodi viſio perfectiſſimo modo producitur, non in ænigmate, ut actus fidei, qui divina obſcurè attingunt myſteria: non abſtractivè, ut notiones naturales, quas format ratio mediis ſenſibus; ſed clarè & intuitivè, quæ eſt nobilior cognitionis ſpecies. 1.p.q.25 a.4

2. Acutè animadvertit Tertullianus, quòd Dei dilectio *principaliter ad omnem ſalutem, & ad utramque viam facit.* Duplex eſt ſalus; inchoata una, conſummata altera. Illa in gratia conſiſtit, iſta in gloria ſita eſt. Salus inchoata, eſt vita juſtorum in terra; ſalus conſummata, eſt vita Beatorum in cœlo. Dei dilectio ad utramque ſalutem & vitam principaliter facit: juſtorum vita tantò eſt nobilior, quò majori fuerit charitate prædita. *Quantò in quocunque major eſt charitas, tantò melior eſt in quo eſt.* Beatorum adhuc vita ſuam mutuatur nobilitatem à dilectione, quæ eſt operatio ſumma, cujus dignitas deſumenda eſt à principiis, quæ ad illius productionem concurrunt. 1. Viſio beatifica eſt dilectioni neceſſaria, à qua dimanat velut calor à lumine Solis. Ut autem docet D. Auguſtinus, *quantò major notitia, tantò major erit dilectio.* 2. Voluntas eſt principium, à quo amor efficienter producitur. Voluntatis nobilitatem prædicat Doctor Subtilis, eamque aliis animæ potentiis præponit, quas voluntatis imperio ſubdit. 3. Charitatis habitus ſimul cum voluntate concurrit ad productionem amoris, & cùm actus ſint tantò digniores, quantò digniores ſunt habitus, à quibus eliciuntur, ex hac parte multum commendatur amor productus à charitate virtutum nobiliſſima, inter quas eundem obtinet dignitatis gradum, ac ignis inter elementa, inter planetas ſol, inter animalia homo, & Seraphim inter Angelos. 4. Ipſemet Deus amori beatifico ſummam confert perfectionem: perfectio ſiquidem amoris ab ejus objecto commenſuratur; quare *ſummum bonum diligere ſumma eſt beatitudo.* Lib.4. adv. marc. 55 D.Aug. in Enchir. 117 L. de Spir. & Lit. 30 D. Bern. Ser. 5. de Mod ben. viv.

3. *Quid jucundius quàm veritatis revelatio?* Gaudium eſt tertia operatio, quæ Beatorum conſummat felicitatem. Eſt autem ſummum, tanquam viſioni & amori commenſuratum. Nam ſicut amor viſioni, ita gaudium adæquatur amori. Ad delectationem, quæ ex viſione & amore percipitur, tria requirit Doctor Angelicus: nimirum 1. potentiam intellectualem. 2. objectum tali potentiæ conveniens. 3. unionem objecti cum potentia, & quò potentia eſt aptior ad cognoſcendum, objectum nobilius; intimior unio, eò major eſt dilectio. Tria hæc in cœlo perfectiſſimè reperiuntur, ſcilicet facultates delectationis capaces, jucundiſſimum objectum, & unio intimiſſima potentiarum cum objecto. 1. Deus eſt jucundiſſimum illud objectum, & cœleſtium voluptatum ſcaturigo. *Ipſa eſt vita beata gaudere ad te, de te, & propter te.* Tert. l de Spect. 29 3.p.q.31 a.5 D.Aug. l.10. Cóf. 29

te. Intellectus & voluntas ſunt potentiæ delectationis capaces. 3. Intimiſſima unio, in Deum namque transformantur Beati, & ita in infinitum illud deliciarum immerguntur pelagus, ut velut ſpongia undique repleantur gaudio: *O gaudium ſuper omne gaudium, extra quod non eſt gaudium.*

D.Aug. Sol.35 Hoc eſt autem diſcrimen inter terrena & cœleſtia gaudia; quòd terrena intrant in cor hominis, *&* illud non replent: cor verò hominis in gaudia cœleſtia ingreditur, & omnimodam ab eis recipit plenitudinem. Mundana gaudia cùm ſint minora corde humano, illud replere non poſſunt: cor verò humanum cùm ſit minus cœleſtibus gaudiis, ab eis repletur, neque illa exhaurit.

Proſol.26 Unde D. Anſelm. *Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes; ſed toti gaudentes intrabunt in gaudium Domini. Tam magnū eſt de Deo gaudium cœleſtis patriæ, ut non poſſit concludi in homine: & ideò homo intrat in gaudium illud incomprehenſibile, & non intrat gaudium illud in hominem tanquam comprehenſum ab homine.*

L.3 de Lib. Arb. 45 Tantum D. Auguſtino videtur cœleſte illud gaudium, ut pro uno die tantę delectationis deſerendos velit innumeros terrenæ jucunditatis annos. *Tanta eſt jucunditas lucis æternæ, ut etiamſi nō liceret amplius in ea manere, quàm unius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoq; contemnerentur.* Non enim

Pſ.83 *falſo & parvo affectu dictum: melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.* Si ad hæc attenderent Chriſtiani, ſine dubio terrena deſpicerent, cœleſtibus inhiarent.

D.Greg. Hom.37 in Evang. *Si conſideremus quæ & quanta ſunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vileſcunt animo ea, quæ habentur in terris.*

Hujuſmodi erat Ignatius Societatis Jeſu inſtitutor, qui dicere ſolitabat: *Quàm mihi ſordet terra, dum cœlum aſpicio!* Anaxagoras quoque gentilis philoſophus terram deſpiciens, à cœlo nunquam dimovebat mentis oculos, dicens apud Laërtium: *Illa patria mea eſt, illam ego curo, non ea quæ ſunt ſuper terram, ſicut vos qui deorſum eſtis.* Nonne idololatres ille fucatos illos condemnat Chriſtianos, qui nunquam de cœlo cogitant, de cœleſtibus non curant, ſed totas mentis cogitationes, & cunctos cordis affectus verſus terram dirigunt? Anaxagoras ſe ad cœlum contemplandum & quærendum natum proclamat: *Tolle cœlum, & nullus ero*: & ipſi quaſi non ſint ad cœlum deſtinati, libenter cœlo renuntiarent, modò ſemper poſſent degere ſuper terram.

Tert. Apol.47 Chriſtianus *cœli diſcipulus*, civis cœleſtis Jeruſalem, ad cœleſtem illam patriam debet continuò reſpicere, nihil aliud niſi cœleſtia cogitare & amare. Ut

Hom.15 in Ezech. enim ait Greg. Mag. *Nihil cum terra commune habetis, ſed tota mens veſtra ardeat amore cœleſtis patriæ.* Sunt equidem plures Chriſtiani ſuo nomine probè

D.Amb. in Pſ.118. reſpondentes, qui *de hoc mundo non ſunt, quia ſupra mundum*: qui, ut fatur D.

Tract.10 in Joan. Auguſt. *carne verſantur in mundo, ſed corde inhabitant cœlum*, adinſtar Apo-

Phil.3. ſtoli aſſeverantis: *Noſtra converſatio in cœlis eſt*; ſeu, ut legit Tert. *noſter munici-*

L.de Cor. mil.13 *patus in cœlis eſt.* Qui hoc imitantur exemplum, & animo cœlum inhabitant, nullo terrenorum amore fervent, ſed omnia quæ ſunt in cœlo, pro nihilo habent.

bene. *Cœleſtia recogita & terrena deſpicies.* Miratur D. Cyprianus quomodo Tert. l. 1. ad Ux. 5.
Chriſtiani, qui quotidie in oratione dominica poſtulant à Deo regnum cœleſte, poſſint terrenorum amore delectari: *Quid ergo oramus adveniat regnum* Lib. 4. de
tuum, ſi captivitas terrena delectat? Verum quantumvis contra rationem quæ Mort.
demonſtrat terram conculcandam, poſt cœlum anhelandum; contra fidem quæ docet Chriſtianos cœli cives & diſcipulos, nihil ſapere debere niſi cœlum: contra naturalem animæ appetitum, quæ cœlum deſiderat; contra exemplum Apoſtoli aliorumque fidelium, qui cogitatione & amore cœlum inhabitant: multo plures ſunt Chriſtiani nomine indigni, qui cœlum non recogitant nec amant, ſed in terra tantum mente & corde verſantur. Hos *terræ* Apol. 10.
filios nuncupat Tertullianus: quia cœleſti nativitati, quam acceperant in Baptiſmate, renuntiant. Eoſdem velut ſacrilegii reos inſequitur Minutius Fœlix:
Sacrilegij vel maximi inſtar eſt, humi quærere, quod in ſublimi debeas invenire. In Oct.
In quos maledictiones vibrat dilectus Diſcipulus: *Væ ſuper omnes habitatores* Apoc. 8.
terræ. Verum, ut bene animadvertit D. Ambroſius, hæc maledictio *non om-* Lib. de
nes homines comprehendit: ſunt enim & in terris poſiti, quorum converſatio in cœ- Abrah. 7.
lis eſt: ſed eos quos terrenæ converſationis affectus, ac hujus ſæculi vicerit gratia.
Hos tandem velut duplici crimine reos, accuſat Chryſologus, *Cœlo maculam,* Serm. 7.
cœleſti generi injuriam intuliſti.

Homines illos cœleſtes & terrenos, Chriſtianos cœli cives, & habitatores terræ, denotatos vult Tertullianus, tum in promiſſione Abrahæ facta; tum in
benedictione Jacobo & Eſau ab Iſaac impertita: *Quid tibi videtur cum Abra-* L. 3. adv.
hæ ſemen, poſt primam benedictionem, quæ in multitudine arenæ repromittitur, Marc. 23.
ad inſtar quoque ſtellarum deſtinatur? nonne terrenæ & cœleſtis diſpoſitionis auſpicia ſunt; cum Iſaac benedicens Iacob filium ſuum, Det, ait, tibi Deus de rore cœli & de opimitate terræ? Nonne utriuſque indulgentiæ exempla ſunt? Denique animadvertenda eſt hic etiam ſtructura benedictionis ipſius. Nam circa Iacob prima promiſſio cœleſtis eſt roris: ſecunda terrenæ opimitatis. Ceterum ad Eſau promittit benedictionem terrenam, & ſubjicit cœleſtem, De opimitate terræ, dicens, erit inhabitatio tua, & à rore cœli. O quam diverſus eſt ordo hujuſmodi benedictionum! Benedictio Jacob à cœlo incipit: benedictio Eſau è converſo incipit à terra: in Eſau Judæos, in Jacob Chriſtianos agnoſcit Tertullianus:
Iudæi terrena ſolummodo ſperando, cœleſtia amittunt: Chriſtiani omnem ſuam Lib. de
ſpem habent in cœlo collocatam: *Nos enim primo ad cœleſtia invitamur, cum* Reſ. 26.
à ſæculo avellimur. Reprobi, Eſau filii, Judæos imitantur: electi Jacobi nepo- Tert. l. 3.
tes, cœleſti benedictione ditantur. Chriſtiane non poſt terrenam, ſed poſt adv. Marc. 23.
cœleſtem anhela benedictionem: ad cœlum attende, cœlum concupiſce, ad cœlum mentem & affectionem erige. Adverte quod *omni pene in loco de con-* Tert. l. de
temnendo ſæculo Scripturis dominicis commonemur: & ſi Chriſtianæ diſciplinæ Pat. 7.
documenta recuſas, præbe ſaltem Ethnico aſſenſum. *Fac oro quod unum te po-* Sen. Ep. 23
teſt præſtare fœlicem, deſpice & conculca iſta quæ extrinſecus apparent, ad verum ad Lucil.
bonum expecta. Nonne idololatres ille loquitur Chriſtianè, & fucatos illos

condemnat Chriſtianos, qui mundum exiſtimant & amant ubi cuncta ſunt contemptibilia & falſa; & cœlum deſpiciunt & averſantur ubi omnia ſunt exiſtimanda, tum quia ſumma, tum quia vera.

II. PARS. Tert. l. 1. adv. Marc. 11. Quia contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, & *patet mendacio veritas*, cœleſtia bona terrenis ſunt opponenda, ut illorum veritas horum falſitate eniteat. Bona autem terrena in trino poſſunt ſtatu conſiderari: In ſeipſis, in exiſtimatione mundanorum, in ore dæmonis qui ea offert hominibus ut decipiat incautos: 1. In ſeipſis vana ſunt: 2. In exiſtimatione mundanorum imaginaria ſunt: 3. In ore dæmonis falſa ſunt. Cœli bona poſſunt adhuc tripliciter conſiderari. In ſeipſis, in exiſtimatione ſapientum, in ore Dei qui ea promittit: 1. In ſeipſis ſunt, non vana, ſed vera: 2. In exiſtimatione ſapientum ſunt, non imaginaria, ſed vera; 3. In ore Dei ſunt non falſa, ſed vera.

Tert. l. de Pudic. 1. Tert. l. de Idol. 1. Tert. l. 2. de Cult. fœm. 13. 1. *Malim nullum bonum quam vanum.* Terrena bona in ſeipſis vana ſunt; ſiquidem nihil eſt in mundo quod non ſit vanum, *cum tota ejus ratio vana ſit?* imo, ut vult Sapiens, nihil ſit aliud quam vanitas in abſtracto. Bona cœleſtia è converſo, non vana & vacua ſunt, ſed vera & realia. In cœlo namque eſt *bonum verum & plenum*: quod hac ratiocinatione demonſtratur: Veritas eſt proprietas entis, & quo aliquod ens eſt perfectius, eo magis verum eſt. Vegetantia ſunt inanimatis digniora, quia vitam poſſident: animalia plantis, floribus & arboribus antiſtant, quia ſenſu potiuntur: homines belluas præcellunt, quia ratione præditi ſunt; juſti ſunt peccatoribus nobiliores, quia per gratiam ad ſtatum ſupernaturalem ſublimantur: Beati juſtos longe antecedunt, quia gloria perfruuntur, & cœleſtia bona poſſident, quæ ſunt non imaginaria, ſed vera.

Tert. l. de Cor. mil. 13. Chryſol. Serm. 129. Eſa 28. Tert. l. de Cor. mil. 7 Tertull. Apo. l. 21. Tert. l. de Spect. 29. Serm. 11. L. 2. Reg. 2. 2. *Omnia imaginaria in ſæculo & nihil veri*; quia ab hominum imaginatione ſuum acceperunt valorem, & nonniſi in hominum phantaſia exiſtunt, Ea vult Philo Judæus *ab inani & incerta opinione ſuſtineri, non aliter quam ſomniorum ludicra.* Seculi homines viſus debilitate laborant, at *imperfectis oculis grandeſcunt formæ.* Idcirco mundani, qui terrena bona augeſcunt, à Propheta Evangelico dicuntur *Viri deluſores*; quia & ipſi decipiuntur, & ſua imaginatione alios adhuc decipiunt. *Paſſivitas fallit obumbrans corruptelam conditionis, quæ ſubjecta eſt vanitati*: Sapientes autem bona cœleſtia vera exiſtimantes nec falluntur, nec fallunt. Non falluntur, quia eos edocuit qui nequit decipere Chriſtus, diſciplinæ Chriſtianæ *magiſter & illuminator.* Non fallunt; quia non prædicant campos elyſios à Poetis fabulatos. Quod Scriptores canonici, quod Patres Eccleſiæ, quod Doctores Catholici, de cœlo aſſeverant, *nec fabulæ*; *ſed veritates*; quia ut bene ad propoſitum ait Menander apud Stobæum; *Veritas cœli civis eſt.* Quod confirmat D. Hieronymus ex verbis Prophetæ Galaaditis miſericordiam & veritatem retribuentis: *Et nunc retribuit vobis quidem miſericordiam & veritatem.* Ut expendit Hieronymus, *miſericordiam in præſenti, veritatem in futuro, quia miſericordia quæ in præſenti ſæculo tribuitur, ad comparationem æternæ vitæ mendacium eſt.*

Bona

Bona cœleſtia & à veraci Deo promiſſa, non mendacia, ſed vera ſunt. Tert. l. de Cor. Mil. 7.
3. *Diabolus à primordio mendax*, homines mendacio decipere nititur eis
offerendo bona mendacia & falſa: quod unum ad eorum contemptum ſuf-
ficere deberet; ſicut ad accendendum cœleſtium amorem ſatis eſt Chriſtiano
credere *Deum præſidem & magiſtrum veritatis*: qui cum nec decipi nec de-
cipere queat, cultoribus ſuis bona non falſa, ſed vera pollicetur. Poſtquam Tert. l. 2. de Cult.
Angelus Dei majeſtatem repræſentans plura de cœleſti regno Evangeliſtæ fœm. 1.
Joanni propalavit, ſuos finivit ſermones dicens: *Hæc verba fidelißima ſunt &* Apoc. 22.
vera. Poſt depoſitionem Dei mentiri neſcientis, revelata ab ipſo credenda
ſunt, velut religionis principia, chriſtianitatis fulcra, fidei oracula, in ſacris
paginis contenta, ab Spiritu ſancto dictata, ſupremæ veritati innixa. *Veracem* Tert. lib.
Deum credens ſcito illum non aliter quam diſpoſuit pronuntiaſſe; nec aliter di- adv.
ſpoſuiſſe quam pronuntiavit. Quod Beati in cœlo Deum intuitive videant, ar- Prax. 11.
denter ament, ſumme de eo lætentur, non minus eſt certum, quam quod
Deus ſit ſincerus in promiſſis, verax in ſermonibus, & infallibilis in ſuis reve-
lationibus.

Et cum æquiſſimum ſit ut *teſtimonium veritatis ubique occupet principa-* Tert. l. de
tum; nonne depoſitio Dei veracis, de mendace dæmone triumphare debet? Præſc.
nonne ſapiens prudentum exiſtimatio eſt mundanorum imaginationi præ- Hæret. 37.
ferenda? nonne vera cœli bona pluris ſunt facienda quam vana terræ bona?
nonne concludendum eſt cum D. Auguſtino: *Hæc ergo cum falſa ſit vita, ap-*
prehendenda eſt vera vita? At proh dolor! plerique ratione convicti, fide il-
luſtrati, contra rationis lumen, contra fidei illuſtrationem mundum cœlo
præponunt, vacuum reali, imaginarium ſolido, mendax vero. Quod Ma-
gnus deplorat Gregorius: *Hæc vita ita ſubjecta eſt veritati, ut teneantur in-*
certa pro certis, reſpuantur vera pro falſis: Nec attendunt terreni illi homines S. Bern.
& ſceleroſi Chriſtiani, quod *miſceri non poſſunt ſumma imis, vera vanis æterna* Serm. de
caducis. At ſi intolerabilis eſt error velle terram miſcere cœlo, quam culpan- Aſcenſ.
di & puniendi ſunt, qui cœlum terræ, & æterna poſtponunt temporalibus?

Duos homines diſcernit Tertullianus: Alios nuncupat *candidatos diaboli*, L. de Cor.
alios vero vocitat *candidatos æternitatis*. Illi à mendaci dæmone, iſti à Deo Mil. 7.
veraci edocti ſunt: illi à fallaci dæmone decepti, in mundanis & temporali- Lib. de
bus ſpem & fœlicitatem ſuam collocant, ut ipſimet fatentur: *Poſuimus men-* Reſ. 58.
dacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus: Iſti à veraci Deo inſtructi Eſa. 8.
animum ſuum ponunt *in ſpem vitæ æternæ quam repromiſit qui non mentitur* 1. Tim. 1.
Deus. Divina namque pollicitatione freti, exoptant, & expectant cœlum, ubi
omnia æterna ſunt.

Solida & perfecta fœlicitas cenſetur æternitas: æternitas, Sanctorum con- III. PARS
ſummat fœlicitatem. Multum eſt quod in cœlo omnia ſumma ſint, vera ſint, Tertull.
& adhuc ad beatitudinis complementum requiritur quod æterna ſint. Dici-
tur autem *æternitas interminabilis vitæ tota ſimul ac perfecta poſſeßio*. Dicitur Boet. l. de
1. perfecta vitæ poſſeſſio: quia eſt bonis omnibus cumulata. 2. Tota ſimul, Conſ.
quia

quia invariabilis: 3. Interminabilis; quia limites non habet. Ideoque æternitas trina exprimitur negatione; eſtque 1. perfecta ſine defectu & imperfectione: 2. invariabilis, ſine motu & ſucceſſione: 3. interminabilis, ſine termino & fine.

Tert. lib. adv. Hermog. 39. 1. Anima beata *in æternitatis conſortio poſita participet cum Deo neceſſe eſt, & vires, & leges, & conditiones æternitatis*. Conditiones autem divinæ æternitatis ſunt, ut nullum admittat defectum & omnimodam habeat perfectionem. O quantum diſtat cœleſtis Beatorum vita, à terrena viatorum vita! Vita miſera quam alterant honores, dolores debilitant, calores exſiccant, alimenta corrumpunt, quam fames deſtruit, paupertas dejicit, contemptus cruciat, abundantia inflat, adverſitas deprimit, fortuna excæcat: Vita infauſta in

Tert. l. 1. ad Nat. 5. qua nihil omnimode perfectum reperitur: nam ut *cælum ipſum nulla ſerenitas tam colata purgat, ut non alicujus nubecula flocculo reſignetur*; Sic in ſæculo nulla eſt conditio hominum adeo fœlix, ut non aliqua prematur infœlicitate. Nam Reges etiam potentiſſimi adverſitatibus ſubjacent; intellectus acutiſſimi inſcitiæ caliginibus obnubilantur; fœminæ venuſtiſſimæ aliqua deformi-

Hug. Vict. l. de An. 16 tate devenuſtantur. Quot in mundo nobiles ignari? quot doctores egeni? quot divites ægroti, quot pulchræ mulieres ſceleroſæ?

Hi aliique defectus exulant à cœlo, ubi eſt vita ſine morte, juventus ſine ſenectute, ſanitas ſine ægritudine, requies ſine labore, lætitia ſine mœrore, voluptas ſine anxietate, opulentia ſine egeſtate, pulchritudo ſine deformitate, robur ſine debilitate, libertas ſine ſervitute, ſecuritas ſine timore, honor ſine dejectione, intellectus ſine errore, memoria ſine oblivione, cogitatio ſine pervagatione, charitas ſine offenſione, ſenſus ſine offenſione, & perfectio abſque ulla imperfectione: quia beatitudo eſt *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*.

Boet. l. 3. de Conſ. Proſ. 2. Ad denotandam illam bonorum plenitudinem utitur Boetius nomine vitæ, quæ directe opponitur æternæ morti quam patiuntur in inferno reprobi omnibus malis cumulatam. Vel ut ſub hoc titulo exprimat bonorum omnium univerſalitatem, quomodo per vitam D. Joannes intelligit cuncta attributa divina quæ æternus Pater communicat Filio: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo; ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*. Vel quia cœlum eſt ſedes vitæ, & beatitudo complectitur vitam immortalem Dei, Angelorum, animarum, immo corporum poſt reſurrectionem. Vel tandem quia cunctæ facultates animæ & corporis, vita ſibi proportionata & convenienti potiuntur. Nares odorum ſuavitate vivunt, aures harmoniæ dulcedine, oculi corporum pulchritudine, memoria præteritorum recordatione, intellectus divinitatis viſione, voluntas ſummi boni dilectione, & hujuſmodi operationes ſunt æternæ abſque ulla mutatione.

2. Veteres per Saturnum tempus intelligebant. Ex Tertulliano namque:

Lib. 2. ad Nat. 12. *Sed eleganter quidam ſibi videntur phyſiologice per allegoricam argumentationem de Saturno interpretari tempus eſſe, & ideo falcatum, quia tempore omnia diriman-*

dirimantur, & ideo voratorem ſuorum, quod omnia ex ſe edita in ſeipſum conſumat. Cuncta naturæ & artis miracula, quæ videntur ſuper terram, alterationibus & mutationibus ſubjacent: quæ ideo temporalia dicuntur, quia ut fatur Tertullianus, devorantur *ipſorum temporum propria gula.* Ratio eſt evidentiſſima; quia quæ tempore menſurantur mutabilia ſunt: terrena autem tempore menſurantur, & ideo mutabilia ſunt. Ipſa etiam experientia comprobatur, quod deliciæ mutantur in dolores, divitiæ in egeſtates, amicitiæ in animadverſiones, honores in contumelias, proſperitates in adverſitates. *Deus in terra mutationem, in cœlo immortalitatem dedit*: nam ſicut terrena quæ tempore mutabili menſurantur, mutabilia ſunt; ita cœleſtia quæ æternitate invariabili menſurantur, invariabilia ſunt: quia *æternum non capit ullam diminutionem*; & ita Beati divinæ æternitatis participes in ſua fœlicitate abſque ulla varietate perſeverant. *Sola gloria Dei ſtat, ſolique ſtant & permanent, qui cum illo & in illo gloriantur.* Ideoque Sanctorum gloria nuncupatur à Boetio ſtatus, quia immobiliter & invariabiliter ſtat: *Omnis enim gloria in regno Dei indeſinenter permanet*, in illo regno beatitudinis *juventus nunquam ſeneſcit; decor numquam palleſcit; amor numquam tepeſcit; ſanitas nunquam marceſcit; gaudium nunquam decreſcit, vita terminum neſcit*, gloria mutationem neſcit. Hanc ſtatus conſtantiam Beati mutuantur ab æternitate, quæ temporis variationem & mutabilitatem excludit. *Non habet tempus æternitas: omne enim tempus ipſa eſt*: nam abſque ulla ſui mutatione, partibus temporibus diviſibilibus, indiviſibiliter coexiſtit: *Non eſt in ea heri nec heſternum, ſed eſt idem hodiernum*, eſtque duratio ſemper præſens, quæ nec præteritum, nec futurum agnoſcit: & ut ait D. Dionyſius, *ævum ævorum quod eodem modo ſemper ſe habet*; punctum immobile circa quod cuncta tempora, omnes generationes, & cuncta volvuntur ſæcula; ſphæra cujus centrum ſemper eſt, & circumferentia nunquam, quia eſt invariabilis ſine mutatione, & interminabilis ſine fine.

3. Scito *Deum eſſe ſummum magnum in æternitate conſtitutum.* Divina æternitas eſt *ſine initio, ſine fine*: Beatorum autem fœlicitas, non eſt ſine initio, ſed eſt ſine fine; nam *ab illo æternitatis fonte percipiunt, ut æternaliter vivant.* Si modo mortales interrogem cum Tertulliano; *Æternitatem quanto conſtare vultis?* reſpondet D. Auguſtinus tantam eſſe æternitatem, ut quidquid de illa dicamus minus dicimus. *Quidquid vis dicis de æternitate, quia quidquid dixeris, minus dicis.* Numera ſi potes arenulas quæ ſunt in terra guttulas aquæ quæ ſunt in mari, folia quæ ſunt in arboribus, atomos quæ ſunt in aere, & ſtellas quæ ſunt in Firmamento, & æternitas plura complectitur ſæcula, quam ſint ſtellæ in Firmamento, atomi in aere, folia in arboribus, guttæ aquæ in oceano, & arenulæ ſuper terram. Voca in auxilium Dialecticæ argumenta, Geometriæ dimenſiones, Arithmeticæ numeros, ut æternitatem valeas menſurare: nullis Dialecticis argumentis, nullis Geometricis dimenſionibus, nullis Arithmeticis numeris menſurari vel ulla ſui parte poteſt æternitas. Nam ſi numero aut menſura poſſet comprehendi, extra terminum

Lib. de Reſ. 4.
Triſm. Pim. 12.
Tert. lib. adv. Herm. 7.
Tert. l. de Pœn. 11.
D. Marc. Ep. 2 ad Theol. c. 12.
D. Aug. Sol. 35.
Tert. l. 1. adv. Marc. 18.
D. Aug.
Tert. l. 1. adv. Marc. 3.
Tert. lib. adv. Herm. 6
Pet. Dam. Op. 50 c. 15.
Lib. 1. ad Nat. 7. in Pſal. 60.

non eſſet, atque adeo non eſſet æternitas. Cogita mille annos, cogita millies mille annos, cogita tot annorum millia quot ſunt momenta in tempore à mundo condito uſque ad ejus conſummationem: *Quid appendis cum infinito quantumcumque finitum? decem millia annorum, decies centena millia, ſi dicendum eſt, millia millium quæ finem habent, cum æternitate comparari non poſſunt.* Poſt decem annorum miriades, poſt centies millena millia miriadum, nedum finis, nedum medium, nihil dum de principio æternitatis diminutum, quia *æternitas nec tempus nec temporis pars ulla eſt.* Tam longa, & tam diuturna eſt æternitas ut omne excludat tempus. *Quantitas enim temporis non pertinet ad eam rem quæ æterna creditur: quod enim æternum eſt, neque finem temporis admittendo, nullum modum temporis patitur.* Omne namque tempus finitum eſt, æternitas autem finem non habet. *Si motus cæli ſemper duraret, tempus non menſuraret ipſum æternum, ſecundum totam ſuam durationem; cum infinitum non ſit menſurabile:* & ob hanc cauſam ait Magnus Gregorius: *cùm homo de æternitate diſſerit cæcus, de luce loquitur.* Comprehendi, cogitari, effari non poteſt: & ut fatur nonnemo, ſilet hic reſolutus Durandus, hæret ingenioſus Occamus, ſtupet profundiſſimus Baſſolius, hallucinatur irrefragabilis Alenſis, cæcutit illuminatus Maytonius, obmuteſcit Ariminenſis Gregorius, hebeſcit acies Doctoris Subtilis, caligant oculi Angelici Thomæ. Nec mirum ſi tot ac tanti Doctores æternitatem non valent attingere, quæ omnem mortalium & Angelorum excedit capacitatem. Nec mirum cum ne Deus ipſe in ea terminum aut ultimum diem (qui in æterno non eſt) intueatur. Et ita cum æternitas à nobis comprehendi & effari non poſſit, id unum ſufficiat eſſe in cœlo *infinitam æternitatem*, quæ tandiu erit quandiu Deus erit æternus. *In æternum erit ipſum diu, & ideo vere diu*: quandiu cœlum exiſtet, quandiu Deus exiſtet, Sancti in cœlo potientur fœlicitate, quæ ipſamet Dei duratione menſurabitur.

D. Aug. in Pſal. 36. — Greg. Naz. Orat. 28. — Tert. l. de An. 24. — D. Th. 1 p. q. 10. a. 4. — Lib. 27. Mor 2. — Tertull. Apol. 48. — D. Aug. in Pſ. 145.

Chriſtiane, *cupio reſpondeas ſi tanti æternitas*, nonne ad illam mentis aciem & voluntatis affectum debes dirigere? Agens qui finem aliquem ſibi proponit aſſequendum, illum ſemper intendit, & omnia in ordine ad ejuſmodi finem operatur: Beata æternitas eſt finis Chriſtianis propoſitus, quapropter *vigilanti cura per cuncta opera intentio nobis penſanda eſt, ut nihil temporale in his quæ agit, affectet: ſed totam ſe in ſoliditatem æternitatis figat.* Non abs re Apoſtoli in fine Symboli hunc poſuerunt articulum: *Credo vitam æternam*; ut diſcant Chriſtiani ſuas actiones eſſe in vitam æternam dirigendas. Princeps qui aliquod regnum ſuo imperio ſubdere ambit, ad regnum illud comparandum cogitationes, affectus, vires, & cuncta in univerſum adhibet: Non abſimiliter Chriſtiani *æternitatis candidati* nihil non tentare debent ut eam ſibi valeant comparare; maxime quia in baptiſmo jus ad æternitatem compararunt. Idcirco Tertullianus de efficacia hujus Sacramenti ſic fatur: *Quanta vis aquæ quæ vitam æternam gubernat, & in cæleſti procurat?* Finis dirigit agentem, vita æterna quæ eſt finis ad quem ordinatur Chriſtianus, debet illum dirigere

Tertull. Apol. 8. — D. Greg. l. 11. Mor. — Tert. lib. adv. Jud. 2. — Lib. de Bapt. 3.

tigere

rigere in ſuis operationibus. Agens qui ſibi propoſitum cupit attingere finem, eligit media, quibus ad illum valeat pervenire: bona opera in gratia & ſanctitate facta vitam æternam procurant, ſuntque media quæ ducunt *ad immenſam æternitatis perpetuitatem.* Tertull. Apol 48.

CONCIO SEXTA.

CHriſtianus nuncupatur *negotiator ſalutis*; quia totis viribus beatitudinem ſibi comparare nititur. Exiſtimatio beatitudinis accendit in eo beatitudinis deſiderium: deſiderium fœlicitatis urget eum ad quærenda media quibus valeat acquirere fœlicitatem. Cur tam pauci ſunt hac tempeſtate negotiatores ſalutis? quia cœleſtem non quærunt gloriam. Cur non quærunt? quia illam non deſiderant. Cur non deſiderant? quia non exiſtimant. Ex defectu æſtimationis, procedit defectus deſiderii: ex defectu deſiderii, defectus proſecutionis mediorum: & ita beatitudinem non adipiſcuntur; quæ negotiari nequit niſi quæratur: quæri nequit niſi deſideretur: neque deſiderari niſi æſtimetur. Ideoque à Chriſtiano negotiatore ſalutis Beatitudo eſt 1. æſtimanda: 2. deſideranda: 3. comparanda. Tertull. Apol 46.

I. PARS. *Apoſtolus municipatum in cœlis eſſe prænuntians, alicui utique civitati cœleſti eum deputat, quam matrem noſtram ſurſum deſignat.* Ut ſcilicet ad eam erigamus rationis & fidei oculos, & magnam de ea concipiamus æſtimationem. Una res tripliciter æſtimari poteſt: 1. Per comparationem ad alias res. 2. Per pretium quo empta eſt: 3. Per propriam ipſius dignitatem. His tribus modis æſtimanda eſt cœleſtis Beatitudo: 1. Ex terrenorum comparatione: 2. Ex magno pretii quo empta eſt valore: 3. Ex ſumma ejus magnitudine. Tert. l. 3. adv. Marc. 23.

1. *Univerſa negotiatio mundialis, perveniens ad humani generis utilitatem, ipſum denique cœlum ſub quo omnia, terra ſuper quam omnia: & quidquid illorum inter ſe ad commoda humana ſuſpirat.* Tot autem mundi bona communia ſunt fidelibus & infidelibus, Chriſtianis & Gentilibus, juſtis & peccatoribus, Dei amicis & hoſtibus, prædeſtinatis & reprobis. *Hæc omnia miſerorum ſunt damnatorumque ſolatia, non præmia beatorum.* Inde concludit D. Auguſtinus: *Quæ igitur æterna ſunt, ſi tot ac talia, ac tanta, temporalia ſunt? Quid dabit eis quos prædeſtinavit ad vitam, qui hæc dedit iis quos prædeſtinavit ad mortem?* Si mundus iſte qui eſt vallis miſeriarum tam amœnus eſt, ſi iſte exilii locus eſt adeo jucundus, ſi tanta cum jucunditate poſſidentur iſta temporalia, juſtis & injuſtis, electis & præſcitis communia, qualia quæſo Beatitudinis bona quæ præparavit Deus non infidelibus, ſed fidelibus; non ſceleroſis, ſed ſanctis; non inimicis, ſed filiis; non advenis, ſed civibus; non reprobis, ſed electis; non ad temporale ſolatium, ſed ad æternum præmium? *Alioquin ſatis vanum, ut ad obſequium Dei fructibus agri & cibariis vitæ hujus invitet, quæ etiam irreligioſis & blaſphemis ſemel homini addicta conditione communicat: pluens ſuper bonos & malos, & ſolem ſuum emittens ſuper juſtos & injuſtos.* Tert. l. 2. ad Nat. 5. D. Aug. l. 21. Civ. 14. Lib. de Ref 26.

ſtos. Fœlix nimirum fides ſi ea conſecutura ſunt, quibus hoſtes Dei & Chriſti non modo utuntur, verum etiam abutuntur, ipſam conditionem colentes adverſus conditorem.

Sur. Beatus Fulgentius, Ruſpenſis Epiſcopus, de ſua ſede vi Arianorum depulſus, Romam ſe contulit, tempore quo Theodoricus Rex erat triumphaturus, intuenſque ſuperbiſſimum triumphi apparatum, in hæc verba prorumpit: *Quam ſpecioſa debet eſſe Ieruſalem cæleſtis ſi ſic fulget Roma terreſtris! & ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem qualis gloria & honor præſtabitur diligentibus veritatem?*
Tert. l. ad Mart. 4. Si Roma tanta magnificentia coruſcat, quali ſplendore ſuperna fulgebit Jeruſalem? *Si tanti vitrum, quanti margaritum?* Si terrenus triumphus mortales in admirationem rapit, & tanta lætitia afficit, quantus quæſo cœleſtium ſpirituum ſtupor, quanta Sanctorum in cœlo jucunditas? Si bona temporalia, falſa, ſimulata, caduca, tanta ſunt in æſtimatione apud homines; quanto magis æſtimanda
Tert. l. de Spect. 30. ſunt æterna bona quæ in cœleſti regno poſſident Beati? *quæ illa exultatio Angelorum? quæ gloria Sanctorum? quale regnum exinde juſtorum? qualis civitas nova Ieruſalem?*
D. Chryſ. Hom. 68. in Joan. Cum etenim res eo ſit magis æſtimanda quo dignior; *ſi quis cœlum ſuſpexerit, & quæ ibi præclara ſunt contemplatus fuerit, nullius ſe pretij exiſtimabit.* Præſertim ſi attendat ad pretium quo Chriſtus cœleſtem emit beatitudinem.

Tert. lib. adv. Jud. 9. 2. *Quia Ieſus Chriſtus ſecundum populum qui ſumus nos, nationes in ſæculi deſerto commorantes antea, introducturus eſſet in terram repromiſſionis, melle & lacte manantem, id eſt, in æternæ vitæ poſſeſſionem, qua nihil dulcius.* Deſertum in quo Iſraelitæ quadraginta annis demorati ſunt, ſignificat hunc quem incolimus mundum: Terra promiſſionis melle & lacte fluens, cœleſtem denotat patriam, omni dulcedine & lætitia abundantem. Joſue qui Iſraeliticum populum duxit in terram promiſſionis, figurat Chriſtum, qui morte ſua cœ-
Tert. l. de Fug. in Perſ. 12. lum aperuit, & ſuo ſanguine nobis beatitudinem emit: *Etenim Chriſtus ſanguine fuit dives pro homine.* Cenſus cujuslibet rei ex ejus pretio deſumendus eſt. *Empturus es aliquid, ipſum aliquid nondum ſcis: vide quanti, & videbis quid.* Res
D. Aug. in Pſal. 43. parvi momenti caro non emitur; è converſo *pretioſa res, parvo emi non poteſt.* Vis noſſe quanta ſit Beatitudo cœleſtis? Vide pretium quod pro ea emenda
D. Greg. l. 3. in 1. Reg largitus eſt Chriſtus. Nam ut addit D. Aug. *Chriſtus pependit in ligno vitæ, vide quanto emit, & ſic videbis quid emit.* Suo ſanguine emit Beatitudinem Chriſtus,
D Aug. in Pſ. 148. ſua morte immortalitatem adeptus eſt. *Tales arrhas accepimus, tenemus mortem Chriſti, tenemus ſanguinem Chriſti.* Sanguis Chriſti eſt infinitus in valore, mors Chriſti eſt infinita pretio, infinita ergo eſt Beatitudo, quæ infinito comparata eſt pretio. Inde concludit S. Proſper. *Quid futurus eſt homo, pro quo Deus factus eſt homo?* qualis erit homo in cœleſti patria, pro quo Filius Dei eſt corporatus, in ſtabulo natus, in paupertate & miſeria converſatus, & infami ſupplicio mulctatus? quid largiturus eſt Beatis in cœlo, pro quibus
D Aug. l. 22. Civ. 20. æternus Pater largitus eſt filium? *quæ bona in ea vita facit eos ſumere, pro quibus in hac miſeria unigenitum Filium ſuum voluit uſque ad mortem mala tanta*

per-

perferre? quæ bona in illo regno accepturi ſumus; quando quidem Chriſto moriente pro nobis tale jam pignus accepimus? Ex Chriſti paſſione Sanctorum colligenda eſt gloria: ex malis quæ pertulit Chriſtus, cognoſcenda ſunt bona, quæ Beatis meruit Chriſtus: ex pretio crucis taxandus eſt valor æternæ felicitatis, quæ multum ex ſeipſa commendatur & æſtimatur.

3. *Bonorum quorundam intolerabilis eſt magnitudo:* cujuſmodi eſt Beatorum gloria, quæ à mortalibus nequit perfectè cognoſci. Deum pro hoc ſtatu triplici viâ cognoſcimus: ſcilicet via relationis, eminentiæ, & negationis. His viis aliqualem poſſumus habere de cœleſti beatitudine notitiam. 1. Viâ relationis; nam ſi terrena bona quæ videmus, tanta ſunt, quanta ſunt cœleſtia bona, quæ non perſpicimus? *Si tales imagines in viſione, quales veritates in repræſentatione?* 2. Viâ eminentiæ; quid non reſervat Chriſtus Sanctis in cœlo, qui pro impiis etiam ſuum ſanguinem fudit? *Qui donavit impijs mortem ſuam, quid ſervat juſtis niſi vitam ſuam?* 3. Viâ negationis; quomodo æterna felicitas neque concipi, neque effari ab hominibus poteſt: nam *quæ lingua dicere, aut quis intellectus capere ſufficit, illa ſupernæ civitatis quanta ſint gaudia?*

Tert. l. de Pat. c. — Tert. l. de Cor. Mil. 15 — D. Aug. in Pſ. 148 — D. Aug. Ser. 181 de Temp.

Eloquentia res magnas ex parvis facere ſolitat, quæ adhuc inter homines videntur magna, ipſo adaugentur ſermone. Verùm quantumvis magna de gloria cœleſti, eloquentia loquatur, illius nunquam æquabit magnitudinem: *ſermone explicari non poteſt.* Multa locutus eſt Paulus de Angelorum ordinibus, quàm multa de prædeſtinatione, quàm multa etiam de myſteriis Angelis haud cognitis: verùm cùm de felicitate loquendum eſt, fatetur ſe *audiviſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Regius Vates multâ fuit intelligentiâ & eloquentiâ præditus: ei namque Deus revelavit occulta ſapientiæ ſuæ; attamen *quanta ſint ſupernæ civitatis gaudia ea enarrare non ſufficiens, clamabat: Quid mihi eſt in cœlo? quaſi diceret: Excedit vires meas, excedit facultatem eloquentia mea, tranſcendit capacitatem intelligentia mea illud decus, illa gloria, illa beatitudo.* Gloria cœleſtis eſt hominibus ineffabilis, quia eſt incomprehenſibilis. *Bona, quæ manent in regno Dei, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec ad cor hominis aſcenderunt.*

V. Beda in c. 1. Joan. — 2. Cor. 12 — D. Aug. Serm. 94 de Sanct. — Tert. l. de Reſ. 26

Oculi multa, eaque præclariſſima conſpiciunt, quidquid ſpectat ad mundi pulchritudinem, ſeculi pompam, objectum eſt oculorum. Verùm ſicut oculi definita locorum & temporum habent ſpatia, ita & objectorum: cùm homo nequeat eſſe præſens cunctis rebus quæ ſunt in univerſo, eas non valet intueri: & cùm ejus vita ad cuncta ſecula minimè ſe extendat, cunctorum ſeculorum nequit aſpicere pompam. Gloria verò cœleſtis cunctas res quæ ſunt in mundo, in pulchritudine ſuperat, & omnes ſeculi pompas in magnificentia præcedit. Nobiliores cognitiones captantur per aures, quàm per oculos; per auditum namque fidei habentur myſteria: attamen auris non audivit quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Quod corporeum non eſt, ſenſu corporeo concipi nequit: *Effugit omnem ſermonem, atque omnem ſenſum humanæ mentis illa gloria.* Magna ſanè eſt vis intellectûs, qui totam orbis magnitudinem

D. Cypr. de ſepar. Lapſ.

[Tert. Apol 21] brevi percurrit tempore: *momento ubique eſt*; imò mundos innumeros ſuâ velocitate tranſvolat: [Tert. l. ad Mart. 2] *totum hominem animus circumfert, & quò velit, transfert:* animus uti nec loco, nec tempore definitur; ita nullis finibus coarctatur: *Etſi corpus includitur, etſi caro detinetur, omnia ſpiritui patent.* Hoc ſuppoſito [Tertull.] Chriſtiane, *vagare ſpiritui, ſpatiare ſpiritu.* Finge quemcunque numerum, illum intellectus multiplicare poteſt: finge quamcunque magnitudinem, illam intellectus poteſt augere: finge honores, voluptates, divitias, aliaque ejuſmodi poſſibilia, impoſſibilia, vera, ficta, cuncta illa intellectus tranſcendit. At [Tertull.] *dum animo in cœlo eſt*, ultra non valet progredi, nec comprehendere gloriam, [D. Bern. de Côſid.] quæ in cor hominis non aſcendit: *Merces Sanctorum tam magna eſt, quòd non poteſt menſurari; tam copioſa, quòd non poteſt finiri; tam pretioſa, quòd non poteſt æſtimari.* [D. Aug. l. 22. Civ. 9] Totus quantus eſt intellectus, cœleſtē nequit perfectè attingere felicitatem. *Fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non comprehenditur.* [1. p q 23. a. 2. ad 4] Tanta videtur Angelico Doctori Sanctorum gloria, ut audeat dicere quòd Deus eam non poſſit facere majorem, quia beatitudinis perfectio ab ejus objecto deſumenda eſt: Deus qui eſt ſummum magnum, eſt felicitatis objectū; & ſicut non poteſt concipi aliquid majus ſummo magno, ita nec beatitudo major cœleſti felicitate. Deus eſt incomprehenſibilis, ineffabilis, & inæſtimabilis. [Tert. Apol. 17] *Ideò verus & tantus eſt, hoc eſt quod Deum æſtimari facit, dum æſtimari non capit*: ideò vera & tanta eſt beatitudo, quòd eam æſtimari facit, dum humanus intellectus eam ſatis æſtimare non valet, [D. Aug.] *acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.*

II PARS.

[Tert. l. de An. 55] *Nulli patet cœlum terrâ adhuc ſalvâ.* Quamdiu anima noſtra mortale informat corpus, & in terra degit, neque cœlum ingredi, neque cœleſti valemus felicitate potiri. Immortalem tamen poſſumus deſiderare beatitudinem: immò ad eam deſiderandam, 1. multiplex ratio nos ſtimulat. 2. deſiderata & comparata felicitas nullum faſtidium ingenerat. 3. comparata & poſſeſſa felicitas, cordis deſiderium perfectiſſime ſatiat.

[Tert. l. 1. adv. Marc. 25] 1. *Quæ voluntas ſine concupiſcentiæ ſtimulo eſt?* Concupiſcentia, quæ ex D. Hieronymo eſt vivacius deſiderium, aliquando eſt prava & culpabilis, interdum recta & laudabilis. [Côt Jov.] Prava & culpabilis, cùm ſceleroſa objecta ardenter deſiderat. etenim [Tert. l de Spect 14] *ſicut pecuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ; ita & voluptatis concupiſcentia eſt*; quomodo *concupiſcentiæ ſeculi damnantur,* [Tertull.] quia ad malum deſiderandum & concupiſcendum allicit, *non natura, non veritas, ſed vitioſa animi paſſio, concupiſcentia.* [Tert. l. 1 de cult. fœm. 8] Eſt autem recta & laudabilis concupiſcentia, cùm fertur in bonum, quomodo reperitur in Chriſto: *Chriſtus concupiit in hominis ſalutem:* [Tert. l. 1 adv. Marc.] quomodo concupiſcentiam agnoſcit Tertullianus in ipſomet Deo: *Concupiſcit Deus quæ digna ſunt ipſo*; quomodo eam Chriſtianis concedit Apoſtolus: [.. An.] *Si quis Epiſcopatum concupiſcit, bonum opus concupiſcit: & bonum opus dicens, rationalem concupiſcentiam oſtendit.* Hac concupiſcentiâ homo rationaliter Deum & cœleſtem beatitudinem concupiſcit. Cœleſtem ſponſum, Encomiaſtes ſponſa, deſiderabilitate commendat, qua velut arguta clauſula, ejus panegyrim definit; nam poſt multa ejus encomia

mia concludit: *Totus deſiderabilis, talis eſt dilectus meus.* Hebræa lectio habet: Cant. 5
Totus deſideria, ſeu, ut vult D. Hieronymus, *totus concupiſcentia.* Deſiderabi-
litate etiam commendatur æternæ felicitatis magnitudo, quæ cùm ſit tota
deſiderabilis, Chriſtianus totus debet eſſe deſideria. Etenim ex D. Auguſtino,
tota vita Chriſtiani ſanctum deſiderium eſt, quo beatam cœli gloriam antici-
pat. Tale enim *jus eſt deſideriorum*, cor velut è ſua detrahere ſede, illudque ad Tert. l. de Orat. 9
concupitum & expectatum transferre objectum, ut eo velut anticipatâ poſſeſ-
ſione potiatur. Hoc modo Chriſtus, qui ſemel crucifixus eſt, deſiderio mul-
toties crucis pertulit ſupplicium. *Certi ſumus in Dominum rationaliter decur-* Tert. l. de An. 16
riſſe concupiſcentivum, quo paſcha cum diſcipulis ſuis edere concupivit. Sic adhuc Tert. l. de
Chriſtiani ſperatam in cœlo beatitudinem deſiderant, & deſiderando & ſpe- Orat. 5
rando quodammodo amplexantur, *Feſtinantes ad ſpei noſtræ complexum.*

Plura ſunt quæ ad cœleſtem beatitudinem deſiderandam nos ſtimulant.
1. Cordis inclinatio, quæ ad cœlum naturaliter fertur. *Animam conveni cur* Tert. l. de Teſt. an. 6
ad cœlum conteſtatur, & ad terram deteſtatur. Ad terram deteſtatur, quia in
terra nequit uniri objecto quod deſiderat. Idcircò *nihil appetere, nihil jam* D. Cypr.
deſiderare in ſæculo poteſt qui ſæculo major eſt. Seu, ut vult D. Auguſtinus, negli- ep. ad Donat.
genda eſt palea, *hordeum deſideretur.* Per paleam ſæculi bona intelligit, per Serm 40
hordeum verò cœli bona. Quapropter ad cœlum anima conteſtatur, quia de Sanctis.
Deum, qui eſt felicitatis objectum, naturaliter exoptat: *Quemadmodum deſide-* Pſ. 41
rat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. 2. Ad deſi- Tert. l. de
derandum cœlum ſtimulat nos Apoſtoli adhortatio: *Ea quæ ſurſum ſunt ſa-* Reſ. 23
pite, non quæ deorſum. Duo à nobis expoſtulat Paulus. Unum, ut à terrenis D. Bern.
avellamus cordis deſideria, *ne præoccupatus terrenis deſiderijs animus ad æterna* Serm 6. de Aſcenſ.
parum idoneus inveniatur. Aliud, ut omne mentis ſtudium, & cordis affectum Phil. Jud.
ad cœleſtia feramus, quæ animus naturaliter deſiderat: nam *neceſſe eſt men-* l. de Fortuit.
tem illò tendere, quò deſiderio trahitur. 3. Chriſtiana diſciplina, quæ cœlum de- Tert. A-
ſiderare docet Chriſtianum, qui ob hanc cauſam *cœli diſcipulus* nuncupatur. pol. 47
Chriſtianus cœli non æſtuans deſiderio, ſed ad terram cor deprimens, *quo* D. Greg.
pretio ſit redemptus non meminit, qui ima quærit. Chriſtiana ſpes ſanguini Sal- Hom 31. in Evang.
vatoris innititur, quem depretiat qui terrenis inhiat, quem honorat qui poſt
cœlum anhelat: *qui enim optat, honorat.* 4. Facilis comparatio beatitudinis, Tert. l. de
ejus deſiderium ingenerat: impoſſibilia nemo niſi inſanus exoptat, poſſibi- Pœn. 6
lia & facilia homo ſapiens deſiderat. At *Chriſtiano cœlum antè patet, quàm*
via: quia nulla via in cœlum, niſi cui patet cœlum. Chriſtiano (cui peccatum Tertull. Scorp. 10
clauſerat cœlum, & qui naturæ viribus cœlum ſibi non poterat comparare)
duo præſtitit Chriſtus. 1. Cœlum aperuit: *Scito introitum in cœlum reſeratum* Tertull.
viribus Chriſti. 2. Poſt cœlum ſuâ morte reſeratum ſubminiſtrat Chriſtiano
Chriſtus gratiam, qua illius introitum valeat comparare, *ut ad ea capienda ſo-* Tert. l. de
la gratia divinæ inſpirationis operetur. 5. Oratio dominica ad deſiderandum Pat. 1
cœlum nos ſtimulat, in qua à Deo poſtulamus ut adveniat regnum tuum: *Imò* Tert. l. de
quàm celeriter veniat Domine, regnum tuum. Votum Chriſtianorum, qui cœlum Orat. 5
concu-

D. Cypr. Tract. de Or. Dom. concupiſcere Oratione dominicâ commonentur: *Concupiſcere docuit cœleſtia per hoc quod dictum eſt: Adveniat regnum tuum.* Quid avidius, quid hiantius concupiſcentiâ? cœleſtis autem regni felicitas tam potenter ad ſe mortalium rapit animos, ut vel ejus mentio, & deſiderii adhortatio à Cypriano concupiſcentia nuncupetur. 6. Beatitudinis magnitudo ad eam deſiderandam animum inflammat: nam *tantò major fit concupiſcentia, quantò magnificit quod concupivit.* Tanta eſt autem cœli gloria, quòd comparata nullum faſtidium ingenerat.

Tert. l. de cult. fœ. 8

Tert. l. de An. 28 2. Pythagoræ amentiam quis non ſtupebit, *cui tanti fuit faſtidium cœli?* Stultus revera eſt, cui cœleſtia bona diſplicent. *Stultitia laborat faſtidio ſui.*

Senec. ep. 9. Terrenorum diu deſiderata poſſeſſio tædium generat, vertitur in faſtidium,

Sap. 4 eſtque pœnaliſſimum deſideriorum ſupplicium. Nam, ut ait Sapiens: *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum.* Vehementia paſſionis judicium rationis pervertit, illuſio ſenſuum decipit deſideria, dum ad temporalium poſſeſſionem accendit. Etenim concu-

Caſſio. tr. de Amic. piſcentia *dum poſt rei deſideratæ obtentum majori ſe ſentit indigentiâ laborare, præoptata faſtidire, & denuò in alterius rei ſuccenditur appetitus.* Concupiſcentia, boni ſpecie, terrena deſideria colorat; verùm nauſea & faſtidium, quod ex

Richard. Vict. tract. de ſtatu. 10 poſſeſſione naſcitur, punit & caſtigat deſiderium. *Omnia flumina in mare feruntur, & omnis aqua dulcis in amaram mutatur, quia oblectamentum in faſtidium vertitur, & omnis delectatio carnis in amaritudine terminatur.*

Aliter diſſerendum eſt de cœleſti beatitudine, quæ *jucunditate ſui excitat*

Euſeb. Emiſſ. Homil. 3. de Epiph. *appetitum, ſed non facit de ſatietate faſtidium.* Beati namque, qui Deum poſſident, *ipſam cœleſtium bonorum ſitim bibunt.* Quod ipſemet aſſeverat Deus; *Qui bibunt me, adhuc ſitient.* Ad quod alludens Hugo Card. duo loca Scri-

Eccleſ. 24 Cap. 18 pturæ, quæ contraria videntur, conciliat: nam Matthæus aſſeverat, quòd *Angeli in cœlis ſemper vident faciem Patris;* Petrus verò aſſerit, quòd videre Deum

1. Pet. 1 Angeli concupiſcunt: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Si vident, quomodo videre deſiderant; & ſi videre deſiderant, quomodo vident? *Cur cernere deſiderant, cujus faciem nunquam cernere ceſſant? niſi quia contemplatio divinæ præſentiæ ita Angelos beatificat, ut & ſemper vitæ gloriâ ſatientur, & ſemper ejus dulcedinem, quaſi novam inſatiabiliter eſuriant?* Licèt Angeli Deo continuò fruantur & ſatientur aſpectu, attamen cùm illa viſio ſemper ſit quaſi nova, ipſorum augeſcit deſiderium, deſiderantque magis ac magis Deum intueri, quaſi eum nunquam vidiſſent. Eodem ferè modo illam difficultatem enoda Gregorius Magnus: *Deum Angeli vident & videre deſiderant, & ſitiunt*

L. 8. Mor. 20 *intueri & intuentur. Ne autem ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur; & ne ſit in ſatietate faſtidium, ſatiari deſiderant, & deſiderant ſine labore: quia deſiderium ſatietas comitatur: & ſatiantur ſine faſtidio, quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur.* Poſſeſſa igitur cœleſtis beatitudo nullum ſui faſtidium ingenerat, ſed omne cordis deſiderium perfectiſſimè ſatiat.

3. Philippus Macedo convocatis undique majoris notæ Philoſophis, ſciſci-

ſciſcitatus eſt ab eis, quænam eſſet in mundo res major. Reſpondit primus, Olimpus mons, qui ultra mediam aëris regionem verticem attollit. Secundus, protulit mare, quod amplitudine ſuâ univerſam ferè ambit terram. Tertius, Solis magnitudinem propugnavit, qui ſuper terram & mare lucis ſuæ effundit radios. Quartus, in gratiam cordis humani propoſitam ſolvit quæſtionem: & hic verè ratiocinatus eſt. Siquidem cor humanum tantæ eſt capacitatis, ut cuncta mundi bona nequeant ejus ſatiare deſiderium. *Cor parvum eſt, & magna cupit, vix ad unius milvi refectionem ſufficere poſſet; & totus mundus ei non ſufficit.* Nec ejus deſiderium niſi ſummo bono repleri poteſt, juxta illud Regii Vatis: *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Quare homini ait ipſemet Deus: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Ut autem expendit D. Auguſtinus, debet intelligi *non os corporis, ſed os cordis: os verò cordis non eſt aliud quàm deſiderium cordis.* Qualis quæſo cordis magnitudo, quæ nonniſi Deo infinito poteſt repleri? quanta Beatorum felicitas, quorum deſideria perfectè ſatiantur in cœlo? quàmvis eorum gloria non ſit æqualis: *Aut quomodo multæ manſiones apud Patrem, ſi non pro varietate meritorum? quomodo ſtella à ſtella diſtabit in gloria, niſi pro diverſitate radiorum?*

H. g. Vict. l. 3. de an. Pſ.102

Pſ.80

Tertull. Scorp.6

Verùm inde non parva exurgit difficultas: nam cùm omnes homines ſint ejuſdem ſpeciei, eodemque naturali deſiderio ferantur in Deum, quomodo qui minori felicitate fruuntur, poſſunt ſatiari: cùm minus non habeant deſiderium, quàm illi qui majori potiuntur gloriâ? Huic dubio reſpondent communiter Doctores, beatitudinem commenſurari meritis, juxta quæ largitur Deus lumen gloriæ, & habitum charitatis, quæ intellectum & voluntatem elevant, ut Deum videre & amare poſſint. Idcircò quilibet Beatus, *quantumcunque deſiderare poterit, tantum eſt accepturus.* Homo totam Dei majeſtatem comprehendere nequit, unde ſeſe in cœlo attemperat Deus Beatorum capacitati & merito: *Attemperat ſe ad vires eorum, quos dignatur ſuâ benevolentiâ, & pro cujuſque portione moderatur ſuam gratiam.* Quod explicat Cæſarius Arelatenſis exemplo panis Angelici, quo Iſraëlitas ſatiabat Deus in deſerto: *Iuxta percipientis deſiderium eſca illis novitas & dignitas naſcebatur.* Aliâ comparatione utitur D. Proſper: *Sicut enim corporalis ſaturitas omnes ſaturos æqualiter habet, quàmvis ſinguli cibum non æqualiter, ſed pro poſſibilitate perceperint: ita omnes Sancti etſi fuerint aliquâ graduum ſuorum diverſitate diſtincti, unâ beatitudine perfecti erunt; quia & unâ perfectione Beati ſaturi ſunt.* Ex D. Auguſtino Beati ſunt adinvicem tantâ charitate conjuncti, quòd unuſquiſque eſt gradu ſuæ beatitudinis contentus, nec ſuperiorem deſiderat: eo modo, quo in corpore quodlibet membrum alterius membri non percupit dignitatem. *Nec in corpore vult oculus eſſe qui eſt digitus, cùm membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.* At cur nõ volet amplius? quia ejus voluntas conformis erit voluntati divinæ: quapropter *nulli ſuperiori ullus inferior invidebit, ſicut nunc non invident Archangelis Angeli.* Unuſquiſ-

D. Bern. in Alleg. Nov. Teſtam.

Phil. Jud. l. de Opif. Mund.

Hom.7. in Paſch.

L.1 de Vi. contempl.

L.22. Civ. 30

D. Aug.

Tert. l. adv. Valent. 12 Tert. l. de Mon. 10 In Pſ. 32 que erit ſuâ felicitate contentus: *facti omnes quod unuſquiſque*; imò unuſquiſque de aliorum felicitate lætatur: *Ergo qui cum Deo erimus, ſimul erimus, dum omnes apud unum Deum: licèt merces varia, licèt multa manſiones apud Patrem eundem.* Scholaſticorum prætereo argutias, adhortans Chriſtianum cum D. Auguſtino: *Deo ſolo beatus eris, hunc ſolum deſideres, & quæras.*

III. PARS Tert. l. 3 adv. Marc. 23 *Et utique portam cœli non nominâſſet, ſi cœlum non aditur apud Creatorem.* In vanum exiſtimandam nobis propoſuiſſet Deus æternæ felicitatis magnitudinem, in vanum ingenerâſſet cordibus noſtris beatitudinis deſiderium, fruſtrà ſuo ſanguine Chriſtus cœli aperuiſſet januam, niſi media, quibus adipiſcenda eſt beatitudo, demonſtrâſſet. Verùm quia Deus nihil facit in vanum, *conſuluit de æterna vita conſuetudine*, & tria potiſſimum proponit media, quibus poteſt conſequi beatitudo, quæ nuncupatur, 1. corona: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* 2. margarita: *Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventâ autem unâ pretioſâ margaritâ dedit omnia ſua, & comparavit eam.* 3. merces: *Voca operarios, & redde illis mercedem*; & ita conſequi volens beatitudinem, debet agere perſonam, vel 1. militis, quia *non coronabitur niſi qui legitimè certaverit*; vel 2. negotiatoris: *Negotiamini dum venio*, ait Chriſtus; vel 3. operarii: *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* 1. Fulgens autem illa corona eſt certaminibus & victoriis comparanda. 2. Pretioſa illa margarita negotiationibus eſt acquirenda. 3. Merces illa opulenta eſt meritis & operibus adipiſcenda.

Tert. l. 4 adv. Marc. 2.

Tert. l. de Cor. Mil. 12 Tert. Apol. 48 1. *Igitur & homo ipſe à Deo coronandus*, modò ſtrenuè decertet, & de ſuis hoſtibus reportet victoriam. Nam *ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam vivendi in æternum.* Tria ſunt, quæ milites ad fortiter pugnandum inducunt. 1. Regia majeſtas, pro cujus honore totis viribus præliari debent. 2. Præſentia Regis, coram quo dimicant. 3. Magnitudo coronæ victoribus propoſitæ. Hæc tria Chriſtianos ad ſtrenuè dimicandum ſtimulant. 1. Honor Dei, cujus ſunt milites: *Nos & milites ſumus, & quidem majoris diſciplinæ, quantò tanti Imperatoris*, pro cujus gloria decertare debemus. 2. Præſentia Dei, qui prælio præſidet, arma ſuppeditat, & victori coronam decernit. *Proinde vos benedicti, bonum certamen ſubituri eſtis, in quo agonothetes Deus vivus eſt, epyſtates veſter Ieſus Chriſtus, xyſtarches Spiritus ſanctus*: & quia, ut ait Tertullianus, *majora certamina majora ſequuntur præmia.* 3. Corona victoriæ urget Chriſtianos ad egregiè pugnandum. Quænam quæſo eſt illa corona? *Corona æternitatis, gloria in ſecula ſeculorum.* Inde Timotheum, & cum eo quemlibet Chriſtianum hortatur Apoſtolus: *Certa bonum certamen, apprehende vitam æternam.* Græca verſio habet: *Agoniza pulchrum agonem*, & ſic pulchrè, & viriliter certando apprehendes vitam æternam.

Tert. l. de exh. caſt. 10 Tert. l. ad Mart. 3 L. ad Scap. 4. Tert. l. ad Mart. 3 1. Timot. 6.

Alludere videtur Paulus ad athletas, quos & ante agonem, & in ipſo agone conſiderat Tertullianus; ante agonem ſtrictiore victu, & pœnali labore

ad certam... e præparant, ut evadant fortiores. *Nempe enim & athletæ ſegregantur ad ſt...iorem diſciplinam, ut robori ad.ſi ando vacent ; continentur à luxuria, à c. bu lautioribus, à potu jucundiore, coguntur, cruciantur, fatigantur; quantò in exercitationibus laboraverint, tantò plus de victoria ſperant.* Sic ante agonem per duriora quæque athletæ præparati , in ipſo agone fortiter dimicant, neque injurias aut vulnera ullatenus formidant: *Pyctes ipſe non queritur, dolere ſe non vult, corona premit vulnera, palma ſanguinem obſcurat : plus victoria tumet, quàm injuria. Hunc tu laſum exiſtimabis, quem vides latum ?* Bellè dicitur quòd victor tametſi corpore lacer & propè exanguis , dolere ſe non vult: nam corona glorioſè ſtringens tempora, medicè premit vulnera ad nobilem ſanitatem : palma muto prodigè effuſo ſanguine comparata, dum ſuî umbrâ ſanguinem obſcurat , illum præclariſſimè clarat præclarâ nobilitate, quæ de fama æternitatem fœnerat : *Sed quantum livores illi & cruores, ac vibices negotiantur, intendis coronas ſcilicet, & gloriam, & dotem, privilegia publica, ſtipendia civica, imagines, ſtatuas, & qualem præſtare poteſt ſeculum, de fama æternitatem, de memoria reſurrectionem.* Hoc exemplum proponit Chriſtianis Tertullianus , ut ante agonem ad præliandum per duriora ſe præparent, & in ipſo agone fortiter dimicent : Chriſtus Dominus *voluit nos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione ſeponere , ut vires corroborarētur in nobis.* Ut autē nos inducat ad ſtrenuè in ipſo agone pugnandum, argumentatur Tertullianus à minori ad majus : Si pro corona corruptibili adeò ſtrenuè athletæ dimicabant , qualis debet eſſe Chriſtianorum animus, qui pro corona immortali præliantur ? *Et illi ut coronam corruptibilem conſequantur, nos æternam conſecuturi.* Si athletæ famæ causâ tot & tanta toleraverunt, ſi coronæ floribus compoſitæ acquirendæ gratiâ ſanguinem fuderunt, vulnera ſuſceperunt, & mortem ipſam libenter paſſi ſunt: quid non ſuſtinere debent Chriſtiani pro interminabili gloria, pro qua omnis labor & dolor eſt alacriter tolerandus ? *Reputo non dignas eſſe paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ in nobis habet revelari, & hîc minora oſtendit incommoda præmijs ſuis.* Omnes quas in ſeculo ſuſtinemus paſſiones, non ſolùm quatenus humanæ & temporales ſunt , ſed etiam quatenus ex gratia & charitate fiunt, non ſunt adhuc propriè & adæquatè ad tantam gloriam condignæ. Licèt enim quandam cum illa habeant proportionem, non habent tamen æqualem dignitatem. Quænam enim poteſt eſſe condignitas & æqualitas inter terrenam & temporalem paſſionem, & cœleſtem & æternam beatitudinem ? *Preſſuras enim & læſuras, quibus corrumpitur homo exterior, ut leves & temporales idcircò contemnendas affirmat : præferens mercedum æternarum inviſibilium & gloriæ pondus, in commendationem laborum, quos hîc caro patiendo corrumpitur.* Beatitudinem opponit paſſionibus pro ea comparanda toleratis : nam 1. Paſſiones ſunt leves, *gloria æterna pondus habet, hoc eſt, magnitudinem excellenter excellentem.* 2. Paſſiones temporales & momentaneæ ſunt ; beatitudo eſt interminabilis & æterna. *Suſpice ingrata fragilitas ad ineffabiles mi-*

Margin: l. ad Mart. 3. — Tertull. Scorp. 6 — Tertull. — l. ad Mart. 3. — Tert. l. ad Mart. 3 — Tert. l. de Reſ. 39 — Tertull. — Theophylact. — Euſ. Emiſ. Hom. 3. ad Mon.

accendit, amor vero ad objectum amatum captandum media quærit. Sicut è contra qui cœlum non cogitant, cœlum non æſtimant, ut patet in Epicuro cui ſol pedalis tantum apparet. *Sed & Epicurus qui dixerat, Quæ ſupra nos nihil ad nos, cùm & ipſe cœlum conſpicere deſiderat, ſolis orbem pedalem deprehendit.* Tert. l. 2. ad Nat. 4.
Cur autem Epicurus ad cœlum non reſpexit? quia curvatum ad terram habebat animum: *Semper terram intuetur qui curvus eſt.* Greg. Animalem & terrenum hunc Philoſophum ſic pungit D. Bernardus: *Non pudet te corpore cælum ſuſcipere: & mente in terra vergere: caput ſurſum, & cor habere deorſum?* Mag hom 31. in Evang.
Quam multi ſunt hac tempeſtate Epicuri ſectatores, quos *terræ filios jactitamus*: quia cœlum nullo modo recogitant, & cœleſtia non recogitantes ad inſtar Iſraelitarum *pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem?* Tert. l. 2. ad Nat. 12. Pſ. 105.

Redeuntes exploratores, ad indagandam terram promiſſionis miſſi, dixerunt filiis Iſrael: *Vidimus terram valde opulentam & uberem: nolite negligere.* Chriſtiani *cæleſtes homines* & cœli negotiatores cœleſtem beatitudinem cognoſcentes & æſtimantes, ut pretioſam illam margaritam acquirere valeant, diligenter laborare tenentur. Nam ut ait Euſebius Emiſſenus: *Ille tantorum munerum repromiſſor non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, recuſat coactum, reſpuit indevotum.* Rejicit otioſum illum operarium tanquam denario diurno indignum, *non vult Deus bona ſua nimia inveniendi facilitate viliſcere*, ſed exoptat ut Chriſtianus in terra ſtrenue laboret, antequam labores manuum ſuarum in cœlo valeat manducare. *Labores manuum tuarum quia manducabis.* Inidonee loqui videtur Propheta: non enim manducamus labores fructuum, ſed fructus laborum: *debuit enim dicere fructum laborum tuorum manducabis. Multi enim manducant fructum laborum ſuorum: laborant in vinea, ipſum laborem non manducant, ſed quod de labore ipſorum naſcitur, manducant.* Hoc dubium ingenioſe proponit & acutius ſolvit D. Auguſtinus, *Modo labores fructuum, poſtea fructus laborum: labores fructuum tuorum manducabis, beatus es & bene tibi erit: Beatus eſt de præſenti: bene tibi erit, de futuro eſt. Cum manducas labores fructuum tuorum, beatus es: cum perveneris ad fructum laborum tuorum, bene tibi erit: nam ſi bene tibi erit, utique beatus eris: & ſi beatus eris, bene utique tibi erit.* De cœleſti fœlicitate expendit adhuc Prophetam Iſidorus: *Quod proinde eſt ac ſi diceret, Vos qui ſanctæ atque honeſtæ vitæ curam geritis, ipſius fructus comedetis, immortalibus ſcilicet coronis à Deo coronati.* Utinam eodem impetu quo ad vitia feruntur homines, quæ eos ducunt ad infernum, ſeſe ad virtutes quæ cœlum acquirunt, præcipitarent. Ad malum ſiquidem proni ſunt, & ſine adnixu ad iniquitatem currunt: quare Job de homine nequam ſic fatur: *Levis eſt ſuper faciem aquæ;* quia ut D. Thomas elucidat, *videtur impio propter impetum concupiſcentiæ ſuper aquam & ſuper quamcumque difficultatem leviter tranſire poſſe, ut ad rei concupitæ fruitionem perveniat.* Adeo veloci curſu ad vitia evolat impius, ut nulle obice retardetur. Symmachus velocitatem adauget, legens

Tertull. Scorp. 10. — Hom. 3. ad Mon. — Euſeb. — Pſ. 127. — D. Aug. — L. 1. Ep. 414. — Cap. 24.

gens

Tert. l. de gens *ſupernatans aquæ*; præ velocitate curſus haud pede tangens terram.
Ani. 10. *Quemadmodum incedunt quædam ſine pedibus, manante impetu, quod angues; & inſurgente conatu, quod vermes, & ſpumante reptatu, quod limaces.* Sic impii concupiſcentia adeo præceps ad vitia fertur, ut non modo lubricam piſcium velocitatem, levem ferarum celeritatem, ſed & vermium & anguium & ſerpentium impetum, & abſque pedibus curſum imitetur. Verum ſceleroſus Chriſtianus qui innato impetu ad vitia currit, torpet ad virtutem, & lento adeo gradu ad cœleſtem patriam properat, ut vix bravium curſitantibus pro-
Gen. 29. poſitum attingat. Jacob pro Rachel quatuordecim annis ſervivit Laban, & videbantur dies pauci præ amoris magnitudine: Chriſtianus à fortiori cœlum deſiderans & amans; toto vitæ tempore læto animo Deo ſervire debet, quia
D. Greg. *ad magna præmia niſi per magnos labores perveniri non poteſt*; Ut enim ait
Hom. 37. Tertullianus; *Porro ſi fidei propterea congruebat ſublimitatis & claritatis ali-*
in Evang. *qua prælatio; tale quid eſſe oportuerat illud emolumenti, quod magno conſtaret*
Scorp. 6. *labore.* D. Auguſtinus velut mercatorem repræſentat Deum, qui beatitudi-
In Pſ. 93. nem venalem præbet: *Venale eſt quod habeo, dixit tibi Deus, Eme illud. Quid habes venale? Requiem, inquit, venalem habeo. Quanto labore digna eſt requies, quæ non habet finem? Æterna requies æterno labore recte emitur: digna eſt quidem emi labore perpetuo, ſed neceſſe eſt labore temporali ematur; non quia non valet tanti, ſed ut poßideatur quod emitur.* At quanto tempore durabit hic labor? *Non dicit, decies centena millia annorum labora: non dicit, vel mille annis labora; ſed dum vivis, inquit, labora in paucis annis,* ſcilicet breviſſimo vitæ
Cæſ. Arel. ſuæ tempore: *Gratias agentes illi qui ita diſpenſavit utramque vitam, ut labo-*
hom. 1. *rum tempora cito finiantur, præmiorum vero ſine fine durarent.* D. Hieronymus
Ep. 15. proſpiciens labores hominum ad terrena bona percipienda exclamat: *Quantis ſudoribus hæreditas caſſa expetitur! minori labore margaritum Chriſti emi poterat.*

Tertull. Negotiatio inter vendentes & ementes initur: Bonus negotiator ſolet *ipſa*
Scorp. 6. *erogari quæ lucrifiant*; Verum quidquid poſſimus erogare Deo, pro gloria
D. Aug. in cœleſti; *pretium damus quodammodo unam ſiliquam, ad recipiendos theſauros*
Pſ. 93. *ſempiternos.* Quatuor autem potiſſimum modis hujuſmodi theſauri comparari poſſunt. 1. Per paſſiones & cruciatus pro Deo & Religione conſtanter
Lib. ad toleratos: ad quod alludit Tertullianus alloquens Martyres: *Et ſi aliqua ami-*
Matth. 2. *ſiſtis vitæ gaudia, negotiatio eſt aliquid amittere, ut majora lucreris.* 2. Per repudium ſæculi: quomodo religioſi renuntiant honoribus, voluptatibus, & fa-
Phil. 3. cultatibus, ut cœlum facilius conſequantur: *Omnia arbitratus ſum ut ſtercora,*
Salv. l. 4. *ut Chriſtum lucrifaciam.* 3. Per eleemoſynas quæ largiuntur egenis: *vile eſt*
ad Eccleſ. *enim quod datur, ubi tam grande eſt quod accipitur.* 4. Per labores: nam *pre-*
D. Aug. in *tium illius labor eſt.* Addit autem S. Auguſtinus: *Omne opus leve fieri ſolet, cum*
Pſ. 93. Ep. 43. ad *ejus pretium cogitatur: & ſpes præmij ſolatium eſt laboris.* Æterna autem mer-
Demet. ces juſtitia & bonis operibus comparatur.

Tert. l. de 3. *Gaudete & exultate, merces enim veſtra plurima eſt in cœlo.* Chriſtianis
Pat. 11. adultis

adultis propoſita beatitudo, merces nuncupatur, quia eſt virtutis præmium. Chriſtianos Deus ut ad bene operandum alliceret, beatitudinem eis ſub præmii titulo proponit. *Doctrinam ſuam non ſub ſpecie mandatorum atque exhortationis inducit; ſed ſub præmiis beatitudinum: ut ſcilicet ſermonem ipſum faceret gratiorem.* Neque enim bene meritus merum accipit beneficium, ſed juſtam retributionem, quia exolvitur illi debitum. Quod Theodoricus rex eleganter Caſſiodoro dixit: *Macte vir fœlicitate laudabili, qui ad hanc vocem dominantis animos impuliſti, ut bonorum tuorum potius fateremur eſſe quod dedimus.* Chriſtus etiam æternam juſtis largiturus beatitudinem, eorum recenſebit & commendabit in ultimo judicio merita: quia *boni Iudicis eſt, beneficia quidem hominum largius prædicare & amplificare.* Hoc modo jus ad beatitudinem firmatur, hoc titulo juſtis æterna debetur fœlicitas. Apud homines facile ceſſat beneficium datum non merenti: *Non firmis radicibus nititur amor indebitus: & cito ad examen reducitur quidquid gratiæ aura ſubripuit.* Quod vero meritis nititur, firmius ex hac parte ſolidatur, & diutius perſeverat. Idcirco Chriſtus propalat Sanctorum meritis æternam deberi beatitudinem: quaſi meritorum magnitudo ſit gloriæ ſecuritas & beatitudinis æternitas. Beatitudo nunquam ceſſabit: verum ſi ex aliquo capite eſſet ceſſatura, id eveniret defectu meritorum, & ideo proponuntur & exaggerantur à Chriſto merita beatorum, ut æterna beatitudo illis danda, etiam hoc titulo, æterna ſit & diutius perſeveret.

D. Chryſ. hom. 15. in Matth. — L. 1. Var. Ep. 3. — Orig. in Cat. D. Thom. — Ennod. l. 4. Ep. 11.

Ad opus autem æternæ fœlicitatis meritorium tria concurrunt: 1. Gratia ſanctificans, quæ eſt principium meriti: 2. Voluntas gratia adjuta, quæ eſt principium operis liberi & vitalis: 3. Acceptatio divina, quam fidelis Deus *ſpe promiſſionum* declarat. His operibus meritoriis debetur; & quo quis majora habet merita, majori gaudet beatitudine: *Pro differentia enim mercedum, operum quoque diſtantia credenda eſt.* Qui meritis ſunt deſpoliati, non habent jus ad gloriam, quia Deus *non reliquit nobis honorem tantum ſine conditionibus*: conditiones autem adultis oppoſitæ, ſunt merita, ſine quibus cœleſtis non datur merces. Homines quidem Deus *amavit qui vocaverat in ſalutem invitare, & ad gloriam.* Eoſdem adhuc vult beatos Chriſtus pro quibus mortuus eſt; quia tamen Deus ſub conditione meritorum, mercedem offert, & Chriſtus promittit: ut eam nobis largiatur, appoſitas conditiones expectat, *donec conſummatio rerum, reſurrectionem omnium plenitudo mercedis expugnat tunc appariturа cœleſti promiſſione promulgata, ad quam aſcenſum ſuum Chriſtus ædificat in cœlis, utique ſuis, ubi eſt locus æternus.* De quo Iſaias: *Quis annuntiabit vobis locum æternum, niſi Chriſtus incedens in juſtitia, loquens viam rectam, odio habens injuſtitiam & iniquitatem?* Juſti meritis ditati in via ſanctitatis incedentes, cœlum merentur, juxta iſtud Sapientis: *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.* Crimmoſi vero à cœleſti excluduntur regno. Audiatur hac ſupra re Apoſtolus. *An neſcitis? quia iniqui*

Tertull. Scorp. 15. — Tert. l. 4. adv. Marc. 24. — D. Chryſoſt. — Tert. l. de Bapt. 10. — Tert. l. 4. adv. Marc. 34. — Cap. 10. — 1. Cor. 6.

inqui regnum Dei non poßidebunt? Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt. Soli juſti qui ratione gratiæ habent intra ſe regnum Dei, poſſunt eſſe cœleſtis regni participes. Ut enim ait D. Auguſtinus; *regnum cœleſte ô homo aliud non quærit pretium quam teipſum, tantum valet quantum es tu, te da & habebis illud. Quid turbaris de pretio? Chriſtus ſemetipſum tradidit ut acquireret te in regnum Deo Patri, ita & temetipſum da, ut ſis regnum ejus; ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, ſed ſpiritus in acquiſitione vitæ.* In his in quibus regnat peccatum Deus non regnat: illi vero in quibus non regnat Deus per gratiam regnare non poſſunt in cœlo per gloriam: illi vero in quibus regnat Deus per gratiam, regnant in cœlo per beatitudinem æternam.

Scr. 37. de Sanct.

CARO

CARO.

SCHOLIUM.

In hoc Tractatu conſideranda ſunt Carnis 1. *Sublimia*; 2. *Humilia*: 3. *Vtilia*; 4. *Noxia*. 5. *Merita*: 6. *Demerita*.

CONCIO PRIMA.

Tert. l.de Reſ.2.adv. Marc.

Lib. de Reſ.car.5.

DEpretiantibus carnem, Hæreticis ſcilicet, *ipſam etiam carnis indignitatem, quanta amaritudine poſſunt perorantibus*, reſpondendum eſt. Nec efficacius poſſunt retundi, quam carnis prædicando dignitatem: juxta Tertulliani monitum: *Vituperationem laudatione repellas*. Ut autem hominis nobilitas deſumenda eſt: 1. ab illuſtribus natalibus: 2. à glorioſis affinitatibus: 3 à ſublimibus dignitatibus; ita carnis dignitas mutuanda eſt, 1 à magnitudine principii, à quo ſuam deſumpſit originem; 2. à gloria eorum, quibuſcum contraxit affinitatem: 3. à ſublimitate officiorum, quorum accepit dignitatem.

I. PARS:

Tert. l.de Reſ.car.4.

Lib. de Reſ.car.6.

Oſores carnis eam potiſſimum dedignantur, ob originem quam à limo ſeu terra deſumit. *An aliud prius vel magis audias tam ab Hæretico quam ab Ethnico, & non protinus & non ubique convitium carnis in originem?* Verùm, ut bene animadvertit Tertullianus; *Nunc etſi ſcandalum limus, alia jam res eſt: carnem jam teneo, non terram: Licet caro audiat, Terra es & in terram ibis, origo recenſetur, non ſubſtantia revocatur; datum eſt eſſe aliquid origine generoſius, & demutatione felicius: Nam & aurum terra, quia de terra; hactenus tamen terra, ex qua aurum; longe alia materia ſplendidior atque nobilior, de obſoletiore matrice. Ita & Deo licuit carnis aurum, de limi quibus putas ſordibus, excuſato cenſu eliquaſſe.* Quantumvis ſit deſpicabilis limus ſeu terra, de qua ſuam caro ſumpſit originem; viliſſimum tamen illud lutum, eſt Dei contractu nobilitatum, maximeque glorioſum apparet conſideranti, quod 1. à Deo producitur:

2. Dei ingenio & cura producitur: 3 ut Chriſti venturi effigies & pignus producitur.

1. A Deo artifice ſumpſit originem Caro. Inde taxandam ejus dignitatem merito cenſet Tertullianus: *Incipiat jam tibi caro placere, cujus artifex tantus.* Certe ad limi gloriam, de quo hominis formata eſt caro, ſufficit dicere, quod ſit Dei opus: quæcumque namque materia fuiſſet à Deo aſſumpta, eſſet multum profectò à tali opifice nobilitata. Siquidem magnam illi contuliſſet Deus dignitatem, & eam eligendo, & eam tractando. *Cum etſi alia materia excudendo homini competiſſet, artificis faſtigium recogitari oporteret, qui illam & eligendo dignam judicaſſet, & tractando feciſſet.* Artificis dignitas largitur operi dignitatem; Deus cujus eſt infinita dignitas, architectatus eſt limũ, de quo formata eſt caro; ideoque attendenda non eſt originis vilitas, ſed ſuprema tanti opificis dignitas. Quod exemplo explicat Tertullianus. *Phidia manus Iovem Olimpium ex ebore molita adorantur, nec jam beſtia & quidem inſulſiſſima dens eſt, ſed ſummum ſæculi numen; non quia elephantus, ſed quia Phidias tantus.* In ſtatua à Phidia formata, duo erant diſtinguenda, materia ſcilicet & forma; Ratione materiæ vileſcebat, ratione formæ venerabatur ob artificis dignitatem, Inde à minori ad majus philoſophatur Tertullianus: Si Phidiæ opus quamvis ex materia viliſſima, magno habitum fuit in honore, propter opificis meritum, tantò magis Dei opus eſt nobilitandum, quantò ſupremus ille artifex, cunctos in univerſum artifices in dignitate antecedit: *Deus vivus & Deus verus, quamcumque materiæ vilitatem non de ſua operatione purgaſſet, & ab omni infirmitate ſanaſſet, an hoc ſupererit, ut honeſtius homo Deum, quam hominem Deus finxerit?* Sane plus accepit honoris opus à Deo factum, præſertim cum in eo formando ingenii ſui adhibuerit curam.

2. Carnem belle nuncupat Tertullianus, *Manuum Dei operam, ingenij ſui curam.* Quid illuſtrius pro gloria carnis poteſt dici, quam quod ejus cura ſit negotium ingenii Dei? Ingenioſum opus caro eſt, in quo fingendo & elaborando, ingenii ſui curam adhibuit Deus. *Perſequar itaque propoſitum, ſi tamen tantum poſſim indicare, quantum contulit ille qui eam fecit, jam tunc gloriantem quod illa puſillitas limus in manus Dei quæcumque ſunt pervenit; ſatis beatus etſi ſolummodo contactus; quid enim ſi nullo amplius opere, ſtatim figmentum de contactu Dei conſtitiſſet? adeo magna res agebatur, qua iſta materia extruebatur.* Magnam de ſolo Dei contactu, limus ex ſemetipſo vilis, mutuatus eſt dignitatem: Deus tamen ut illum adhuc glorioſum magis redderet, in eo fingendo fuit totus occupatus. *Itaque totiens honoratur quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, providentia, & ipſa imprimis affectione.* At cur Deus qui ſolo verbo cætera produxit, tanto ſtudio, tantaque cura, carnem architectatus eſt? quia limus ille tanta ſollicitudine figulatus *lineamenta ducebat* Chriſti, cujus erat effigies.

3. Nam ut proſequitur Tertullianus, *quodcumque limus exprimebatur; Chriſtus*

Tert. l. de Reſ. car. 5.
Tertul.
Tert. l. de Reſ. 6.
Tertull.
Tert. l. de Reſ. 9.
Tert. l. de Reſ. car. 6.
Tert. ib.
Tert. ib.

ſeus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & caro ſermo, quod & terra nunc. Deus hominis figulans carnem, attendebat ad Chriſtum hominem futurum; formando hominis caput, ad Chriſti reſpiciebat caput, in ſemetipſo dicens: Tale erit Chriſti caput; fingens oculos, ad Chriſti oculos reſpiciebat, dicens; ejuſmodi erunt oculi Chriſti; & ſic ſingula humani corporis formans membra, ad ſingula Chriſti attendebat membra. *Ita limus ille jam tunc imaginem induens Chriſti futuri in carne, non tantum Dei opus, ſed & pignus*: ſcilicet humanationis & corporationis Filii Dei, qui verus homo futurus erat, veram aſſumpturus carnem, qua cum hominibus converſaretur, humane operaretur, genuſque humanum redimeret media carne, quæ mirum in modum ex affinitate cum Verbo divino nobilitatur.

Viderit quem juvat de carne gloriari. Si de ſuis affinitatibus homines gloriantur, nonne caro de affinitatibus quas contrahit, poteſt gloriari? Dei unitatem, & ratio demonſtrat, & fides docet. Divinitatem tamen, tum animæ rationali, tum Angelo, tribuit Tertullianus: quovis autem modo ianius eis competat honoris titulus; caro mirè nobilitatur ex affinitate cum trina divinitate: cum 1. divinitate animi: 2. divinitate Angeli: 3. divinitate Verbi.

II. PARS.
Tert. l. 2. de Cult. fœm 3.
Lib. de vel Virg. 5
Lib. de Reſ. car. 5.

3. *Habes & limum de manu Dei glorioſum, & carnem de afflatu Dei glorioſiorem, quo pariter & limi rudimenta depoſuit, & animæ ornamenta ſuſcepit.* Carnis gloria deſumitur, tum à Deo artifice, qui eam de limo formavit: tum ab anima, quæ eſt forma ſubſtantialis, quæ eam informat. Filium Dei nuncupat S. Zeno Veronenſis, *paterni corporis nobilem inquilinum.* At ex Tertulliano, *Domus animæ, caro eſt; & inquilinus carnis, anima.* Filius in paterno ſinu reſidens, paternæ ſplendor eſt gloriæ. *Hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quod proximam Deo continet.* Quod multiplici exemplo elucidat Afer. *Non es diligentior Deo, uti tu quidem Scythicas & Indicas gemmas, & rubentis maris grana candentia; non plumbo, non ære, non ferro, ne argento quoque oblaquees: ſed electiſſimo & inſuper operoſiſſimo deſcrobes auro: vinis item & unguentis pretioſiſſimis quibuſque vaſculorum prius congruentiam cures: proinde perfectæ ferruginis gladiis vaginarum adæques dignitatem: Deus vero animæ ſuæ umbram, Spiritus ſui auram, oris ſui operam, viliſſimo alicui commiſerit capulo, & indigne collocando utique damnaverit.* Quaſi dicat: Non minorem curam habebit Deus de animæ dignitate, quam homines de pretioſis, vel vaſis; vel unguentis; vel unionibus. Pretioſis gladiis, pretioſas vaginas aptant homines; pretioſa unguenta non infundunt niſi in vaſa convenientia; uniones, non æri, vel ferro, vel argento, ſed auro duntaxat inſerunt. Non abſimiliter Deus animam rationalem niſi carni nobili & dignæ concatenabit. *Collocavit autem an potius & immiſcuit carni: tanta quidem concretione, ut incertum haberi poſſit, utrumne caro animam, an carnem anima circumferat: utrumne animæ caro, an anima appareat carni; ſed & magis animam invehi atque dominari credendum eſt, ut magis Deo proximam.* Anima & caro tam intima connectuntur unione, ut ſubſtantiale ex illis reſultet compoſitum Anima quidem nobilior carne; tum

Tert. l. de Reſ. 7.
Serm. 1 de Gener. Fili
L. de An. 38.
Tert. l. de Reſ. 8.

quia Deo proximior; tum quia forma nobilior eſt corpore quod informat: anima tamen etſi digniſſima, ornamentum mutuatur à carne. Quamobrem poſtquam Tertullianus docuit, quod in baptiſmate, cum Spiritu ſancto, ſanctum contrahit connubium, addit ſtatim: *Sequitur animam nubentem ſpiritui caro, ut dotale mancipium.* Venuſta ſane metaphora, digna ut ab eodem repetatur: *Nam etſi animam quis contenderit ſponſam, vel dotis nomine, ſequetur animam caro. Non enim anima proſtituta, ut nuda ſuſcipiatur à ſponſo: habet inſtrumentum, habet cultum ſuum carnem.* Cum itaque anima ſit ſponſa Spiritus ſancti, caro etiam ſequitur animam, vel dotis nomine, vel tanquam inſtrumentum quo agit, vel tanquam ſupellex; vel tanquam cultus & ornatus ejus. Sponſa, à dote commendatur, à ſupellectile ditatur, ab ornatu venuſtatur. Dos, ſupellex, & cultus animæ, caro eſt; qua & opulentius dotatur & cultius ornatur, ut digne Spiritui ſancto nubat. Sic nobilior anima de ipſa carne nobilitatur, & caro de animæ affinitate gloriatur. Cujus adhuc gloria augeſcit ex affinitate quam habet cum Angelo.

Lib. de An. 41. — L. de Reſ. Car. 63.

2. Binam agnoſcit Tertullianus inter Angelos & carnem affinitatem. Unam ante Verbi divini humanationem, cum in humana forma manifeſtati ſunt: non quod Angelorum natura in humanam ſit converſa naturam; ſed quia apparuerunt in corpore humano ex aere compacto. Etenim *conſtat Angelos carnem non propriam geſtaſſe, utpote naturæ ſubſtantiæ ſpiritualis.* Angeli, qui ex ſua natura ſunt puri ſpiritus, & intelligentiæ totales, (ad differentiam animæ rationalis, quæ licet ſit ſpiritualis, eſt tamen pars eſſentialis hominis;) hominibus apparuerunt non in vera ſed phantaſtica tantum carne. Ut enim ait Tertullianus; *quia & Angeli aliquando tanquam homines fuerunt, edendo & bibendo & pedes lavacro porrigendo:* Alteram affinitatem adhuc agnoſcit Tertullianus inter Angelos & carnem, poſt reſurrectionem ſcilicet, cum Beatorum caro erit angelificata. Magna ſane carnis dignitas, quod ejus ſuperficiem aſſumpſerint Angeli, & in ejus ſpecie apparuerint hominibus. Sed ſumptuoſius adhuc carnis elogium, quod homines carne induti, ſint aliquando in Angelos reformandi. Tantum honorem in memoriam revocat Tertullianus: *Ut nunc recordemur ejus eſſe promiſſum homines in Angelos reformandi quandoque, qui Angelos in homines formarit aliquando.* Nam licet Beatorum corpora propriam non amittant naturam, habitum tamen ſuſcipient angelicum. *Ab hinc enim definimus carnem quidem omnimodo reſurrecturam, atque illa ex demutatione ſuperventura, habitum angelicum ſuſcepturam.* Ea eſt dignitas quam mutuatur caro ex affinitate cum angelo, quæ incomparabiliter incrementatur ex affinitate quam habet cum Verbo divino.

Tert. l. de Car. Chr. 6. — Lib. de Reſ. 62. — L. 3. adv. Marc. 10 — Tert. l. de Reſ. 43.

3. Marcionitæ ſunt *aſpernati carnem, ſicut & ipſum Dominum carnis*, veram Chriſto denegantes carnem. In illos hæreticos inſurgunt Doctores Catholici, *carneum atque corporeum probantes Chriſtum.* Chriſtus eſt verus Deus & verus homo; at *non diceretur homo Chriſtus ſine carne.*

Tert. l. 1. de Reſ. 2. — Tert. ib. — Tert. l. de Car. Chr.

Conſtat

Conſtat namque *hominem carnis animæque texturam*, cùm ex utraque eſſentialiter componatur. Chriſtus conſiderari poteſt in nativitate, in vita, & in morte, & ubique carneus & corporeus eſt. In nativitate: tenemur *credere in Deum natum, & quidem ex virgine, & quidem carneum.* In vita: carneus apparuit; *Sermo enim vitæ caro factus, & auditus, & viſus, & contrectatus, quia caro, qui ante carnem ſermo tantùm, in primordio apud Deum Patrem.* Niſi habuiſſet carnem, neque viſus, neque auditus, neque contrectatus fuiſſet. Tandem in paſſione & morte carneus; quare ſic Marcionem urget Tertullianus: *Sed jam hinc reſponde interfector veritatis, nonne verè crucifixus eſt? nonne verè mortuus, ut verè crucifixus? nonne verè ſuſcitatus, ut verè ſcilicet mortuus? Sed hæc quomodo in illo vera erunt, ſi ipſe non fuit verus? ſi non verè habuit in ſe quod figeretur, quod moreretur, quod ſepeliretur, & reſuſcitaretur? Carnem ſcilicet ſanguine ſuffuſam, oſſibus ſtructam, nervis intextam, venis implexam, quæ naſci & mori novit?* Tert l de Reſ. 34 Tert. l. de Car. Chr. 4. Tert. l. adv. Prax. 15 Tert. l. de Car. Chr. 5.

Suppoſitâ veritate carnis in Chriſto, pro carne glorioſius nihil excogitari poteſt. Nullus honor profectò comparandus eſt cum honore, quem à divino Verbo accepit caro. Quapropter dilectus diſcipulus in primo Evangelii capite, carnis conſummavit encomium, dicens: *Verbum caro factum eſt.* In laudem Beatiſſimæ Virginis decantat Joannes Damaſc. *Gloria luti noſtri, & humana natura venuſtas.* Multum quidem decoratur caro à Dei Matre, ſed multò magis ab ipſomet Deo honoratur, qui eam ſibi deſponſavit: *At enim Chriſtus amavit & carnem ſicut Eccleſiam. Quantum honoris carni datur in Eccleſiæ nomine? Nonne non diliget imaginem quoque ſponſæ, imò & ſervabit illam, & honorabit, & coronabit.* Honorata, coronata, & deificata eſt caro à Verbo divino. Nam ſicut filia ignobilis deſponſata Regi, Regina conſtituitur, & in ſolio regio collocatur: ſic caro Verbo deſponſata *habet honoris conſortium*, ad ſolium ipſiuſmet Dei ſublimatur. *Sepoſita carnis injuria ad Dominum pertinentis.* Themyſtius Euphrata terræ ſuæ adulans principi, ait: *Locum barbarum atque inſuavem unius viri probitas delubrum fecit.* Quod falſo Orator ille blanditur homini, verè adulandum eſt Deo, qui ex carne ſacravit *Dei templum*, qui carnis vilitatem & ignominiam in honorem & gloriam commutavit. *Luſerit ante Chriſtum caro, imò perierit antequam à Domino ſuo requiſita eſt, nondum erat apta officio ſanctitatis; at ubi ſermo Dei deſcendit in carnem, & Sermo caro factus eſt, exinde caro quæcunque in Chriſto reliquas ſordes priſtinas ſolvit, alia jam res eſt:* à Verbo namque ejus ſponſo ſanctificata fuit, ad ſummum honorem ſublimata, & præcipuis dignitatibus decorata. Tert. l. 5 adv. Marc. 18 Tertull. Tert. l. 2 ad Uxor. 3 Orat. 19 Tert. l. de Reſur. 44 Tert. l. de Pud. 6

Carnis *dignitates* prædicat Tert. multiplici namque ſplendet dignitate, ſed trinâ potiſſimum coruſcat dignitate. 1. Regum. 2. Sacerdotii. 3. Martyrum. III. PARS L. 1. de Reſur.

1, Magna dignitas Regis, qui eſt *omnibus major, ſolo vero Deo minor.* Carnem vocitat Deus *molitionis ſuæ reginam*, quæ animam *& ipſius dominationis compotem præſtat.* Etenim ob carnem homo univerſi conſtitutus eſt Monarcha: Angelus nobilior eſt homine, eſtque adhuc Dei imagine inſignitus, non Carn. 10 Tert. l. ad Scap. 2 Tert. l. de Reſur. Carn. 7

 ſecus

ſecus ac homo : Angelo tamen non demandavit Deus hujus mundi dominium, ſed homini, quia Angelus eſt merè ſpiritualis, homo vero ex anima ſpiritali & corpore conſtat, & ratione corporis aſſimilatur rebus univerſi corporeis. Debet namque eſſe aliqua ſimilitudo, proportio, & convenientia inter Regem & ſubditos. Idcircò carnem Deus *molitionis ſuæ reginam* nuncupat ; quia per eam homo mundi habet imperium, & anima dominationis conſors efficitur; quia, ut proſequitur Tertullianus ; *Porrò ſi univerſa per carnẽ ſubjacent animæ, carni quoque ſubjacent: per quod utaris, cum eo utaris neceſſe eſt. Ita caro dum miniſtra & ſamula animæ deputatur, conſors & cohæres invenitur.*

Tert. l. de Pall. 4
2. Magna eſt equidem regia dignitas: ſed *ſuper omnes apices Sacerdos ſuggeſtus*, id eſt, ſacerdotalis ornatus. *Ne mihi narres purpuram, neque diadema : majus eſt & mirabilius ipſo regno Sacerdotum principatus.*
D. Chryſoſt. 5. de Verb. Eſa.
Eis namque dignitas regia non deeſt; quare eorum miniſterium, *regale ſacerdotium* vocatur ab Apoſtolorum principe : & ob eandem cauſam *Sacerdotes coronantur*, quoniam corona eſt inſigne Regum.
Tert. l. de Cor. Mil. 10.
Sacerdotes Reges ſunt, ſed nobiliori modo quàm Principes terræ. Hi ſupra ſubditorum corpora dominantur, illi verò imperium exercent ſuper animas. Tale ac tantum eſt munus ſacerdotale, ut ei dignitatis culmen deferat martyr Ignatius :
Epiſt. 10
Sacerdotium eſt omnium bonorum quæ ſunt in hominibus apex. Sacerdotem ſuper omnem dignitatem mundanam ſublimat Innocentius Pontifex, & medium inter Deum & hominem collocat : *Sacerdos inter Deum & hominem medius conſtitutus, circa Deum, ſed ultra hominem: minor Deo, ſed major homine.* Plus audet S. Dionyſius, & omnem humanam tranſcendens dignitatem, Sacerdotem velut quid divinum contemplatur :
De Eccleſ. Hier. 2
Qui Sacerdotem dicit, auguſtiorem prorſuſque divinum inſinuat virum. Divinus quippe Sacerdos ob duplex miniſterium, quod ſapit divinitatem. Unum eſt, facere Deos, conferendo hominibus gratiam in pœnitentiæ Sacramento: *Sacerdos Deus eſt, deoſque efficit.*
Gregor. Taum. in c. 1. Apoc.
Alterum, conſecrare Corpus & Sanguinem Chriſti in ſacroſancto Euchariſtiæ myſterio: *Mira poteſtas, felix exercitium, ubi tractat Sacerdos Dei filium.*
D. Aug. Conc. 2. in Pſ 36
Duplici hac poteſtate carent Angeli quia carent carne: utrâque potiuntur homines, quia carne conſtant. Cui attribuenda ſunt hæc Tertulliani verba: *Plus es illis, quàm Sacerdos; cùm per te habeant Sacerdotem.*
L. de Idol. 6.
Anima ſola Sacerdotali non fungitur munere, ſed homo carne conſtans. Quam *religionis Sacerdotem* appellat Tertullianus, quia per eam homo ſacerdotali fulget dignitate.
L. de Reſur. Car. 9

Tert. l. de Reſur. Car. 9
3. Eam adhuc vocat Deus *teſtimonij ſui militem*, quia pro eo decertat, ejuſque veritatem & cultum ſuo ſanguine & ſuâ morte teſtatur: quæ eſt tertia dignitas, ad quam hominem evehit caro, quæque tanta videtur D. Auguſtino, ut ei ſuper cunctas Eccleſiæ dignitates deferat principatum :
In Pſ 67
Martyres in Eccleſia primum locum tenent, atque apice ſanctæ dignitatis excellunt. Eodem modo ratiocinatur Clemens Alex. Martyrum *Conſummationem* appellans: quia à conſummata procedit dilectione, quæ *hominem Martyrem excudit.*
Stro. 4
Conſummatam hanc dilectionem demonſtrat homo mediâ carne: *cum pro nomi-*
Tertull. Scorp. 6

nis

nis fide in medium extracta, & odio publico expoſita decertat; cum in carceribus maceratur teterrimo lucis exilio, penuriâ mundi, ſqualore, pædore, contumeliâ victûs, ne ſomno quidem libera: quippe ipſis etiam cubilibus vincta, ipſiſq; ſtramentis lancinata: cùm jam & in luce omni tormentorum machinatione laniatur: cùm denique ſuppliciis erogatur, eniſa reddere Chriſto vicem moriendo pro ipſo, & quidem per eandem crucem ſæpè, ne dum per atrociora quæque ingenia pœnarum. Tam glorioſum eſt pro Deo pati & mori, ut Angeli exoptarent habere corpora, quæ pro Dei honore ſupplicia tolerarent: & ſi beati illi ſpiritus eſſent livoris capaces, inviderent hominibus illam patiendi pro Deo felicitatem. Heraclitus aſſeverat apud Clementem Alexandrinum, quòd dii & homines honorant eos, qui in juſto cadunt certamine. Sicut nullum adeò juſtum eſt certamen, ac illud in quo generoſi Martyres pro Dei honore præliantes occubuerunt: ita nulli milites tantoperè honorantur, ac Martyres; nam *honorata eſt apud Deum mors religioſorum ipſius, quæ in ipſo aditur ex teſtimonio religionis, & prælio confeſſionis pro juſtitia & ſacramento.* Illorum animas in cœlo præmiat Deus interminabili beatitudine, corpora verò à fidelibus in terra magna cum pietate venerantur: *Vt hinc intelligatur, in quali honore ſecum habeat animas occiſorum, quando caro exanimis tanto affectu divinitatis coronatur.*

Tert. l. de Reſur. 8

Strom. 6

Tertull. Scorp. 8

D. Aug. Ser. de S. Vincent.

CONCIO SECUNDA.

C*Vm ex hac duplicis ſubſtantiæ congregatione homo confectus ſit*, in ſemetipſo defert tum nobilitatem animæ, tum vilitatem carnis. Quod probè cognoſcens Gregorius Naz. in hæc admirationis verba prorumpit: *Illi iidem maximi ſumus, & abjectiſſimi; temporales, & æterni; terreſtes, & cæleſtes; lucis heredes, & caliginis. Ad quamcunque partem vergimus, talis eſt conditio noſtra.* Admirabilis ſanè mixtura lucis & caliginis, æternitatis & temporis, gloriæ & dedecoris, ſublimitatis & humilitatis, cœli & terræ, quæ nobis competit ratione ſpiritûs & carnis. *Ex interpretatione enim figurata carnis & ſpiritûs, nos ſumus cœlum & terra*: & ita ſimul & ſemel ſumus ſpirituales & carnales, immortales & mortales, cœleſtes & terreſtres, magni & parvi, honoratiſſimi & abjectiſſimi. Honoratiſſimi ratione animæ ſpiritalis, quæ Dei defert imaginem; abjectiſſimi ratione carnis, 1. vilis & terrenæ. 2. triſtis & ærumnoſæ. 3. humilis & demiſſæ.

Tert. l. de Pœn. 3.

Adhort. l de paup. ad Monach.

Tert. l. de Orat. 4

I. PARS.

Etiam affinis terræ caro noſtra. Neque tantùm terræ affinis humana caro, ſed etiam terrena, & terram redolens: in triplici namque ſtatu conſiderari poteſt. 1. In ſua origine, dum producitur. 2. In ſua exiſtentia, quandiu vitâ potitur. 3. In ſua defectione, dum corrumpitur: & ubique terram ſapit: 1. In origine, ſeu ortu. 2. In vita, ſeu occurſu. 3. In defectione, ſeu interitu.

Tert. l. adverſus Herm. 29

1. *Caro terrena materia eſt*: quia ſuam à terra accepit originem. Hæc veritas

Tert. l. 1 ad Ux. 4

tas adeò eſt communis, ut & nota ſit Chriſtianis, & etiam Gentilibus pateat: *Ipſum quoque corpus noſtrum, quod de limo figulatum, etiam ad fabulas nationum veritas tranſmiſit, utriuſque originem elementi confitetur, carne terram, ſanguine aquam.* Terrenus globus aquam ſimul cum terra complectitur; humana caro figulata fuit ex luto, terra, & aqua compacto. *Nam ipſius quoque hominis figulandi opus ſociantibus aquis abſolutum eſt. De terra materia convenit, non tamen habilis niſi humecta & ſuccida, quam ſcilicet ante quartum diem ſegregatæ aquæ in ſtationem ſuam ſuperſtite humore limo temperârant.* Inter elementa infimum locum occûpat terra, & univerſi adhuc ſordibus contaminatur. *Quo nunc facit ad infuſcandam originem carnis, nomen terræ ventilare ut ſordentis, ut jacentis elementi?* Suas terra vilitates & ſordes communicat carni. *Immunda à primordio ex facibus terræ, immundiori deinceps ex ſeminis ſui limo.* Immunditias, quę humanę carnis conceptum & ortum conſequuntur, refert Tert. *Perora, age jam ſpurcitias genitalium in utero elementorum, humoris & ſanguinis fœda coagula carnis ex eodem cœno alendæ per novem menſes.* Ejuſmodi ſpurcitiæ terrenas ſordes redolent, & carnem terrenam demonſtrant, non ſolùm in ortu, cùm producitur, ſed etiam in occurſu, dum vitâ fungitur.

Tert. l. de Car. Chr. 9. — Tert. l. de Bapt. 3 — Tert. l. de Reſurr. Car. 6 — Tert. l. de Reſurr. car. 4 — L. de Car. Chr. 4

2. *Omnis materia ſine teſtimonio originis ſuæ non eſt, etſi demutetur in novam proprietatem.* Nam elementa remanent in mixto, præſertim elementum prædominans; in humana carne prædominatur terra, & ob hanc cauſam in ſuo occurſu terram præ ſe fert. *Quid caro, quàm terra converſa in figuras ſuas? Conſidera ſingulas qualitates, muſculos ut glebas, oſſa ut ſaxa, etiam circum papillas calculos quoſdam; aſpice nervorum tenaces connexus, ut traduces radicum; & venarum ramoſos diſcurſus, ut ambages rivorum; & lanugines ut muſcos, & comam ut ceſpitem, & ipſos medullarum in abdito theſauros ut metalla carnis. Hæc omnia terrenæ originis ſigna & in Chriſto fuerunt.* Pungit Tertullianus Apellem Marcionis diſcipulum, qui Chriſto cœleſtem carnem tribuebat. Hunc hæreticum ſic inſequitur: *Quid dicis cœleſtem carnem, quam unde cœleſtem intelligas non habes? quid terram negas, quam unde terrenam agnoſcas, habes? Eſuriji ſub diabolo, ſitiji ſub Samaritide, lacrymatus eſt ſuper Lazarum, trepidavit ad mortem, ſanguinem fudit poſtremò. Hæc ſunt opinor, ſigna cœleſtia: ſed quomodo contemni & pati poſſet, ſi quid in illa carne de cœleſti generoſitate radiâſſet? Ex hoc ergo convincimur nihil in illa de cœlis fuiſſe, propterea ut contemni & pati poſſet.* Ex paſſionibus & contumeliis, quas paſſus eſt Chriſtus, rectè colligit Tertullianus ejus carnem eſſe non cœleſtem, ſed terrenam: quod ita eſt certum, ut ratione utenti evidenter pateat. Nam *tacentibus apud nos quoque Prophetis, & ignobili aſpectu ejus, ipſæ paſſiones, ipſæq; contumeliæ loquuntur. Paſſiones quidem humanam carnem, contumelia verò inhoneſtam.* Hæc omnia, quæ Chriſtum verum demonſtrant hominem, *terrena teſtimonia carnis ſunt, ut & noſtra*, quæ in occaſu in terram reſolvitur.

Tert. l. de Car Chr. 9. — Tert. ib. — L. de Car. Chr. 9 — Tert.

3. *Vbique convitium carnis, in originem, in materiam, in caſum, in omnem exitum*

Tert. l. de Reſ. 4

exitum ejus. Carnis deſtitutionem fides docet, ratio demonſtrat, & experientia teſtatur. Illam fides docet; fide etenim *carnis defectionem agnoſcimus.* Tert. l. de Reſur. 2
Illam ratio demonſtrat; nam quod generatur inter creaturas, obnoxium eſt Tert. l. de
morti. *Mutuum debitum eſt inter ſe, nativitati cum mortalitate.* Illam experientia Car Chr.
tia teſtatur; quia *regnum mortis nihil operatur, quàm carnis diſſolutionem.* Huic 6.
regno ſubduntur omnes in univerſum homines, cujuslibet ſint conditionis. Tert. l. de Reſur. 49
Quia teſtacea eſt caro ſecundùm originem, in limo deſtruetur. Mixta reſolvuntur Tert. l. de
in elementa ex quibus componuntur, ex terra formata eſt hominis caro, in Reſur 43
terram redeat oportet. *Habet & caro receſſus ſuos, in aquis, in ignibus, in altilibus, in beſtiis; cùm in hæc diſſolvi videtur, velut in vaſa transfunditur: ſi etiam ipſa vaſa defecerint, cùm de illis quoque effluxerit, in ſuam matricem terram quaſi per ambages reſorbetur.* Quod unum ſufficere debet ad expellendam ex hominum mentibus ſuperbiam, quod intendit Eccleſia ipſorum capitibus imponens cineres, ut memoriam retineant: *Carnis poſt totum ignobilitatis elogium, caduca in originem terram, & cadaveris nomen: & de iſto quoque nomine peritura, in nullum jam inde nomen, in omnem jam vocabuli mortem.* Tert. l. de Reſur. 63; Tert. l. de Reſur. 4

Talis eſt exitus carnis vilis & terrenæ, triſtis, moleſtæ, & ut fatur Tertullianus, *frivolæ, infirmæ, moleſtæ.* Loquitur de carne vitâ potienti, quæ eſt 1. frivola, quia multis indiget. 2. moleſta, quia miſeriis ſubjacet. 3. infirma, quia morbis & ægritudinibus ſubeſt. II. PARS. L. de Reſur. 4

1. *Carnis neceſſitatem* agnoſcit Tertullianus, quia indiget cœli motibus ad temporis menſuram, ſiderum luminibus ad viſum, igne ad calefactionem, aëre ad reſpirationem, aquâ ad navigationem, terrâ ad ſuſtentationem, fructibus ad nutritionem, animantibus vel ad ſubjectionem, vel manducationem, vel veſtem, hominibus ad auxilium, vel ſocietatem, vel converſationem: Angelis ad protectionem, Deo ad converſationem, & ut uno verbo loquar, *Caro in penuria mundi*; quia ita eſt inops & egena, ut omnibus indigeat; ita moleſta, ut pluribus incommodis ſubjaceat. L. de Pud. 16. Tert. L. de Pat. 13

2. *Etenim qui ſumus in iſto tabernaculo corporis, ingemiſcimus quòd gravamur.* Tot miſeriis obnoxius eſt homo carne gravatus, ut ſæpè ſæpius fundat lacrymas. Ejuſmodi incommoda præſentit infans in ipſo nativitatis momento: *Mentior ſi non ſtatim infans, ut vitam vagitu ſalutavit, hoc ipſum ſe teſtatur ſenſiſſe atque intellexiſſe, quòd natus eſt.* Lacrymulæ illæ à naſcente infante emiſſæ ſunt augures, & ominantur miſerias, quibus homo toto vitæ decurſu mancipatus eſt. Plus eſt, *quod de proſpectu lacrymabilis vitæ, quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur; quo etiam præſciens habenda ſit ab ingreſſu nativitatis, nedum intelligens.* Nullus quippe eſt homo, qui obnoxius non ſit fami, ſiti, calori, frigori, laſſitudini, mœrori, dolori, totque ac tantis miſeriis, ut ad eas exprimendas Solon hominem vocitet *meram calamitatem*, quas omnes patitur homo ratione carnis *moleſtæ.* Tertull. Tert. l. de An. 19 Tertull. Clem. Alex. Strô.

3. Adde, & *infirmæ*: quia ægritudinibus & morbis vexatur, quod cuidam Marcionitæ exprobrat Tertullianus: *At nunc & ſebricitas Marcionita, & cæ-* L. 5. adv. Marc. 24

teros tribulos & ſpinas dolor carnis tuæ tibi edit : nec fulminibus tantùm, aut beſtijs, aut peſtibus, alijſq; plagis Creatoris, ſed & ſcorpijs ejus objectus, in quo te putas liberatum de regno ejus, cujus te muſcæ adhuc calcant. Tot ac tam diverſos homo patitur morbos, ut vix enumerari poſſint. Nonnullæ ſpecies dignoſcendæ ſunt ex Chriſti curatione: (Tert. l. de Car. Chr. 4) *Chriſtus carnem ab omni vexatione reſtituit, leproſam emaculat, cæcam perluminat, paraliticam redintegrat, dæmoniacam captat, mortuam reſuſcitat.* Cunctas in univerſum ægritudines perſentit homo ratione carnis infirmæ. (Tert. l. de Teſt. an. 4) Cùm *nihil mali ſentire poſſit, ſine carnis paſſionalis facultate*, à carne paſſionali patitur, & adhuc à carne demiſſa dejicitur.

III. PARS

(Tert. l. de Cor. Mil. 14) Homo defert *humilitatis ſuæ ſarcinam*, carnem ſcilicet humilem, & humiliantem, quæ 1. hominem belluis inferiorem reddit. 2. animam rationalem aggravat, & deprimit. 3. Chriſtum infra Angelos dejicit.

(Tert. l. de Car. Chr. 4.) 1. *Horres utique & infantem cum ſuis impedimentis profuſum, utique & oblitum.* Non horrore, ſed compaſſione dignus eſt naſcens infans, tot involutus incommodis, ut quaſi oblitus à natura videatur. Ideòque nonnemo de ea meritò conqueritur: quia cùm aliis animantibus providentiſſima fuerit mater, homini ſoli noverca extiterit. Nam pulli gallinæ, perdicis, vel coturnicis, mox ut ex ovo ſunt egreſſi, ſibi alimenta quærunt; infans verò ſibi ad victum neceſſaria nequit comparare. Agni, hinnuli, vituli, equi, expediti naſcuntur: ſtatim namque ac in lucem ſunt editi, curſitant, ſaltant; infans verò (Tert. ibid.) natu recens, immobilis exiſtens *pannis dirigitur*. Aves breviſſimo tempore venuſtantur plumis, catuli vellere, juba, crinibus teguntur; homo verò toto vitæ decurſu remanet nudus, & ab aliis animantibus mutuatur indumenta, quibus veſtiatur. Quinque ſenſibus utitur homo, cæterorum tamen animalium ſenſitivam non attingit perfectionem; nam eum ſuperat aquila in viſu, lupus in auditu, canis in olfactu, avis in guſtu, ſimia in tactu. Cætera animantia in ſemetipſis habent arma, quibus ſe tueantur, & ſuos adhuc aggrediantur hoſtes; nam munita ſunt vel roſtris, vel unguibus, vel dentibus, vel cornibus: homo ex ſe nulla habet arma, quibus ſe defendat. Tot incommodis, indigentiis, infirmitatibus, & miſeriis addictus eſt homo ratione carnis, (Tert. l. de Reſ. car. 8) *ſubſtantiæ frivolæ ac ſordidæ.*

(Tert. l. de Reſur. 4) 2. *Oneroſa* adhuc, tum quia animam cœleſtem ad ima deprimit: *tam enim corpus homo, quàm & anima:* anima autem deprimitur *ex corporis importuna ſocietate*; (Tert. l. de Reſur. 32) tum quia animam rationalem à ratiocinatione impedit. Anima à carne in ſuis operationibus dependet: (Tert. l. de An. 58) neque enim velle poteſt abſque prævia cognitione; quia nihil volitum, quin præcognitum: neque valet intelligere abſque operatione ſenſuum; quia nihil eſt in intellectu, quod prius non (Tert. l. de An. 53) fuerit in ſenſu. *Sed interim animam conſepto ſuo obſtruit, & obſcurat, & concretione carnis infœcat; unde illi velut per corneum ſpecular obſoletior lux rerum eſt.* (Platonem in Chaſmide imitatur, qui corneum ſpecular vocavit carnem. Uterque alludit ad portas corneam & eburneam ſomniorum apud Homerum.) Tum quia animam ſpiritalem intra ſemetipſam velut in carcere detinet:

net.: *Corpus iſtud Platonicâ ſententiâ carcer.* Tum maximè caro animæ gravis & oneroſa videtur, quia eam à Domino cogit peregrinari.: *Scientes quòd cùm immoramur in corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim incedimus, non per ſpeciem.* Quandiu intra corpus occluditur anima, Deum nequit intuitivè videre; ut eum valeat intueri, ſit ſeparata oportet. Et ita *manifeſtum eſt, hoc quoque pertinere ad infuſcationem carnis, quaſi ſeparantis nos à Domino, & Chriſtum adhuc infra Angelos dejicientis.* Tert. l. de An. 53 Tert. l. de Reſur. 43 Tert. ibid.

3. Evangeliſta Joannes, *Verbum caro factum* conſignavit, denotans ſummam Chriſti humilitatem. *Scriptura ut Chriſti humilitatem magis oſtenderet, carnem pro homine poſuit.* Caro eſt vilior pars hominis, & unionis divinæ indignior: hanc tamen non dedignavit Dei Filius, ſed ſibi in Incarnatione hypoſtaticè univit, & ita *Chriſtus omni ſe humilitate dejecit.* Divinum Verbum potuit aſſumere carnem non à terra formatam: conſtat tamen *Chriſtum terreni censûs induiſſe carnem*; & ſic Dei Filius ſupremus Angelorum Dominus *infra Angelos diminutus, dum homo fit: quia caro & anima filius hominis.* Angeli ſunt ſpiritales, cœleſtes, & immortales, multò nobiliores homine compoſito ex carne terrena, materiali, & mortali: Dei Filius ut ſe infra Angelos dejiceret, elegit mortalem carnem. *Etiam paſſiones humanas, & ſitim, & eſuriem, & lacrymas, & ipſam nativitatem, ipſamq; mortem erat ſubiturus: propter hoc minoratus à Patre modicum quid citra Angelos.* Hæc Chriſti demiſſio tanta videtur Tertulliano, ut præ ſtupore exclamet: *Ergo Dei Filius intantum humilitatis exhauſtus.* Quod ſi Verbi divini majeſtas ex unione cum carne fuit velut exhauſta, nonne homo de ſemetipſo debet humiliter ſentire, deferens in ſua natura humiliationis illicium: *Humiliatio tua in medio tui*; caro ſcilicet vilis & terrena, frivola, moleſta, infirma, humilis, & demiſſa. Idcircò ne homo (in quovis ſit dignitatis gradu conſtitutus) altè ſapiat; ſed ut humiliter ſentiat, nuncupatur caro. *Quid eſt autem homo aliud, quàm caro?* Tert. l. de Car. Chr. 20 D. Aug. ep. 20. ad Honoratum. Tert. l. de Car. Chr. 4. Tert. l. de Car. Chr. 16 Tert. l. de Car. Chr. 14 Tert. l. adv. Prax. 16 L. de Car. Chr. 15 Marc. 24 Tert. l. 1 adv. Marc. 24

CONCIO TERTIA.

A Deo autem non ſola anima tranſigit vitam. Cùm homo ſit ex anima & carne compoſitus, ejus vita tum ab anima, tum à carne dependet: *Caro res eſt alterius ſubſtantiæ, & alterius conditionis, addicta tamen animæ in officia vitæ.* Homo trinam poteſt ducere vitam: humanam & rationalem, politicam & civilem, chriſtianam & fidelem. Trinæ huic vitæ neceſſaria eſt caro. Neceſſaria 1. vitæ humanæ & rationali. 2. vitæ politicæ & civili. 3. vitæ chriſtianæ & fideli. Tert. l. de Reſur 15 Tert. l. de An. 4

Atque adeò totum vivere animæ, carnis eſt. Triplicem vitam homini largitur anima: vegetantem ſcilicet, ſentientem, & rationalem. Ad triplicem illam vitam neceſſaria eſt caro. Neceſſaria ad vitam vegetantem; nam mediâ I. PARS. Tert. l. de Reſur. 7

carne homo vegetat & augeſcit : neceſſaria ad vitam ſentientem; nam per
Tert. ib. carnem anima ſentit. *Quid ni? per quam omni inſtrumento ſenſuum fulta eſt, viſu, guſtu, odoratu, contactu.* Tandem neceſſaria ad vitam rationalem; nam
Tert. l. de Reſur. 15 homo ratiocinari nequit ſine carne. *Sed etſi in cerebro, vel in medio ſuperciliorum diſcrimine, vel ubi Philoſophis placet, principaliter ſenſuum conſecrata eſt, caro erit omne animæ cogitatorium.* Vita tum vegetans, tum ſentiens, communis eſt homini, & cæteris animantibus : vita rationalis eſt illi propria, importatque tria, quibus à belluis diſcriminatur : nempe rationem, ſermonem, & operationem. His tribus, quæ vitam rationalem ſpectant, neceſſaria eſt caro. Neceſſaria 1. ad ratiocinandum. 2. ad loquendum. 3. ad humanè operandum.

Tert. l. de An. 1 1. *Conſiſte in medio anima; hominem facis animal rationale.* Rationalitas eſt differentia eſſentialis, quâ homo in ſua natura conſtituitur, & à belluis irrationabilibus diſtinguitur. Rationalitatem habet homo non à carne, ſed ab a-
Tert. l. de Car. Chr. 10 nima, quæ cùm ſit rationalis, ipſum efficit rationalem: *Puto autem magis hominem animal ſolum rationale, & animam eſſe ſortitum, quæ illum facit animal rationale, ipſa imprimis rationalis.* Verùm quàmvis anima ſine carne hominem faciat rationalem, in homine tamen abſque carne nequaquam valet ra-
Tert. l. de Reſ. 15 tiocinari. Ita enim in ratiocinando à carne & ſenſibus dependet, *ut nec cogitatus licet ſolos, licet non ad effectum per carnem deductos, auferamus à collegio carnis: ſiquidem in carne, & cum carne, & per carnem, agitur ab anima quod agitur in corde.* Nec mirum ſi intellectus in ratiocinando dependet à carne : cùm cogitationes, quas intra ſemetipſum concipit, in vultu appareant, & ex-
Tert. ib. trinſecus dignoſcantur per carnem. *Quære adhuc, an cogitans quoque per carnem adminiſtrentur, qui per carnem dignoſcuntur extrinſecus. Velut et aliquid anima, vultus operatur indicium, facies intentionum omnium ſpeculum eſt.*

2. Neque ratiocinatione tantùm, ſed etiam ſermone à bellua diſtinguitur
Tert. l. de Reſur. 41 homo: *Sed accepiſti, homo, os ad vorandum atque potandum; cur non potius ad eloquendum, ut à cæteris animantibus diſtes?* Os in homine duplici ſervit miniſterio: ad comedendum ſcilicet & bibendum, & adhuc ad loquendum: Illud cùm ſit animale, eſt homini belluiſque commune: iſtud eſt homini proprium, quia declarat conceptus mentis, qua belluæ carent, & qua pollet homo. Nam
D. Aug. l. 15. de Trinit. 10 *ipſæ voces in ſermone noſtro, earum quæ cogitamus ſigna ſunt rerum.* Et ob hanc cauſam ſermo *frater mentis* nuncupatur à Philone Judæo. Quem adhuc comparat Aaroni, qui Moyſis fratris ſui erat interpres. Dei Filium *ſermonem* voci-
Apol. 28 tat Tertullianus, quia eſt *repræſentator Patris.* Exprimit ſiquidem & declarat
Tertull. l. adv. Prax. 24 intellectûs paterni notitiam. Non abſimiliter *animorum imagines revera per ſermones exprimuntur.* Duplex eſt ſermo : interior unus, mente conceptus; exterior alter, ore prolatus : ille repræſentat principium, à quo producitur;
Baſilii Magnus. iſte aliis notificat ſermonem internum mente conceptum: etenim *ſermonis*
Plato in Timæ. *eſt ordinata communio, ut præſto fiant mutuæ voluntatis indicia.* Magnum ſanè eſt diſcrimen inter hominem & Angelos. Angeli cùm ſint purè ſpiri-

tua-

tuales, loquuntur ad invicem per internam conceptus communicationem: homines vero ſpiritu & carne adunati, externo indigent ſermone, ut ſuos manifeſtent conceptus, & percipiant alienos. Quare D. Auguſtinus docet, *Rationem docuiſſe homines, ut quoniam animos ſuos ſentire non poterant ad eos ſibi copulandos, ſenſu quaſi interprete uterentur.* Sermo exterior, ſermonis interni interpres, ad corpus pertinet: nam *ſermo de organo carnis eſt.* Lib. 2. de Ordin. 12. Tert. l. de Reſ. 7.

3. Quæ adhuc ad humanam neceſſaria eſt operationem: Etenim *caro ab exordio uteri conſata, conformata, congenita animæ, etiam in omni operatione miſcetur illi.* Tert. l. de Reſ. 16. Homo ratione & libertate à bellua diſtinctus, nequit humanè operari niſi rationabiliter & libere agat. Veritas cujuslibet rei in conformitate cum ſuis principiis ſita eſt. Tunc homo humanè operatur, dum ſuas conformat actiones rationi, à qua in ſuo eſſe conſtituitur; legi naturali, à qua in agendo dirigitur; divinæ voluntati, cujus auctoritati ſubjicitur. Ad has humanas operationes, neceſſaria eſt caro, nam cum anima ejus indigeat conſortio ad ratiocinandum: *Adeo & ſine opere & ſine effectu cogitatus, carnis eſt actus;* Tert. l. de Reſ. 15. indiget etiam illius ſocietate ad rationabiliter operandum. *Negent factorum ſocietatem, cui negare non poſſunt cogitatorum;* concludit Tertullianus. Certe, *numquam anima ſine carne eſt, quandiu in carne eſt, nihil non cum illa agit, ſine qua non eſt.* Quandiu anima carnem informat, cum illa eſt, cum illa agit, ſimulque concurrit ad vitam, tum rationalem & humanam, tum civilem & politicam.

III. PARS

Inter animantia, ſolus homo eſt *animal civile;* quia ut vult D. Auguſtinus, *nihil eſt quam genus hominu, tam ſociale natura.* Cui aſſentit Moralis Philoſophus: *Natura nos ſociabiles fecit.* Ariſt. l. 1. Pol. 2. L. 12. Civ. 26. Sen. Ep. 95. Tria autem potiſſimum ſunt, quæ ſociabiles efficiunt homines, eorumque vitam civilem & politicam conſervant; nimirum ſcientiæ & artes; commercia & negotiationes; matrimonia & affinitates. Ad illa tria neceſſaria eſt caro. Neceſſaria 1. ad ſcientias & artes: 2. Neceſſaria ad commercia & negotiationes: 3. Neceſſaria ad matrimonia & affinitates.

1. Artibus, ſcientiis & officiis, vita politica & civilis ſolidatur: ſiquidem per artes quivis aliorum induſtria potitur. In ſcientiis unus aliis ſuos largitur conceptus, eoſque ab ignorantia vindicat, diſciplinis & bonis moribus imbuit. Tandem per officia quiſque in ſuo gradu permanet, accipitque vel mercedem, ſi bene agat; vel pœnam, ſi male vivat. Verum *artes per carnem, ſtudia, ingenia, officia, per carnem.* Tert. l. de Reſ. 7.

2. *Omnia jam pervia, omnia nota, omnia negotioſa.* Tert. l. de An. 30. Neque enim in ſolis artibus, ſcientiis, & officiis, vita civilis & politica conſiſtit ſed etiam in commercio & negotiatione ſita eſt, qua Regiones bona ſibi propria mutuo communicant, ut abundantia unius alterius ſubveniat egeſtati. Ad hujuſmodi commercium ineundum, negotiatores peragrant terram, & mare ſulcant. *Nam ut quædam rerum, per ſingulas quaſque terras, & unamquamque regionem maris à Deo diſtributa ſunt, invicem ſibi peregrina, & apud exteros mutuo rara:* Tert. l. 1. de Cult. fœm. 8.

ſed enim & poſſeſſionum diſtributione, quam Deus ut voluit ordinavit, raritas & peregrinitas apud extraneos ſemper gratiam inveniens, de ſimplici cauſa non habendi, qua Deus alibi collocavit, concupiſcentiam concitat habendi. Negotiatione autem homines ſibi comparant è longinquo res in ſuis regionibus raras & peregrinas: eas vero quæ apud illos communes ſunt, commodant extraneis, ad quod neceſſaria eſt caro. Nam *opera, negotia, per carnem.* Mundum ex elementis compoſitum, hominum uſui & utilitati deſtinavit Deus. *Grande opus & dignum Deo mundus, etſi mundum homini, non ſibi fecit, conſiderando & magnitudinem, & vim, & poteſtatem, & honorem, & decorem, opem, fidem, legem ſingulorum elementorum, quæ omnibus gignendis, alendis, conficiendis, reficiendiſque conſpirant.* Tot bonis, quibus mundus abundat, tot commoditatibus, quas ſubminiſtrant elementa, utitur homo per carnem. *Quem enim naturæ modum, quem mundi fructum, quem elementorum ſaporem, non per carnem anima depaſcitur?* Per quā adhuc matrimonia & affinitates confœderantur.

Tert. l. de Reſ. Car. 7
Tert. l. 1. adv. Marc. 12.

Tert. l. 1. ad Ux. 3. 3. *Prohiberi nuptias nuſquam omnino legimus, ut bonum ſcilicet.* Plura oriuntur ex matrimonio bona, hoc enim lites & jurgia dirimuntur, amicitiæ & concordiæ firmantur. A matrimonio habetur mutua in convictu ſocietas, in adverſitate ſolatium, in ægritudine auxilium, & in quavis fortuna conſortium. Per matrimonium natura humana habet individua, ad ſpeciei conſervationem; Reſpublica cives ad gubernationem; Eccleſia Chriſtianos ad Sacramentorum adminiſtrationem vel ſuſceptionem; parentes liberos ad ſenectutis levamen & conſolationem; Angeli fratres, ad ruinarum repletionem; Deus ſubditos, ad legum obſervationem & laudum decantationem; cœlum Sanctos ad interminabilis beatitudinis participationem. *Unde ſufficiamus ad enarrandam fœlicitatem ejus matrimonij, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renunciant, Pater rato habet? Quale jugum fidelium duorum, unius ſpei, unius voti, unius diſciplinæ, ejuſdem ſervitutis? Ambo fratres, ambo conſervi, nulla ſpiritus carniſve diſcretio; alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro ſuſtinentes; in Eccleſia Dei pariter utrique, pariter in anguſtiis, pariter in refrigeriis. Neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis eſt. Sonant inter duos pſalmi & hymni, & mutuo provocant quis melius Deo ſuo cantet.* Hæc multaque alia bona conſequuntur fidelium matrimonia, quibus potiuntur conjuges ratione carnis. Etenim *matrimonium eſt cum Deus jungit duos in unam carnem.* Sapienter autem animadvertit Tertullianus; *Conjunctionem viri & fœminæ benedictam à Deo, ut ſeminarium generis humani, & replendo orbi, & inſtruendo ſæculo excogitatam.* Ad hæc omnia neceſſaria eſt caro, per quam homines generantur, orbis impletur, ſæculum inſtruitur, & religio conſervatur.

Tert. l. 2. ad Ux 8.
Tert. l. de Mon. 31.
Lib. 1. ad Ux. 2.

III. PARS Tert. l. de Reſ. 8. *Et hæc quidem velut de publica forma humanæ conditionis in ſuffragium carni procuraverim. Videamus de propria etiam Chriſtiani nominis forma, quanta huic ſubſtantiæ apud Deum prærogativa ſit.* Plura ſunt quæ Chriſtianum notificant, & ab ethnico diſcriminant: ſed præcipue tria Chriſtianam vitam ſpectant; nimi-

nimirum fides, Dei benedictio, & ſanctificatio. Caro autem Chriſtiano neceſſaria eſt 1. ad credendum: 2. ad Deum benedicendum: 3. ad ſanctificandũ.

1. *Non omnium credere eſt, quod Chriſtianorum eſt.* Ad divina credenda myſteria, quæ naturæ captum & rationis ſuperant lumen, humilitas eſt neceſſaria qua intellectus divinæ auctoritati ſubſtratur, licet à Deo revelata, ſenſui contraria, menti abſurda, ſcientiæ impoſſibilia videantur: *Crucifixus eſt Dei filius: non pudet, quia pudendum eſt. Et ſepultus reſurrexit: certum eſt, quia impoſſibile eſt.* Hanc autem intellectus ſubjectionem, & animi humilitatem non habent neque Philoſophi, neque Hæretici: Non Philoſophi, qui ſunt *homines gloriæ ſolius libidinoſi*: Non Hæretici, quia *omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur.* Soli Chriſtiani humilitatis ſectatores, divinæ auctoritati, ejuſque Eccleſiæ ſubjectantur. Inde Marcionem ſic pungit Tertullianus: *Si Chriſtianus es, crede quod traditum eſt.* Quod ſi non credis, *non es Chriſtianus, non credendo quod creditum Chriſtianos facit, & eo magis mortuus, quo magis non es Chriſtianus.* Fides ad vitam animæ neceſſaria eſt; quia nemo vivere ſupernaturaliter ſine gratia poteſt: gratiam autem non habet niſi placeat Deo, ſine fide impoſſibile eſt ut placeat Deo, ſine carne autem credere nequit: *Etſi ſufficeret carni, quod nulla omnino anima ſalutem poſſit adipiſci, niſi dum eſt in carne crediderit: adeo caro ſalutis eſt cardo.* Ut fides in mentibus adultorum ingeneretur, requiritur concionator qui verbum Dei ore prædicet, & auditor qui aure illud audiat: Nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Verbum autem Dei per os prædicatoris ſeminatur: ad prædicandum autem & audiendum verbum Dei, neceſſaria eſt caro. Unde Tertullianus: *Non enim qui totam fidem in carne adminiſtrandam credimus: imo & per carnem verbum Dei prædicatur, & Deus benedicitur.*

Tert. l. de An. 6. — Tert. l. de Car. Chr. 5. — Tertull. Apol. 47. — Tert. l. de Præſc. hæret. 41. — L. de Car. Chr. 2. — Tert. l. de Reſ. Car. 8. — L. de Reſ. 45.

2. *Etiam quod penes Deum bonitatis & benignitatis omnis benedictio, penes nos ſummum ſit diſciplinæ & converſationis ſacramentum.* Sumit illi Sacramentum, non pro uno ex ſeptem novæ legis Sacramentis, ſed pro nota, quâ fideles ab infidelibus diſcriminantur. Gentiles namque Dei non decantant laudes, ſed potius ſuis blaſphemiis majeſtatem ejus laceſſunt: Chriſtiani vero divinarum laudum prædicationem ſibi ſpecialiter arrogant; in ea ſummum religionis conſtituunt ſacramentum, & ad hoc miniſterium eis datum os exiſtimant. *Sed accepiſti homo, os ad eloquẽdum, ut à cæteris animantibus diſtes; cur non potius ad prædicandum Deum, ut etiam hominibus antiſtes?* Quivis homo Deum laudare tenetur in gratitudinis monumentũ. *Plane benedici Deum omni tempore ac loco condecet, ob debitam ſemper memoriam beneficiorum ejus ab omni homine.* Hoc debitum Deo denegant Gentiles, qui nec beneficiorum Dei ſervant memoriam, nec ei gratias agunt, nec ejus decantant laudes. Idcirco Chriſtiani ut ſatis Deo faciant pro blaſphemiis ethnicorum, hæreticorum, & impiorum, qui offendunt, debent eum laudare; ad hoc enim acceperunt os & linguam. Nam ſi *honorem oris quæras* conſiſtit non ſolum in eo quod utaris *lingua ad non blaſpheman-*

Tert. l. de Teſt. An. 2. — Tert. l. de Reſ. 61. — Tert. l. de Orat. 3. — Tert. l. de Reſ. 61.

Tert. l. de Reſ. 45. *ſphemandum*: ſed ulterius requiritur, ut ea utaris ad Deum benedicendum: Nam *carnis eſt os ad proferendum optimum quemque ſermonem.*

Lib. de Bapt. 4. 3. Agnoſcit Tertullianus *Sacramentum ſanctificationis* inſtitutum à Deo ad gratiam ſanctificandam & conferendam. Sacramenta novæ legis ſunt elementa efficacia: quæ rite accedentibus ex opere operato conferunt ſanctitatem: & quia non pro Angelis, ſed pro hominibus inſtituta ſunt, ſunt ſigna ſenſibilia, quæ inſenſibilem largiuntur gratiam. In quibus duo conſideranda ſunt: ipſum Sacramentum, & res Sacramenti: Res ſeu effectus Sacramenti eſt inſenſibilis, quia ſpiritalis, gratia ſcilicet & character. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile in rebus ſenſibilibus conſiſtens, ut aqua in Baptiſmo, Chriſma in Confirmatione, oleum in Extrema-unctione: ſpecies panis & vini in Euchariſtia, verba humano ore prolata in Pœnitentia, voces vel nutus externi in Matrimonio. Unde de Chriſto Sacramentorum inſtitutore ſic fatur Tertul-

Marc. 14. Lib. 1. adv lianus: *Sed ille quidem uſque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua ſuos abluit: nec oleum, quo ſuos unguit: nec mellis & lactis ſocietatem, quo ſuos infantat.* Sicut Sacramentum duo importat, nempe ſignum ſenſibile & corporeum, & gratiam inſenſibilem & ſpiritalem; ita ſuſcipiens Sacramentum duobus conſtat, nimirum corpore ſenſibili, & anima ſpiritali. Deus in Sacramento largitur gratiam inſenſibilem, medio ſigno ſenſibili, quod eſt inſtrumentum morale à Deo inſtitutum ad conferendam animæ ſanctitatem. Nam

Tert. l. de Cor. mil 5 *per hæc exterioris hominis adminiſtrantia munerum divinorum, ab anima deducuntur ad ſenſus.* Suſcipiens digne Sacramentum recipit in anima gratiam ſanctificantem, ſed media carne, cui applicatur Sacramentum quod eſt ſi-

Tert. l. de Reſ. 8. gnum efficax gratiæ & ſanctitatis. *Siquidem caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima conſecretur: caro ſignatur, ut & anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, & ut anima ſpiritu illuminetur: caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.*

CONCIO QUARTA.

Tert. l. de Reſ. 43. Tert. l. de Reſ. 4. AD *infuſcationem carnis* omnia monumenta concurrunt, nulla eſt gens, quæ in illam non oblatret, ad carnem dedecorandam omnes ferè homines confœderantur. Auditur *ubique convicium carnis immundæ, frivolæ, infirmæ, criminoſæ, oneroſæ, moleſtæ, caducæ.* Tot ignobilitatis elogia modo non ſunt expendenda: ſed tria tantum producenda: oſtendendo 1. carnem infamem & ignominioſam: 2. rebellē & ſeditioſam: 3. peccatricem & ſceleroſam.

I. PARS. *Carnis honorem* attendit Tertullianus. Multimode autem honoratur caro

Tert. l. de Reſ. 2. 1. Ex Dei contactu, qui eam de terræ limo figulavit; *itaque totiens honoratur quotiens manus Dei patitur.* 2. Ex unione hypoſtatica cum Verbo divino, quod in humanatione, tum animam aſſumpſit, tum carnem. *cujus Chriſtum*

conſor-

conſortem credere tenemur. 3. Ex unione cum anima rationali Deo proxima Tert. l. de
ejuſque imagine inſignita. *Hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quod proxi-* Reſ. 2.
mam Deo continet. 4. Ex Baptiſmatis Sacramento, in quo media carne, anima Tert. l. de
ab originali peccato mundatur, & inſuper gratia ſanctificante, & ſacro cha- Reſ. 7.
ractere donatur: *Quod ſciam & caro tinguitur:* 5 Ex manifeſtatione Chriſti, Tert. l. de
cujus præ ſe fert in ſemetipſa vitam. *Vide carnem quantam ut in illa vita Chriſti* Reſ. 44.
manifeſtetur. 6. Ex martyrio quod pro religionis fide & Dei cultu patitur. *Pla-* Tert. ib.
ne gloriabitur Chriſtianus etiam in carne, ſed cum propter Chriſtum lacerata Tert. l. 2.
duraverit, ut ſpiritus in ea coronetur. 7. Ex reſurrectione in qua ad beatitudi- de Cult.
nem ſuſcitabitur. *Quia caro divini theſauri conditorium eſt, extolletur.* 8. Ex Fœm. 3.
gloria, & conſecutione bonorum *quæ illam manent in regno Dei, reformatam* Tert. l. de
& angelificatam. Caro tamen tot titulis glorioſa, à tanta gloria perſæpe de- Reſurr. 43
generat: caro tantopere honorata ſemetipſam depretiat, & famæ ſuæ orna- Tert. l. de
menta deponens, 1. ſeſe devenuſtat: 2. animam dedecorat: 3. hominem in- Reſ. 26.
famat.

1. *Non tamen ſuo nomine caro infamis.* A Deo namque producta, toto Tert. l. de
tempore quo homo innocentiæ ſervavit ſtatum, tantum abeſt ut de aliqua An. 40.
notetur infamia, quin immo magna de gloria commendatur: quare excluſa
naturæ corruptione, ejuſque admiſſa integritate, prædicare *corporis gloriam* Tert. l. 2.
licet, à Deo figulatam agnoſcendo carnem: *Iam tunc gloriantem quod illa pu-* de Cult.
ſillitas, limus, in manus Dei pervenit: ſatis beatus, etſi ſolummodo contactus. Ideo- Fœm. 1.
que ſi ejus attendatur productio, tempuſque naturæ inſtitutæ & integræ ob- Tert. l. de Reſ. 6.
ſervetur, carni *nemo jam infamiam incutiat*: deperdito tamen innocentiæ Tertull.
ſtatu, & graſſante naturæ corruptione, carnem, Doctores Catholici *manifeſte* Apol. 21.
damnant ignominia; nemo negat crimen eſſe infamia dedecoratum, & igno- Tert. l. de Spect. 22.
minia puniendum; caro autem vel ad crimen allicit, vel illud exequitur. Id-
circo Judices, carnem ſuppliciis tradendam ſapienter decreverunt, ut reorum Tert. l. 1.
ſcelus *in dedecore carnis agnoſceretur.* De innocua Suſanna, quæ in hominum adv.
judicio criminoſa apparebat, ſic fatur Tertullianus: *Rea venerat, erubeſcens* Marc. 11.
de infamia ſua. Sicariorum, latronum, noxiorumque hujuſmodi non inno- L. de Cor.
cua, ſed ſceleroſa ad ſupplicium ducitur caro, ut de infamia ſua erubeſcat. Mil. 4.
Multum ſane fuit criminoſus Jupiter, *cui nullam inſignem infamiam fabula re-* Tert. l. 2.
liquit. Hunc etenim prodit *ſquamatum, aut cornutum, aut plumatum ama-* ad Nat. 13
torem; aut in aurum converſum: ad denotandam omnimodam qua im- Tertull.
merſus eſt luxuriæ obſcœnitatem: Siquidem Jupiter tot fuit formis immu- Apol. 21.
tatus, & tam inſigni infamia dehoneſtatus, ob venereas immunditias carnis,
quæ eſt ſeminarium omnis ignominiæ, qua multi denigrantur homines.
Quid enim aliud genus? ſeminarium eſt infamiæ noſtræ. Sicut pudicitia eſt *honor* Tert. l. 1.
corporum, ita impudicitia eorum eſt dedecus; prætereundo autem, quæ deli- ad Nat. 1
teſcunt nefanda carnis, nec ullo modo attendendo *ad illam occultorum faci-* Tert. l. de Pud. 1.
norum infamiam, manifeſta ſunt ex Apoſtolo opera carnis, quæ carnem infa- Tertull.
mant, & animam dedecorant. Apol. 6.

Tert. l. de Pat. 5. 2. Eva venenoſo ſerpentis halitu afflata, *non ſuſtinuit ſola conventa, ſed apud Adam, impatiens tacendi eſt, ac traducem illum, ejus quod à malo hauſerat, facit.* Primam & ſolam Evam convenit dæmon, quæ tacendi impatiens, in Adamum pravam transfudit diaboli ſuggeſtionem, fecitque ſui criminis collegam & adminiſtrum, in communem proſapiam originalem traducendo culpam. Quapropter Evam ſic alloquitur Tertullianus: *Tu es diaboli janua, tu es arboris illius reſignatrix, tu es divinæ legis prima diſertrix, tu es quæ eum perſuaſiſti, quem diabolus aggredi non valuit.* Caro autem fuit velut medium delicti quod Eva commiſit: nam ad illud operandum, tria corporis concurrerunt membra, ſcilicet auris, quæ diaboli ſermonibus præbuit aſſenſum: oculus, qui pomi intuitus eſt pulchritudinem: & lingua, quâ Adamus ad peccandum inductus eſt. Eodem fere modo quo Adæ delictum ſuam ab Eva traxit originem & ignominiam, anima à carne, immunda & infamis efficitur: Ex unione namque cum carne ex maſſa Adami deſumpta, anima originalis culpæ macula dehoneſtatur. Nam ut profunde ratiocinatur Tertullianus: *omnis anima, eouſque in Adam cenſetur, donec in Christo recenſeatur. Peccatrix autem quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis ſocietate.* Originale peccatum, eſt ignominia qua anima denigratur, quam mutuatur ipſo momento, quo ſceleroſæ unitur carni. Tunc peccatrix efficitur, & in ſtatu peccati & ignominiæ remanet, quoad uſque in Christo, per baptiſmum recenſeatur. Verum quantumvis animam Baptiſmus emaculet, reddat innocuam, & ab originalis delicti ignominia liberet; non eximit tamen à corruptione naturæ, & carnis concupiſcentia, quæ remanet adhuc in renatis. Idcirco interior Eva noſtra, à D. Auguſtino caro nuncupatur. Quia ſicut Eva Adamum ad peccandum adduxit, ita animam caro ad delinquendum allicit, & hominem ad carnaliter vivendum accendit. Nam *quid concupiſcet caro, quam quæ magis carnis ſunt?* Carnalia ſcilicet opera, quæ dedecorant animam & hominem infamant.

Lib. 1. de Cult. fœm. 1.

Lib. de An. 40.

Tert. l. de Mon. 1.

3. Tantum ac tam infame videtur Tertulliano originale ſcelus, ut illud *ignominiam delicti* vocitet. Hanc autem ignominiam incurrit homo media carne, divinæ auctoritati præferens gulam. Nam *facilius ventri, quam Deo ceſſit; pabulo potius quum præcepto annuit; ſalutem gula vendidit; manducavit denique & periit.* Rei qui ob inſigne aliquod facinus damnantur, & puniuntur, infames habentur apud omnes: & quo majores ſunt quas luunt pœnæ, eo majori laborant infamia. Qualis quæſo originalis culpæ ignominia, pro qua primus parens damnatus eſt, & multiplici pœna mulctatus? Cuncti ſceleroſi non idem patiuntur ſupplicium, nonnulli denudantur bonis, ut Deo, juſtitiæ, & parti ſatisfaciant: alii exilio mulctantur: nonnulli triremibus vel metallis damnantur: tandem aliqui ultimo ſupplicio puniuntur. Cunctas has pœnas ſceleroſus ſuſtinuit Adamus, quem *condemnatum cum ſæculi dote* contemplatur Tertullianus; & ſicut Curialis regi familiaris, ab eoque bonis & honoribus cumulatus, benevolo principi infidelis & ingratus exiſtens, denudatur

Lib. 1. de Cult. fœm. 1.

Tert. l. de Jejun. 3.

Lib. de Pœn. 2.

tur officiis,beneficiis & bonis ſibi à Rege collatis , ita inobſequens Adamus
non habendo fidem,etiam quod videbatur habere ademptũ eſt illi; paradiſi gratia, Tert. l. 2.
& familiaritas Dei: cunctis fuit donis juſtitiæ originalis deſpoliatus;è paradi- adv. Marc. 2.
ſo ejectus; in exilium miſſus;& *in ergaſtula terræ laboranda relegatus:*Eo mo- Tert. ib.
do,quo criminoſiores ad metalla damnantur. *Pellitus orbi , ut metallo datur.* Tert l. de
Nec labori tantum mancipatus fuit ingratus & infidelis Adamus , verum et- Pall. 3
iam morti addictus.Nam *edit inlicitum,& tranſgreſſione ſaturatus,cruditavit* Tertull. Scorp. 5.
*in mortem.*Et ſicut Nobilis læſæ regiæ majeſtatis reus ſuam deperdit nobilita- Tert lib. 1.
tem; ruſticus declaratur, eamdemque pœnam transfundit in filios, qui ob adv.
paternum crimen à nobilitate degenerant, & ignobiles habentur : Sic *homo* Marc. 22.
damnatur in mortem,ob unius arbuſculæ delibationem, & exinde proficiunt deli-
cta cum pœnis,& pereunt jam omnes,qui paradiſi nullum ceſpitem norunt. Exce-
ptis ſcilicet Chriſto & Deipara, qui nequaquam in Adamo peccarunt , cæteri
omnes homines, ſicut ab illo accipiunt originem & naturam , ita mutuantur
peccatum & pœnam. Nam in illo tranſgrediuntur ; è paradiſo ejiciuntur;
morti ſubjiciuntur; portantes imaginem ejus *per collegium tranſgreſſionis, per* Tert.ibid.
exilium paradiſi, per conſortium mortis. Et quamvis ſit *princeps & generis &* Tert. l.de Exh.caſt 2
delicti Adam;quia tamen Eva,mater viventium, Adamum ad delinquendum Ter.l.adv.
induxit, *ab illa incipit infamia*, quâ cuncti infamantur mortales, ob carnem Judæ 13.
infamem & ignominioſam, rebellem & ſeditioſam.

Imperium animæ, obſequium carni diſtribuimus ; etſi caro obſequi animæ II. PARS.
debeat.Agnoſcit merito Tertullianus *inſatiabilem carnis cupiditatem*,qua ſci- Tert. l. de
licet imperandi in animam æſtuat deſiderio. Qui dominandi ambiunt pote- Reſ.16
ſtatem, tribus potiſſimum utuntur mediis, ut propoſitum aſſequantur finem: Tert l. de
1. Principis dedignantur imperium, & in eum ſeſe rebelles demonſtrant. 2. Reſ.16.
Cum Principe decertant,quem de throno deturbare totis viribus nituntur:3. Tert. l. de Exh Caſt.
Ad ſuum auxilium vocant Principis hoſtes,quibuſcum fœderantur , & ſocie- 11.
tatem ineunt. His tribus viis caro principatum in animam uſurpare conten-
dit.Nam 1.ejus deſpicit imperium,& obſequium præſtare recuſat: 2. cum ea
continuo decertat : 3. diabolum infenſiſſimum animæ inimicum ſibi ſociat.

1.*Per carnem anima poteſtate reſperſa eſt.*Per carnem duplex accepit impe- Tert. l.de
rium anima. Unum in univerſum ex elementis compoſitum : nam ut addit Reſ.7.
Africanus , *univerſa per carnem ſubjacent animæ.* Aliud in ipſam carnem:Ete- Tert. l. de Reſ. 8.
nim *caro miniſtra & famula animæ deputatur*; quo nihil convenientius & æ-
quitati conformius : quia cum anima ſit cœleſtis, ſpiritualis, & immortalis,
congruentiſſimum eſt, ut carni terrenæ,materiali & mortali dominetur : *Sed* Tert. l. de
*& magis animam dominari credendum eſt,ut magis Deo proximam.*Hunc juſti- Reſ. 7.
tiæ ordinem evertit caro,obſequium animæ denegans, & imperium in illam
uſurpans. Magna ſane injuſtitia eſt,de qua fatur Sapiens : *Vidi ſervos in equis,* Eccleſ.10.
& principes ambulantes ſuper terram,quaſi ſervos. Hanc in homine deordina-
tionem quotidie conſpicimus, in pro princeps animus pedeſter ambulat; ſer-
vus vero corpus equitat ut dominus: ubi anima regina famulatur,caro famu-

Tert. l. 1. ad Ux. 4 Tert. l. de Mon. 1. la dominatur, quamvis caro animæ ſubjicienda ſit: *Caro terrena materia eſt, ſpiritus vero cœleſtis: Cur cœleſtibus terrena non cedant?* Tantum abeſt ut animæ ſubdatur caro, imo ut ejus imperium uſurpet, indeſinenter cum ea decertat.

2. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Inde procedit aſſidua illa pugna, quæ verſatur inter carnem & animam, corpus & ſpiritum. De qua ſic fatur D. Bernardus: *Quam domeſticus hoſtis! quam periculoſa pugna! quam inteſtinum bellum! Hoſtem hunc crudeliſſimum nec fugere poſſum, nec fugare; circumferre illum neceſſe eſt, quoniam alligatus eſt nobis: nam quod periculoſius eſt, hoſtem noſtrum ipſi cogimur ſuſtentare, perimere eum non licet.* Etſi carnem quantumvis animæ infenſam, occidere ſit inlicitum: *Nemo, inquit Apoſtolus, carnem ſuam odio habet, ſed nutrit, & fovet eam ſicut Chriſtus Eccleſiam:* licitum tamen eſt, imò & neceſſarium carnales ejus perimere concupiſcentias, quæ militant adverſus ſpiritum. Hoc probi exequuntur Chriſtiani, *occidentes in ſe concupiſcentiam libidinis.* Quando duo hoſtes inter ſe decertant, illæ victoriam ſine dubio reportat, qui ab aliquo tertio auxiliares recipit copias. In pugna carnis & ſpiritus, victoria à nobiſmetipſis dependet. Tunc anima de carne triumphat, quando pro ipſa, contra carnem dimicamus; tunc vero caro de anima triumphat, quando ejus partes tuemur. Suſpiciendæ ſunt partes animæ reginæ adverſus carnem famulam & rebellem: & ut regina dominetur, & famula ejus imperio ſubjiciatur, debellanda, infirmanda, & debilitanda eſt caro.

Tert. l. 5. adv Marc. 18. Tert. l. de Exh. Caſt. 11.

Aliter debent ſe gerere Chriſtiani in prælio animæ & carnis ac athletæ in certamine palæſtrico: *Saginentur pugiles & pyſti olimpici, illis ambitio corporis competit, quibus & vires neceſſariæ.* ad pugnandum in agone, corporeis viribus indigent pugiles, quia eorum pugna eſt mere corporea, certamen ſcilicet corporis adverſus corpus. *Sed noſtra alia robora, aliæque vires ſicut & alia certamina:* nempe ſpiritus adverſus carnem, & carnis adverſus ſpiritum, qui victoriam reportare nequit, niſi caro debilitetur: Nam *parcimoniá carnis ſpiritualia acquires.* Ex D. ſiquidem Bernardo, *quanto magis corpus oneratur, tanto amplius animus exoneratur.* Eodem modo ratiocinatur Salvianus expendens iſtud Pauli: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ut non quæ vultis ea faciatis. Inde hanc infert conſequentiam. *Ergo ſi repugnante corpore, quæ volumus facere non poſſumus, infirmandum carne eſt, ut optata faciamus.* Carnis robur, debilitas eſt animæ; carnis debilitas, eſt animæ vigor: Nam, ut proſequitur Salvianus, *Infirmitas carnis vigorem mentis exacuit, & male affectis artubus, vires corporis in virtutes transferuntur animarum.* In cujus teſtem ſororem ægrotantem advocat. *Numquam ut puto, habitatore Deo dignior extitiſti: quanto imbecillior corpore, tanto purior ſenſu; vincentibus carnẽ tuam morbis, nempe te viciſti.* Idem accidit multis, qui infirmitatis tempore virtuti ſtudent: *Ut mihi genus quoddam ſanitatis eſſe videatur, hominem interdũ non eſſe ſanum.* Verũ ſicut ægrotantes feruntur ad bonum, ita bona fruentes valetudine, in malũ ſanitate abutuntur. Quare de criminoſo audacter pronuntiat D. Aug.

Tert. l. de Jejun. 17.

Tert. l. de Exh. Caſt. 10.

Galat. 5.

Ep. ad Ceathuram Soror.

Salv.

D. Aug. *Innocentius ægrotaret ſceleroſè ſanus eſt;* quia dum caro debilitatur, au- In Pſal.
gentur animæ vires : & èconverſo minuitur animæ robur, dum carnis ro- Tert. l. de
borantur vires. Quamobrem bellè ad propoſitum Tertullianus: *Rideo cùm* Mon. 16
infirmitas carnis opponitur, quæ ſumma fortitudo dicenda eſt.

Trinâ ratione infirma dicenda eſt caro. 1. Quia morbis debilitatur :
hanc carnis infirmitatem cuncti experiuntur mortales. 2. Quia ad bonum
operandum debilis videtur ; hanc carnis infirmitatem produnt torpentes
Chriſtiani, ut ſe ab abſtinentia, jejunio, quadrageſima, & mortificatione di-
ſpenſent, quorum excuſatio vana in die judicii reperietur. Ut enim fatur iro- Tert. l. de
nicè Tertullianus: *Habebunt planè Christi quod allegent , ſpecioſum privile-* Mon. 17
gium, carnis uſquequaque imbecillitatem 3. Caro dicitur infirma, quia eſt ad
malum prona , & ad peccandum facilis. Hâc carnis infirmitate ſua ſcelera
quotidie tuentur libidinoſi, guloſi, blaſphemi, aliique execrandis criminibus l. de Mon.
addicti ; in quos inſurgit meritò Tertullianus : *Quandiu excuſabimus carnem,* 14
quia dixit Dominus, caro infirma? ſed præmiſit, & ſpiritus promptus , ut vincat
ſpiritus carnem, ut cedat quod infirmum eſt fortiori.

Trina illa carnis infirmitas eſt diverſimodè tractanda : 1. Infirmitas, quæ Tert. l. de
ex ægritudine & morbo procedit, patienter eſt toleranda. Nam *cùm Dominus* Pat. 13
de carne dicit infirmam pronuntians , quid ei firmandæ opus ſit, oſtendit : patien- L. de Pat.
tia ſcilicet. Morbum patienter toleratum *patientiæ ſanitatem* vocat Tertul- 2.
lianus. Ejuſmodi patientia tum animæ, tum corporis comparatur ſalus: nam L. de Pat. 13
ut proſequitur Tertullianus, *ſi ſpiritus promptus, ſed caro ſine patientia infirma,*
ubi ſalus ſpiritûs & carnis ipſius? 2. Infirmitas, quæ ab ignavia & tepiditate
oritur, generoſè eſt ſuperanda : tum quia carnis robur ejus debilitate com-
paratur , quod athletarum exemplo probat Tertullianus : *Nempe enim &* l. ad Mart.
athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem diſciplinam, ut robori ædificando vacent. Cun- 3.
cti Chriſtiani in hoc mundo degentes ſunt velut athletæ in palæſtra præliatu-
ri, quos ſic alloquitur Tertullianus: *Itaque epyſtates veſter Chriſtus Ieſus, qui vos*
ſpiritu unxit, & ad hoc ſcamma produxit , voluit vos ante diem agonis ad durio-
rem tractationem à liberiore conditione ſeparare , ut vires corroborarentur in
vobis. Tum quia virtus duritiâ comparatur , molliiiâ deperditur. Religio
Chriſtiana virtutis ſtudioſa, carnis incommoda ſuis ſectatoribus , velut me-
dium ad acquirendam virtutem aptiſſimum commendat. *Benè exercitati in-* Tert. l. ad
commodis omnibus producamur , quia virtus duritiâ extruitur, mollitie verò de- Mart. 3
ſtruitur. Tum quia caro ad faciendum malum fortiſſima, ad bonum operan-
dum infirma, nequit abſque impudentia dici : *Quouſque infirmitas iſta impu-* Tert. l. de
dentiſſima in exprobrando meliora perſeverabis? 3. Infirmitas carnis, quæ ad Mon. 14
peccandum propendet, fortiter eſt debellanda. Hac infirmitate carnales ho- Tert. l. 1
mines ſua ſcelera excuſare nituntur : *Sed carnem legimus infirmam, & hinc no-* ad Uxor. 4
bis adulamur in quibuſdam. Quibus reſpondendum eſt : *Legimus tamen &* Tert. l. ad
ſpiritum firmum, qui debet carni præſtare firmitatem : *Non enim nobis blandia-* Mart. 4
mur, quia Dominus conſenſit carnem infirmam eſſe; propterea enim prædixit ſpi-

ritum promptum eſſe, ut oſtenderet quid cui debeat eſſe ſubjectum, ſcilicet ut caro ſerviat ſpiritui, infirmior fortiori, ut ab ea fortitudinem aſſumat. Neque admittendę ſunt excuſationes eorum, qui carnis non comprimunt petulantiam: *Cur ergo ad excuſationem proniores, quæ in nobis infirma ſunt opponimus, quæ verò fortiora non tenemus? ſi ſpiritus carne fortior quia & generoſior, noſtrâ culpâ infirmiorem ſ. ctamur,* quæ in animæ perniciem diabolum in auxilium vocat, & ſimul cum eo adverſus ſpiritum pugnat.

L.1. ad Ux.4

3. Bellum *de illicitu factionibus timori eſſe ſolet.* Illicita factio diaboli & carnis inita eſt adveſus animam, timendum eſt carnis rebellis certamen, ſed extimeſcendus magis dæmonis conflictus: nam ſi diabolus debellavit Adamum in paradiſo terreſtri ſcientiâ præditum, ſanctitate ornatum, divinâ ſimilitudine decoratum, nullâ concupiſcentiæ deordinatione turbatum. *Et hoc non per infirmitatem, ſicut nec per ignorantiam: nam etſi Angelus qui ſeduxit, ſed liber & ſuæ poteſtatis qui ſeductus eſt; ſed imago & ſimilitudo Dei fortior Angelo.* Quomodo diaboli valebimus ſuſtinere impetus nos ignari, nos infirmi, nos correptione naturæ depravati? Adamus nullum habebat domeſticum hoſtem, qui eum ad peccandum induceret: *Neque diabolus voluntatem ei impoſuit delinquendi, ſed materiam voluntati ſubminiſtravit.* Nos verò à carnis concupiſcentia aggredimur interius, & tentamur exterius à diabolo, qui ex nobis adverſus nos pugnat: nam *apparet communi natura hominum & delicta, & concupiſcentias carnis deputare; diabolo tamen captante naturam, quam & ipſe jam infecit delicti ſemine illato.*

Tert. Apolog.38

Tert l. 2 adv Marc. 8.

Tert l. de Exh. Caſt. 2.

Tert. l. 5 adv. Marc. 17

Quomodo igitur poterimus & carnis inſolentiam dejicere, & dæmonis impetus retundere? Modum præliandi, & vincendi ſuppeditat Tertullianus: *Adverſus ſpiritalia malitia non carne & ſanguine, ſed fide & ſpiritu robuſto oportet aſſiſtere.* Adamus fuit à dæmone ſuperatus, quia ſcuto fidei haud munitus ignitas ejus ſagittas repercutere non valuit, & ob hanc cauſam primordiale delictum, hæreſim nuncupat Tertullianus: *Aut quis dubitabit ipſum illud Adæ delictum hæreſim pronuntiare, quod per electionem ſuæ potius quàm divinæ ſententiæ admiſit?* Qui nolunt à dæmone vinci, debent eſſe *fide tuti*; ſic enim carnem à factione cum diabolo avocabunt, & eius infirmitate adverſus dæmonem dimicabunt. *Colloquatur ſpiritus cum carne de communi ſalute, nec jam de incommodis, ſed de ipſo agone & prælio cogitans.* Cùm carni & animæ tum merces, tum pœna ſit communis, adverſus communem hoſtem præliari ſimul debent, ne ſimul puniantur, ſed ſimul munerentur. Modus autem debellandi diabolum eſt carnis infirmitas, quod athletarum exemplo oſtentat Tertullianus, qui *continentur à luxuria, à cibis lautioribus, à potu jucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur; quantò plus in tentationibus laboraverint, tanto plus de victoria ſperant.* Perpendenda eſt magnitudo mercedis afflictioni carnis promiſſæ, quantumvis naturæ corruptæ opponantur diſciplinæ Chriſtianæ auſteritates, carniſque mortificationes: *Sed ſpiritus contraponat ſibi & carni, acerba licèt iſta, à multis tamen æquo animo excepta, imò & ultrò appetita famæ & glo-*

L. de Jej. 17

lib. 2. adv. Marc. 2 Tertull.

Tert. l. ad Mart. 4

Tert. l ad Mart. 3

& gloriæ cauſâ, nec à viris tantùm, ſed etiam à fœminis. Igitur ſi tantum terrenæ gloriæ licet de corporis & animæ vigore, ut gladium, ignem, crucem, beſtias, tormenta contemnant ſub præmio laudis humanæ, poſſum dicere : modica ſunt iſta paſſiones ad conſecutionem gloriæ cœleſtis & æternæ mercedis. Quod ſi æternæ beatitudinis præmium non eſt adeò efficax ad infirmandam carnem, armandamque adverſus dæmonem, attendatur quæſo pœna victis deſtinata : nam Deus *omnibus delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, pœnam per judicium deſtinavit*, peccatum ad pœnam conducit, & caro rebellis & ſeditioſa ad peccatum allicit. Tert. l. de Pœn. 4

Carnem *criminoſam* nuncupat Tertullianus : quod elogium trinâ potiſſimum ratione competit carni : quia 1. ad peccatum allicit. 2. peccatum committit. 3. peccato ſervit. II. PARS. L. de Car. Chr. 4

1. Sapienter aſſeverat Tertullianus non fuiſſe *periculoſam Deo corporationem.* Tum quia cùm Deus ſit eſſentialis ſanctitas, nullo modo ad peccatum poteſt allici: *Periculum enim ſtatûs ſui Deo nullum eſt.* Tum quia caro à Verbo aſſumpta, & *cujus natura eſt in homine peccatrix*, nullâ fuit labe peccati maculata. Etenim *in Christo ſine peccato habetur, quæ in homine ſine pecca o non habebatur.* Tum quia Chriſti caro nullâ deordinatâ concupiſcentiâ movebatur, neque in illa erat fomes ſeu lenocinium peccati : nam *ipſa non peccatrix caro Chriſti, ejus fuit par, cujus erat peccatum, genere, non vitio Adæ.* Sumens Chriſtus carnem ex Adamo, Adami vitium non contraxit : quia conceptus fuit ex Virgine Maria, operatione non hominis, ſed Spiritûs ſancti. *In homine Deus natus eſt, carne antiqui ſeminis ſuſceptâ nō ſemine antiquo, ut illam novo ſemine, id eſt, ſpiritaliter reformaret, excluſis antiquitatis ſordibus expiatam.* Aſſumpſit quidem Chriſtus carnem ex maſſa peccatoris, nullam tamen peccati accepit deformitatem. In quo à cæteris hominibus (ſolâ exceptâ Deiparâ) multum diſcrepat, qui ab Adamo peccatum ſimul cum natura mutuantur : ab illo venenoſo fonte, delicti hauriunt venenum; ab illa carne corrupta & vitiata deſumunt carnis corruptionem, quæ eos ad vitium allicit. Quapropter inter tentationes, quæ ad malum inducunt, illa *potentiſſima eſt quæ venit de concupiſcentia carnis.* Adeò potens eſt carnis concupiſcentia, & ad peccandum impellens, ut voluntas carnis dicatur ab Apoſtolo: *In quibus & nos converſati ſumus, facientes concupiſcentias & voluntates carnis.* Ut autem expendit Anſelmus : *Plus voluit in deſiderijs notare, quàm concupiſcentiam, id eſt multiplicem & omnimodam vehementiam concupiſcentiæ.* Vehementior concupiſcentia, voluntas carnis vocatur : ô quàm flagitioſa eſt concupiſcentia! quàm ſollicitatrix criminum! quàm præceps ad delinquendum! voluptatis ſiquidem præſtigiis ſic mentem allicit, ſic voluntatem trahit, ut quod concupiſcentia cupit, voluntas amare dicatur. Quid periculoſius carne, cujus concupiſcentia voluntas nuncupatur?

L. de Car. Chr. 4 — Tert. l. de Car. Chr. 16 — Tert. l. de Car. Chr. 17 — Tert l. 1 ad Ux. 4 — Tert. l. de Pud. 17

D. Ambroſius in iſtud Davidicum : *Humiliaſti nos in loco afflictionis*, ſic fatur: *Locus afflictionis eſt caro noſtra, in qua anima noſtra humiliatur, dum in iſtius carnis* Pſ. 34

carnis deſcendit ſocietatem. Societas carnis terrenæ, animalis, & mortalis, hu-
Tert. l.3 adv. Marc. 5. miliat animam cœleſtem, ſpiritalem, & immortalem. Verùm hunc locum
melius ad propoſitum expendit Aquila: *Humiliáſti nos in loco Sirenum.* Nullus
non poëta loquitur *de illis monſtruoſis fabuloſiſq; cantatricibus*; quarum etiam
meminit Scriptura: nam ut animadvertit D. Ambroſius: *Sirenes, quarum ſe-
cundò & tertiò mentionem facit Scriptura divina, quaſdam fuiſſe puellas Genti-
lium tradit hiſtoria, quæ vocis propriæ ſuavitate, canendi illecebris, audiendique
ſtudio illectos navigantes, ad littus admovere provocabant: eoſq; cùm gratiam vo-
cis ſequerentur, ſcopuloſo in loco naufragium facere ſolitos, vetuſtas poſteris tra-
didit. Ita ergo ſeculi voluptas nos quadã carnali delectatione delectat, ut decipiat.*
Quot ſunt carnales delectationes, tot ſunt Sirenes, quæ nos ad corporeas alli-
ciunt voluptates, ut nobis ruinam & naufragium parent. Quapropter vocitat
Apol. 7 Tertullianus *cruenta Sirenarum ora*; quia quos ſuo Sirenes demulcebant can-
tu, eoſdem trahebant ad mortem. Non abſimiliter caro ſuis blanditiis mortē
L. de Pud. 17 irrogat: quare Apoſtolus apud Tertull. *ſenſum carnis mortem affirmavit eſſe.*
Ulyſſes ab imminenti naufragii periculo fuit liberatus, quia non præbuit au-
ditum Sirenum vocibus. Viſne Chriſtiane ſcopulos evadere carnis? *ne tanti*
Tert. l. de Spect. 27 *gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuavitatem*: caro namque crimi-
noſa periculoſa eſt, tum quia allicit ad peccatum, tum quia peccatũ committit.
Tert. l. de Spect. 2 2. *Iſſe homo omnium flagitiorum auctor, non tantùm opus Dei, verùm etiam
imago eſt; & tamen corpore & ſpiritu deſcivit à ſuo inſtitutore.* Homo ratione
ſpiritûs eſt imago Dei: non enim corpus, ſed anima imaginis divinæ honore
Tert. l. de Reſur. 5 donatur: ratione verò carnis eſt Dei opus. *Atquè caro Dei res*: peccata tamen
tum ſpiritu, tum carne committit homo. Idcirco *perſtringere non pigebit, deli-
Tert. l. de Pœn. 3 ctorum quædam eſſe carnalia, id eſt, corporalia, quædã verò ſpiritualia: nam cùm
ex hac duplicis ſubſtantiæ congregatione conſtitutus homo ſit, non aliundè delinquit
quàm unde conſtat.* Explicat autem optimè Tert. in quo peccatũ ſive ſpirituale,
ſive corporale conſiſtat. *Exindè ſpiritualia & corporalia nominantur, quòd deli-
ctum omne aut agitur, aut cogitatur: & corporale ſit quod in facto eſt, quia factum
ut corpus & videri & contingi habet: ſpiritale verò quod in animo eſt; quia ſpiri-
tus neque videtur, neque tenetur.* Et quàmvis anima ſit principalior pars ho-
Tert. l. de An. 40 minis, ſolaque libera, cujus voluntati ut plurimum peccata tribuuntur: *Neque
L. de Bapt. 4. enim caro de proprio ſapit quid aut ſentit, ad ſuadendam, vel imperandam pecca-
telam. Quidni, quæ miniſterium eſt?* Quia tamen in peccando miniſtrat, dici-
tur peccare: nam ut ratiocinatur Tertullianus, *ſpiritus dominatur, caro famu-
latur; tamen utrumque inter ſe communicant reatum: ſpiritus ob imperium, ca-
ro ob miniſterium.*

In peccato duo conſideranda ſunt: culpa quæ maculat, & pœna peccato
debita. Utrumque etiam ad carnem pertinet. Culpa quidem, & ob hanc cau-
Tert. l. de An. 40 ſam dicitur *caro peccatrix, ſecundùm quam incedere prohibemur; cujus verò da-
L. 1 adv. Marcion. mnantur concupiſcentiæ adverſus ſpiritum, ob quam carnales notantur.* Verùm
ut animadvertit Tertullianus: *ſed & ſi carni delicta reputantur, culpa principa-*

tus

tus animæ potius adſcribendus, cui caro miniſtri nomine occurrit. Fateor animam
libertate pollentem & imperio dominantem, eſſe crimino ſiorem carne. Ve-
rùm quia caro eſt inſtrumentũ mali operis, conſors criminis reputatur; *quan-* Tert. l. de
do nec qui obſequitur, excuſatur. Deinde ſæpè ſæpius animam caro allicit ad An 40
malum, quod nunquam ſine carne, & carnis lenocinio & impulſu perpetraret
anima. Quapropter *caro increpatur in Scripturis, quia nihil anima ſine carne
in operatione libidinis, gulæ, vinolentiæ, ſævitiæ, idololatriæ, cæteriſq́ carnalibus
effectibus.* Niſi culpabilis eſſet caro, in vanum increparetur : *Alioquin nec ex-* Tert. l. de
probratio competiſſet in alienam culpa. Pœnæ adhuc peccato debitæ ſubjacet Reſ. 16
caro : *Non enim poterit quod corpore admiſſum eſt, non corpore judicari, iniquus* Tert. l. 5
enim Deus ſi non per id punitur quis, per quod operatus eſt. Per carnem operatus adv. marc. 12
eſt homo opera carnis, ergo caro punienda eſt. *Cùm humana cenſura eò per-* Tert. l. de
fectior habeatur, quò etiam miniſtros facti cujuſque depoſcit, nec parcens, nec in- Reſ. 15.
videns illis, quò minus cum auctoribus aut pœna, aut gratia communicent fructum.
Humana juſtitia punit non ſolùm imperantes malum, ſed etiam miniſtrantes
& adjuvantes : *etſi anima eſt quæ agit & impellit in omnia, carnis obſequium eſt.*

Sunt nonnulli qui volunt *carnem ſic in officio animæ collocare, non quaſi mi-* Tert. l. de
niſtram, ne ex hac ſociam cogantur agnoſcere. Dicunt enim *miniſtros & ſo-* Reſ. 16
*cios habere arbitrium miniſtrandi atque ſociandi, & poteſtatem voluntatis in
utrumque, homines ſcilicet, & ipſos; idcircò cum auctoribus merita communica-
re, quibus operam ſponte accommodant: carnem autem nihil ſapientem, nihil ſen-
tientem per ſemetipſam, non velle, non nolle de ſuo habentem, vice potius vaſculi
apparere animæ ut inſtrumentum, non ut miniſterium.* Huic objectioni acutè
reſpondet Tertullianus oſtendendo carnem impropriè dici vas ſeu animæ
inſtrumentum : *Omne enim vas vel inſtrumentum aliunde in uſus venit; extra-
nea omninò materia à ſubſtantia hominis.* Caro autem non eſt extranea à ſub-
ſtantia hominis, ſed eſt pars ejus intrinſeca & eſſentialis, per quam non ſecus
ac per animam homo phyſicè componitur: *Nam etſi vas vocatur apud Apoſto-
lum, quam jubet in honore tractari, eadem tamen ab eodem homo exterior ap-
pellatur : vas enim capacitatis nomine dicta eſt, qua animam capit & continet;
homo verò de communione naturæ, quæ eam non inſtrumentum in operationibus
præſtat, ſed miniſterium. Ita & miniſterium tenebitur judicio, etſi de ſuo nihil
ſapiat; quia portio eſt ejus quæ ſapit, non ſupellex. Hoc & Apoſtolus ſciens, nihil
carnem agere per ſemetipſam, quod non animæ deputetur; nihilominus peccatri-
cem judicat carnem, ne eo quod ab anima videtur impelli, judicio liberata creda-
tur.* Caro ut hominis portio, ſimul cum anima operata malum, ob commiſ-
ſum crimen plectenda eſt : *Anima ad agendum minus de ſuo ſufficit; habet enim* Tert. l de
de ſuo ſolummodo cogitare, velle, cupere, diſponere : ad perficiendũ autem operam Reſ. 17
*carnis expectat. Sic itaque & ad patiendum, ſocietatem carnis expoſtulat: ut tam
plenè per eam pati poſſit, quàm ſine ea plenè agere non potuit.* Deinde ſi ob vir-
tutem præmiatur caro, æquum eſt ut ob delictum puniatur : *An tu diſcernas* Tert. l. de
carnis actus & ſpiritûs, quorum & in vita, & in morte, & in reſurrectione tan- Pœn. 3

tum communionis atque conſortij eſt, ut pariter nunc aut in vitam, aut in judiciū ſuſcitentur: quia ſcilicet pariter aut deliquerint, aut innocentes egerint. Caro innocens & virtutis ſtudioſa ſuſcitabitur ad vitam, criminoſa verò ad judicium ſuſcitabitur, quia peccata commiſit, & ulterius peccato ſervivit.

3. Hortatur nos Apoſtolus apud Tertullianum, ne peccatum regnet in
L. de Reſ. 47 corpore noſtro: *Ne ergo regnaverit in corpore veſtro mortali delinquentia, ad obaudiendum illi, & ad exhibenda membra veſtra arma injuſtitiæ, delinquentiæ, ſed exhibete membra veſtra arma juſtitiæ.* Mutua eſt relatio inter Dominum & ſervum. Dominus ille eſt, qui imperat, qui regit, qui aliorum utitur miniſterio; ille verò ſervus eſt, qui obſequitur, ſervit, & ad nutum alterius exhibet miniſterium. Trinâ hac ratione caro peccato ſervitutem præſtat; tum quia ei obtemperat, tum quia ei famulatur, tum quia membra ſua ad ſerviendum peccato exhibet, & per iniquum ſuum miniſterium, 1. ordinem divinæ providentiæ pervertit, 2. Apoſtoli monitum deſpicit. 3. paſſionem Chriſti vanam & inutilem reddit. 4 injuſtitiam committit. 5. ſeſeque æternæ
Tert l. de Spect. 2 morti addicit. 1. Providentiæ ordinem ſubvertit: *Neque enim oculos ad concupiſcentiam ſumpſimus, & linguam ad maliloquium, & aures ad exceptaculum maliloquij, & gulam ad gulæ crimen, & ventrem ad gulæ ſocietatem, & genitalia ad exceſſus impudicitiæ, & manus ad vim, & greſſus ad vagam vitam.*
Tert. l. de Pud. 17 2. Apoſtoli monitum reſpuit: *Inſtat autem Apoſtolus prohibens regnare delinquentiam in corpore noſtro mortali.* 3. Chriſti paſſionem inutilem reddit,
Tert. l. de Reſ. 47 per quam *liberi facti à delinquentia, famulati autem Deo*: caro autem criminoſa debitum Deo famulatum denegat, indebitam peccato ſervitutem præſtat. 4. Injuſtitiam committit: juſtiſſimum enim eſt, ut *ſicut exhibuiſtis membra veſtra famula immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita & nunc exhibete membra veſtra famula juſtitiæ in ſanctificationem.* Sceleroſa autem caro ſua membra exhibet famula, non juſtitiæ in ſanctificationem, ſed immunditiæ ad iniquitatem, ut ab enumeratione conſtare poſſet. Ad quid enim ſervit caput, niſi ad ſuperbiam, os niſi ad blaſphemiam, manus niſi ad injuſtitiam, totum denique corpus niſi ad impudicitiam? 5. Sibi mortem inducit, & vitam eripit: *Stipendia enim delinquentiæ mors; donativum autem Dei, vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

CONCIO QUINTA.

Carnis oſores eam præſertim aſpernantur ob Scripturæ auctoritatem, quæ eam deprimit. Verùm ut benè animadvertit Tertullianus, non mi-
L. de Reſ. 10 nus veneranda eſt Scripturæ auctoritas, quæ carnem extollit: *Teneo Scripturas, quibus caro infuſcatur; teneo etiam, quibus illuſtratur. Legis cùm caro deprimitur; adige oculos & cùm caro relevatur. Omnis caro fœnum, non hoc ſolùm pro-*

nuntiavit Eſaias; *ſed & Omnis caro videbit ſalutare Dei.* *Notatur in Geneſi dicens Deus: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt; ſed & auditur per Ioëlem: Effundam de ſpiritu meo in omnem carnem.* *Apoſtolum quoque ne de uno ſtilo noris, quo carnem plerumque compungit: nam etſi negat habitare boni quidquam in carne ſua; etſi affirmat eos qui in carne ſunt, Deo placere non poſſe, quia concupiſcat adverſus ſpiritum; & ſi quæ alia ita ponit, ut carnis non tamẽ ſubſtantia, ſed actus inhonoretur: verùm & in illis litteris Paulus eſt, cùm ſtigmata Chriſti in corpore ſuo portat, cùm carnem noſtram ut Dei templum vitiari vetat, cùm corpora noſtra membra Chriſti facit, cùm monet tollere & magnificare Deum in corpore.* Tot Scripturæ teſtimomia probè carnis merita recenſent. Tædioſum foret cuncta ſigillatim expendere, tria tantùm ex Tertulliano deſumo, qui de carne loquens ſic fatur: *In qua pro fide ejus tanta* L 5. adv.
tolerantur, in qua mors Chriſti circumfertur, in qua & eminentia virtutis con- Marc. 11
ſecratur. Homo ſiquidem per carnem 1. Deum honorat. 2. Chriſtum repræſentat. 3. Felicitatem ſibi comparat.

In omni loco ſacrificia munda offerentur nomini meo. Per ejuſmodi ſacrificia I. PARS.
munda, ultra ſacro-ſanctum Miſſæ ſacrificium, quod ubique terrarum Deo Tert. l.
offerunt Sacerdotes, intelligenda ſunt, vel martyria, in quibus vitam ſuam adv. Jud. 5
Deo immolant Martyres; vel jejunia, quæ offerunt pœnitentes: vel deprecationes, quas ſacrificant orantes. His ſacrificiis per carnẽ oblatis honoratur Deus. Nam 1. per jejunia & carnis afflictiones Dei juſtitia honoratur. 2. per orationes Dei miſericordia honoratur. 3 per martyria Dei majeſtas honoratur.

1. *Cor contribulatum & humiliatum hoſtia Deo eſt*, ſed hoſtia Deo gratiſſi- Tert. lib.
ma. Nam *cor contribulatum acceptabile ſacrificium Deo demonſtratur*: corpo- adv. Jud. 5
ris ſiquidem pœnitentiâ & afflictione Dei placatur juſtitia: *Afflictio carnis ho-* Tert. l. de
ſtia Domino placatoria per ſacrificium, cùm ſordes, cùm anguſtiam victûs Do- Pat. 13
mino libat, contenta ſimplici pabulo, puroq́ aquæ potu, cùm jejunia conjungit, cùm cineri & ſacco inoleſcit. Idipſum aſſeverat aliorſum Tertullianus: *Nam &* L. de Reſ.
ſacrificia Deo grata, conflictiones dico animæ jejunia, & feras, & aridas eſcas, & 8.
appendices hujus officij ſordes, caro de proprio ſuo incommodo inſtaurat. Incommodum quod patitur caro, Deoque offert in pœnitentiis, jejuniis, & macerationibus, duplicem præſtat effectum: nam & Deum irarum lenit, & clementem adhuc reddit. Patientia, & carnis afflictatio *ſeveritatem diſpergit,* Tert l. de
clementiam elicit, ut patet in Nabuchodonoſore, cujus exemplum prodit Pat. 13
Tertullianus: *Si a ille Rex Babylonius offenſo Domino, cùm ſqualore & pædore ſeptenni ab humana forma exulâſſet, immolatâ patientiâ corporis ſui & regnum recuperavit, & quod optabilius eſt homini, ſatis Deo fecit.* Pœnitentia & afflictatio carnis ſatis Deo facit, quia eſt ſacrificium propitiatorium, quod Deum placat, ejuſque juſtitiam honorat: ſicut oratio eſt ſacrificium impetratorium, quod Dei bonitatem implorat, ejuſque miſericordiam honorat.

2. Ad ejuſmodi ſacrificium Deo offerendum hortatur nos Vates Regius
apud Tertullianum: *Sacrifica Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota* L adv.
tua. Jud. 5

tua. Orationem ſcilicet, quæ eſt labiorum fructus. Ut autem aſſeverat Tertullianus: *hac patientia corporis precationes commendat, deprecationes affirmat, hac aures Chriſti Dei aperit* : ore etenim Chriſtianus Dei bonitatem laudat, oratione ejus miſericordiam exorat, & martyrio majeſtatem honorat.

L. de Pat. 13

3. Holocauſtum divinæ litatur majeſtati, & in ejus honorem cedit, juxta illud Davidicum: *Afferte Deo claritatem & honorem, afferte Deo ſacrificia nomini ejus: Tollite hoſtias, & introite in atria ejus.* Quænam verò eſt illa hoſtia divino mactanda honori, niſi caro? Siquidem *Caro in confeſſione nominis deſævitur*. Nam etſi anima patiendi pro religione concipiat deſiderium, martyrium tamen animo conceptum, & dilectione formatum perfici nequit ſine carne, quæ *in perſecutionibus præliatur. Si fuga urgeat, adverſus incommoda fugæ caro militat; ſi & carcer premat, caro in vinculis, caro in ligno, caro in ſolo, & in illa paupertate lucis, & in illa penuria mundi* : *cùm vero producitur ad experimentum felicitatis, ad occaſionem ſecundæ intinctionis, ad ipſum divinæ ſedis aſcenſum, nulla plus illic quàm patientia corporis.* Plura refert incommoda, quæ patitur pro religione caro; nempe exilium, ſolitudinem, carcerem, vincula, tenebras, omnimodam egeſtatem, patibula, martyrium, quod ſecundam intinctionem nuncupat, & generatim omnia ſuppliciorum genera patienter & conſtanter tolerata. *Adverſus omnem ſubvertendæ fidei, vel puniendæ paraturam, ut verbera, ut ignem, ut crucem, ut gladium, quæ Prophetæ, quæ Apoſtoli ſuſtinendo vicerunt.* Extraordinaria & inaudita erant ſupplicia, quibus utebantur tyranni, ut Chriſtianos avocarent à fide, quæ vocitat Tertullianus *atrociora ingenia pœnarum.* Tot tantaque tormenta à tyrannis crudeliter excogitata conſtantiſſimè tolerârunt Martyres pro Chriſti nomine, pro defenſanda fidei veritate, pro honoranda divina majeſtate: cui obtulerunt vel ut holocauſti hoſtiam, omnem pœnam, *quam in iſtius vitæ ſpatio ante mortem, & uſque ad mortem vexationibus & preſſuris, tormentis atque ſuppliciis nominis causâ perpeſſi ſunt.*

Tert. l. adv. Jud 5
Tert. l. 1. adv. marc. 24
Tert. l. de Pat. 13
L. de Reſ. 8.
Tert. l. de Reſur. 40

Apoſtolus *obſecrat exhibere hoſtiam vivam, ſanctam, placabilem Deo.* Quatuor requirit conditiones ut oblatio carnis Deo grata ſit. 1. Ut ſit hoſtia: ſacrificium namque hoſtiam & victimam importat. 2. Ut ſit hoſtia viva, itaut caro ſit tabernaculum animæ viventis, non ſepulchrum, ſeu *animæ cadaver* per peccatum emortuæ. 3. Ut ſit hoſtia ſancta, cultui divino ſacrata, non uſui prophano dicata. Nam *quomodo hoſtia ſancta, ſi prophana ſunt?* 4. Deo placens, non verò hominibus placere ſtudens: *certi omnem affectionem per carnem placendi Deo diſplicere*; Deo namque diſplicent tum mulieres, quæ affectant placere hominibus per decorem; tum hypocritæ, qui jejunant, orant, macerantur, & *omnia opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Qui ſunt hujuſmodi, nec Deo placent, neque Chriſtum repræſentant, qui non ſuam, ſed paternam ſemper quæſivit gloriam.

Tert. l. de Reſur. 7
Tert. l. de Reſur. 29
Tert. l. de Reſur. 47
Tert. l. 1 de cult. fœ 6
Matth. 23

II. PARS Chriſtianos hortatur Apoſtolus, ut Chriſtum in ſemetipſis deferant, *uti & vita manifeſtetur.* Quid pro homine glorioſius, quàm manifeſtare

Tert. l. de Reſ. 44

in ſua carne, vitam Chriſti mortalem? *Aut cujus temporis vita Domini manifeſtabitur in corpore noſtro? Illa quidem quum vixit uſque ad paſſionem: quæ non modo apud Iudæos in manifeſto fuit, verum etiam omnibus nunc gentibus prodita eſt.* Chriſtus Dominus carne indutus, & viſibiliter converſans cum hominibus, exemplarem duxit vitam, quam illis imitandam propoſuit. Hanc in Evangelio conſignarunt Apoſtoli, ut Chriſtiani vel legentes vel audientes, eam ſua imitatione repræſentent; 1. per vitæ veritatem: 2. per diſciplinæ ſanctitatem: 3. per carnis mortificationem.

1. *Docet quidem Apoſtolus Coloſſenſibus ſcribens, mortuos nos fuiſſe aliquando, de hinc conſepultos Chriſto in baptiſmate, & conreſuſcitatos in eo per fidem efficaciæ Dei, qui illum ſuſcitavit à mortuis.* Tert. l. de Reſ. 23. Omnes qui in Adamo peccaverunt mortui ſunt, & à morte reſurgunt per baptiſmatis ſacramentum, in quo gratia, quæ eſt animæ vita, per Chriſti merita comparata, confertur renatis. Nam ut bene animadvertit Tertullianus: *Sed cum ita nos mortuos faciat ſpiritaliter, utique & reſuſcitatos proinde ſpiritaliter deputans.* Hæc ſpiritualis reſurrectio Chriſtianos ad vitæ novitatem ſtimulat. *An ignoratis quod quicumque in Chriſtum Ieſum tincti ſumus, in mortem ipſius tincti ſumus? Conſepulti ergo illi ſumus per baptiſma in mortem, ut quemadmodum ſurrexit Chriſtus à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Tert. l. de Reſ. 47. In baptiſmate exuimus veterem hominem, & induimus novum. Idcirco non veteris ſed novi hominis indumentum deferre debemus. Quod intelligendum vult Apoſtolus, *non ſecundum alicujus ſubſtantiæ ſenſum (neque enim carnem præcipit deponamus) ſed ſecundum priſtinam converſationem;* Tert. l. de Reſurr. 45 id eſt non ſecundum veterem, ſed ſecundum novum hominem vivere debemus. Etenim *tam vetuſtatem hominis, quam novitatem, ad moralem, non ad ſubſtantialem differentiam pertinere defendimus.*

In duplici illo homine veteri & novo, reperitur mors & reperitur vita. Tert. l. de Pall. 2. In veteri homine reperitur mors, quia ejus anima mortua eſt Deo: & ita licet corpore vivat, *mortem vivit:* Tert. l. de Reſ. 47. quia in corpore vivo, mortuam defert animam. Reperitur etiam vita, *hæc eſt vita mundialis;* qua mundo & vitio vivit. In novo homine reperitur tum mors, tum vita. Mors, quia mundiali vitæ mortuus eſt, *quâ veterem hominem dixit confixum eſſe Chriſto.* Vita etiam, qua Chriſto convivit, *ut hac ratione commortui Chriſto credamus, quod etiam convivamus illi.* Tert. l. de Reſ. 46. Veri Chriſtiani, Chriſtum novum hominem induti, ſunt *velut viventes in mundo.* Quod aſſeverat Paulus: *Si cum Chriſto mortui ab elementis mundi, quaſi viventes in mundo:* Tert. l. de Reſur. 23. quia licet vivant in mundo, tamen mundialiter non vivunt: *Non ad mortuos ſcribens, ſed ad eos qui deſinere deberent mundialiter vivere.* Tert. l. de Reſ 46. Vivere namque debent ſecundum ſpiritum quem acceperunt à Chriſto, *à quo nec mundialis ſpiritus præſtatur.* Tert. l. 4. adv. Marc. 26. Chriſti igitur ſpiritu agatis. *Vt evacuetur corpus delinquentiæ, viventes autem Deo in Chriſto Ieſu,* Tert. l. de Reſ. 47. quem repræſentare debetis tum per vitæ novitatem: tum per diſciplinæ ſanctitatem.

2. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis, non ad ſubſtantiam ullam referens, ſed ad præſentis temporis diſciplinam.* Tert. l. 5. adv. Marc. 10. Dediſcenda

Lib. de Reſ. 45. da eſt veteris hominis diſciplina, quam belle Tertullianus *vitioſam diſciplinam* nuncupat; ediſcenda verò Chriſti diſciplina, ut ejus doctrina in nobis Tert. l. de Reſ. 43. eluceſcat. *Nunc haberi, manifeſtari vitam Ieſu in corpore noſtro, per diſciplinam ſanctitatis, & patientiæ, & ſapientiæ, & juſtitiæ, quibus vita Domini floruerit.* Vitioſa veteris hominis diſciplina peccatum docet: ſancta verò Chriſti diſciplina docet virtutem. Ab illa nos avocat Apoſtolus, ad iſtam nos inducere Tert. l. de Reſ. 47. conatur. *Per totam hanc ſenſuum ſeriem, ab injuſtitia & delinquentia membra noſtra divellens, & juſtitiæ & ſanctimoniæ adjungens.* Sicut criminoſi in carne ſua demonſtrant vitioſam veteris hominis diſciplinam ita perfecti Chriſtiani ſanctam novi hominis diſciplinam manifeſtare tenentur. Illi vitioſam ſectantes diſciplinam, interitum & confuſionem acquiſierunt; Tertull. quod eis exprobrat Apoſtolus: *Quem ergo fructum habebatis ſuper his, de quibus nunc confundimini?* Iſti innocuam Chriſti diſciplinam in carne ſua oſtentantes, æternam gloriam & fœlicitatem ſibi compararunt. *Carni utique compenſationem ſalutis repromittit, cui nullam omnino competiſſet imperari propriam ſanctimoniæ & juſtitiæ diſciplinam, ſi non ipſius eſſet & præmium diſciplinæ:* quod meretur circumferendo Chriſti mortificationem.

Tert. l. de Reſ. 44. 3. Ad quos nos hortatur Apoſtolus: *Semper mortificationem Chriſti Ieſu circumferentes in corpore noſtro.* In cunctis corporis membris deferenda eſt Chriſti mortificatio. Nulla fuit humanitatis Chriſti pars quæ aliquo non fuerit afflicta dolore; nullum ſit corporis noſtri membrum, quod aliquam dominicæ paſſionis partem non deferat. At *cur mortificationem Domini circumferimus in corpore? Vt & vita manifeſtetur in carne plane mortali ſecundum culpam, ſed & vitali ſecundum gratiam.* Mortalis caro per afflictionem adhuc mortificata, Chriſti manifeſtat tum vitam, tum mortem, quo gloria carnis Tert. ibid. maxime commendatur. *Qualis iſta res, quæ poſt Dei templum, jam & ſepulchrum poteſt dici?* Caro vitalis ſecundum gratiam. ſcilicet quæ eſt domicilium Tert. l. de An. 53. animæ per gratiam ſanctificatæ, eſt Dei templum. *Si enim corpus iſtud platonica ſententia carcer, cæterum Apoſtolica, Dei templum, cum in Chriſto eſt.* Sic Tert. l. de Pall. 2. Chriſti æmulatur dignitatem: *Chriſtus eſt verum Dei templum*; in quo pleni- Tert. l. de Reſ. 46. tudo divinitatis habitat corporaliter: Caro ſancta eſt adhuc Dei templum: uti enim Apoſtolus, *habitare peccatum dixit in corpore noſtro*, ita idem vas electionis aſſeverat corpus ſanctitatis vacans operibus, eſſe templum, in quo 1. Cor. 6. habitat Spiritus ſanctus. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt?* Neque Dei templum duntaxat, ſed etiam Lib. de Reſ. 44. Chriſti ſepulchrum caro mortificata nuncupatur; & ut ait Tertullianus *divini theſauri conditorium*: conditorium, id eſt ſepulchrum; in ſepulchris condebantur theſauri. Sepulchrum caro divinum theſaurum includit: Tum quia gratiam ſimul cum anima ſanctificata includit: Tum quia eſt ſepulchrum Chriſti morientis, cujus mors eſt divinus theſaurus, & ut fatur Tertullianus, *totum Chriſtiani nominis pondus & fructus, mors Chriſti.* Grande mortificationis encomium, Chriſtum ſibi arcane tumulare. Mortuo Domino dignus locus nonniſi mortificatione præparandus erat. Quomodo intelligit

Zeno

Zeno Veronenſis verba Salvatoris defenſantis Magdalenam adverſus increpantes eam, quod in domo Simonis leproſi ſuper Dominum morti jam proximum, pretioſum fudiſſet unguentum : *Ieſus vero quieſcebat quid ſacramenti factum mulieris contineret : Nolite moleſti eſſe, ait, mulieri : opus enim bonum operata eſt in me. Quod eſſet opus bonum deſignat dicens : Quia ad ſepeliendum me fecit. Oſtenditur ergo per hoc quia ungui re Chriſtum, ſepulturam ejus eſt præparare. ſepulturam vero præparat Ieſu, qui ſecundum Apoſtolum mortificat membra ſua quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, avaritiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & cætera : & qui jam non ſecundum carnem ambulat, qui actibus Spiritus ſancti carnis facta mortificat.* Jeſu Chriſto ſepulturam præparat, qui carnis facta mortificat : Præluſtris gloria, quæ ex mortificatione exurgit, *actibus Spiritus ſancti* perficienda erat : homo mortificationis ſedulus, ſepulchrum dicitur, in eo velut in ſepulchro Salvator tumulatur. Serm. de Jejun.

Tria ſunt in Chriſto conſideratione digniſſima. Ejus ſcilicet vita mortalis, mors, & gloria reſuſcitati corporis. Chriſtiani adhuc caro ſub triplici ratione conſiderari poteſt : 1. Ut mortalis, ſanctificata tamen per Spiritus ſancti præſentiam : 2. Ut mortificata actibus Spiritus ſancti in ea inhabitantis : 3. Ut glorioſa poſt reſurrectionem. Caro mortalis ſanctificata, eſt Dei templum, manifeſtans vitam Chriſti mortalem & ſanctam. *Vide carnem quantam, ut in illa vita Chriſti manifeſtetur.* Caro actibus Spiritus ſancti mortificata, eſt divini theſauri conditorium, & pretioſiſſimam Chriſti repræſentat mortem. Quod innuit Apoſtolus dicens : *Semper mortificationem Chriſti Ieſu in corpore veſtro circumferentes.* Tandem caro reſuſcitata & glorificata erit glorioſum Chriſti ſuſcitati ſepulchrum. Non enim *in re aliena ſalutis, in ſubſtantia perpetuæ diſſolutionis manifeſtabitur vita Chriſti æterna, jugis, incorrupta.* Verum ſicut Chriſtus fuit propter paſſionem gloriâ & honore coronatus, ita ut poſſimus eſſe in cœlo glorioſum Chriſti ſuſcitati in carne immortali ſepulchrum, debemus prius eſſe in carne mortali Chriſti viventis templum, & in carne mortificata, mortis Chriſti conditorium. *Fidelis ſermo, ſi enim commortui ſumus Chriſto, & convivemus, ſi ſufferimus, & conregnabimus.* Tert. l. de Reſ. 44. Tertull. Scorp. 12. Tertull. Scorp. 13.

III. PARS

Dominus regnavit, exultet terra, id eſt, caro Sanctorum ad quam pertinet regni divini fructus. Sanctorum caro poſt reſurrectionem cœlum ingreſſa fœlicitate fruetur ſibi commenſurata, quam compararunt Sancti : 1. per virtutes : 2. per bonas operationes : 3. per cruces. Tert. l. de Reſ. 26.

1. *Cæterum quid caro ſine anima? perinde in operatione probitatis, juſtitiæ, tolerantiæ, pudicitiæ.* Licet caro ſine anima nequeat vacare virtuti : attamen *quod de virtute animi venit, in carne perficitur.* In homine rector animus, rectoris habitaculum corporis, in exercenda autem virtute tum rector, tum habitaculum concurrunt. *Siquidem rector animus facile communicat cum habitaculo ſuo :* ſunt namque multæ virtutes, quæ ſpecialiter carnem requirunt, & à carne potiſſimum dependent. Nam prætereundo jejunia, macerationes, orationes, martyria, aliaque hujuſmodi, *virginitas quoque & viduitas, & modeſtia in occulto matrimonij diſſimulatio, de bonis carnis Deo adolentur.* Tert. l. de An. 40. Tert. l. de Pat. 13. Tert. l. de Reſ. 8.

lentur. Quod docet Apoſtolus aſſeverans nos habere theſaurum in vaſis fictilibus. Per theſaurum caſtitatem intelligit, per vaſa verò fictilia, corpora corruptioni obnoxia, quæ ad Deum pertinent, ejuſque gloriam oſtentant. Nam ut ait Tertullianus, *gloria Dei eſt, in fictilibus vaſis tantum theſauri haberi:* Tum quia puritatem angelicam fictilibus vaſis commiſit Deus, *ut eminentia ejus probaretur;* Tum quia *vaſa fictilia eminentiam virtutis Dei ſapiunt:* Tum quia ejuſmodi vaſa, in quibus apparet & *virtus ipſa*, ſibi cœlum comparant, ubi in æternum Dei decantabunt laudes: *Iam in altiores & feliciores gradus corporalis patientiæ digeramus, eadem ſanctitati quoque procurat continentiam carnis. Hæc & viduam tenet, & virginem aſſignat, & voluntarium ſpadonem ad regna cœli levat.*

L. 5. adv. Marc. 11.

Tert. l. de Pat. 13.

2. Addit Tertullianus: *Carnis ſt & manus ad operandum, & largiendum,* Bonis operibus, præſertim miſericordiæ promiſit Deus regnum cœlorum; caro autem eleemoſynas largitur, bona opera præſtat, quapropter promiſſum à Deo obtinebit præmium. Non ſolum anima vacat miſericordiæ, neque ſola caro, ſed utraque ſimul: Ergo *non poſſunt ſeparari in mercede quas opera conjungunt:* Bona opera etſi in tempore facta, æternam merentur mercedem; caro fuit conſors animæ in patrandis in tempore bonis operibus, inde concludit Tertullianus: *Caro conſors & cohæres invenitur temporalium, cur non æternorum?* Hoc argumentum fortiter adhuc & acute urget Tertullianus: *Iam ſcindant adverſarij noſtri carnis animæque contextum prius in vitæ adminiſtratione, ut audeant ſcindere illud etiam in vitæ remuneratione. Negent operarum ſocietatem, ut merito poſſint etiam mercedem negare.* Sicut caro criminoſa eſt ſupplicio mulctanda, ita innocua præmio muneranda: non enim eſt major ratio cur caro male operata puniatur, quam cur bene operata remuneretur: *Et illi quidem delinquentias carnis enumerant: Ergo peccatrix tenebitur ſupplicio: Nos vero etiam virtutes carnis opponimus: Ergo & bene operata tenebitur præmio.* Illa mulctabitur, quia ſimul cum anima operata eſt malum; iſta è converſo præmiabitur, quia ſimul cum anima operata eſt bonum: *Et ſi anima eſt, quæ agit aut impellit in omnia, carnis obſequium eſt.* Deinde ad juſtitiam Dei ſpectat & præmiare bonum & punire malum: niſi utrumque præſtaret Deus, de injuſtitia & impotentia poſſet argui: *Dum non licet aut injuſtum judicem credi, aut inertem: injuſtum, ſi ſociam bonorum operum à præmiis arceat: inertem, ſi ſociam malorum à ſuppliciis ſecernat,* Deus qui in præmio ſicut in pœna juſtitiam exhibet, largitur fœlicitatem carni innocuæ, quæ eam meruit tum per bonas operationes: tum per cruces & paſſiones.

Tert. l. de Reſ. 45.

Tert. l. de Reſ. 8.

Tert. l. de Reſ. 14.

Tert. l. de Reſ. 15.

3. *Etenim ſecundum quod communicatis paſſionibus Chriſti, gaudete, uti & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes,* Omnes qui cœli fruuntur beatitudine participant fructui paſſionis Chriſti, qui ſua morte cœlum aperuit. *Scito & introitum exinde reſeratum viribus Chriſti.* Hoc tamen eſt diſcrimen inter parvulum, qui poſt acceptum baptiſmum ante uſum rationis moritur; & Chriſtianum adultum qui potitur uſu rationis; quod ille & communicat

Chriſti quidem paſſionibus, tum in baptiſmo per receptionem ſanctitatis & gratiæ; tum in cœlo per poſſeſſionem gloriæ; non verò per paſſionem & crucem quam ultro ſuſcipiat & deferat in corpore. Iſte vero ultra hos duos modos participandi paſſionibus Chriſti, eis adhuc communicat, per proprias cruces & paſſiones quas libenter ad imitationem Chriſti perpeſſus eſt. Ille non obtinuit beatitudinem velut mercedem quæ merita ſupponit, & exercitium libertatis expoſtulat, ſed dumtaxat tanquam hæreditatem ſibi per Chriſti ſanguinem acquiſitam: quare parvulo *cœlum ante patet quam via*. Iſte vero accepit fœlicitatem, tum ut hæreditatem, ſibi à Chriſto obtentam, tum ut mercedem propriis meritis & paſſionibus comparatam. Quomodo communicat Chriſti paſſionibus qui glorificatus eſt per paſſionem, quam nobis imitandam reliquit velut 1. medium noſtræ prædeſtinationis: 2. viam regiam quæ ducit ad cœlum; 3. conditionem ſine qua æterna non habetur hæreditas. Tertull. Scorp. 10.

Exemplar prædeſtinationis noſtræ Chriſtus Dominus. Æternus namque Pater, *quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui*. Binam his verbis cum Chriſto conformitatem denotat Apoſtolus; unam in patria, alteram in via; illam poſſident in cœlo Beati, quorum animæ per viſionem Deo aſſimilantur, & corpora poſt reſurrectionem glorioſas corporis Chriſti dotes imitabuntur. *Vnde & ſalutificatorem noſtrum expectamus Ieſum Chriſtum, qui transfigurabit corpus hum ilitatis noſtræ, conformale corpori gloriæ ſuæ.* Iſtam habere debent viatores imitando Chriſti paſſiones: hæc namque con formitas cum Chriſto crucifixo, eſt velut neceſſaria diſpoſitio, ad obtinendam in cœlo conformitatem cum Chriſto glorificato. Ut enim de Chriſtiano viatore fatur Paulus, *configuratus morti ejus, ſi quomodo occurram ad reſurrectionem* Hanc configurationem & paſſionis Chriſti imitationem nobis proponit Tertullianus, velut viam regiam quæ ducit ad cœlum, veſtigiis ipſiuſmet Salvatoris demonſtratam: *Si audiſti apud Amos, Qui aſcenſum ſuum ædificat in cœlo, & profuſionem ſuam fundat in terras: ſcito & aſcenſum illum exinde complanatum veſtigiis Domini.* Chriſtus aſcenſum ſuum ædificat in cœlis, ad quos propria virtute aſcendit, & ubi ſedet ad dexteram Patris: profuſionem vero ſuam fundat in terras: tum quia hominibus in terra degentibus ſuam largitur gratiam, qua cœlum mereantur: tum quia illis ſuam reliquit paſſionem velut facem quæ illos illuſtret, ad tenendam cœli viam. *Hac enim gratia eſt, in hoc & vocati eſtis, quoniam & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ſemetipſum, ut adſequamini veſtigia ejus.* Per cruces & paſſiones ambulavit Chriſtus toto vitæ decurſu. *Ipſæ ſunt regiæ ad cœlum viæ.* Viæ dicuntur regiæ, quia publicæ ſunt; ad quas omnes ſemitæ reducuntur; & per quas reges iter agere ſolitant. Hanc viam regiam inſecutus eſt Dominus dominantium Chriſtus: *quia & ſavos poſt fella guſtavit: nec ante rex gloriæ à cœleſtibus ſalutatus eſt, quam rex Iudæorum proſcriptus cruci.* Per illam viam regiam incedere debemus, ut valeamus ad cœlum pervenire. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Sunt namque conditiones ſine

Rom. 8. Tert. l de Reſ. 47. Phil 3. Scorp. 10. Tertull. Scorp. 12. Greg. Niz or de plaga grand. Tert. l. de Cor. Mil. 14. Act. 14

quibus cœleſtis non habetur hæreditas, quam nobis obtinendam proponit
Luc. 22. Salvator iiſdem conditionibus quibus illi popoſuit Pater: *Ego diſpono vobis*
In cap. 5. *regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater:* Ubi Rupertus ſic acute ratiocinatur. *Hoc*
Apoc. *jus legale eſt apud cœleſtem regem; ut ſicut ipſi diſpoſuit Pater regnum, ita diſpo-*
nat nobis præmium. Chriſto propoſuit cœleſte regnum ſub hac conditione, ut
illud per paſſionem & crucem mereretur. Conditionem ſibi à Patre propo-
Tert. l. de ſitam adimplevit Dominus, ſubiit mortem crucis: *quia nec ipſe Chriſtus glo-*
Reſ. 47. *rificatus eſt ante paſſionem.* Eamdem conditionem à Chriſto propoſitam ſer-
Tertull. Scorp. 13. vare debent Chriſtiani, ut cœleſtem ſibi valeant comparare fœlicitatem. *Quod*
ſi filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes vero Chriſti: ſiquidem compa-
timur, uti & cum illo glorificemur: His verbis denotat Apoſtolus eos dum-
taxat eſſe Dei hæredes & Chriſti cohæredes, qui Chriſti communicant paſ-
In Ep. ad ſionibus. Nam ut commentatur D. Ambroſius: *quomodo cohæredes fieri poſ-*
Rom. *ſumus, declarat dicens, Si tamen compatimur.* Chriſtus eſt præcipuus hæres;
nos tantum ſumus Chriſti cohæredes, qui ad hæredis exemplum pati debe-
mus. Non majori potiuntur cohæredes jure ad cœleſtem hæreditatem quam
hæres; eam hæres non obtinuit niſi per paſſionem & crucem, nos Chriſti co-
hæredes, eiſdem conditionibus eam acquirere debemus. Sic etenim æterni
Patris fruemur teſtamento, juxta ejus diſpoſitionem. Quomodo Origenes
Hom. 13. hunc Geneſeos intelligit locum: *Erit pactum meum in carne veſtra:* pro pacto
in Gen. ſiquidem vertit teſtamentum. *Quomodo erit teſtamentum Chriſti ſuper carnem*
meam, requiro. Si mortificavero membra mea quæ ſunt ſuper terram, teſtamen-
tum habeo ſuper carnem meam.

Qui hujus teſtamenti nolunt adimplere conditiones: 1. Teſtatorem de-
dignantur, cujus voluntatem exequi nolunt: 2. Hæredem aſpernantur, cujus
Hom. 24. exemplum imitari nolunt: Ut enim ait D. Chryſoſtomus: *Ipſe per tribula-*
in Ep. ad *tionem pervenit, tu autem per requiem vivire. Quomodo ergo ſequeris non ſe-*
Hebr. *quens?* 3. Rerum ordinem evertere conantur, ſectando in via quod nequit in-
Serm. 6 de veniri niſi in patria: *Non quæras in via, quod tibi paratur in patria,* ait D. Au-
Temp. guſtinus. 4. Delicias, in religione quæ cruces profitetur, ſectantur: *Delicatus*
Tert. l. de *es Chriſtiane, ſi & in ſæculo voluptatem concupiſcis.* 5. Chriſtianos ſe eſſe men-
Spect. 28. tiuntur: nam ut vult Tertullianus: *Ea nos oſtendunt Chriſtianos, quæ patimur*
Lib. de Præſcr. *ad exemplum ipſius Chriſti.* 6. Ethnicos imitantur, qui lætantur in hoc ſæcu-
Hær. 3. lo & mœrent in futuro. *Vicibus diſpoſita res eſt: nunc illi lætantur, nos conffi-*
Tert. l. de *ctamur. Sæculum, inquit, gaudebit, vos triſtes eritis.* Unum è duobus eligen-
Spect. 28. dum eſt, aut pati cum Chriſto, aut lætari cum ethnico. Qui patitur cum Chri-
ſto, regnaturus eſt cum Chriſto: qui vero lætatur cum ethnico, non poteſt re-
D Hier. l. gnare cum Chriſto. *Delicatus es frater, ſi & hic vis gaudere cum ſæculo, & po-*
2. Ep 6. *ſtea regnare cum Chriſto.* Si cœleſte exoptas regnum, noli timere paſſiones
D. Aug. in queis illud acquiſivit Chriſtus. *Quare amas habere quod Chriſtus, ſi times pati*
Pſ. 96. *quod Chriſtus?* & ſi Chriſtum volumus imitari, & Chriſtianorum non genti-
Tert. ib. lium agere perſonas; *lugeamus dum ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint*
gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus.

CON-

CONCIO SEXTA.

ADmittendum neceſſario eſt diſcrimen inter carnem, & opera carnis. Non etenim caro, ſed ejus opera damnantur. Juſtus eſt Deus tum in remunerando, tum in puniendo; *carnalia opera, non carnem accuſans*: Illi non pœnam merentur, ſed præmium, qui carne utuntur ad bonum, & lumini rectæ rationis & divinæ legi *opera carnis ſubigunt*: qui vero beſtiarum more viventes, gulæ indulgent, libidinis volutantur cœno, aliaque nefanda operantur crimina, *ſecundum calentes carnis concupiſcentias*, pro tam horrendis ſceleribus puniendi ſunt; etiam *in carne carnaliter agenti*: Non parvam ſane meretur pœnam homo animalis, qui concupiſcentiæ carnalis æſtuat calore: nam in carne carnaliter agens fit: 1. Deo odioſus: 2. Chriſto infenſus: 3. ſibi noxius. Tert. l. de Reſ. 47. Tert. l. de An. 11. Tert. l. de Exh. Caſt. 10. Tert. l. de An. 11.

Nos certi ſumus eos qui in carne ſunt, Deo placere non poſſe. Verum ſi quotquot ſunt in carne, Deo placere non poſſunt, exuenda ergo ac deponenda eſt caro, ut Deo placere poſſimus. Hoc dubium ſic movet D. Chryſoſtomus: *Quid? num corpus noſtrum diſcerpemus? num carne excedemus, ut Deo placeamus?* Etenim nonniſi per mortem viduamur carne: & cum repugnet inveniri hominem qui in carne non ſit, & carne non conſtet, nullus unquam Deo placuit: Ergo non *placuerunt Deo ſancti Patriarchæ? ergo non placuerunt ſancti Prophetæ? ergo non placuerunt ſancti Apoſtoli? ergo non placuerunt ſancti Martyres, qui antequam corpus patiendo deponerent, Chriſtum confitendo, non ſolum voluptatem contemnebant, ſed dolores quoque patientiſſime ferebant? Placuerunt, ſed in carne non fuerunt; portabant carnem, non portabantur à carne*: Regebant carnem, eamque ſpiritui ſubjiciebant. Qui portatur à carne, ejuſque imperia ſubjiciunt animam, Deo non placent: qui vero carnem ſubdunt animæ imperio, Deo placent. Eodem fere modo difficultatem enodat D. Chryſoſtomus animadvertens quod Apoſtolus appellat hic carnem, *non corpus; neque corporis ſubſtantiam; ſed vitam carnalem, voluptate defluentem, quæ hominem ipſum, carnem efficit*: & ita homo non qui rationabiliter, ſed qui carnaliter vivit, Deo nequit placere. Quomodo intelligendus ſit Paulus docet Tertullianus: *Talem ubique Apoſtolum recognoſcas, ita carnis opera damnantem, ut carnem damnare videatur. Sed ne ita quis exiſtimet, ex aliorum vel cohærentium ſenſuum ſuggeſtu procurantem. Nam & dicens, eos qui in carne ſunt Deo placere non poſſe, ſtatim de pravo intellectu ad integrum revocat, adjiciens: Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu: eos enim quos in carne eſſe conſtabat; negando in carne eſſe, in operibus carnis non eſſe monſtrabat: atque illos demum Deo placere non poſſe; non qui in carne eſſent, ſed qui carnaliter viverent: placere autem Deo illos, qui in carne poſiti, ſecundum ſpiritum incederent*: Eodem fere modo aliorſum elucidat hunc locum Tertullianus: *Nos certi ſumus eos qui in carne ſunt, Deo placere non poſſe; non utiq; in ſubſtantia carnis, ſed in cura, ſed in affectio-*

I. PARS. Tert. l. de Jejun. 17. Hom. 13. in Epiſt. ad Rom. D. Aug. Serm. 6 de Ver. Apoſt. Lib. de Reſ. 46. Lib. de Jejun. 17.

affectione, ſed in operatione, ſed in voluntate. Hos etenim qui carnaliter operantur, & carnis voluntatem faciunt, Deus 1. odit: 2. damnat: 3. punit.

Tert. l. de Pud. 17. Rom. 8. Tert. l. de Pœn. 3. Tertull.

1. Affirmat Apoſtolus *inimicitiam in Deum, & in eos, qui ſunt in carne, id eſt, in ſenſu carnis.* Sapientia carnis inimica eſt Deo. Deus etiam eſt ſapientiæ carnis inimicus; & quia *inter contraria ſibi nulla amicitia eſt*; ſenſus carnis ſapiens malitiam, immunditiam & iniquitatem, contrariatur Deo, qui eſt eſſentialiter ſanctus, purus & bonus. *Quoniam cum Deum grande quid bonũ conſtet eſſe: utique bono nonniſi malum non diſpliceret.* Opera carnis adeo ſunt mala & probroſa, quod ea *pudet pronuntiare.* Neque tantum Deo diſplicent opera carnis, ſed ea inſuper Deus averſatur: quia *malitiam excogitatam Deus exactor innocentiæ odit*: Cuncta ſua opera diligit Deus, quia à bono oriuntur principio, quod eis tribuit bonitatem: Deus tamen *non placet quod ipſe non produxit*, utpote criminoſum: Deus etenim delicti & criminis nequit eſſe author, quapropter ſceleroſa opera carnis quæ produxit, averſatur & damnat.

Tert. l. de An. 17. Tert. l. de Spect. 2. Tert. l. 1. de Cult. fœm. 7.

Tert. l. 2. adv. Marc. 24. Lib. 2. adv. Marc. 13.

2. *Deus nec malum admittit, nec bonum damnat.* Quia Deus eſt ipſamet ſanctitas, malum culpæ admittere nequit; quia eſt eſſentialis bonitas, bonum non poteſt damnare: & quia *juſtitia eſt plenitudo divinitatis, exhibens Deum perfectum*, delicta tenetur judicare & damnare: In ultimo autem judicio judicabit & damnabit Deus crimina quæ perpetravit homo per carnem. Tum quia Dei judicium plenum eſt & perfectum, ad *plenitudinem perfectionemque judicii* requiritur ut cuncta in univerſum judicet & damnet peccata quæ commiſit homo ſive in anima, ſive per carnem. Quia *vita eſt cauſa judicii, per tot ſubſtantias diſpungenda per quot & functa eſt.* Homo niſi totus non vixit, totus autem non fuit, niſi ex concretione animæ & corporis: *qualis ergo vixerit habet judicari.* Si carnaliter vixit, ob opera carnis judicandus & damnandus eſt. Carnalem itaque hominem Deus *ejicit, & damnat ejiciendo.* Et licet Deus cunctos ſceleroſos judicaturus & damnaturus ſit: ex Apoſtolo tamen ſpecialiter *fornicatores & adulteres judicabit Deus.* Animadvertit autem D. Thomas à Villa nova, quod quoties Paulus de vitio carnis loquitur, toties indignantis Dei iram & vindictam ſubjungit.

Tert. l. de Reſ. 14. Tertull. Tert. l. 4. adv. Marc. 30. Hebr. 13. Ser. 4. poſt Dom. 1. Quad.

3. Deus *& bono juvando, & malo puniendo, juſtitiam exhibens, utramque ſententiam bono præſtat: hinc vindicans iſtud, inde remunerans illud*: In ultimo judicio ſuam Deus erga carnem exhibebit juſtitiam, præmians innocuam & puniens ſceleroſam. Nam *bene operata tenebitur præmio, & peccatrix tenebitur ſupplicio.* Ad punienda carnis peccata aſſumpſit Deus aquam & ignem. Aquam, qua totum mundum diluvio delevit, quod nuncupat Tertullianus *caſum orbis rerum omnium abolitorem.* Ignem, quo Sodomam & Gomorrham incendit & in cineres convertit. Deus Angelorum puniens ſuperbiam, tertiam partem dumtaxat cœleſtium ſpirituum ad tartara detruſit, cæteros ad empyreum beandos ſublimavit, at hominum puniens diluvio laſciviam *totum orbem cataclyſmus abolevit.* Ex tot homi-

Tert. l. de Reſ. 14. Tert. l. de Reſ. 15. Lib. 1. de Cult. fœm. 3. Tertull. Apol. 40.

hominum millionibus, qui tunc temporis ſupra terram degebant, ſola Noë familia octo animabus compoſita ſuperſtes remanſit. Similiter *cùm Sodomam & Gomorrham igneus imber excuſſit*, ex cunctis habitatoribus Pentapolis ſolus Loth cum uxore & filiabus ab incendio liberatus fuit, & ut denotetur quantum ſit odioſum Deo carnis vitium, *olet adhuc incendio terra*. Verùm quantumvis ſit grande duplex illud aquæ & ignis ſupplicium, magis adhuc *extolletur Dominus in judicio in populum voluptuarium*, Deo odioſum, & Christo infenſum. Tertull. Tert. Cyrill. Alex.

Carnales homines ſunt *alij à Chriſto*: cujus 1. diſciplinam dediſcunt. 2. ſpiritum rejiciunt. 3. perſonam lædunt. II. PARS.

1. *Hæc enim conſultata ſunt Chriſti Eccleſiam diligentis, qui ſe pro ea tradidit, ut eam ſanctificet, emundans lavacro aqua in verbo, ut ſiſtat ſibi Eccleſiam glorioſam, non habentem maculam aut rugam, utique poſt lavacrum; ſed ſit ſancta, & ſine opprobrio, exinde ſcilicet ſine ruga vetuſtatis ut virgo; ſine macula fornicationis, ut ſponſa; ſine opprobrio vilitatis, ut emundata.* Multiplici ratione Eccleſiæ puritas & ſanctitas competit: Tum ne vileſcat gloria, quam accepit à Chriſto: tum ne degeneret à ſanctitate, quam mutuata eſt à lavacro: tum ne virginalis ejus puritas maculetur: tum ne ſponſo afferat ignominiam. Et quia Eccleſia ex Fidelium cœtu conflatur, his etiam rationibus Chriſtus ab immunditia avocare nititur, & *ſtudet carnem vel à ſordibus purgare*. Paulus doctrinæ Chriſti zelator ferventiſſimus immunditiam fugiendam, & munditiam ſectandam docet Chriſtianos: *Aſpice epiſtolas ejus, omnes pro pudicitia, pro caſtitate, pro ſanctitate prætendunt, omnes in luxuria, & laſcivia, & libidinis negotia jaculantur.* Quare ad Theſſalonicenſes ſcribit: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra: abſtinere vos à fornicatione, ſcire unumquemque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in libidine concupiſcentiæ, ſicut nationes quæ Deum ignorant.* Hoc ponit diſcrimen inter Gentiles & Chriſtianos, quòd illi verum Deum neſcientes tradiderunt corpora ſua in operationem immunditiæ omnis; hi verò à Chriſto edocti didicerunt ſervare ſua corpora in ſanctificatione & honore. Quod in Romanis apparet, qui ante ſuam converſionem omnimodæ laſciviæ & immunditiæ erant addicti, poſteà veritatis lumine illuſtrati. *Romani verò quid magis diſcunt, quàm non derelinquere Dominum poſt fidem?* Qui autem corpora ſua tradunt in operationem immunditię, Chriſtum derelinquunt, doctrinam ejus deſpiciunt, Gentilium more viventes. *Apoſtolus proinde & Epheſiis priſtina deputans, de futuro monet. In quibus & nos converſati ſumus, facientes concupiſcentias, & voluptates carnis: notans denique illos, qui ſe negáſſent, ſcilicet Chriſtianos, eò quòd ſe tradidiſſent in operationem immunditiæ omnis: Vos autem, inquit, non ſic didiciſtis Chriſtum.* Quot ſunt hac tempeſtate, qui Chriſti diſciplinam dediſcunt, qui ſe Chriſtianos negant, qui ſe Gentiles profitentur, qui magis quàm Ethnici omnis immunditiæ volutantur cœno, qui ſecundùm carnem ambulant, qui carnis ſenſum ſapiunt? *Quid autem intelligimus carnis ſenſum, & carnis vitam, niſi quodcumque pudet* Tert.

Tert. l. adv. Valent 39. Tert. l. de Pud. 18. Tert. l. de Pud. 16. Tert. l. de Pud. 17. Tert. Tert. Tert.

pronuntiare? 1. Chriſti diſciplina turpem ab ore amovet ſermonem: *Omnis* Tert. *ſermo turpis non procedat de ore veſtro*: & illi inhoneſta & laſciva indeſinenter proferunt verba. 2. Chriſti diſciplina luxuriam & impudicitiam prohibet, & Tert. l. de Pud. 18 illi venereas voluptates publicè captant, *& quæ in occulto ab eis fiunt, turpe eſt dicere.* 3. Chriſti diſciplina docet ſervare carnem in honore & ſanctificatione: & illi contaminant & dedecorant; nam *quid turpius impudicitijs?* Tert. 4. Chriſti diſciplina deſiderat, ut Chriſtiani ſecundùm ſpiritum, & non ſecundùm carnem ambulent: Tert. Apoſtolus namque *in nos dirigit integritatem & plenitudinem diſciplinarum, qui non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum incedimus*: illi verò non ſecundùm ſpiritum, ſed ſecundùm carnem ambulant; Tert. l. de Jejun. 3 *ut jam hinc animalis fides ſemen ſuum recognoſcat; exinde deducens carnalium appetitionem, & ſpiritualium recuſationem.* Et ita

Tert. l. adv. Val. 39 2. Qui ſecundùm carnem ambulant, ſunt *alij à Christo, & Spiritu ſancto*, cujus gratiam extinguunt, cujus templum polluunt, quem à ſemetipſis ejiciunt. 1. Theſ. 5 Chriſtianos hortatur Apoſtolus: *Spiritum nolite extinguere*, hoc eſt, Hom. 11 Spiritûs ſancti gratiam; ut enim animadvertit D. Chryſoſtomus: *Mos eſt ei vocare gratiam, Spiritum; eam autem extinguit vita immunda.* Quomodo adhuc intelligit D. Ambroſius iſtud Geneſeos: Non permanebit ſpiritus meus in L. de Init. c. 1 homine, quia caro eſt: *quia carnali immunditiâ gratia ſpiritualis avertitur.* Exod. 30 Agens Moyſes de oleo, quo ungendi erant filii Aaron, ait: *Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras: caro hominis non ungetur ex eo.* Quorſum conficitur oleum, quo hominis caro ungi non poſſit, quod quomodo intelligendum ſit, quæri debet, cùm Aaron filiique ejus ex eo ungi præcipiantur? In promptu tamen eſt advertere cum Radulpho, eam quæ ad uſum carnalem pertinet, exhiberi unctionem, non eam quæ ad ſanctificationem. In alleg. Unde non dicitur: Homo non ungetur ex eo, *ut voluptatem potius carnis amputandam intelligat, quàm officium conſecrationis: Unctio iſta ſpiritus eſt. Unguento itaque iſto caro hominis ungi non poteſt*; *quia quicunque vivunt ſecundùm car-* D. Tho. à Villa Nova Ser. de S. Dorothea. *nem, ſancti Spiritûs neſciunt unctionem.* Nam quis conſenſus Spiritûs Dei cum carne? aut quæ convenientia ſapientiæ ad illecebram? *Non immittet Deus pretioſiſſimum puriſſimumq; Spiritûs ſui liquorem in vas inquinatum.* Gratia autem eſt pretioſiſſimus & puriſſimus Spiritûs ſancti liquor, quem non poſ- Bern. Sen. 19. 2. Ser. 47. a. 3. c. 1. ſunt recipere carnales homines. 2. Quilibet fidelis templum eſt Spiritûs ſancti in baptiſmo dicatum, unde plus Deus diligit unum tale templum ſpirituale, quàm omnia templa temporalia mundi, cùm pro omnibus mundi templis 1 Cor. 3 reparandis incarnatus & paſſus non fuerit Chriſtus. *Templum Dei ſanctum eſt,* Tert. l. de Reſ. 10 *quod eſtis vos.* Quantumvis honorandum ſit ſanctum Dei templum, & quantumvis Apoſtolus *corpus noſtrum ut Dei templum vitiari vetet*, attamen carna- Pſal. 78 les homines, *ô Deus polluerunt templum ſanctum tuum.* Seu, ut adhuc loqui- Pſal. 73 tur Propheta, *incenderunt igni ſanctuarium tuum.* Quonam verò igne incen- D. Bern. Serm. 23 de Modo benè vivi derunt ſanctuarium Dei? igne ſcilicet libidinis & impudicitiæ, quæ *inter cætera ſeptem vitia maximum ſcelus eſt, quia per carnis immunditiam templum Dei vio-*

violat. Quàm ſceleroſi ſint homines libidinoſi, qui Dei templum violant, &
quàm magno ſupplicio puniendi, ab inductione colligit D. Chryſoſtomus: Hom. 18
Si quis privatam domum ingreſſus eam probro & injuriâ affecerit, extremum luet in 1. Cor.
*ſupplicium. Qui Regis templum latronum fecerit receptaculum, cogita quot mala
ſit paſſurus.* Hoc eſt facinus carnalis hominis, qui domum Dei contaminat,
ſanctuarium maculat, Spiritûs ſancti templum violat, à ſuo ſacrario divinum
Spiritum fugat. Si quis illecebroſis turpitudinibus ſordidatur, in eum Spiri- Thom. à
tus Dei non intrat, quoniam amator eſt puritatis. Puritatis amator in pudicis Villa Nov.
libens habitat, non autem in impudicis: *in quibus jam & Spiritus ſanctus non* Tert. l.
immoratur, ut in præteritum in templo commorabatur. Quandiu homo eſt adv. Jud.
ſanctitate decoratus, tota Trinitas in eo ut in templo inhabitat; quandiu le- 13
thali culpâ maculatur, in eo diabolus reſidet. Quare Euſtochium ſic horta- Ep. 22
tur D. Hieronymus: *Cave obſecro ne poſt Trinitatis hoſpitium ibi dæmones ſal-
tent.* Cuivis Chriſtiano idem ferè monitum præbet D. Chryſoſtomus: *Re-* Hom. 18
verere eum qui in te inhabitat, is eſt enim Paracletus: formida eum qui eſt tibi in 1. Cor.
conglutinatus, eſt enim Chriſtus. Homo carnalis nec Spiritui ſancto reveren-
tiam præſtat, nec Chriſtum metuit. Nam ut ei exprobrat Venerabilis Beda:
*Quem horum in te contemnis? Spiritum ſanctum cujus es templum? an Chriſtum
cujus es membrum?* Utrumque contemnit, & Spiritum ſanctum, quem è ſuo
templo ejicit, & Chriſtum quem de proximo lædit. Tert. l. de

3. Paulus *corpora noſtra membra Chriſti facit.* Quadruplici autem potiſſi- Reſ. 10
mum ratione corpora noſtra membra ſunt Chriſti. 1. Ob Incarnationem,
in qua Verbum divinum univit ſibi hypoſtaticè hominem corpore & animâ
conſtantem. Si ſolam animam aſſumpſiſſet & non corpus, corpora noſtra
non eſſent membra Chriſti; ſed quia corpus ſimul cum anima aſſumpſit, *pro-* V. Beda.
fectò illius membra ſunt & corpora noſtra. 2. Ob baptiſmi ſuſceptionem, in quo
renatos ſibi deſponſavit Chriſtus. Quare Theodoretus: *Neſcitis quòd tanquam* In 1. Cor.
ſponſa ſponſo, Chriſto conjuncti ſumus? 3. Ob Eccleſiæ formationem, cujus 6.
caput eſt Chriſtus corpus verò ex cunctis conflatur fidelibus. Ex Venerabili
autem Beda Apoſtolus *corpora noſtra membra eſſe Chriſti dixit, quoniam Chri-
ſtus caput noſtrum eſt, corpus autem ejus Eccleſia eſt.* 4. Ob Euchariſtiæ ſuſce- D. Bern.
ptionem: per hoc namque Sacramentum inter corpus Chriſti & corpora no- de Nat. &
ſtra arctiſſima fit unio: *Corpus enim Chriſti manducare nihil eſt aliud quàm cor-* dign. div.
pus Chriſti effici. Inde duas elicit Apoſtolus concluſiones: 1. *Monet tollere &* Amo. c. 13
magnificare Deum in corpore noſtro. Ut autem alibi ſum docet Tertull. *Magni-* Tert. l. de
ficatur Deus in corpore per pudicitiam. 2. Revocat in memoriam quòd cor- Reſ. 10
pora noſtra membra ſunt Chriſti, ne per luxuriam illa faciamus membra me- Lib. 2. de
retricis: *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo mem-* cult. fœ.
bra Chriſti, faciam membra meretricis? Hæc Apoſtoli verba audienda & atten- 11
tè meditanda merito cenſet D. Auguſtinus: *Audite Apoſtolum & terreamini;* 1. Cor. 6
non potuit enim gravius dicere, non potuit vehementius, non potuit enim acrius Serm. 52
deterrere Chriſtianos ab amore fornicationum, niſi ubi dicit: Tollens ergo membra de temp.

Chri-

Chriſti faciam membra meretricis? Nihil validius, nihil efficacius ad horrorem libidinis ingenerandum cordibus, quàm ſeria conſideratio quòd membra noſtra ſunt membra Chriſti. D.Aug. *Illicitum amorem cavete, membra Chriſti eſtis, & corpus Chriſti eſtis.* D.Aug. Hos quivis in ſemetipſo cogitet: *Membra Chriſti in te, Chriſtiane, attende, noli in altero, in te attende membra Chriſti*, quæ honorare & non dehoneſtare debes. Tert.l.de Pud.1 Hæc eſt conſequentia, quam ex verbis Apoſtoli deducit Hugo Card. *Membra ſunt Chriſti, ideò in maximo ſunt honore habenda*: in honore autem habentur per pudicitiam, quæ eſt *honor corporum.*

Sunt qui pudicitiam ſervant in carne ſua, Chriſtum honorant; ita qui laſciviâ carnem ſuam dedecorant, Chriſtum graviter offendunt: Tert l.4 adv.Marc. 30 *Lædentes igitur carnem iſtam, eum lædimus de proximo.* Quanta ſit hujuſmodi offenſa Chriſto facta, colligi poteſt, quia in ea repetitur injuſtitia & iniquitas, adulterium & infidelitas, contemptus & vilitas, ſacrilegium & impietas. 1. Injuſtitia & iniquitas, auferendo à Chriſto quod ſuum eſt? Tertull. *Quod ſciam non ſumus noſtri, ſed pretio empti, & quali pretio? Sanguine Dei.* Corpora noſtra tam carò empta non ſunt in noſtra poteſtate, ſed in poteſtate Chriſti qui ea emit. Nam ut concludit D.Chryſoſtomus: Hom.18 in 1.Cor. *Si alienum eſt corpus, non eſt in veſtra poteſtate probro illud afficere, maximè cùm ſit dominicum.* De corpore tamen ſuo ſceleroſo diſponit immundus, quaſi ſit ſui juris, in quo injuſtitiam & infidelitatem committit, 2. Conjuges ſibi mutuò fidelitatem præſtare tenentur, qui adulterium perpetrant, infideles ſunt. Chriſtianum ſibi in Baptiſmate deſponſavit Chriſtus: Tert. *O felix connubium ſi non admiſerit adulterium!* Chriſto debitam non ſervat fidem immundus, & ſicut conjux ab adulterante conjuge dehoneſtatur, ita Chriſtus per immunditiam infidelis Chriſtiani vileſcit, & probro afficitur. 3. De Gentilium laſcivia ſic fatur Tertullianus: Apol.15 *Cætera laſciva ingenia etiam voluptatibus veſtris per Deorum dedecus operantur.* Non abſimiliter ob Chriſtianorum laſcivias dedecoratur Chriſtus. Quare Chriſtianum urget V.Beda, ne Chriſtum ſuis fœditatibus probro afficiat: *Si ergo unuſquiſque cupiens fornicari, vileſcat ſibi, & in ſeipſo contemnat ſeipſum, ſaltem in ſe non contemnat Chriſtum.* Eundem obſecrat Chryſoſtomus ut in ſe parcat Chriſto: Apol.12 *Parce in te Chriſto, agnoſce in te Chriſtum.* 4. De impietate & ſacrilegio Gentiles arguit Tertullianus: *Vos impij & ſacrilegi erga Deos veſtros deprehendimini.* Impius & ſacrilegus luxurioſus, qui Chriſti membra prophanat. Nam ut ratiocinatur Hugo Card: *Si prophanum eſſet reliquias Sanctorum inquinare, multò magis membra Chriſti.* Hujuſmodi prophanationem *rem impiam* nuncupat Dionyſius Carth. Hanc Doctor Angelicus *horrendum ſacrilegium* appellat. Quia membra divino cultui dicata ſubtrahit, & Veneris cultui mancipat. Imò duplex ibi reperitur ſacrilegium; nam quemadmodum conjugatus cum uxorata congrediens geminum perpetrat adulterium: ſic Chriſtianus laſciviens ſuum prophanat corpus, & corpus etiam meretricis cum qua unitur. Quid iniquius? quid ſceleroſius, quàm Chriſto contumelioſè ſua auferre membra? D.Anſel. *Neque enim tollere membra ſua Chriſto debeo, & dare meretrici*: & tamen inju-

ſtè

ſtè,impiè,& ſacrilegè laſciviens tollit membra Chriſti, & meretrici dat: *Non*
poſſunt ſimul eſſe membra Chriſti & membra meretricis,ſed deſinunt eſſe membra D.Anſel.
Chriſti,ubi adhærent meretrici. Animadvertit Theophylactus, quòd Apoſto-
lus non dixit: Tollens membra Chriſti copulabo ſcorto; verùm, quod eſt
multò horribilius: faciam membra ſcorti. Quis enim non exterreatur, quis
non horreat, ſi audiat membra Chriſti avelli, fieriq; ſcorti membra? Nam D.Aug.
ſicut una fit caro in permixtione licita viri & uxoris, ſic una fit caro in per-
mixtione illicita meretricis & amatoris. Fornicatio enim ambos unum facit, D.Anſel.
ut quomodo in natura, ſic in macula unum ſint; dum per illam nequiſſimæ
voluntatis adhæſionem duo unum corpus efficiuntur, id eſt, in eodem ſcelere
uniuntur. *Hoc qui non horret, Deo horret.* Tam execrandum ſcelus non horret D. Aug.
homo carnalis, Deo odioſus, Chriſto infenſus, & ſibi noxius.

Quàm ſibi noxius ſit carnalis homo, inde conſtat, quòd carnaliter vivens III. PARS
1. à paradiſo exulat. 2. ſeſe beatitudine privat. 3. æternæ morti mancipat.

1. *Unde præſumendum eſt, hos qui intra paradiſum recipi volent, tandem ceſſa-*
re ab ea re, à qua paradiſus intactus eſt. Toto tempore, quo primi parentes fue- Tert.l. de Exh. Caſt. 11
runt in paradiſo terreſtri, à carnali opere ſe abſtinuerunt: *Adam adhuc integer;*
ſiquidem corporis integritatem ſervavit Adamus. Eva *etiam adhuc felix, ad-* Tert.l. de vel.Virg.
huc digna paradiſo, adhuc virgo. Quòd ſi corporis puritas conveniens fuit pa-
radiſo terreſtri, quantò magis decet paradiſum cœleſtem, ubi Beati *ſimiles* L.de vel. Virg: 5
erunt Angelis, quia non nupturi, non morituri, ſed quia tranſituri in ſtatum An- Tert.l. de
gelicum per indumentum illud incorruptibilitatis, per ſubſtantiæ reſuſcitatæ ta- Reſ: 36
men demutationem. D. Bernardinus Senenſis trinam affert rationem, cur car- To.3.Ser.
nalis homo à paradiſo cœleſti rejiciatur. 1. Quia regnum Dei eſt mundiſſi- de regn: Eccl:c.5
mum, carnalis autem immundus. 2. Quia regnum Dei eſt incorruptibile,
carnalis autem corruptibilis, quia amans corruptionem corruptibilis eſt, ſed
corruptio non poſſidet incorruptionem. 3. Quia illud eſt ordinatiſſimum,
carnalis autem eſt inordinatiſſimus. *Nomine carnis, opera, non ſubſtantiam ex-* Tert.l.5
ponere: operibus ergo carnis, non ſubſtantiæ carnis, in nomine carnis denegatur Dei adv. Marc. 10
regnum. Carnalis itaque homo carnaliter operans à cœlo exulat, & felicitate
ſe fruſtrat.

2. Angelos ex depravato fœminarum amore corruiſſe, cenſet Tertullia-
nus: de quibus ſic fatur: *Enimverò qui utique interdum cogitabant unde cecidiſ-* Lib.1. de
ſent, & poſt libidinum vaporata momenta cœlum ſuſpirabant. Hinc tria ſunt cult.fœ.2
notatu digniſſima. 1. Libidinum vaporata momenta, quia venereæ volupta-
tes ad inſtar vaporis in momento evaneſcunt. Nemo poteſt cœlo potiri, *niſi*
devictis voluptatum ſpumis. Videbis nonnunquam in aquarum gurgite candi- D. Chryſol.Ser. 8
das & tumidas aquæ ſpumas, ſed citò diſpargunt: laſcivientes *poſt momentaneas* D.Bern.
ſuavitates ad ſempiternas amaritudines deferunt. 2. Pravi Angeli cogitabant in Sent.
unde cecidiſſent. Lyſimachus cùm inter Getas ſiti conſtrictus ſeſe pariter ac Plut.l.de
exercitum hoſti dediſſet, ac deinde frigidam bibiſſet aquam, exclamavit: tuend.Valet.
Quàm brevis voluptatis causâ magnam depoſui felicitatem! Eodem modo li-

D.Aug. tract.19 in Joan. bidinoſi poſt mortem aperient animæ oculos,& præ dolore dicent: *O quàm parva eſt concubitûs hora, quâ perditur vita æterna!* 3. Deſertores Angeli amiſſum ſuâ pravitate cœlum ſuſpirabant. Non abſimiliter luxurioſi dolore
Tert.l.4 adv.Marc. 30 tabeſcent, *cùm videbunt juſtos introeuntes in regnum Dei, ſe verò detineri foris in pœnam.* Nam in pœnam ſuæ libidinis à cœlo excludentur, & in infernum æternaliter mortui detrudentur.

Tert.l.de Pud. 17 3. Nam *quid Galatæ legunt? Manifeſta ſunt opera carnis, quæ prædico vobis ſicut prædixi, quòd qui talia agunt, regnum Dei non ſunt conſecuturi æternitate.*
Tert l.4 adv.Marc. 30 Neque æternâ duntaxat beatitudine privantur carnales homines, ſed ulterius morte ſempiternâ puniuntur. Nam ut addit ex Apoſtolo Tertullianus: *Si ſecundùm carnem vivitis, futurum eſt ut moriamini.* Duplici pœnâ mulctabitur in inferno libidinoſus. Pœnâ damni: nam Dei viſione privabitur. Nam ſicut caſti cor mundum habentes Deum videbunt, ſic immundi à facie Dei ejicientur,
Tertull. *Cùm ſurrexerit comminuere terram, & clauſerit oſtium utique excludendis iniquis: Recedite à me omnes operarij iniquitatis.* Deinde pœnam ſenſûs
D.Cypr. de Aſcenſ. ſuſtinebit: *Ergo erit pœna à quo fit excluſio in pœnam*; Deus namque miniſterio ignis eum cruciabit:
Iſid.Pel. l. 1. ep.433 *In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur.* Ignis ad ignem conducit: *Libidinoſum hujus vitæ incendium ad fornacem illam tendit.* Et ut ait Zeno Vero-
Serm:10 nenſis: *Sator iſte carnalis deſiderij, furorq́, libidinis temporalis æternum gehennæ ignem & ultricium flammarum promulgavit incendia.* Vis, Chriſtiane, libidinis
D. Chryſ. de Repar. lapſ. extinguere ignem? ad ignem inferni mentis oculos dirige: *gehennæ ignem flammis libidinis oppone, ut ignis igne extinguatur.* Idem conſilium ſubmini-
Serm.25 de Modo benè viv. ſtrat D. Bernardus: *Ardor gehennæ extinguat in te ardorem luxuriæ, major ardor minorem ardorem ſuperet, ſtridor flammarum horribilis amorem depellat libidinis.*

CASTI-

CASTITAS.

SCHOLIUM.

In hoc Tractatu conſideranda eſt Caſtitas 1. *Generalis.* 2. *Matrimonialis.* 3. *Vidualis.* 4. *Virginalis.* 5. *Sacerdotalis,* 6. *Regularis.*

CONCIO PRIMA.

PUDICITIAM nuncupat Tertullianus *principalem Chriſtiani nominis diſciplinam.* L. de Pud. 1. Tanta in æſtimatione apud primævos Chriſtianos erat Caſtitas, ut eam omni ſuppliciorum generi, morti etiam præponerent. Pudicitiæ labes maximum omnium Chriſtianis mulieribus videbatur ſupplicium, nullaque erat quæ non potius ad leonem, quàm ad lenonem duci maluiſſet: & Gentiles ſummam in eas oſtentabant crudelitatem, corpora pudicitiæ dicata exponendo non leonum feritati, ſed lenonum fœditati. Quod illis exprobrat Tertullianus: *Ad lenonem damnando Chriſtianam potius, quàm ad leonem, confeſſi eſtis labem pudicitiæ, apud nos atrociorem omni pœnâ, & omni morte reputari.* Apol. 48. Neſcio an hac tempeſtate fideles pudicitiam ſuppliciis, & morti præferrent, & mallent potius ad leonem duci, quàm ad lenonem. Hac, inquam, ætate *quanquam rara pudicitia, nec facilè perfecta, vixq; perpetua.* Tert. l. de Pud. 1. 1. Rara: perpauci namque ſunt qui ſervent caſtitatem. 2. Nec facilè perfecta: quia ex eis qui pudicitiam amare ſe dicunt, perpauci ſunt perfectè pudici. 3. Vixque perpetua, quia caſtitas ita eſt lapſui facilis, ut phœnix videatur, qui eam toto vitæ decurſu tueatur. Idcircò ad amorem pudicitiæ, perfectæ pudicitiæ, & perpetuæ pudicitiæ accendere contendo, quoniam caſtitas eſt à Chriſtianis 1. ſectanda. 2. integranda. 3. propugnanda.

I PARS.

Ad accendendum in Chriſtianorum cordibus amorem pudicitiæ, multum eſt efficax *præconium caſtitatis.* Inter illos autem, qui caſtitatem encomiis com- Tert. Apol. 48

commendârunt, præcipuus encomiaſtes Tertullianus, qui librum de Pudicitia ſic incipit: *Pudicitia, flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis fundamentum ſanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis.* Poſt hæc quid amplius de pudicitia poteſt dici? Tædioſum foret tot elogia ſigillatim elucidare. Tria prima tantùm ſunt expendenda, oſtendendo pudicitiam eſſe ſectandam, quia eſt 1. flos morum. 2. honor corporum. 3. decor ſexuum.

Tert. l. de vel. virg. 7 L. 1. adv. Jovin. 3. Multiplici de cauſa Caſtitas *flos morum nuncupatur.* 1. Flos delicatiſſimus eſt, unius dieculæ æſtu marceſcens, levi attactu, affrictu, halitu decidens. Tener etiam, delicatus eſt pudicitiæ flos, qui facilè defloratur, præcipuè virginum. 1. *Quarum flos etiam humanam libidinem excuſat.* 2. Quia caſtitas inter cæteras virtutes illuſtriori quadam prærogativâ floret, & ut ait Hieronymus: *In pudicitia muliebrium virtutum principatus eſt.* Sic ſolemus dicere, hominem florere vel in nobilitate, vel in eloquentia, vel in ſcientia qui in his rebus primatum ſibi vindicat. 3. Sicut nihil eſt flore pulchrius, ſic caſtitas L. de Pud. venuſtior apparet virtus. Idcircò vocitatur à D. Cypriano: *ornamentum morum*; & ut ait Hieronymus, *mulierem deformem redimit, exornat pulchram.* 4. Nihil flore fragrantius, caſtitas ſuaviſſimum efflat odorem: quapropter Orat: 39 Baſilius Seleucus pudicum appellat *Templum Deo dignum, caſtitatis aromatibus benè odoratum.* 5. Potiſſimum caſtitas, flos morum vocitatur à Tertulliano, quia in ea tanquam in flore, omnium virtutum fructus ſpe vernant ad maturitatis gratiam. Flos eſt decor, & adhuc ſpes futuri fructûs: *Grati flores, ſed* Chryſol. Serm: 62 *uſque dum perveniant ad poma, flores conſumantur à pomis.* Flos non tantùm eſt ſignum futura poma prænuntians, ſed in flore conflantur, & è flore materiantur poma. Verùm ſicut flores ſunt præcoces fructus, qui præmaturè inſunt in flore: ſic in caſtitate præcedunt, condiuntur, & inſunt virtutes ut in flore, & è caſtitate materiantur & effluunt. Una arbor omnium arborum non producit fructus, ſed tantùm ſui generis parturit poma. Caſtitas è contra cunctarum flos virtutum, omnium etiam virtutum producit fructus. Quomodo D. Auguſtinus iſtud Joannis 15. intelligit: *Et omnem qui fert fructum, purgabit* Tract: 18 in Joan. *eum: Mundat itaque mundos, id eſt, fructuoſos, ut tantò ſint fructuoſiores, quantò ſunt mundiores.* Inde conjugatis caſtitatem ſervantibus trigeſimus tribuitur fructus, viduis ſexageſimus, virginibus centeſimus. Adeò eſt feraciſſima caſtitas, ut cunctarum ſit virtutum vel parens, vel ſocia, vel ſuſtentaculum, vel D. Cyrill. in Cat. propugnaculum. Eſt 1. virtutum parens: *Sunt namque terra pinguis & ferax* In c. 6. Luc. *anima honeſta.* 2. Socia virtutum, quo ſenſu ait D. Ambroſius: *Sanctis una competit virtus*: quia ſcilicet cæteræ virtutes aſſeclæ ſunt caſtitatis, illamque felici ſodalitio comitantur. Ubi enim eſt caſtitas, ibi reperiuntur modeſtia, pudor, temperantia, tranquillitas, pietas. Quapropter D. Anſelmus caſtitatem vocat *conſtantiam bonorum operum.* Strabus Fuldenſis, *perfectionem virtutum.* Liranus, *quamlibet virtutem moralem.* Quaſi ſit inſtar omnium, & in illa adunentur omnes. 3. Virtutum ſuſtentaculum: nam ut ait D. Hieronymus,

nymus, *Omnes virtutes ſpiritus quaſi ſolidiſſimum fundamentum, & ſublime culmen continentia ſuſtentat & protegit.* 4. Tandem eſt virtutum propugnaculum, quia ut refert D. Hieronymus, *doctiſſimi viri vox eſt, pudicitiam imprimis eſſe retinendam, qua amiſſa omnis virtus corruit.* Sollicite igitur retinenda eſt pudicitia, flos morum.

2. *Honor corporum.* Ante Verbi humanationem humana caro non ita addicta erat caſtitati: qui *non corpus Chriſti, non membra Chriſti, non templum Dei vocabatur.* At ubi caro unita eſt Verbo divino nexu perſonali, caro caſtitatis nitere debet puritate. Quod ſic profunde quamvis lōgiuſcule, ediſſerit Tert. *Luſerit ante Chriſtum caro, imo perierit antequam à Domino ſuo requiſita eſt, nondū erat digna ſalutis, nondum apta officio ſanctitatis. Adhuc in Adam deputabatur cum ſuo vitio, facilè quod ſpecioſum viderat concupiſcens, & ad inferiora reſpiciens, & de ficulneis foliis pruriginem retinens. Inhærebat uſquequaque libidinis virus, quod nec ipſa aqua adhuc laverant. At ubi Sermo Dei deſcendit in carnem, ne nuptiis quidem reſignatam, quæ ad lignum non incontinentiæ, ſed tolerantiæ accederet; quæ non dulce aliquid, ſed amarum aliquid inde guſtaret; quæ non ad inferos, ſed ad cœlum pertineret; quæ non laſciviæ frondibus, ſed ſanctimoniæ floribus præcingeretur; quæ munditias ſuas aquis traderet; exinde caro quæcunque in Chriſto reliquas ſordes priſtinas ſolvit, alia jam res eſt, nova emergit jam, non ex ſeminis limo, non ex concupiſcentiæ fimo, ſed ex aqua pura & Spiritu ſancto.* Carnem in duplici ſtatu conſiderat, & dum in Adamo cenſetur, & dum recenſetur in Chriſto. Ante Incarnationem cenſetur in Adamo, & tunc terrena reſpicit, ſpecioſa quæque concupiſcit, libidinis æſtuat ardore, ludit contra Spiritum, laſciviæ volutatur cœno, venia digna eſt, quia nondum fuerat unita Verbo, nondum Agni immaculati ſanguine redempta, nòndum aquis baptiſmi mundata, nondum ex Spiritu ſancto renata, nondum Dei templum effecta. *Habuerint priſtina tempora omnis impudicitiæ etiam poteſtatem:* At poſt incarnationem, poſt unionem cum virginea carne, poſt ſuſceptionem Baptiſmi in quo mundata eſt; poſt Chriſti paſſionem, *quo magno redempta eſt, ſanguine ſcilicet Domini & Agni,* non amplius terram, ſed cœlum reſpicere debet; non immunditiam, ſed munditiem oſtentare tenetur; non volutari in laſciviæ cœno, ſed pudicitiæ decorari nitore *Exinde ſtatum vertit, & in Chriſtum tincta, induit Chriſtum.* Non enim amplius deputatur cum antiquo Adæ vitio, cujus induerat virus; jam & Adæ vitium & virus ejus exuit; ſtatum vertit, alia res effecta eſt, Chriſtū, ſimulque cum Chriſto munditiā & caſtitatem induit. Tert. l. de Pud. 6.

Tria ſunt Religionis myſteria, à quibus maxime honoratur caro, Incarnatio ſcilicet, in qua cognationem & affinitatem cum divino Verbo contraxit; Baptiſmus in quo fuit mundata, & ſancti Spiritus templum conſtituta, Euchariſtia, in qua Chriſto unitur, ejuſque membrum efficitur. 1. In Incarnatione affinitatem contraxit humana caro cum Verbo divino, quam idcirco nuncupat Tertullianus *Chriſti ſororem*: quia eſt ejuſdem naturæ & ſpeciei cum carne, quam hypoſtaticè ſibi univit Verbum, Sicut omnes parentes filiæ Lib. de Reſ. 8.

terreno regi deſponſatæ, ſunt participes honoris ad quem attollitur Regis
conjux: ſic ex affinitate quam inivit Verbum cum carne in myſterio Incar-
Tert. l. 5. adv. nationis, quævis humana caro, ut carnis Chriſti ſoror, *habet honoris conſor-*
Marc. 18. *tium.* 2. In Baptiſmo Spiritus ſancti templum efficitur caro, quia cum
immediate reſideat in anima per gratiam ſanctificata, mediatè etiam
reſidet in carne animæ eſſentialiter unita. Quare renatos ſic allo-
Lib. de quitur Apoſtolus apud Tertullianum: *Non ſcitis vos templum Dei eſſe, & in vo-*
Pud. 16. *bis Dominum habitare?* Caro autem ex præſentia Spiritus ſancti ſanctificata,
Tertull. maxime honoratur. *Templum enim Dei ſanctum eſt quod eſtis vos.* 3. In Eucha-
Tertull. riſtia unitur caro, & Chriſti membrum efficitur. *Scitis corpora veſtra membra*
Chriſti? Non ſolum quia ſunt membra corporis Eccleſiæ, cujus myſticum
caput eſt Chriſtus; neque etiam quia Chriſto mediate unita ſunt, mediis ani-
mabus gratia & ſanctitate decoratis; neque adhuc unione morali ratione In-
carnationis; ſed quia immediate corpora noſtra corpori Chriſti unita ſunt: &
Hom. 60. ut ait D. Chryſoſtomus: *non fide tantum, ſed reipſa nos ſuum efficit corpus:*
ad Pop. quo nihil pro carne glorioſius dici poteſt.

Honor quem mutuata eſt caro à tantis myſteriis, Chriſtianum ſtimulat ut
ejuſmodi myſteria per pudicitiam honoret. Nam ut ait ad propoſitum S. Ze-
no Veronenſis *magna gloria eſt ornare per quam orneris.* Pudicitia debetur In-
D. Aug. carnationi, per quam caro noſtra ut carnis Chriſti ſoror honorata eſt. *Dili-*
Serm. 7. de *gamus caſtitatem, quia ut hanc ſibi placere Deus indicaret, pudicitiam uteri vir-*
Nat. Dom *ginalis elegit.* Pudicitia debetur Baptiſmi, in quo corpora noſtra templum
D. Aug. Spiritus ſancti conſtituta ſunt. *Honorate in vobis Deum, cujus templa facti eſtis.*
Pudicitia debetur Euchariſtiæ, per quam corpora noſtra, membra Chriſti ef-
Serm. 1. de fecta ſunt. Ad quod Chriſtianum ſtimulat S. Leo: *Agnoſce Chriſtiane, digni-*
Nat. Dom *tatem tuam: memento cujus capitis & cujus corporis ſis membrum.* Pudicitia
debetur paſſioni Chriſti, per quam corpora noſtra, ſuo ſanguine redemit Sal-
Tert. l. de vator. Ad quod nos hortatur Apoſtolus *apponens: Empti enim eſtis pretio,*
Pud. 16. *ſanguine ſcilicet Domini, glorificate & tollite Deum in corpore veſtro.*

Cuncta illa myſteria per quæ noſtra honorata eſt caro, ſunt viciſſim per
caſtitatem honoranda: non per impudicitiam dedecoranda, illa tamen non
honorant ſed dehoneſtant libidinoſi: Nam 1. Chriſti carnem devenuſtant.
Tert. l. de *Tantum decoris cogitantes, quantum honoris debuerunt:* 2. Munditiē baptiſma-
vel. Virg. 14. tis maculant; & *templum Dei, Spiritus ſancti domicilium* prophanant, haud
D. Athan. formidantes vindictam ejus: *qui & templo ſanciendo purificandoque æditualem*
de Virg. 16 *legem ſcripſit, Si quis templū Dei vitiaverit, vitiabit illū Deus.* 3. A Chriſto cor-
Tert. l. de poris membra ſeparant, & ſcorto adglutinant. *Auferens membra Chriſti, fa-*
Pud. 16. *ciam membra fornicariæ? Non ſcitis quod qui adglutinatur Domino, unus eſt ſpi-*
Tertull. *ritus.* 4. Corporis ad Chriſtum pertinentis diſpoſitionem uſurpant. *Omne de-*
Tertull. *lictum quod admiſerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus*
ſuum peccat. Ac ne hoc dictum, ut in rem tuam non Domini delicturus, aufert te
tibi, & Chriſto adjicit: Et non eſtis veſtri. Quot criminum reus eſt libidinoſus!
Reus 1. ingratitudinis erga Incarnationem, dedecorando carnem, à qua tan-

topere

topere honoratus fuit: 2. prophanationis erga baptiſmum, turpando aquas gratiæ, à quibus mundatus fuit: 3. impietatis erga Spiritum ſanctum, polluendo templum peculiariter ſibi dicatum: 4. crudelitatis erga Euchariſtiam, dividendo à corpore Chriſti membrum illi arctiſſimè conjunctum: 5. injuſtitiæ & iniquitatis erga Paſſionem, diſponendo de re ad Chriſtum pertinente pretioſo ejus ſanguine empta: 6. contumeliæ & dedecoris erga pudicitiam, quæ eſt honor corporum.

3. *Decor ſexuum.* Caſtitatis porro pulchritudo talis ac tanta eſt, ut eam exclamando indicare voluerit Sapiens: *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate!* Quaſi nihil ſit præclarius ad elegantiam decoris, quam impenſius pudicitiæ ſtudium. Etenim ſi naturales, vel ab arte excogitatæ *diſciplinæ ornatiorem animam efficiunt*, quanto majorem illi virtutes conferunt pulchritudinem? *Quid eſt aliud virtus, quâ rectè ſapienterque vivitur, quam interioris hominis pulchritudo?* Qualis erat ſponſæ pulchritudo, cui ut Paraphraſtes Chaldæus legit, ſic loquitur ſacer Sponſus: *Oſtende mihi aſpectum tuum & opera tua: aſpectus tuus pulcher in operibus bonis.* Solum hunc animi decorem exiſtimabat & ornabat Gorgonia Gregorii Nazianzeni ſoror, quæ *cum externos multos & varios mulierum ornatus cognitos haberet, nullum tamen moribus ſuis, atque intus condito ſplendore, præſtantiorem agnoſcebat.* Illum præſertim morum decorem in Chriſtianis expoſtulat Deus: *Deus magis morum quam corporum quærit pulchritudinem.* Sap. 4. Tert. l. de An. 6. D. Aug. Ep. 222. ad Con. ſent. Cant. 2. Greg. Naz. Orat. 11. D. Aug. l. 2. cont. Adverſ. leg. 24.

At cur Deus potius animi quam corporis quærit decorem? Hujus plures ſubminiſtrat D. Auguſtinus rationes: 1. Quia *ſecundum hanc pulchritudinem magis quam corporis facti ſumus ad imaginem Dei.* Quod probe noſcens Nona, de illa ſola gloriabatur, & illam ſolam decorabat. De qua ſic fatur Gregorius Nazianzenus: *Illa eſt quæ cum aliæ mulieres, ob formæ elegantiam tam nativam quam fictam & adſcititiam gloriari atque animo efferri ſoleant; ipſa contra hanc unam, quæ in anima, divinaque imagine, ſive tuenda, ſive pro viribus repurganda poſita eſt, pulchritudinem agnoſcebat.* 2. Quia pro reſtituenda & reformanda animæ pulchritudine humanatus & turpatus eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum Chriſtus; qui *nō habebat ſpeciem neque decorem, ut tibi daret ſpeciem atque decorem. Quam ſpeciem? quem decorem? dilectionem charitatis.* 3. Quia licet corporea pulchritudo ſit naturæ bonum, & ut loquitur Tertullianus, *fœlicitas corporis, divinæ plaſticæ acceſſio, animæ aliqua veſtis bona*: attamen hujuſmodi bonum *minimum eſt, non bonis proprium, ſed bonis malisque commune.* Pulchritudo autem quam largitur virtus, eſt maximum bonum, juſtis duntaxat proprium: nam *ubique juſtus, ubique decorus.* 4. Quia pulchritudo corporis ſine animi decore eſt vera deformitas. Nam *quis decor cum injuria?* Animi autem decor etiam in corpore deformi reſplendet: *Eſt quædam pulchritudo animi juſtitia, quâ pulchri ſunt homines plerique, etiam qui corpore diſtorti atque deformes ſunt.* 5. Homines pulchritudine corporis pollentes, fœdo amore turpantur. *Quæ cum immunditiis pulchritudo?* ait Tertullianus. At è converſo Epiſt. 222. ad Conſ. Orat. 19. Tract. 19. in Joan. Lib. 1. de Cult. fœm. 2. D. Aug. l. 50 Civ. 22. D. Aug. Tract. 9. in Joan. Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 6. D. Aug. l. de Trin. 8

anima

D. Aug. Tract. 9. in Joan. *anima noſtra fœda per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur. Qualis amor qui reddit pulchrã amantem!* 6. Corporis decor vanus & ementitius eſt. *Fallax gratia & vana eſt pulchritudo.* Prov. 31. Sirus legit, *Mentitur decor, infructuoſa eſt pulchritudo.* Hebræa lectio habet: *Mendacium gratia, & vanitas pulchritudo.* Animi autem decor verus & virtutis feraciſſimus eſt. D. Aug. in Pſal 44: *Summa & vera pulchritudo, juſtitia eſt.* 7. Corporis pulchritudo *brevi adeo extinguitur tempore, ut antequam floreſcat, defloruiſſe videatur*: Phil Jud. l. de Provid. Animi autem pulchritudo tandiu perſeverat, quandiu amatur Deus: *Deus autem ſemper pulcher eſt, numquam deformis.* D. Aug. Tract. 9. in Joan. 8. Corporis pulchritudo *objicit oculis irritabiles formas*; Lact. l. 6, c. 23. & ut loquitur Tertullianus *præſtigias formæ.* Lib. 2. de Cult. Fœm. 8. Quare hominem hortatur Sapiens: *Ne attendas fallaciæ mulieris.* Prov. 5. Per fallaciam intelligit pulchritudinem, ornatum veſtium, faciei fucum, fictiones, artes, fraudes, blanditias, quibus pulchra fœmina amaſios allicere, ineſcare, & venuſtatis blandimento pervertere nititur. D. Chryſoſtomus legit: *Ne diſcas pulchritudinem alienam*: Hom. 14. ad Pop. Ant. Quaſi hæc pertineant ad oculos corporis, & ex inde ad oculos mentis; nam ex aſpectu faciei pulchræ, mens illam diſcit, ad eam attendit & formæ præſtigiis faſcinatur. At animi pulchritudo non allicit oculos neque faſcinat intellectum. D. Aug. Ser. 83 de Temp. *Ille verus decor qui non alienos oculos capit, nec mentes fragiles vulnerat.* 9. Pulchritudo corporis periculoſa eſt, nam & poſſidentibus gloriam ingenerat, & aſpicientibus concupiſcentiam importat. Inde ſic mulieres Chriſtianas monet Tertullianus: Lib. 2. de Cult. Fœm. 2. *Cum igitur & noſtra & aliorum cauſa verſetur in ſtudio perículoſiſſimi decoris, jam non tantum confictæ & elaboratæ pulchritudinis ſuggeſtum recuſandum à vobis ſciatis, ſed etiam naturalis ſpecioſitatis oblitterandum diſſimulatione & incuria, ut perinde oculorum incurſibus moleſtum,* Animi pulchritudo quantumvis nota ſit, nullũ affert periculum, abſque ullo ſui & aliorum damno, Deo, Angelis & hominibus placet, quibus juſtitiæ characteres oſtentat. Clem. Alex. Strom. 4. Nam *ſe tranſmittit ad artificem & ad id quod eſt verè pulchrum, ſanctum ſignum, lucidum juſtitiæ characterem oſtendens Angelis.* 10. Corporea pulchritudo ornatur ut plurimum veſtium cultu, & colorum fuco. Quare Tertullianus illam vocitat Lib. 2. de Cult. Fœm 2. *confictam & elaboratam libidinem.* Animæ vero pulchritudo *ornatur auro fidei, argento ſapientiæ, virtutum gemmis, ſanctitatis velis, verecundiæ roſis, liliis caſtitatis, pudoris liliis,* Chryſol. Serm 21. 11. Sexum non decorat ſed dedecorat. *Ars pictorum ac fucus, pulchritudoque vilis quam infernus fecit artifex, qui Dei figmentum fraudulentis abſcondit coloribus, & honoris gratiam dedecorat.* Greg Naz. Orat. 11. Animæ pulchritudo ſexum venuſtat, & verecundia quæ foris oſtenditur, tum homines, tum fœminas multum decorat: D Bern. Serm. 86. in Cant. *Rubor ipſe genarum quem forte invexerit pudor, quantum gratiæ & decoris afferre vultui ſolet!*

Hac interna & externa pulchritudine decorata erat ſancta Sponſa. Quod ut facer innuat Sponſus, eam ſemel & iterum pulchram vocitat: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Ut autẽ animadvertit Philo Carpathius, *duplici laude celebrat, ut non modo extrinſecus eam formoſam eſſe oſtendat, verùm & intrinſecus decoratam.* Hac duplici pulchritudine decoratus erat: ſanctus

ctus Maximinus, de quo Euſebius Emiſſenus: *Eminebat in ſpecie exteriori expreſſa imago ſanctitatis.* D. etiam Stephanus vultu præferens formam angelicam animæ pulchritudinem denotabat. Nam ut idem refert Euſebius: *Abundantia cordis tranſit in decus corporis: in exterioris gloria, candor interioris exundat: & abſcondita pectoris ornamenta, ſpeculum frontis irradiant: habens in ſe Spiritum ſanctum os præ ſe geſtat angelicum: nimirum tali eum vultu internus habitator induerat.* Et ut mundi referam incunabula, Cæſarius Arelatenſis, vult Sethum Adami filium, fuiſſe nuncupatum Deum, eò quod ſplendidæ formæ prærogativa innocentis quondam protoparentis reſculptam præ ſe ferret pulchritudinem. *Adamus genuit filium ad ſimilitudinem ſuam, ſecundum imaginem ſuam, hoc eſt, qualem habuit ab initio, quando factus eſt à Deo, imaginem & ſplendorem in facie: & vocavit nomen ejus, Sethus, hoc eſt reſuſcitatio, quoniam videbat in illo priſtinam & admirabilem illam formam, & gratiam renovatam, & ſplendorem ſacroſancti Spiritus, quem videntes illius temporis homines, Deum appellaverunt.*

Hom. de S. Max.
Hom. de S. Steph.
Dialog. 1.

Ejuſmodi *ſancta pulchritudo*, quæ eſt *decor ſexuum*, fulgere debet in cunctis Chriſtianis, præcipue in magnatibus & mulieribus. In magnatibus: quare Plinius junior Trajani Imperatoris Encomiaſtes, in Panegyris exordio, tanti principis continentiam laudat. *Quod enim præſtabilius aut pulchrius munus Dei, quam caſtus & ſanctus & Deo ſimillimus Princeps?* Etſi Trajanus fuerit magnanimis, fortiſſimus, juſtiſſimus, triumphis glorioſiſſimus, præcipue illum de ſanctitate & caſtitate commendat Plinius, quia Deo magis caſtitate quam cæteris bonis aſſimilatur Imperator. Non deerat in poſteritate vel cognatione Moyſis, qui præeſſe poſſet populo Dei: attamen Moyſes gentis Hebreæ princeps, Joſue potius ſui principatus reliquit hæredem, quam aliquem è propriis filiis, aut cognatis contribulibus. Hujus cauſam affert Philo Judæus, quia fuerat *in dictis factiſque hujus honeſtatem expertus.* Quaſi parum profuiſſet politica & bellica peritia, & reliquæ dotes, quæ Principem ſumptuoſius adornant, ſi defuiſſet honeſtas. Uxorem ad pudicitiam, & pudorem hortatur Tertullianus: *Stude igitur ad virtutem continentiæ, quæ pudori procurat:* quia nihil ita mulieres exornat ac pudicitia & pudor. *Pudor eſt in mulieribus amabilis flos, & rubor delectabilis:* & quia ut docet D. Auguſtinus, *omnis corporis pulchritudo, eſt partium congruentia, cum quadam coloris ſuavitate.* Tertullianus deſcribit caſtitatis pulchritudinem, & Chriſtianis fœminis aptat virtutum & colorum (ad eas decorandas) congruitatem. *Prodite vos medicamentis & ornamentis exſtructæ, Prophetarum & Apoſtolorum ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depingite oculos verecundiâ, & os taciturnitate, inſerentes in aures ſermones Dei, adnectentes cervicibus jugum Chriſti; caput maritis ſubjicite, & ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & pluſquam in auro placebitis.*

Cle. Alex. Serm. 2.
Lib. de Caſt.
Lib. 1. ad Ux. 8.
Greg. Naz Car. 63.
L. 22. Civ. 19.
Lib. 2. de Cult. fœm 13.

Sicut pudicitia eſt decor ſexuum, ita impudicitia eſt ſexuum dedecus: nullum eſt enim vitium quod ita hominem devenuſtet ac luxuria, quia nullum

D. Aug l. 14. Civ. 23

eſt vitium quod ſit adeo probroſum,& adeo rationi, legi divinæ, diſciplinæ Chriſtianæ,& Chriſto adverſum ac luxuria. Verum,quamtumvis adverſetur Chriſto,rationem obnubilet,& hominem infamet impudicitia: *ad hoc delapſa eſt humana perverſitas,ut vir habeatur victus à libidine, & vir non habeatur victor libidinis.* (D. Aug. l. de decem Chordis 9) Et ut deplorat Salvianus Maſſilienſis Antiſtes, libido quæ apud Gentiles crimen & humanæ naturæ dedecus habetur,apud Chriſtianos honor habetur & decus. (Lib. 7. de Guber.) *Puritatem nos fugimus, illi amant: fornicatio apud illos crimen atque diſcrimen eſt, apud nos decus.* Tamen abeſt ut fœmina quæ turpatur à magnatibus, dedecoretur,quin immo maxime honoratur:ut conſtat ex Judith hiſtoria,quam Vagao ad pellicium urgens ſic alloquitur: (Judith. 12.) *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus.* Laſcivia in regio Holophernis palatio titulo honoris nominatur,& Juditha dum vocatur ad concubitum,qui famam infamat, honorem dedecorat,conſcientiam turpat,ad honorem vocari dicitur. (D. Aug. l. 2 Civ. 26.) *Uſque adeo ſic eſt turpitudine vitioſa humana natura, ut totum amittat ſenſum honeſtatis.* Nam vir libidinoſus qui ad omnes laſcivias ſe diffluit,fœlix proclamatur. (D. Aug. Ser. 4. de Verb. Ap.) *Luxurioſus immundus atque laſcivus fœlix dicitur abundare voluptatibus, frui deliciis;* mulier etiam publice ſcortans & impudenter laſciviens, & libidinibus divitias & honores captans,prædicatur, (Ennod.) *fœlix luxuriæ ſuffragio.* Ex quo fœmina majori fuerit prædita pulchritudine, eo impenſius ſollicitatur,& impudentiùs ſcortatur: Nam ut ait Baſilius Seleucus, (Or. 18.) *forma voluptates nundinatur.*

Scio quamplurimas decoras mulieres caſtitatem ſectantes, quarum ſpecies *figura eſt probitatis*: (D. Ambr.) ſed multo plures ſunt adhuc quæ *decoris meſſem requirunt.* (Tert. l. 1. ad Ux. 4.) Non omnes tamen eamdem meſſem decoris quærunt. 1. Quædam enim ſuperbia tumentes de pulchritudine gloriam captant, & laudes humanas expetunt: unde ſic fantur: (Tert. l. 2. de Cult. fœm. 3.) *Quid ergo non & excluſa luxuria,& admiſſa caſtitate, laudes corporis gloriam licet?* Quibus reſpondet Tertullianus, gloriam alienam eſſe à Chriſtianis,qui ex diſciplina profitentur humilitatem. *Dehinc ſi omnis gloria vana & ſtuporata, quanto magis quæ in carne?* 2. Nonnullæ non aliam meſſem pulchritudinis volunt, quam amorem eorum quibus placere ſtudent. (Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 2.) *Verum non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus.* 3. Aliæ,& harum magnus eſt numerus, ex pulchritudine metuunt luxuriam. (Tert. l. 2. de Cor. mil. 3.) *Quia propriè uſus & fructus pulchritudinis luxuria, niſi ſi quis aliam meſſem decori corporis arbitratur.* Et harum conditionem miſerrimam exiſtimat D. Auguſtinus, pro momentaneo venereæ voluptatis gaudio, interminabile & æternum in inferno ſibi comparare tormentum. (Ser. 250. de Temp.) *Vere plangenda nimis & miſeranda conditio, ubi cito præterit quod delectat, & permanet ſine fine quod cruciat. Sub momento libidinis impetus tranſit, & remanet ſine termino infœlicis animæ opprobrium:* 4. Tandem quædam pulchritudinem venalem habent, quam pro modico lucro dedecorant, nec conſiderant quid, quale, & quantum pro terrenis facultatibus amittunt. Nam amittunt 1. famam vitæ præferendam,& infamiam ſibi comparant.

parant. *Si mercedes pro libidine, nullius rei turpis merces decora eſt.* 2. Perdunt Tert. l. 1. de Cult. fœm.
animi puritatem & carnis caſtitatem, quæ eſt theſaurus cunctis terræ divitiis
præferendus: *Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ.* 3. Perdunt Eccleſ. 26
conſcientiam, & animam quam Chriſtus ſuo ſanguine emit, pro re nullius
momenti diabolo vendunt. *O quanta iniquitas, & quam lugenda perverſitas,* D. Aug.
ut animam quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit, luxurioſus propter modicum lu-
crum diabolo vendat! 4. Perdunt gratiam, cujus pretium eſt inæſtimabile, item
jus ad gloriam: *Jactura ejus non recipit æſtimationem* Hæ ſunt meſſes, quas ex Pet Bleſ.
proſtituto corpore colligunt ſceleroſæ mulieres pulchritudine florentes. Ep. 35.

Quæ vero virtute ſimul & decore coruſcant, meſſes etiam requirunt. Non
1. ſuperbiam, tumorem & gloriam, ſed humilitatem & abjectionem: *Nam* Tert. l. 2.
ubi pudicitia, ubi vacua pulchritudo. Non 2. inverecundiam & impudentiam, de Cult.
ſed honeſtatem, pudorem, modeſtiam, honeſtatem: Addixerunt enim *adverſus* Fœm 3.
congreſſus & ſuſpiciones impudicas providendum omni modo eſſe. Non 3. homi- Tert. l. 2. de Cult.
num amorem, quos præſtigiis formæ ad ſe allicere ſtudeant: *Quoniam perfe-* Fœm. 12.
cta, id eſt Chriſtiana pudicitiæ, appetitionem ſui non tantum non appetendam, ſed Tert l. 2.
etiam execrandam ſibi ſciunt. Non 4. præſumptionem & ſecuritatem qua ſe de Cult.
tentationibus exponant, ſed timorem & ſui diffidentiam, qua pericula & ca- Fœm. 2.
dendi occaſiones fugiant. Eſt etenim *timenda dignitas formæ, ut poſſidentibus* Tertull.
gravis, appetentibus exitioſa, conjunctis periculoſa, expoſita tentationibus, circun-
data ſcandalis. Non 5. faciei cultum, veſtium luxum aut alias Veneris artes,
quæ ſpirant amores: totum earum ſtudium eſt, ut nativus decor nec ſibi nec
aliis noceat: Etenim *curanda eſt amputatio, & decuſſio redundantioris nitoris.*
Non 6. honores, divitias, voluptates, quæ ex luxuriæ negotio captantur, ſed
animi decorem, corporis integritatem, famæ nitorem, gratiæ ſanctitatem, jus
ad æternam hæreditatem Nam *finis modeſtiæ timor Domini, divitiæ, & gloria,* Prov. 22.
& vita. Hæc ſunt bona quæ conſequuntur veram & perfectam pudicitiam,
quam pulchræ mulieres virtutis ſtudioſæ, ſectantur & integre præſtant.

Multi ſunt hac ætate *à quibus abeſt conſcientia veræ pudicitiæ.* Non ſolum II. PARS.
aſſertores libidinis atque luxuriæ, qui his diebus tumulatas Nicolaitarum fœdi- Tert. l. de
tates ad vitam revocare nituntur; ſed etiam qui ex Chriſtiana diſciplina ca- Pud. 1.
ſtitatem profitentur, *eo uſque jam exolevit, ut non ejuratio, ſed moderatio libi-* Tert l. 1.
dinum pudicitia credatur; *iſque ſatis caſtus habeatur, qui minus caſtus fuerit.* adv. Marc. 29.
Seu, ut legit Rigaltius, qui minus inceſtus fuerit: Sunt namque nonnulli qui Tert. l. de
animam fœdis cogitationibus contaminant quaſi cordis mundities, & exte- Pud. 1.
rior modeſtia ad caſtitatem non requirantur. *Aut ignorantes ſimpliciter, aut* Tertull.
diſſimulantes audaciter, ita ingrediuntur, quaſi pudicitia in ſola carnis integri-
tate, & ſtupri averſatione conſiſtat. Alii è contra nihil obſtrepere pudicitiæ
exiſtimant nec laſcivioſum exteriorem ornatum, nec libidinoſam corruptio-
nem corporis, modo ſervent *ſpiritum integrum ab immunditiarum contagio-* Tert. l. de
ne. Iſti cordis munditiem & corporis puritatem ſectantes, pudicitiam cum Pud. 13.
fuco & cultu confœderant, nec animadvertunt, *quoniam linocinia formæ nun-*

quam non proſtituto corpori conjuncta & debita etiam Scriptura ſuggerunt. Quantum tria hujuſmodi figmenta ſint probroſa, *quantum à noſtris diſciplinis & profeſſionibus aliena ſint*, nemo compos rationis & fide illuſtratus, non videt. Chriſtianus debet *ſapere ad pudicitiam*, ait D. Hieronymus: ſapere autem ad pudicitiam, eſt veram pudicitiam docere & præſtare: pudicitia vero nequit eſſe vera, niſi ſit perfecta: neque perfecta, niſi ſit integra: neque integra, niſi ad ejus integritatem concurrant, 1. mundities cordis: 2. puritas corporis: 3. gravitas exterioris.

Lib. de Cult. fœm 5. Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 5. L. 1. cont. Jovian.

1. Ad veram & perfectam pudicitiam requiritur *caſta mentis integritas*, quam docet Chriſtiana diſciplina. Idcirco Chriſtianos per Prophetam Regium hortatur Deus, *Apprehendite diſciplinam.* Hebræa lectio habet: *Adorate pure.* Genebrardus legit: *Oſculamini puritatem.* Rabbi Salomon: *Adornamini*, ſive, *inſtruite vos puritate cordis.* Qui puritatem cordis non habent perfectam non habent caſtitatem: Quare impuro cordi ſic fatur Tertullianus, (*ſpirituali affectione carnalem concupiſcentiam humanus:*) Neque Chriſtianam obſervant diſciplinam agentes contra præceptum ipſiuſmet Dei, qui libidinoſam prohibet cordis concupiſcentiam. *Qui viderit ad concupiſcentiam, jam mœchatus eſt in corde ſuo. Lex ſuperſtructa eſt: origines quoque delictorum, id eſt concupiſcentias & voluntates, non minus quam facta condemnans.* Deipara *erat virgo mente & corpore, unũ enim ſine altero minimè placet Deo.* Haud placet Deo virginalis integritas corporis, *cum ſpiritus ipſe violatur in virgine.* Violatur autem ſpiritus in virgine, cùm per impurum amorem cordis puritatem contaminat. Nam licet corporis ſervet integritatem, cordis integritatem amittit. Non eſt integre virgo quæ mente maculatur, corde & deſiderio ſcortans *negat ſe virginem*, *ſpiritu nuptam* demonſtrat: hujuſmodi *virgo genus eſt monſtruoſum*, quia eſt virgo & non virgo, integra & corrupta: corrupta mente, integra corpore. Ut vere ſit virgo, bina indiget integritate, ſcilicet cordis & corporis.

Tert l. 2. de Cult. fœm. 12. Pſ. 2. L. 1 ad Ux. 4 Lib. de Pud. 6. D. Bern. Hom. 2. ſup. Miſ. Tert. l. de vel. Virg. 3. Tert. l. de vel. Virg. 11. Tert. l. de vel. Virg. 7.

2. *Poſt ſpiritualem caſtitatem corporalis ſequebatur integritas.* Mulieres quæ ultro corporalem amittunt caſtitatem, pudicæ non ſunt. Nam ut ait Tertullianus: *Cæterum etſi adulterium & ſtuprum dixero, unum erit contaminatæ carnis elogium.* Nam antequam ſcortentur corpore, mente & affectu ſcortatæ ſunt. Quæ vero per vim & contra ſuam voluntatem, corporis perdunt integritatem, etiam in violato & corrupto corpore, integritatem animi & pudicitiam ſervant. Nam, ut ait D. Auguſtinus, *violentiâ non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur: quoniam nec in carne violatur quando voluntas patientis ſua turpiter carne non utitur, ſed ſine conſenſione tolerat quod alius operatur.* Immunditia committi nequit ſine peccato, quapropter ubi non eſt peccatum, ibi non eſt impudicitia: quando autem mulieris violatur caro renitente ejus voluntate, nullum committit violata mulier peccatum, quia peccatum non eſt niſi ſit voluntarium. Quod ſic aſſeverat D. Auguſtinus. *Si animus nulla conſenſionis turpitudine maculatur, etiam carnem ſuã defendet à crimine: & quidquid*

Tert. l. de Pud. 7. Epiſt. 180. ad Honor. Ep. 122. ad Victoriã.

in ea nec permiſit, nec commiſit libido patientis, ſolius erat culpa facientis, omnisq; illa violentia non pro corruptionis turpitudine, ſed pro paſſionis vulnere deputabitur. Tantum enim valet in mente integritas caſtitatis, ut illa inviolata nec in corpore poſſit pudicitia violari, cujus membra potuerunt ſuperari. Tantum abeſt ut illata vis ſit probroſa & criminoſa, quinimmò eſt innocua & laude digna. Quare ei, qui beatam Agnetem duci ad lupanar mandaverat, dixit virgo: Si invitam juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam: *Timendus eſt decor propter injuriam & violentiam ſectatorum*; & integranda eſt caſtitas per exteriorem modeſtiam & gravitatem. Tert. l. 2 de cult. 2:

3. *Ubi pudicitia, ibi gravitas adjutrix & ſocia ejus. Quo ergo pacto pudicitiã ſine inſtrumento ſuo, id eſt, ſine gravitate tractabimus? quomodo autem gravitatẽ adminiſtranda pudicitiæ adhibebimus, niſi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione ſeveritas circumferatur?* Pudicitia in totius hominis contemplatione circumfertur, cùm oculis non ſolùm Dei, non Angelorum duntaxat, ſed etiam hominum objicitur, quod tunc fit, quando interius & exterius apparet. Deus quidem & Angeli interius intuentur, homo verò interius nequit conſpicere, ſed exterius duntaxat conſpicit. Verùm quia *facies occultorum ea quæ parent*, ex externa pudicitia internam colligit pudica mulier. *Sponſa Chriſti, arca eſt teſtamenti, intrinſecùs & extrinſecùs deaurata*; ornata intrinſecùs per cordis puritatem, & carnis integritatem; extrinſecùs decorata per honeſtatem, quæ in ſermonibus, operibus, & veſtibus emicat. *Pudicitia Chriſtiana ſatis non eſt eſſe, verùm & videri: tanta enim debet eſſe plenitudo ejus, ut emanet ab animo ad habitum, & eructet à conſcientia in ſuperficiem, ut & foris inſpiciat ſupellectilem ſuam, quæ conveniat fidei continendæ in perpetuum.* Caſtitatis integritas interiùs & exteriùs complectitur; non cenſetur vera & perfecta pudicitia, quæ ſui non eructat ſpeciem, & puritatis non emittit radios in ea, quæ foris apparent humanis oculis. Plena & Chriſtiana non putatur munditia cordis, quæ in facie, in ore, in geſtu, in habitu non ſemper tranſparet.

Tert. l. 2 de cult. fœ. 8 — Tert. l. de An. 1 — D. Hiero. ep. 17 ad Euſtoch. — Tert. l. 2 de cult. fœ. 13

Cuncta encomia, quibus ſponſus ſponſam commendat, miram ejus denotant puritatem. Nam ad innuendam vultûs pudorem, genas ejus velut fragmen mali punici contemplatur: *Sicut fragmen mali punici gena tua*; ad denotandam verborum munditiem, labia ejus dulcia & purpurata prædicat: *Sicut vitta coccinea labia tua, eloquium tuum dulce.* Ut aſpectûs demonſtret caſtitatem, tribuit ei oculos columbarum: *Oculi tui oculi columbarum*; quia puritas attribuitur Spiritui ſancto, qui ut ait Tertullianus: *Columba figurâ delapſus in Dominum, ut natura Spiritûs ſancti declararetur per animal ſimplicitatis & innocentiæ.* Et quia albedo ſignificat munditiem, addit ſponſus: *Oculi tui columbarum quæ lacte lota ſunt.* Animadvertit autem Gregorius Nyſſenus, quòd lac nullas emittit rerum umbras vel ſpecies; aqua, oleum, vinum etiam, ſunt velut ſpecula quæ repræſentant objecta ſibi oppoſita: lac verò nullum objectum repræſentat. Oculi ſponſæ lacte loti ſunt, quia non recipiunt, nec

Cant. 4 — Tert. l de Bapt. 8 — Cant. 5 — Hom. 13 in Cant.

Lib.de Spect.17 — immittunt ſpecies rerum turpium, quæ contaminant animam. Oculus enim impudicè injectus commovet & turpat animam: *cùm ſpir tui appareant aures & oculi, nec poſſit mundus præſtari cujus apparitores inquinantur.* Tandem
Cant. 4 — ſponſus veſtimentorum ſponſæ laudat fragrantiam: *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Hæc ſunt externa pudicitiæ Chriſtianæ ſigna, quæ ex
Tert.l.de Bapt. 17 — vultu, oculo, ſermone & habitu manifeſtantur. Pudica mulier, cui *magis diſciplina verecundiæ & modeſtiæ incumbit* debet 1. faciei verecundiâ & pudore caſtitatem demonſtrare: verecundia autem caſtitatem denotans apparet in
Ep.57 — vultu. Quia, ut ait Hildebertus, *vultus interpres animi eſt.* Idem docet Tertul-
Scorp. 9 — lianus aſſeverans *mentis ſtatum in fronte conſiſtere, prioremq́, eſſe pudoris quàm corporis plagam.* 2. Oculis pudicitiam denotat pudica mulier. Ut enim ait Alexandrinus Clemens, *teſſeram virtutis ferunt oculi.* Impudicitia per oculos dignoſcitur, mulier quæ impudicos emittit & recipit aſpectus, integram non
Tert l.de vel.virg.2 — habet pudicitiam; *Tales enim oculi volunt virginem viſam, quales habet virgo quæ videri volet; invicem ſe eadem oculorum genera deſiderant: ejuſdem libidinis eſt videri & videre.* Sicut impudici aſpectus impudicitiam oſtentant, ſic oculi modeſti & verecundi non injicientes, nec captantes laſcivos aſpectus, ſapiunt pudicitiam. Ut enim addit Tertullianus: *Tam ſancti viri eſt ſuffundi ſi virginem viderit, quàm ſancta virginis ſi à viro viſa ſit.* Qui ſunt hujuſmodi, oculos habent columbarum: *Anima liberata à carnali affectione, habet ſpeciem columbæ in oculis, hoc eſt, characterem vitæ ſpiritualis. Sic quoniam purus factus*
Gregor. Nyſſ. — *eſt animæ oculus, capax eſt characteris columbæ & Spiritûs ſancti.* Character autem Spiritûs ſancti eſt divinus amor, bonitas, innocentia, ſanctitas, munditia, puritas. 4. Sermones fœminæ pudicitiam oſtentant. Caſta mulier non ſo-
Tert. l.de Pall. 5 — lùm nulla profert verba inhoneſta: *loquacitas nulla turpis;* ſed ut plurimum ſignat *os taciturnitate,* & ſi aliquando loquitur, caſtè ſemper loquitur. Idcircò
Tert.l.2.de cult. fœ. 2 — ſic uxorem hortatur Tertullianus: *Convictus atque colloquia Deo digna ſectare, memor illius verſiculi ſanctificati per Apoſtolum: Bonos corrumpunt mores con-*
L.1.ad Ux. 8. — *greſſus mali.* Et quia, ut bellè ait ad propoſitum Tertullianus; *Si nobis omnis*
Lib.de Spect.17 — *impudicitia execranda eſt, cur liceat audire quæ loqui non licet?* Quod probè ſciens pudica mulier, à verbis impuris dimovet aures: *Illa quæ vera eſt, quæ*
Tert.l.de Pud.1 — *pudica, quæ ſancta, carebit etiam aurium maculis.* Quæ 4. tandem veſtium modeſtiâ & ſimplicitate caſtitatem manifeſtat, & ob hanc cauſam pudicas mulieres, quæ non hominibus, ſed Deo ſoli placere ſtudent, ſic monet Ter-
L.2.de cult.fœ.11 — tullianus: *Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpurâ pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* Mulieres, quæ impudicitiam in fronte deferunt, laſcivos aſpectus injiciunt, ſermones venereos blandè & cum
Tert.l.de Pud.1 — complacentia audiunt, fucatæ, expictæ & ornatæ incedunt: *Meram & veram integritatem carnis obtruncant, amputantes non ſummam ſuperficiem, ſed intimam effigiem pudoris.* Illas comparat Tert. mulieribus ethnicis, quarum pudi-
L.2.de cult.fœ.1 — citiam imperfectam & inconditam vocitat: *Nam ſi qua in Gentilibus pudicitia credi poteſt, uſque adeò imperfectam & inconditam conſtat, ut licet in animo*

ali-

aliquatenus tenax ſui agat, in habitu tamen licentias ſe diſſolvit pro perverſitate Gentilium appetendo, cujus rei devitat effectum. Quòd ſi gentiles fœminæ non ſatis pudicæ habentur ob veſtium ornatum qui laſciviam redolet; à fortiori imperfecta eſt Chriſtianarum mulierum caſtitas, quæ luxu libidinem negotiari videntur. Quas ideò ſic alloquitur Tertullianus: *Quantum autem à veſtris diſciplinis & profeſſionibus aliena ſunt, quàm indigna nomine Chriſtiano, adulterum in ſpecie exercere, quibus ſtudium pudicitiæ ſit*, quæ veræ & perfectæ pudicitiæ ſunt ſtudioſæ, frontis tollunt inverecundiam, oculorum laſciviam, aurium maculam, veſtium pompam: nam *cognito Deo, adempta placendi voluntate per luxuria occaſionem, omnia illa ut otioſa, aut hoſtilia recuſantur*; & horum repudium pudicitiam integrat, & propugnat. Lib. 2 de cult. fœ. 5 Tert. l. 2 de cult. fœ. 8

3. Caſtitas ex Tertulliano diſciplina eſt *meracior*: vel ut expendit, non minoris notæ commentator, *muratior*. Porrò meracior caſtitas muratior eſt: nam velut firmo interjecto muro concupiſcentiæ rejicit illecebras, formidabiles procorum contemnit minas, eorumque machinis fortiter reſiſtit, *Quoniam non poteſt quiſpiam ad Dei puritatem accedere, niſi talis ipſe prius factus ſit. Illi certè neceſſariũ eſt, ut ſe magno aliquo firmoq; interjecto muro à voluptatibus removeat, ut nullo quidẽ pacto hac approquinquatione cordis inquinetur immunditijs. Murus verò firmiſſimus eſt quadam ab affectuum imperio abalienatio.* Alludit Nyſſenus ad verba Sponſi, qui de caſtitate Sponſæ ſic fatur: *Si murus eſt, ædificemus ei propugnacula argentea*, quibus ſuam valeat adverſus hoſtium impugnationes propugnare caſtitatem. Caſtitas, maximè fœminea, à tribus potiſſimum hoſtibus impugnatur; ſcilicet à carne titillante, à dæmone tentante, & ab homine ſollicitante. Adverſus tres illos inimicos propugnanda eſt caſtitas: adverſus 1. carnem titillantem: 2. dæmonem tentantem. 3. hominem ſollicitantem. L. de vel. virg. 16 Gregor. Nyſſ. l. de Virg. 21 Sap. 4

1. *Potentiſſima ſpecies humanæ imbecillitatis, quæ venit de concupiſcentia carnis.* Inter inimicos caſtitatis nullus ſanè magis eſt extimeſcendus, quàm propria caro, quæ eſt hoſtis domeſticus, qui pudicitiam indeſinenter aggreditur. Ut enim ait D. Auguſtinus: *Gravem caſtitas ſortita eſt inimicum, cui ſemper reſiſtitur, & ſemper timetur.* Formidandum illum hoſtem habet in ſemetipſo Chriſtianus, qui ſemetipſum expaveſcere debet, cum ſemetipſo pugnare, & ſemetipſum vincere. Et quia nunquam ex toto domeſticum illum vincit hoſtem, etiam victor victum hoſtem ſemper timere, & continuò cum illo præliari tenetur. Et ea eſt cauſa, cur *inter Chriſtianorum pia certamina, ſola dura ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana pugna, & rara victoria.* Quibus propugnaculis ab impugnationibus adeò formidoloſi inimici tutabitur caſtitas? quibus armis potentiſſimum illum hoſtem debellabit Chriſtianus pudicus, mulier caſta? Modum præliandi & vincendi Chriſtiano ſubminiſtrat Tertullianus: qui glorioſam reportabit victoriam, *titillatam deprimens carnem*, eam ſpiritui per jejunia & macerationes ſubjiciens. *Iejunium ſcimus Dei arcem, Chriſti caſtra, murum ſpiritûs, caſtitatis ſignum.* Hæc arma Sabinæ nobili Tert. l. 1 ad Uxor. 4 L. de Honeſtate mul. 2 D. Aug. Tert. l. de Pud. 22 D. Chryſol. Ser. 12

bili matronæ viduæ præbet D.Hieronymus, quibus caſtitatem valeat propugnare: *Melius eſt ſtomachum te dolere, quàm mentem: imperare corpori, quàm ſervire; greſſu vacillare, quàm pudicitiâ.* Caſtitatem à *caſtigando* nuncupatam exiſtimat Doctor Angelicus, quia ſalva & illibata nequit permanere caſtitas, niſi corporis adhibeatur caſtigatio: caſtigatâ autem carne *quicunque malus cogitatus ipsâ ſeveritate frangetur.* Verùm, ut benè animadvertit Magnus Gregorius, in caſtigatione carnis & ſeveritate, quam quiſque erga ſuum corpus exercet, *neceſſe eſt ut artem quiſque continentiæ teneat, quatenus non carnem, ſed vitia carnis occidat.* Gula occidit caſtitatem, & luxuriæ vitam dat: nam *monſtrum haberetur libido ſine gula*; occisâ autem caſtitate moriuntur virtutes, quæ in illa velut fructus in floribus continentur. *Quando moriuntur virtutes, vivunt vitia, honeſtas perit, diſciplina proſternitur.* Idcircò ne proſternatur diſciplina, pereat honeſtas, moriantur virtutes, occidatur caſtitas; vitia carnis per abſtinentiam, macerationem, & ſeveritatem occidenda ſunt. *Ecce nulli noſtrûm hoc tempore dicit Deus: Pro me morere; ſed tantummodo: In te deſideria occide.* Quomodo autem Chriſtianus vitia & deſideria carnalia poteſt occidere? ſcilicet, *dum ſibi ſubtrahit adminicula concupiſcentiæ, mortua membra ſua cognoſcitur bajulare.* Corpus eſt tanquam jumentum, quod non debet fame enecari, ut poſſit Domino ſervire; ſed flagris contundi quando contra Dominum calcitrat: quomodo erga ſuum corpus ſe gerebat S. Hilarion, cui ſic inſultabat quoties aliquam corporis ſentiebat pugnam: (Ego, aſelle, faciam ut non calcitres, nec te hordeo nutriam, ſed paleis; fame te conficiam, & ſiti, gravi onerabo pondere, ut cibum pôtius, quàm laſciviam cogites.) D. Benedictus libidinis æſtuans ardore ſeſe in urticas & ſpinas nudum injecit: ſicque, ait Magnus Gregorius, *voluptatem traxit in dolorem, & vicit peccatum, quia mutavit incendium.* D. Bernardus cùm levius conſpexiſſet fœminã, in ſtagnum inſiliit aquæ gelidæ, ibique collo tenus diu manſit immerſus. Seraphicus Franciſcus ut ſimilem frigeſceret calorem, nudum corpus in nivis volutavit cumulo. Et D. Paulus caſtigatione rebellem carnem in ſervitutem redigebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.*

(Margin: 2. 2. q. 151 a. 1 — Tert. l. de vel. virg. 11 — L. 30. Moral 14 — Tert. l. de Jejun. 1 — Chryſol. Ser. 12 — Greg. Ma. hom. 21 in Evang. — D. Cypr. l. de ſing. Cler.)

Tertullianus bellè deſcribit ordinem, quo caſtitatem caro aggreditur: *Si qua oculi divagatio, carnis vacillatio, animi avocatio de tenore decuſſerit.* Oculus namque illicita conſpiciens objecta, ab illis venereas ſpecies captat, quæ carnis accendunt illecebras; illis autem fœdis imaginibus, & carnis ardoribus movetur animus. Verùm modum ſtatim præbet Tertullianus, quo frænentur oculorum aſpectus, extinguantur carnis æſtus, & inordinati impediantur animi motus: *Animam fide moderans, carnem ſpiritu librans, oculum metu temperans.* Fides animam moderat, ab eaque fœdas imagines fugat, dum ei cœleſtium ſpecies, quæ promiſit Deus animabus caſtis, repræſentat: *Hæc jam quodammodo habemus per fidem ſpiritu imaginante repræſentata.* Hæc cœleſtis beatitudinis repræſentatio per fidem multum eſt efficax, tum ut anima de inordinatis concupiſcentiæ motibus triumphet. Cùm te in lectulo compoſitum

(Margin: L. de Pud. 10 — Tertull. Scorp. 10)

dulcis

dulcis libidinum pompa concuſſerit, arripe ſcutum fidei: hoc pugnabis, hoc vin- D.Hier. ep. 22
ces, hoc de Venere & Cupidine triumphabis: tum ut anima cœleſtium bono- Serm:18
rum deſiderio & amore caſtitatis æſtuet. Nam ut ait Chryſologus: *Cæleſtium meditatione animæ & corporis exerendæ ſunt vires.* Neque duntaxat meditatio æternæ felicitatis efficaciſſima eſt ad caſtitatem propugnandam, & libidinem expugnandam; ſed etiam ad hoc mirum in modum eſt efficax recordatio inferni, & conſideratio ignis æterni, qui impudicorum animas & corpora cremabit. Hac enim meditatione *incendium ignibus extinguitur*, ait Tertullianus. L. de Pud. 1.
Sic ergo Chriſtiana caſtitas de impudicitia triumphat, *carnem ſpiritu librans.* In libra ſpiritûs ponderandæ ſunt & naturæ animæ & carnis, & paſſiones carnis pro tuenda libidine, & rationes animæ pro propugnanda caſtitate. Anima multò nobilior corpore; nam *caro terrena materia eſt, ſpiritus verò cæleſtis:* anima domina eſt carnis, caro mancipium eſt animæ: *Sed & magis animam invehi atque dominari credendum eſt, ut magis Deo proximam.* Hæc ſpiritus librans duas elicit concluſiones; nam ſi anima eſt cœleſtis, caro terrena, *cur cæleſtibus terrena non cedunt?* Si anima ut Deo proxima, eſt domina carnis, caro verò animæ mancipium; tunc in homine omnia confuſa ſunt, quando caro animæ uſurpat principatum; è contra tunc rectè ſunt ordinata, quando anima imperat, obſequitur caro; &, ut ait D. Auguſtinus, *in quo ita ſunt ordinata omnia, ut quod eſt in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris: non reluctantibus quæ ſunt nobis beſtijsq; communia.* Deinde librans ſpiritûs paſſionem brutalem, quâ caro fertur ad venereas voluptates, & rationes quibus anima ſectatur caſtitatem: *Quidquid illud quod inflammare corpus poteſt, quod fomentum ſuggerit voluptatis, caſtitatis amore fugiendum* judicat, & poſt moderatam fide animam, poſt libratam ſpiritu carnem, oculum adhuc metu temperat. Homo caſtus, pudica mulier, licèt multa ſint illi timenda, ſuper omnia *timebit virgo ſanctior Dei cenſorium lumen.* Hunc Dei timorem, ex ejus præſentia mutuatum cuilibet Chriſtiano proponit D. Aug. ut eum ab impudicitia arceat: *Tu ſolum Deum timeas, ſed tu quem times, major eſt omnibus: ipſe timendus eſt in publico, ipſe in ſecreto. Procedis, videris; intras, videris; lucerna ardet, videt; extinguitur, videt te; in corde verſaris, videt te. Ipſum time, cui cura eſt ut videat te, vel in timendo caſtus eſto; aut ſi peccare vis, quære ubi te non videat, & fac quod vis.*

(Margin: Tert. l. 1 ad Ux. 4; Tert. l. de Reſur. 7; Tert. l. 1 ad Ux. 4; de ſerm. Dom. in Mont.; D. Cypr. ep. ad Demet.; Tert. l. de vel. virg. 15; Ser. 46. de Verb. Dō.)

2. Dæmon eſt acerrimus caſtitatis inimicus. Luxuria ignis eſt; quare pudicitiæ amans *ignea jacula diaboli* pertimeſcit. Ex D. Auguſt. voluptas & timor ſunt duo arma quibus pugnat, & homines expugnat diabolus: *Alios enim voluptate capit, alios timore frangit.* Verùm multo plures voluptate, quàm timore aggreditur. Carnis illecebris *diabolus hominis ſemper inimicus, laqueos tendit, lapſus parat, foveas fodit, aptat ruinas, ſtimulat corpora, pungit animas, cogitationes ſuggerit, humana tentat.* Quare Chriſtianas mulieres hortatur Tert. ne anſam præbeant tentationibus: *Viam tentationibus aperire non debemus, quæ nonnunquam inſtando perficiunt.* Nullus ſiquidem adeò imbellis eſt ac laſci-

(Margin: Tert. l. de Fug. in Perſ. 3; L. 2. de Symb. 1; Chryſol. Serm: 11; L. 2. de cult. fœ. 2)

violus : nullus adeò fortis ut caſtus. Luxurioſi imbelles ſunt, ut patet in quatuor Regibus Sodomæ & Gomorrhæ, qui cum còpioſo exercitu à Rege Elamitarum victi ſunt, quia ſcilicet erant multum luxuriæ dediti : Abraham verò victorem Elamitarum Regem cum vernaculis trecentis & octodecim ſuperavit, quia parvus ille domeſticorum numerus erat caſtitate munitus. Nam, ut animadvertit Rabanus Maurus, *expeditos duxit juvenes ad bellum promptos, qui non fuerant uxorati*. Idem accidit in bello, quod contra hominem gerit
Tert.l. de An.57 dæmon: *Nam & ſuggeſſimus nullum penè hominem carere dæmonio*. Imò quamplures concurrunt ut hominem ad impudicitiam inducant : *Verùm & ſepte-*
Tert.l.3 de An.25 *narij ſpiritus, ut in Magdalena; & legionarij, ut in Geraſeno* : & quàmvis immundi illi ſpiritus ſint aſtutiſſimi, maximâque polleant poteſtate, hominem
Tertul de exh.caſt.2 ſuperare nequeunt niſi volentem : *Ita diaboli opus unum eſt tentare quod in te eſt, an velis; at ubi volueſti, ſequitur ut & ſibi ſubjungat, non operatus in te voluntatem, ſed nactus occaſionem voluntatis*. Chriſtiani pudicitiâ ornati impugnantem diabolum expugnant, tentationibus ejus generosè reſiſtunt, & glorioſam de illo reportant victoriam, de qua ipſimet gloriantur : *Dæmones non tantùm*
Tert. l. ad Scap.2 *reſpuimus, verùm & revincimus*. Qui verò impudicitiæ ſunt dediti, facillimè à diabolo ſuperantur. Experientiâ namque comprobatur : *maculata jam cor-*
Tert. l. de vel.virg.7 *pora humana libidinis reliquias deſideráſſe*. E cloaca impuri elevantur vapores. Luxuria eſt cloaca è qua teter voluptatum anhelitus ſpirat. Chriſtiani pudici, qui fœtidum illum volunt declinare vaporem, non ſiſtunt, non ſedem figunt; ſed nares illicò obturant, tranſeunt, quàm celerrimè fugiunt ; impudici verò
tert.l.1 afflant *libidinum vaporata momenta*, peſtilenti illo odore inficiuntur, & intra
de cult. ſe recipiunt dæmones, qui *paſcuntur cadaveribus, putredine ſaginantur, deli-*
fœ.2 *ciantur fœtore*. Ita fœtore delectatur dæmon, ut cùm eum à ſepulchris fœtidis
Chryſol. Ser.19 expulerit Salvator, *de monumentis mitti ſe precatur in porcos malitia, quia fœ-*
Chryſol. *tores amittere neſcit, ſed mutare*. Quid putridius ſepulchris, quid immundius porcis? & tamen à tumulorum putredine ad porcorum immunditiam perve-
Chryſol. Ser.17 nire nititur dæmon. *Vide ubi Satanas ſedem deſiderat collocare, de ſepulchris in porcos. Semel infeſtus putredine habitacula fœtida & immũda requirit, ſordibus delectatur & cœno, qui utiq; ſemper fœtore criminũ & ſqualore paſcitur vitiorum.*

Chryſol. Ser.16 At cur dæmones monumenta perquirunt, *ſe ſepulchris mandant? Ut homines redigant in ſepulchra*. In monumentis tumulantur mortui, *dæmonum tota voluntas eſt homines interire*, ait Chryſologus. At cur *ambiunt volutabra*
Tract. 6 in Joan. *porcorum*? Hujus nobis D. Auguſtinus ſuppeditat rationem: *Petierunt dæmones à Deo, ut ſi eos excluderet ab homine, permitteret ire in porcos ; quod myſterij gratiâ, & certâ diſpenſatione dimiſit : ut oſtenderet eos in ijs dominari qui vitam porcorum gerunt*. Quinam quæſo magis porcorum gerunt vitam, quàm libidinoſi, qui luxuriæ volutantur cœno ? quare Chriſtianas mulieres hortatur
L 2. ad Ux.5 Tertullianus : *Nolite margaritas veſtras porcis jactare, ne conculcent eas, & vos quoque evertant; margaritæ veſtræ ſunt etiam quotidianæ converſationis inſignia.*

Chriſtiani pudicitiâ decorati, non dæmonis ſepulchrum, ſed Dei ſunt habita-

bitaculum; non inferni redolent fœtorem, ſed cœli fragrant odorem. Nam *odor paradiſi quid tibi cum fœtore?* non dæmonis ſubduntur tyrannidi, ſed glorioſè de diabolo triumphant. Scientes enim quòd *à Deo confertur continentiæ virtus*, vires à Deo in ſuis orationibus expoſtulant, adinſtar Sapientis qui à Deo petendam continentiam & cognovit, & docuit: *Ut ſcivi quoniam aliter non poſſum eſſe continens niſi Deus det; adij Dominũ, & deprecatus ſum illum.* Qui continentiam habere deſiderat, Deum adeat neceſſe eſt, illam à Deo deprecetur, illam enim à ſe nequaquam habere poteſt. *Cum carne pulchrum faciat Deus hominem, animo caſtum ab homine fieri*, ſtultæ & vecordis mentis eſt credere. Donum illud non eſt humanæ virtutis, ſed divinæ miſerationis: *Nos caſtitatem & eos quibus hoc à Deo datum eſt, beatos dicimus.* Vide caſtitatem à Deo datam. D. etiam Auguſtinus probè ſciens quòd nullus præter Deum poſſit illam dare, ad illam à Deo obtinendam orationis adhibuit præſidium. *Continentiam jubes, da quod jubes.* Adhibenda igitur eſt oratio, quæ eſt *pudicitiæ præſidium ac tutamen*; imploranda eſt divina miſeratio adinſtar Apoſtoli, qui ut Angelo ſatanæ reſiſteret, ſtimulum carnis reprimeret, ter Dominum rogavit, cui Deus: *Sufficit tibi gratia mea.* Gratia dico, non natura. Advocanda eſt Mariæ interceſſio: *Si carnis illecebra naviculam concuſſerit mentis, reſpice ſtellam voca Mariam.* Ex D. Auguſtino *ut diabolo reſiſtatur, poſcendum eſt Dei adjutorium*, quod ex Deiparæ merito potius, quàm ex noſtra indignitate obtinebimus.

Chryſol. Serm. 16 — Tert. l. de vel. virg. 13 — Sap. 8 — D. Aug. ep. 130 — Clem. Alex. Stró. 3 — L. 10. Cóf. 19 — Orat. 1. de Orat. — 2. Cor. 13 — D Bern. Ser. 2 ſuper Miſſ. — L. de Nat. & Grat. 58

Quando aliquem potentiſſimi aggrediuntur inimici, quibus vix valet reſiſtere, auxiliares vocat copias, ut eorum impetus retundere poſſit. Chriſtianos pudicos oppugnant *ſathanæ cohortes, diaboli legiones*, à quibus facilè expugnarentur niſi haberent *adjutorem Deum*, *qui dat poſſe quod jubet, & quæ præcipit, facit ipſe.* Caſtitatem præcipit, dat etiam vires ad eam propugnandam iis, qui eam expoſtulant in oratione, & ſimul cum Deo adverſus diabolum pugnant: *Si cum Deo ſimus, diabolum vincimus.* Qui propriis fretus viribus, ſine Dei auxilio, temerè init cum diabolo certamen, à valido illo bellatore facilè ſuperatur. Ut enim addit D. Auguſtinus: *Si tu ſolus cum diabolo pugnaveris, vinceris, exercitatus hoſtis eſt. Quid ergo faciendum eſt, quia ille exercitatus? Invocetur Omnipotens adverſus eum, habitet in te qui non poteſt vinci, & ſecurus eſto, quia vincet eum qui vincere ſolet.* Neque tantùm tentantem dæmonem ſuperabis, ſed etiam impugnantem vinces hominem.

Chryſol. Serm. 12 — Chryſol. Serm. 11 — D. Aug. Tract. 4 in Joan.

3. *Dei ancilla de diverſis inſtitutis cenſeeris humanitatis & caſtitatis*: Chriſtianam mulierem alloquitur Tertullianus, quæ de humanitate cenſetur, tum quando paſſiones ratione frænat, tum quando erga miſeros miſericordiam demonſtrat, tum quando in conſortio ſeſe civilem, urbanam, & benè compoſitam oſtentat. De caſtitate cenſetur dum eam ſolicitè propugnat, non ſolùm adverſus carnem titillantem, dæmonem tentantem, ſed etiam adverſus hominem ſollicitantem. Ad quod multa, ſed tria potiſſimum deſerviunt. 1. Timor & diffidentia ſui; nam *aliquando fit virium & victoria per timorem.* Qui timet, præcavet ne cadat, qui verò præſumit, non præcavet, & non præcavens

Ter. l. 1 de cult. fœ. 3 — D Cypr. de Sing. Cler.

Lib. 1. de Pud. 7 corruit: *Securitas delicti etiam libido eſt ejus.* Diffidentia ſuî ex humilitate naſci-
tur, præſumptio autem oritur ex ſuperbia. Quàm *infelix periculoſa ſit præ-*
D. Aug. l. de hone- *ſumptio, multi dum ſe putabant vincere, victi ſunt*, ut Davidis, Salomonis,
ſta mul. 2 Samſonis, multorumque aliorum lapſu conſtat. Inde concludit D. Aug. *Ne-*
mo ergo ſe falsâ ſecuritate decipiat, nec de ſuis viribus periculosè præſumat. Præ-
L. de Singul Cler. ferendus eſt præſumptioni timor: nam, ut ait D. Cyprianus, *in hac parte plus*
expedit benè timere, quàm malè fidere: utilius eſt infirmum ſe quis cognoſcat,
quàm fortem; fortis ſi videri velit, infirmus emergat. Ne ergo periclitetur, & in-
firmus emergat, de ſemetipſo diffidat, & in Deo fiduciam ponat. Salubre hoc
monitum præbet D. Auguſtinus cuidam de ſe diffidenti, & câſum pertime-
L. 8. de Conf ſcenti: *Quid in te ſtas, & non ſtas? projice te in eum, non ſe ſubtrahet ut cadas.*
Noli timere, ait D. Cyprianus: *Securitatem nobis & protectionem pollicetur.*
De Exh. Mart. 10 Aqua & ignis maxima denotant pericula; Deus autem nobis ſecuritatem &
protectionem promittit adverſus inundantes aquas, & devaſtantes ignes: *Cùm*
Eſa. 43 *tranſieris per aquas, tecū ero, & flumina nō operient te; cùm ambulaveris in igne,*
non combureris. Si tranſieris per aquas, & inſurgentes tentationum undas, noli
timere, non operient te: quia tecum ero. Si ambulaveris in igne à carnis concu-
piſcentia, à dæmonis malitia ſufflāmato, noli metuere, tecum ſum: gratiæ meæ
D. Cypr. de or. Dō. imbribus illos extinguam ignes: *Quis enim ei de ſeculo metus, cui in ſeculo Deus*
Tert. l. de Pud. 1 *tutor eſt?* 2. Occaſionum fuga & *ſollicitudo quæ præcavet*, eſt optimum caſti-
tatis propugnaculum. Ad quod nos hortatur Apoſtolus: *Fugite fornicatio-*
1. Cor. 6. *nem.* Quomodo autem fugiatur fornicatio, oſtendit Tertullianus; nimirum
Lib. 2 de cult. fœ. 8 fugiendo *luxuriæ occaſionem.* In hac occaſionis fuga totam ſpem victoriæ
Patres uno ore collocant. Hoc namque D. aſſeverat Ambroſius: *Cum aliis*
Apol. 2 David. 3 *vitiis poteſt expectari conflictus, fornicationem fugite ne approximetis, quia non*
poteſt aliter melius vinci. Poſt D. Ambroſium adducendus eſt D. Auguſtinus
Serm. 150 de Temp. dicens: *Contra libidinis impetum apprehende fugam ſi vis obtinere victoriam:*
nec tibi verecundum ſit fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere. Ambro-
ſio & Auguſtino aſſentit D. Hieronymus, qui Vigilantio imbecillitatem ex-
Cont. Vigil. probranti reſpondet: *Fateor imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoriæ,*
ne perdam aliquando victoriam: Tu qui pugnas, ſuperari potes, & vincere. Ego
cùm fugero, non vincar in eo quod fugero, & ideò fugio ne vincar. 3. Modeſtia
& pudorata fœminarum cum viris converſatio; quapropter caſtam mulie-
L. de vel. virg. 15 rem ſic hortatur Tertullianus: *Indue armaturam pudoris, circumduc vallum*
verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, quo te adverſus hominum ſollicitationem
defendas.

Homines tribus modis, maximè fœminarum, inſequuntur pudicitiam.
1. Blanditiis & voluptatibus. 2. divitiis & muneribus. 3. violentiis &
coactionibus. Has omnes impugnationes fortiter rejiciunt mulieres pudi-
Tert. l. de vel. virg. 11 cæ: nam 1. licentias omnes denegant, ad exemplum Rebeccæ, quæ
non ſuſtinuit dexteræ colluctationem, nec oſculi congreſſionem, nec ſaluta-
tionis communicationem. Neque hos, neque alios favores, qui ſunt vo-
lupta-

luptatum fomenta, concedunt mulieres caſtæ, quas his verbis alloquitur Tertullianus: *Quare, bendictæ, meditemur duriora, & non ſentiemus: relinquamus lætiora & non deſiderabimus: projiciamus ornamenta terrena, ſi cæleſtia optamus.* 2. Neque ornamenta, neque munera, neque ulla terrena bona acceptant ab hominibus pudicæ mulieres, probe ſcientes quod *prima caſtitatis victoria eſt facultatum cupiditates vincere, quia lucri ſtudium tentamentum eſt pudoris.* Chriſtianæ fœminæ caſtitatem amantes glorioſe triumphant tum de blanditiis & voluptatibus, tum de divitiis & muneribus. Nam ut ait S. Zeno Veronenſis: *peſtiferas odiunt blanditias, & quidquid ingeſſerit mundus voluptatis aut muneris, totum reſpuunt, præſumentes ſe totum habere ſi puræ ſint.* 3. Poſtremo puritatem tantopere diligunt ut eam vitæ anteponant. Quod ſcientes gentiles tyranni Chriſtianas fœminas, pudicitiam vitæ præferre ſolitas, inquinamentis potius quam tormentis cruciabant. *Nam ipſum quoque ſæculum uſque adeo teſtatur, ut ſi quando eam i fœminis noſtris, inquinamentis potius carnis quam tormentis punire contendat, id volens eripere quod vitæ anteponant.* Pudicitia illis carior erat quam vita, magiſque jacturam caſtitatis quam mortem pertimeſcebant: ideoque mutuò ſeſe hortabantur. *Stemus expeditæ ad omnem vim,* ne earum puritas violentiâ & coactione macularetur. Neque Chriſtianæ dumtaxat fœminæ, caſtitatem morti præferendam judicaverunt, ſed multæ aliæ quarum exempla prætereo, Suſannam ſolam in medium adducens, quæ pudicitiam vitæ prætulit potius eligens accuſationem, carcerem, infamiam, mortem ipſam, quam impudicorum aſſentiri voluntati.

Lib. 2. de Cult. fœm 13.
D. Ambr. Epiſt. 31.
Serm. de Pud. 1.
Tert. l. de Pud. 1.
Lib. 2. de Cult fœm 13.

Quam paucæ ſunt hac ætate mulieres Chriſtianæ, quæ hujuſmodi caſtitatis imitentur exemplum, quæ non capiantur blanditiis, non corrumpantur muneribus, vi libenter non credant, quæ ſuis armis munitæ cum vitiis converſentur? Quas ideo pungit Tertullianus: *Cur non veſtris armis indutæ proceditis?* nam arma pudicitiæ deponentes homines alliciunt ſuavitate ſermonum, in verecundia oculorum, immodeſtia actionum, lenocinio veſtium. Quæ omnia non caſtam, ſed potius laſcivientem denotant mulierem. *Liceat videri pudicam, certe impudicam ſcilicet.* Alloquitur Chriſtianam fœminam Tertullianus, quæ pudica quidem erat, verum cultu inceſſuque licentiori prodibat, ita ut occaſionem præberet procacibus, adſectandi compellandique velut impudicam: quam mulier pudica & quæ pudica videtur ſic redarguit: *Quid enim caſta mentis integritas alterius ſuſpicione maculatur? quid ſperatur in me quod averſor? quid non mores meos habitus pronuntiat, ne ſpiritus per aures ab impudentia vulneretur?* Utinam Suſannam imitarentur mulieres Chriſtianæ. Erat Suſanna pulcherrima, ſed *abſcondens decorem, vel quia timens jam placere.* Suſanna ingenti pollebat ingenio, venuſtate etiam ſermonis; & tamen licet injuſtè accuſata, *Suſanna tacuit & vicit: tacente lingua pro ea caſtitas loquitur.* Suſanna ab impudicis in pomario ſola inventa non acquievit eorum ſermonibus, blanditiis, pollicitationibus, minis, ſed ut eorum vim evaderet, *exclamavit voce magna,* ſuos ad auxilium vocans, ne per violentiam conta-

Tert. l. 2. de Cult. fœm. 11.
Tert. l. 2. de Cult. fœm. 12.
Tert. l. 2 de Cor. mil. 4.
D. Aug. Serm. 118.

contaminaretur. Urgetur ad facinus Suſanna, malitiâ & calumniâ Judicum qui ei eligendam proponunt aut occultam impudicitiam, aut publicam infamiam, & mortem: Ad hæc *ingemit Suſanna & ait*: *Anguſtiæ ſunt mihi undique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras: ſed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini.* Quale ſpecimen caſtitatis præbuit Suſanna, quæ ut incontaminatam ſervaret impudicitiam, contempſit famam & vitam in ipſo juventutis flore & tanto pulchritudinis ſplendore, & tamen non audierat

Hom. de Deipara. Joannem qui ab Andrea Cretenſi *caſtitatis legislator* nuncupatur: neque exiſtebat tempore legis gratiæ, quam Methodius vocitat *regnum caſtitatis*, quod

D. Ambr. l. 1. de Virg. ſtabilivit ipſemet Chriſtus qui eſt *Dei ſapientia*, *Dei ſanctitas*, *Dei caſtitas.* An non Suſanna condemnat Chriſtianas illas mulieres quæ commorantes in

Cir. Hieroſ. Catech. 12. regno caſtitatis, habentes legem caſtitatis, agnoſcentes Chriſtum *Deum caſtitatis*, tamen immemores honeſtatis, famæ, conſcientiæ, ſalutis, legis, ipſiuſque Dei, ad primam ſollicitationem cadunt? Unde procedit quod Suſanna adeo fortiter ſe geſſit, illæ vero ita ſegniter? Quia Suſanna diligebat honorem, diligebat ſalutem, diligebat Deum, illæ vero nihil horum amant. Amemus Deum & amabimus caſtitatem; caſtitatem amando, illam etiam cum jactura vitæ propugnabimus, & propugnando vitam merebimur immortalē.

CONCIO SECUNDA.

Tert. l. 3. adv. Marc. 29. *Conjugium exerte defendentes cum inimice accuſatur ſpurcitiæ nomine in deſtructionem Creatoris, qui proinde conjugium pro rei honeſtate benedixit, in crementum generis humani, quemadmodum & univerſum conditionis in integros & bonos uſus.* Marcionem ejuſque aſſeclas redarguit Tertullianus, qui ex abuſu nuptiarum occaſionem captant debacchandi in nuptias, velut diaboli inſtitutum, impudicitiæ negotium: nec attendunt quod res ex ſemetipſa bo-

Tertull. na culpanda non eſt, etiamſi nonnulli male ea utantur. *Non ideo autem & cibi damnabuntur; quia operoſius exquiſiti in gulam committunt: ut nec veſtitus ideo accuſabuntur, quia pretioſius comparati in ambitionem tumeſcunt. Sic nec matrimonij res ideo deſpuentur, quia intemperantius diffuſæ in luxuriam inardeſcunt. Multum differt inter cauſam & culpā, inter ſtatum & exceſſum. Ita hujuſmodi non inſtitutio, ſed exorbitatio reprobanda eſt, ſecundum cenſurā inſtitutoris ipſius; cujus eſt tam; Creſcite & multiplicamini, quam &, Non adulterabis; & Uxorem proximi tui non concupiſces.* Aliud eſt matrimonium, aliud eſt abuſus matrimonii: Matrimonium eſt à Deo inſtitutum: abuſus matrimonii eſt prohibitus à Deo: Matrimonium à Deo inſtitutum bonum eſt: Deus namque nequit eſſe auctor mali: Abuſus matrimonii à Deo prohibitus malus eſt, quia quod Deus prohibet, malum eſt, Matrimonium bonum eſt, tum quia à Deo

inſtitu

inſtitutum, tum quia eſt Sacramentum novæ legis quod ex ſemetipſo virtutem habet conferendi gratiam : Abuſus ſacramenti malus eſt, tum quia à Deo prohibitus : tum quia luxuria caſtitati matrimoniali directe opponitur, quam uxorati debent, 1. Deo: 2. ſibi: 3. conjugi.

Quid agis lex Creatoris inter alienos ſpadones & aurigas tuos ? Tantumdem quereris de domeſtico obſequio, quantum de faſtidio extraneo ; proinde & te lædunt qui abutuntur, quemadmodum qui non utuntur. Verum neque continentia ejuſmodi laudanda, quia hæretica eſt; neque licentia defendenda, quia pſychica eſt. Illa blaſphemat, iſta luxuriat, illa deſtruit nuptiarum Deum, iſta confundit. I. PARS. Tert. l. de Mon. 1
Legem Evangelicam de duobus inimicis querulam prodit Tertullianus; nimirum de Hæreticis, & de libidinoſis Chriſtianis. Utrique eam offendunt: illi matrimonio non utendo; iſti matrimonio abutendo. Illi non utuntur matrimonio, quia nuptias ut malas & diabolicas condemnant, iſti matrimonio abutuntur, quia nuptias maculant & ſuis libidinibus thorum immaculatum contaminant. Utrique ſunt criminoſi : Illi, quia Deum matrimonii authorem culpant; iſti, quia divinam legem violant. Perfecti Chriſtiani etſi virginitatem nuptiis præponant , hæreticam tamen continentiam non approbant : & quamvis matrimonium bonum & licitum credant, impudicitias matrimonii non defenſant, ſed inter hos duos ſcopulos medium iter tenentes & legem à Deo datam obſervantes, Matrimonium non erubeſcendum profitentur ; libidinem fœdam turpem prædicant, matrimonium ex ſe non impudicum, ſed ſanctum propugnant, libidinem quæ matrimonii ſanctitatem turpat, condemnant : *Natura veneranda eſt, non erubeſcenda : concubitum libido; non conditio fœdavit: exceſſus, non ſtatus, eſt impudicus: ſi quidem benedictus ſtatus apud Deum, Creſcite & in multitudinem proficite : exceſſus verò maledictus, adulteria & ſtupra & lupanaria.* Qui ſunt matrimonio conjuncti, ſi nolunt à Deo maledici, ſed benedici deſiderant, debent laſciviam fugere, pudicitiam matrimonialem inviolatam ſervare, quam præſtare tenentur Deo 1. imperanti; 2. præmianti; 3. vindicanti. Tert. l. de An. 27

1. Præcepta divina pudicitiam mandantia à conjugibus etiam exigunt caſtitatem: *Pudicitiæ indicendæ & exigendæ ſufficiunt inſtantia ubique divina præcepta.* Multi ſunt uxorati errore decepti, qui ſibi permiſſam omnem laſciviam volunt : pudicitiam vero non uxoratis duntaxat mandatam exiſtimant: vel ſi uxoratis, ſolis mulieribus, non autem viris. Verum ut eis oſtendas quantum aberrent à vero, *provoca ad Apoſtolicam aciem, aſpice epiſtolas ejus ; omnes pro pudicitia, pro caſtitate, pro ſanctitate prætendunt : omnes in luxuria & laſcivia & libidinis negotia jaculantur.* Divina lex quæ eſt *lex tota ſanctitatis, caſtitatis & pudicitiæ*, pro omnibus promulgata, cunctos generatim obligat. Ut autem conjugati ſervent caſtitatem ſuo ſtatui conformem, non debent cum extranea neque opere, neque voluntate commiſceri, in uſu etiam matrimonii modum tenere tenentur. *Debet unuſquiſque continens abſtinere ab omnibus illicitis: his autem quæ licita ſunt, debet cum modeſtia & ſobrietate uti.* 1. Illicita eſt cum extranea uxore commixtio, (quod de viro dicitur idipſum aſſeritur de Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 2. Tert. l. de Pud. 17 Tert. l. de Pud. 6 D. Aug. Ser. 48. de Temp.

fœmi-

Tert. l. 1. ad Ux. 3. fœmina: nam *extranei hominis admiſſio non minus templum Dei violat: non minus membra Chriſti, cum membris adulteræ commiſcet.* 2. Illicita eſt alienæ
Tertull. Apol. 46. uxoris concupiſcentia. *Chriſtianus ſalvis oculis fœminas non videt*, ſcilicet ad concupiſcentiam, *animo adverſus libidinem cæcus*; quia lex divina vetat non tantum adulterium opere conſummatum, ſed etiam adulterium mente & voluntate conceptum, quamvis non ſit ad opus & effectum redactum.

Tert. l. de Mon. 1 Conjugatus modeſte adhuc debet uti matrimonio: *Magis honorem refert lex nuptiarum, ubi habet & pudorem.* Uxorati ſibi mutuo honore conjugii de-
Tert. l. 2. ad Ux. 3 bitum reddant, *ut penes ſanctos officia ſexus, cum honore ipſius ne eſſ..atis, tanquam ſub oculis Dei modeſte & moderatè tranſigantur.* Ad modeſtiam & temperantiam in concubitu ſervandam multum deſervit tum præſentia Dei, tum conſideratio paſſionis, quâ Chriſtus membra, tum viri tum mulieris magno
D. Aug. in Pſ. 146 pretio emit: *Sit caſtus cum conjuge thorus, non ſit effrænata luxuries libidinum, defer in lecto tuo conjugi honorem, quia membra Chriſti eſtis, ambo ſanguine ipſius reparati.* At proh dolor! quam pauci ſunt hac tempeſtate qui thorum ſervent immaculatum: qui in conjugio demonſtrent pudorem, honorem,
D. Aug. l. de Doct. Chr. 19 modeſtiam & temperantiam! Quam multi *qui effrænata libidine vel per multa ſtupra defluentes, evagantur!* Quam multi qui alienas concupiſcunt uxores
Tert. l. de Idol. 2 quibuſcum in corde mœchantur! *Si quis exiſtimet adulterium in oſculis, & amplexibus & in ipſa carnis congreſſione cenſendum, etenim Dominus quam extenſius iſta diſponat certi ſumus, cum adulterium etiam in concupiſcentia deſignat; ſi oculum quis impegerit libidinoſe, & animum commoverit impudice.* Quot ſunt qui matrimonio abutuntur? Horum quemlibet redarguit Ter-
Lib. de Exh. caſt. 9 tullianus. *Abuteris continentia cum ſine modeſtia uteris: modeſtia à modo intelligitur:* Nonne abutuntur illi *qui in ipſa conjuge intemperantiæ ſordes, omni li-*
D. Aug. l. 2 de fidel. conjug. 12 *centia accumulant?* Nonne abutuntur qui ut oculorum ſatient concupiſcentiam, fœdiora quæque inverecundo intuentur aſpectu, quibus complacens
Tert. l. 2. ad Ux. 3 uxor *exhibebit formam, exſtructionem, munditias ſæculares, blanditias turpiores, ipſa etiam matrimonij ſecreta maculoſa?* Nonne abutitur qui cum uxore
Tert. l. de An. 27 congrediens, extraneæ fœminæ æſtuat amore & cum ea voluntate congreditur? Nam *in hoc ſolemni ſexuum officio, quod marem ac fœminam miſcet, in concubitu dico communi, ſcimus & animam & carnem ſimul fungi; animam concupiſcentia, carnem opera.* Nonne abutitur mulier, quæ impedit filiorum ge-
Tert. l. 1. adv. Marc. 29. nerationem, vel ut ſervet decorem, vel quia *timet forſitan redundantiam ſobolis, ne laboret plures liberando?* Vir etiam qui vel his vel aliis de cauſis ſemen
D. Aug. ibid. effundit? *Illicite namque & turpiter etiam cum legitima uxore concubitur, ubi prolis conceptio derivatur.* Nonne abutitur, qui contra naturam cum propria
Tertull. Apol. 46. ſe commiſcet uxore? *Chriſtianus ad ſexum nec fœmina mutat:* fœmina unica &
Tert. l. 5. adv. Marc. 15. uxore propria utitur & adhuc ad ſexum fœmineum & naturalem. Vir qui *extraordinariis, & non naturalibus, & protentoſis* fœdatur voluptatibus, Deum graviter offendit: Tum quia matrimonii honorem dehoneſtat: ſiquidem *ſan-*
Tertull. *ctitas luxuriæ & turpitudini quoque contraria, quæ non matrimonium excludat,*

ſed

ſed libidinem; quæ vas noſtrum in honore matrimonij tractet. Tum quia Dei legem contemnit & violat. Ad recipiendam Legem voluit Deus populum Iſraeliticum continentia præparari. *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris.* Dei mandato obſequens Hebræus populus *adſtrabat purus à mulieribus, & ab omnibus voluptatibus abſtinens.* Ad excipiendas leges munditiam à populo expoſtulat Deus, ne ſi forte impurus, divinas præceptiones refractarius refutet. Laſcivia namque exlegem hominem aut invenit, aut facit, quia *agreſti dominante luxuria ſilveſcit.* Libidini eſt agnatum, obſequium dedignari, legis confringere jugum, præceptorum rumpere vincula, quod ſolemnis iſta Dei querela demonſtrat. *A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſerviam.* Statim autem ſubdit unde ejuſmodi inobedientia procedat: *In omni enim colle ſublimi, & in omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix.* Hujuſmodi querela non ſolum impudicos reſpicit Iſraelitas, ſed Chriſtianos etiam laſcivientes, qui caſtitatem præſtare debent Deo imperanti & præmianti.

Exod. 19. Philo Jud. l. de Decal. Chryſol. Serm. 131.

2. Acute animadvertit Tertullianus, quòd ut plurimum homo decimo conceptionis menſe naſcitur; ut vel hoc numero ad obſervationem Decalogi inducatur. *Legitima nativitas ferme decimi menſis ingreſſus eſt: qui numeros ratiocinantur, & decurialem numerum, ut exinde reliquorum parentem colant, denique perfectorem nativitatis humanæ. Ego ad Deum potius argumentabor hunc modum temporis, ut decem menſes Decalogo magis inaugurent hominem, ut tanto temporis numero naſcamur, quanto diſciplina numero renaſcimur.* Cum Chriſtianus renaſcitur, Chriſtianam ſuſcipiens diſciplinam, ad divinæ legis obſervationem ſe obligat, quam ut exactius obſervet, obtemperantibus ſalutẽ æternam pollicetur Deus. *Habes legem & ſalutem de obſervatione legis.* Hac lege prohibet Deus impudicitiam & caſtitatem præcipit. Quapropter *ſalus nec fœminarum modo, ſed etiam virorum, in exhibitione præcipue pudicitiæ eſt.* Elias duplici prærogativa fulget, nam in Taboris monte apparet dum Chriſtus transfiguratur & curru etiam ſublimatur in cœlum. Ex D. Ambroſio bino illo gaudet privilegio ratione caſtitatis *Elias nullius corporei coitus fuiſſe permixtus cupiditatibus invenitur. Ideo ergo curru raptus in cœlum, ideo cum Domino apparet in gloria.* Splendor Chriſti transfigurati cœleſtem gloriam denotat, Elias qui tanto potitus eſt ſplendore, innuit fœlicitatem qua Deus in cœleſti patria præmiat caſtitatis obſervatores, quorum animæ Deum intuitive conſpiciunt, *Sanctitas de proximo viſura eſt faciem Dei*, ait Tertullianus: corpora vero poſt reſurrectionem ſunt habitum angelicum ſuſceptura. *Abhinc enim definimus carnem quem omnimode reſurrecturam, atque ex illa demutatione ſuperventura, habitum angelicum ſuſcepturam.* Hoc argumento utitur Tertullianus, ut mulieres Chriſtianas ad caſtitatis accendat amorem: *Nam & nobis tunc ſubſtantia angelica repromiſſa*: ſcilicet poſt reſurrectionem corporum; *Chriſtianis translatis in angelicam qualitatem & ſanctitatem.* Verum ſicut caſtos legis obſervatores abunde præmiat Deus; ita de impudicis legis contemptoribus, vindictam ſumit.

Lib. de An. 37. Tert. l. de Præſc. hær. 14. Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 1. Lib. 1. de Virg. Lib. 1. ad Ux. 2. Tert. l. de Reſ. 42. Lib. 1. de Cult. fœm. 1. Tert. l. 1. ad Ux. 1

2. Deo competere juſtitiam, iram & vindictam, multiplici ratione adverſus Marcionem demonſtrat Tertullianus: Nam 1. ſi Deus offenſam ſibi factam non punit, ſtupidiſſimus eſt: *& utique non aliud prohibet admitti; quam quod non amat fieri: ſtupidiſſimus ergo qui non offenditur facto quod non amat fieri, quando offenſa comes ſit fruſtrata voluntatis: aut ſi offenditur, debet iraſci; nam & ultio, fructus eſt iræ; & ira, debitum offenſæ, & offenſa comes fruſtratæ voluntatis.* 2. Deus nequit eſſe auctor legis, niſi violatores puniat: *Si enim neque æmulatur, neque iraſcitur, neque damnat, neque vexat, utpote qui nec judicem præſtat, non invenio quomodo illi diſciplinarum ratio conſiſtat, & quidem plenior. Quale eſt enim, ut præcepta conſtituat non executurus? ut delicta prohibeat non vindicaturus? quia non judicaturus; extraneus ſcilicet ab omnibus ſenſibus ſeveritatis & animadverſionis* 3. Si Deus non ulciſcitur, neque timetur: ſublato autem timore ad omnes immunditias laxantur fræna: *Age itaque qui Deum non times quaſi bonum, quid non in omnem libidinem ebullis? Summum quod ſciam, fructum vitæ omnibus qui Deum non timent.* 4. Si violatas leges non vindicat Deus, *hoc erit bonitas imaginaria: diſciplina phantaſtica: & ipſa tranſfunctoria præcepta, ſecura delicta.* 5. Si Deus peccata non punit, præſtat ſceleroſis licentiam & auctoritatem peccandi: *Audite nunc peccatores, quique nondum hoc eſtis, ut eſſe poſſitis: Deus melior inventus eſt, qui nec offenditur, nec iraſcitur, nec ulciſcitur, cui nullus ignis coquitur in gehenna, cui nullus dentium frendor horret in exterioribus tenebris; bonus tantum eſt.* Chriſtianus impudicus eodem modo luxuriat, quaſi Deus impudicitiam non prohibeat, neque vindicet, neque puniat: Ita divinas leges tranſgreditur ac ſi eſſent phantaſticæ. *Cupiditas leges obliterat, jus omne perſequitur, divinas abradit ſanctiones.* Tandem adeò ſecurè in omnem ebullit impudicitiam, ac ſi non eſſet infernus, neque ignis divinæ juſtitiæ miniſter: & ut deplorat Tertullianus, *Chriſtianæ pudicitiæ ratio concutitur, quæ omnia de cœlo trahit, & naturam per lavacrum regenerationis; & diſciplinam per inſtrumentum prædicationis: & cenſuram per judicia ex utroque teſtamento.* Naſcitur pudicitia per lavacrum regenerationis. Scilicet Chriſtiani in baptiſmo ſunt *renati ex aqua & pudicitia*, ait D. Cyprianus, & obligati ad pudicitiam: tum ratione cœleſtis nativitatis, tum ratione cœleſtis diſciplinæ, cujus auctor & prædicator eſt Chriſtus: *Malo in gloriam Chriſti, à Chriſto deducere diſciplinam.* Tandem pœna quam luent impudici, ad libidinis fugam & pudicitiæ obſervantiam ſtimulat: quæ ſane, *aliquatenus in ſæculo moraretur, ſi natura præſtruxerit, ſi diſciplina perſuaſerit, ſi cenſura compreſſerit. Siquidem omne animi bonum aut naſcitur, aut eruditur, aut cogitur.* Trina ratione, eaque validiſſima, ad ſtudium caſtitatis urget Tertullianus, 1. deſumitur ex natura: 2. ex diſciplina: 3 ex pœna. Chriſtianus in baptiſmate ex pudicitia renatus, cœleſti huic nativitati reſpondere debet: diſciplina Chriſti eruditus, doctrinam quam didicit tenetur caſtitate profiteri. Cœli gloriam & inferni credens pœnam libidinem fugiat, pudicitiam ſectetur oportet, ſi tanta gloria potiri, & ab interminabili illa pœna liberari deſiderat:

Lib. 1. adv Marc. 26.

Cap. 27.

Hildeb. Epiſt. 4.

Lib. de Pud. 1.

Lib. de Pud. 1.

Tert. l. de Pud. 6.

Tert. l. de Pud. 1.

Sed

Sed bona jam nec naſci licet, ita corrupta ſunt ſemina: nec erudiri, ita deſerta ſunt ſtudia: nec cogi, ita exarmata ſunt jura. Multi namque perverſi Chriſtiani nativitati baptiſmatis non reſpondent, ſed eam ſuis impudicitiis dedecorant: Chriſti diſciplinam dediſcunt, & ſuis turpitudinibus evertunt: metu gehennæ ab impuris voluptatibus non retrahuntur, ſed in luxuriæ perſeverant cœno, non ſecus ac ſi ignis inferni eſſet fictitius. Veri Chriſtiani è contra, caſtitate decorantur. *Coacta conſtantius ex metu & voto, æterni ignis, & regni,* quam Deo imperanti, præmianti & vindicanti præſtant: & ſibi etiam debitã exiſtimant. Tert. ib.

Chriſtianos vult Apoſtolus *abſtinere ab ſtupro, non à matrimonio. Scire unumquemque ſuum vas in honore tractare, non in libidine qua gentes.* Chriſtianorum vita multum à Gentilium vita debet differre. Iſti matrimonium libidinibus devenuſtant, illi è contra matrimonium caſtitate decorant & honorant: Etenim *pudicitia eſt ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, pax domus.* Uxorati pudicitiam ſibi debent, trina potiſſimum ratione: ſcilicet ut conſervent 1. gratiam & ſanctitatem: 2. famam & honorem: 3. concordiam & pacem. II. PARS. Tert. l. 5. adv. Marc. 15. De Cyp. de bon. Pud.

1. Pudicitia eſt *fundamentum ſanctitatis*: non ſolum quia eſt baſis qua ſolidatur ſanctitas, & ſine qua nequit ſubſiſtere, ſed etiam quia ſanctitas matrimonialem decet caſtitatem, & conjuges tenentur ſanctam ducere vitam ut ſanctitati matrimonii poſſint reſpondere. Quare redarguendi ſunt conjuges qui prætexunt matrimonium quaſi impedimentum ad perfectionem & ſanctitatem. Nam ut ſe excuſent à ſacra menſa, à Miſſæ ſacrificio, à prædicatione verbi Dei, aliiſque pietatis operibus, dicunt, *Uxorem duxi, non poſſum venire*: Hos inſequitur C. Chryſoſtomus, *Quoties dicimus: Cur non recte vivis? quî poſſum, alligatus uxori, liberis, negotiis? id religioſorum eſt*: quaſi connubium ſtudio perfectionis repugnet, & ab oratione, pietate & virtute animum avocet. Animadvertit autem D. Auguſtinus quod dum Apoſtolus ait: Quæ innupta eſt cogitat ea quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu, *non ſic accipiendum eſt, ut putemus non eſſe ſanctam corpore, Chriſtianam conjugem caſtam: Omnibus quippe fidelibus dictum eſt; Neſcitis quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti? Sancta ergo ſunt corpora conjugatorum, fidem ſibi & Domino ſervantium: proinde illud dictum eſt, ſecundum ampliorem ſanctitatem innuptarum quam nuptarum.* Comparat Apoſtolus ſtatum virginum cum ſtatu conjugatorum. Licet ſtatus virginum ſtatum conjugalem in caſtitate & ſanctitate ſuperet, non tamen à conjugatis pudicitiam & ſanctitatem expellit. Enoch fuit uxoratus, & tamen cum Deo ambulavit, quod oſtentat quantum aberrent à vero, qui matrimonium tanquam virtutis obicem cauſantur: *Audiant viri & mulieres, & diſcant juſti virtutem: nec putent nuptias in cauſa eſſe, quo minus quis Deo placeat. Nam idcirco divina Scriptura ſemel & iterum id ſignificavit dicens: Genuit Mathuſalem, & tunc placuit, & idem ingeminat ac repetit dicens: & placuit poſt quam genuit, ne quis arbitraretur obſtaculum virtutis eſſe conjugium.* Iſaias Propheta uxoratus fuit, & tamen tanta fuit ſapientia illuſtratus, tanto virtutum merito præditus, tanta ſanctitatum omnium prærogati-

Tert. l. de Pud. 1. Luc. 14. Hom. 21. ad Pop. L. de bon. Conjug. 12. 1. Cor. 7. D. Chryſoſt.

rogativa decoratus, ut velut cœli inquilinus linceis oculis anguſtum Dei ſo-
lium pio auſu penetraverit, & Seraphim ſtantes ante thronum conſpexerit.
Hom. 4. in Iſai. De quo ſic fatur D. Chryſoſtomus: *Iſaias ille ſpectator cœleſtium Seraphim, qui*
in conjugio commercium habuit, nec tamen extinxit gratiam. Nemo ambigit
ſtatum virginitatis antiſtare connubio, & Baptiſtam quem Salvator Angelum
appellavit, candore puriſſimæ virginitatis floruiſſe: ideo ab Andrea Cretenſi
Hom. de Deip. *virginitatis ornator* vocitatur. Attamen D. Hieronymus eximius virginitatis
laudator, matrimonium Abrahæ cum virginitate Joannis Baptiſtæ confert.
Baptiſta namque Meſſiæ fuit Præcurſor, at à conjugio Abrahæ originem
Chriſtus accepit, & uxoratus Patriarcha Jeſuanæ familiæ cenſetur princeps.
Joannes Evangeliſta mire commendatur ex commendatione Deiparæ quam
Theophilact. ei Chriſtus ob virginitatem commendavit; *Puro pura commiſſa eſt:* cum conti-
nentia tamen dilecti diſcipuli Abrahæ connubium confert D. Aug. *Sicut non*
L. de bon. Conjug. 21. *eſt impar meritum patientiæ in Petro qui paſſus eſt, & in Ioanne qui paſſus non eſt:*
ſic non eſt impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas nuptias expertus eſt,
& in Abraham qui filios generavit. Illius enim cœlibatus, & iſtius connubium, pro
temporum diſtributione Chriſto militaverunt, immo fieri poteſt, ut conjux cu-
jus ſtatus minus eſt ſanctus, ſit ſanctior virgine, cujus ſtatus majorem impor-
L. 16. Civ. 36. tat ſanctitatem. Nam ut ratiocinatur D. Auguſtinus, *fieri poteſt ut habeat ali-*
quid in vita & moribus quiſpiam, quo ſuperet alium: idque ſit longe præſtabilius,
quam eſt illud unde ab alio ſuperatur. Ac per hoc, ſano veroque judicio, cum conti-
nentia præferatur conjugio, melior eſt tamen homo fidelis conjugatus, quam con-
tinens infidelis. Conſtituamus autem ambos bonos, etiam ſic profecto melior eſt con-
jugatus fideliſſimus & obedientiſſimus Deo, quam continens minoris fidei, minoriſ-
que obedientiæ: ſi vero paria ſunt cætera, continentem conjugato præferre quis
L. de bon. Conjug. 23. *ambigat?* Idem adhuc fuſe proſequitur argumentum D. Auguſtinus. (Fieri
poteſt ut animus non habeat aliquid quod alius habet, ſed alius habeat quod
pluris æſtimandum eſt. Majus eſt enim bonum obedientiæ, quam conti-
nentiæ. Nam connubium nuſquam noſtrarum auctoritate Scripturarum
damnatur: inobedientia vero nuſquam abſolvitur. Si ergo proponatur
virgo permanſura, ſed tamen inobediens: & maritata quæ virgò per-
manere non poteſt, ſed tamen obediens: quam meliorem dicemus? mi-
nus laudabilem quàm ſi virgo eſſet, an damnabilem ſicut eſt virgo? Ita ſi
conferas ebrioſam virginem ſobriæ conjugatæ: quis dubitat hanc ferre ſen-
tentiam? Nuptiæ quidem & virginitas duo bona ſunt, quorum alterum ma-
jus: ſobrietas autem & ebrietas, ſicut obedientia & inobedientia: illa bona
ſunt, hæc mala. Melius autem eſt habere omnia bona, vel minora, quam
magnum bonum cum magno malo, quia & in corporalibus bonis melius eſt
habere Zacchæi ſtaturam cum ſanitate, quam Goliæ cum febre. Quapropter
non ſolum obediens inobedienti, ſed obedientior conjugata, minus obe-
dienti virgini præponenda eſt; quia omnium virtutum quodammodo mater
eſt obedientia.) Eodem modo philoſophatur de humilitate ac de obedientia.

Aliter

Aliter perit ſanctitas caſti, ſi adulter fuerit; aliter perit ſi ſuperbus fiat, & audeo dicere: conjugalem agentes vitam ſi tenent humilitatem, ſuperbis caſtis meliores ſunt. Hæc cùm ita ſint, nemo conjugium advocet ad ſceleroſæ vitæ excuſationem: perſonæ vitium eſt quod tribuitur nuptiis; matrimonium eſt concupiſcentiæ remedium, non virtutis impedimentum: in ſuo ſtatu conjuges ſæpè ſæpius majori quàm continentes fulgent ſanctitate, ad cujus ſuſtentaculum neceſſaria eſt caſtitas conjugalis; nam *caſtitas baſis quædam eſt ſolida, & initium ſanctitatis*, hanc etenim ſuſtentat & adhuc propugnat: *Sola caſtitas eſt munimen invictum ſanctimoniæ.* Sanctitas & caſtitas mutuum ſibi præſtant auxilium, ſanctitas pudicitiæ patrocinatur; nam animum & corpus à venereis voluptatibus liberat: *Anima ab his integra, jam non aliunde quàm ex ſumma ſanctitate, & ex omni innocentia elata*: & viciſſim ſanctimonia ſanctitatem propugnat: *Iſta ſunt, quæ ſanctitatis cauſâ ſervanda ſunt: pudicitia corporis, ſanctitas animæ.* Conjux igitur ſibi debet caſtitatem: tum ut conſervet gratiam & ſanctitatem, tum ut conſervet famam & honorem. Serm. 53 de Verbis Dom. Phil Abb. in Cant. 16 D. Cypr. l. de Sing. Chr. Tert. l. de Pud. 13 D. Aug l. de Mendac. 19

2. *Omnibus ferè ingenita eſt fama poſt mortem cupido.* Famæ deſiderio palatia mortales ædificant, ſtudiis vacant, virtutibus etiam operam dant. *Quis non hodie memoriæ poſt mortem frequentandæ ita ſtudet, velut litteraturæ operibus, vel ſimplici laude morum, vel ipſorum ſepulchrorum ambitione nomen ſuum ſervet?* Quapropter Gentiles præmium decernebant iis, qui vel in litteratura, vel in cantu, vel in artibus, vel in ludis, vel in agone exiſtebant victores; probè ſcientes quantum gloriæ & famæ cupido roboret animum ad ſtrenuè certandum: *Ita ab avo digniſſimum creditum eſt ſtudiorum experimentum, committere artes, corporum & vocum præſtantiam exprimere, præmio indice, ſpectaculo judice ſententiâ voluptate: quæ nulla ſunt prælia, nonnulla vulnera.* Ejuſmodi agones etiam in alta pace celebrabantur: & licèt nullus eſſet hoſtis, erant tamen vulnera, de quibus athletæ fortiter decertantes gloriabantur: quia quo magis vulnerabantur, eò majorem ſibi comparabant famam. *Pugni quaſſant, calces arietant, ceſtus dilaniant flagella dilacerant; nemo tamen agonis præſidem ſuggillaverit, quod homines violentiæ objectat: injuriarum actiones extra ſtadium: ſed quantum livores illi, & cruores & vibices negotiantur, intendet: coronas ſcilicet, & gloriam, & dotem, privilegia publica, ſtipendia civica, imagines, ſtatuas, & quales poteſt præſtare ſeculum de fama æternitatem, de memoria reſurrectionem.* Neque ſolùm athletæ famæ cauſâ vulnerabantur, & cum diſcrimine etiam vitæ pugnabant, ſed multi alii ultrò ſeſe morti addicebant, ut apud homines eorum memoria fieret immortalis. *Mutius dexteram ſuam in ara cremavit, ut hoc factum ejus famam haberet.* Conſtantia namque qua Mutius ignis ſuſtinuit ardorem, famoſum eum reddidit, & apud Romanos, & apud Etrurios. *Longum eſſet retexere Curtios, & Regulos, vel Græcos viros, quorum innumera elogia ſunt, contemptæ mortis, propter poſthumam famam.* Tot exempla lubens prætereo, ut unam afferam Lucretiam, *quæ vim ſtupri paſſa, cultrum ſibi adegit in conſpectu propinquorum, ut gloriam caſtitati ſuæ* Tert. l. de Teſt. An. 4. Tertull. Tertull. Scorp. 6 Tert. l. ad Mart. 4 Tert. l. de Teſt An. 4 Tert. l. ad Mart. 4

ſuæ pareret. Chriſtianæ mulieres caſtitatem ſervantes ſibi comparant glo-
riam, non vanam, ſed veram; non temporaneam, ſed æternam: fiuntque fa-
moſæ non tantùm coram hominibus, ſed & coram Angelis, coram ipſomet
Sap.4 Deo. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate!* Duplex eſt claritas;
phyſica una, moralis altera. Illa ſub oculos cadit, eſtque cœleſtis lucis velut
æmula; iſta in æſtimatione poſita eſt, bonæque menti virtutis lucem & can-
dorem affert. Ejuſmodi pudicitiæ claritas ab hominibus exiſtimata, ab Ange-
lis probata, multum ab ipſo Deo taxata: *Immortalis eſt enim memoria illius,
quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines.* Illam homines celebrant, &
Deus ipſe commendat, ejus memoria perenniter vivit in Eccleſia tum mili-
Eccleſ 41 tante, tum triumphante. Hinc Siracides admonet; *Curam habe de bono no-
mine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni.
Bona vita numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum.* Quaſi di-
cat: Numerus dierum bonæ vitæ caducus eſt, deficit, & finitur: at bonum no-
men & virtutis fama perennat in ævum.

Bona fama multum eſt proficua: nam præter immortalitatem, quam ſibi
comparat, 1. ad virtutem ſtimulat, 2. præcavet ne ab honore decidat. 3. à
mala ſuſpicione liberat. 4. ad bonum ſufflammat. 5. extraneis etiam exem-
plum dat. 6. malis acceſſum denegat. 1. Amor bonæ famæ ad virtutem ſti-
mulat. Præclara hominum opinio, quam meritò meruit bona fama, matrix
eſt meritorum, virtutum fomes, calcar probitatum, ſanctitatum parens, ho-
Sen. l. de norem ſuſtinens, quem hominum exiſtimatio præſtat: *Magnam tibi perſonam
Conſ. ad hominum conſenſus impoſuit, hæc tibi tenenda eſt.* 2. Amor famæ impedit ho-
Polyb. 25 minem, ne ab honoris culmine cadat. Bona exiſtimatio præſidium eſt probi-
tatis, cuſtodia legum, tutamen virtutis, timet cadere qui eſt in ſublimi, & hu-
juſmodi timor denegat voluptates, frænat paſſiones, ne ad vitia præcipitent:
Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea Bonam famam & conſpicuum
Job.27 nomen, innocentiam ſuam vocat Propheta: nam innocentia & ſanctitas ſæ-
pè à bono nomine eſt bono nomine alitur, & bonæ opinionis fulcris ſuſten-
tatur, quibus deficientibus & ipſa nutat, & perſæpè corruit 3. A mala ſuſpi-
cione liberat, ut patet in Iſaaco, qui interrogatus à rege Abimelech de Rebec-
Gen:26 ca uxore ſua reſpondit: Soror mea eſt. *Cùmq; pertranſiſſent dies plurimi, &
ibidem morarentur, proſpiciens Abimelech rex Paleſtinorum per feneſtram, vidit
eum jocantem cum Rebecca uxore ſua; & accerſito eo ait: Perſpicuum eſt quòd
uxor tua ſit.* At cur Abimelech non acquievit ſermonibus Iſaac, qui negârat
Rebeccam eſſe uxorem ſuam, ſed aſſeverat ſolummodò ſororem ſeu cogna-
tam? cur intuens illos ſimul jocantes credidit licitum & matrimonialē com-
plexum, & non ſcortationem ſeu inceſtum? Reſpondit Lippomanus: *Integra
In Cat. fama illorum, & honeſta maturitas, non ſinebat turpiora in ſuſpicionem aſſume-
re.* Bona fama malam ſuſpicionem frænat, & 4. ad bonum ſufflammat:
Nam tametſi nemo aliis naſcitur moriturus ſibi, tamen qui Deo vivit, omni-
bus vivere ſatagit, & bona fama eos ad bonum allicere contendit. Quod ſic
de-

demonſtrat D. Auguſtinus: *Proinde quiſquis à criminibus flagitiorum atque fa-* L. de bon. Viduit. 22
cinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi tantùm benefacit ; quiſquis autem etiam fa-
mam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra , alijs fama
noſtra : & utique etiam quod alijs miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad no- Phil. 4
ſtram quoque redundat utilitatem; unde non fruſtra Apoſtolus : De cætero fra-
tres, quæcunque ſunt vera, quæcunque juſta, quæcunque caſta , quæcunque
clariſſima quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate, &
quæ didiciſtis, & accepiſtis, & vidiſtis, & audiſtis in me. *Cernis quemadmo-* D. Aug.
dum inter multa, quæ exhortando commonuit , non neglexerit ponere quæcunque
bonæ famæ, duobusq; cuncta verbis concluſerit, ubi ait : Si qua virtus, ſi qua laus?
ad virtutem namque pertinent quæ antè commemoravit; bona fama verò ad lau-
dem: ſed illorum duorum, id eſt, bona vita, & bona fama, vel quod brevius dicitur,
virtutis & laudis, unum propter ſe ipſum ſapientiſſimè retinebat, alterum propter
alios miſericordiſſimè providebat, quos ad virtutem alliciebat per exemplum.
Quod 5. bona fama bonis & malis præſtat. Nec audienda eſt illa mulier,
quæ ſic fatur apud Tertullianum: *Non eſt mihi neceſſarium hominibus probari;* Lib 2. de cult. fœ. 13
nec enim teſtimonium hominum requiro : Deus conſpector eſt cordis. Quid eſt, lu-
ceant opera veſtra? quid autem nos Dominus lucem mundi vocat ? quid civitati
ſupra montem conſtitutæ comparavit, ſi non relucemus in tenebris, & extamus in-
ter demerſos? Si lucernam tuam ſub modio abſtruſeris , in tenebris derelicta, à
multis incurſeris neceſſe eſt. Hæc ſunt quæ nos luminaria mundi faciunt, bona ſci-
licet noſtra : bonum autem dumtaxat verum & plenum non amat tenebras, gau-
det videri, & in ipſas denotationes exultat. Eodem ferè modo philoſophatur
D. Auguſtinus. (Non audiendi ſunt ſive viri, ſive fœminæ , quando repre-
henſi in aliqua ſua negligentia , per quam fit ut in malam veniant ſuſpicio-
nem, unde ſuam vitam longè abeſſe ſciunt , dicunt ſibi coram Deo ſufficere
conſcientiam : exiſtimationem hominum non imprudenter ſolùm, verùm
etiam crudeliter contemnentes, cùm occidunt animas aliorum, ſive blaſphe-
mantium viam Dei , quibus ſecundùm ſuam ſuſpicionem, quaſi turpis quæ
capta eſt, diſplicet vita Sanctorum ; ſive etiam cum excuſatione imitantium,
non quod vident , ſed quod putant.) Chriſtiani etiam extraneis bonum te-
nentur præbere exemplum tum ne malè de eis ſuſpicentur , tum ne malum
quod credunt, imitentur; tum ne tanquam malos adorentur, quod impedit
bona fama. Quæ 6. acceſſum malis denegat : *Scimus omnes, dum tamen* Tert.
quod per Apoſtolum dixerit, recordemur : probrum veſtrum coram hominibus ap-
pareat. Ad quid, niſi ut malitia acceſſum ad vos omninò non habeat, vel ut malis
exemplo & teſtimonio ſitis?

At inter Chriſtianas virtutes nulla profectò magis relucere debet , ac pu- Tert.
dicitia : *Pudicitia Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verùm & videri.* Sicut nullum vi-
tium ita hominem infamat ac luxuria , ſic nulla virtus, mulierem præſertim,
adeò honeſtat ac pudicitia, ut conſtat ex Bethſabee & Suſanna : nam Bethſa-
bee adulterii infamata ab Evangeliſta non nominatur; *David autem rex genuit* Matth. 1
Salo-

Salomonem ex ea qua fuit Vria. Non latebat Matthæum Salomonis matrem
Bethſabeam appellari, ſed quia nec eum etiam latuit turpe adulterii ſcelus,&
cruentum mariti parricidium, binum illud infame delictum & nominatione
Uriæ,& ſilentio Bethſabee,commemorat, illamque denotat, non ex regio
Davidis connubio.nec ex regiæ ſobolis gloria, ſed ex turpitudinis crimine &
Paſch. infamia delicti: *Bethſabee quoque adulterio fuſcata, ſimul & viri homicidio*
cruentata,meritò videtur prætermiſſa,tanquam indigna quæ in Evangelio no-
minetur. Ut autem addit Strabus Fuldenſis: Evangeliſta *tacet nomen Bethſa-*
bee, ut nominando Vriam reducat ad memoriam illud maximum ſcelus, quod in
eum fecit,quod ejus famam denigrat,& nomine indignam declarat. E con-
tra Suſannæ caſtitas commendatur, & ex omni circumſtantia decoratur.
Nam non ſolùm Suſannæ nomen, ſed etiam viri & parentum nomen deſcri-
Dan.13 bitur,ut ex eorum nobilitate Suſannæ gloria magis nobilitetur: *Mittite ad*
Tert. l.de *Suſannam filiam Helchiæ,uxorem Ioachim.*

An 17 Sunt quidem multi Christiani pudici,qui *infamiâ liberantur*:quàm plures
Gregor. Naz. Or. etiam mulieres caſtæ,*quarum ingens ob pudicitiam fama eſt:* verùm ſunt multò
pro Gorg. plures utriuſque ſexûs homines,*famæ ſuæ ornamenta* deponentes. Ex D. Cy-
Tert.l.de priano,ſeu potius Origene caſtitas eſt *dedecoris præcipitium,claritatis faſtigium:*
Sing.Cleric. per impudicitiam autem hujuſmodi decus dedecoratur, claritas obſcuratur,
fama infamatur,maximè hac tempeſtate: *Sed jam hæc gloria extinguitur*;nam
L.de Pud. 1. neque viri,neque fœminæ ullam boni nominis gerunt curam,ſed abſque ullo
Orig. amittendæ famæ timore in omnem libidinem ebulliunt: *Caſtitas eſt abolitio*
ſcandalorum,exercitium continentiæ,& vaſtatio tota luxuriæ:& ipſi pudicitiam
devaſtant,ſcandala ſuſcitant,impudicitiæ vacant, & de ejus infamia glorian-
D. Aug. l. tur:*tanquam honeſta erubeſcenda ſint,& inhoneſta glorianda.* Nonne videmus
2. Civ. 26 hac ætate,quod olim metuebat D.Auguſtinus: *Tanta eſt perverſitas generis*
L.de decē *humani,ut aliquando metuendum ſit ne caſtus erubeſcat inter impudicos.* (Nam
Chord.9 ſi quis faciat homicidium,quod avertat Deus, pellere illum vultis de patria,
& continuò ſi fieri poteſt,excludere; ſi quis faciat furtum,odiſtis illum,nec
videre illum vultis;ſi quis dicat falſum teſtimonium,abominamini,nec vobis
homo videtur; ſi quis concupiſcat res alienas,ut raptor & injuſtus condem-
natur;ſi quis exiſtit qui dicat ſe caſtum, & nolit facere adulterium,notumque
D. Leo Serm.de ſit quòd non facit, erubeſcit accedere ad illos non ſibi ſimiles, ne inſultent,ne
Aſcenſ. irrideant,ne dicant eum non eſſe virum.) *Sed ſi quis volutatur cum ancillis ſuis,*
Ter.l.1.de *amatur,blandè accipitur,convertuntur vulnera in joca:* tanta eſt hodie perver-
cult. fœ. 2 ſitas,ut honor in dedecus,& *contumelia tranſivit in gloriam.*

Lib.1.ad Ux.4 Neque viri duntaxat,ſed etiam mulieres dedecus vertunt in honorem. *Vt*
Tert.l. de *hæc quoque ignominia fœmina accedat*,quæ famæ ornamenta deponens,*gaudet*
Pœn. 5 *de contumelia ſua.* Nec advertit mulier quòd ſua impudicitia 1. *Dei dono con-*
Tert.l.1 ad Uxor.1 *tumeliam facit*, nimirum famæ,pulchritudini,caſtitati,quæ ſunt Dei dona. 2.
Tert.l.de conjugem ſuum *de contumelia dolore* graviter offendit. 3. neque duntaxat *in*
Mon.1 *virum,ſed in ſemetipſam delinquit.* 4. per malam famam amaſios ad ſuî con-

cupiſcen-

cupiſcentiam & acceſſum allicit: nam *conficere bellum ſolet fama.* In fœmina Sen.ep.13
caſta bonæ famæ zelote requirit Tacitus animi puritatem; nam *animo per li-* Tacitus l. 11.Ann
bidinem corrupto nihil honeſtum ineſt. Baſilius Seleucus deſiderat *morum ſpe-* Orat:7
ciem; quòd bonam ſuî opinionem ingeneret: D. autem Cyprianus exoptat L. de habi
veſtium modeſtiam, *ne bonum corporis cultus infamet.* Si unum ex his tribus & diſcip.
deſideretur, periclitatur fama: nam anima per luxuriam contaminata, de in- Virg:3
famia non erubeſcit; ubi boni deſunt mores, honoris etiam deeſt ſtudium; &
quàmvis corporis ſervetur caſtitas, cultus veſtium non bonæ famæ præſtat
indicium, & ſua infamia, 5. religionem calumniæ & contemptui exponit.
Quod ſic declarat Origenes: *Sed conſentio non eſſe caſtitatis hujus pudicitiam
violatam; ſuſpiciosis tamen malam porrigit famam, & pudicitiæ bonum fruſtra
intrinſecus laborioſo agone cuſtodit, qui illud forinſecus efficit infamari. Pejus eſt
quàm mœchari, continentiam ducere criminoſam, & infamem ferre ſanctimo-
niam; blaſphemiam ingerit religioni, quam prætulit, qui quod profitetur, non ante
omnes impleverit, ne Chriſtianitas credatur eſſe fallacia, & mœchatio videatur
ſanctitatis velamento veſtita.* 6. Tandem mulier de impudicitia ſuſpicata à
ſua conſcientia tranquillitatem, & à domo pacem expellit.

3. Conjuges ſic alloquitur Tertullianus: *Pacem in vobis habere, & fovere,* L. ad Marc. 1.
& cuſtodire debetis. Plura ſunt, quæ uxoratos ad pacem ſectandam & cuſto- Tert. l. de
diendam obligant. 1. Quia tota chriſtiana diſciplina *ad unitatem conficien-* Præſc:
dam, & ſeparationes coërcendas ſapit. 2. Quia lex gratiæ à ſuis ſectatoribus Hær:5
pacem & concordiam expoſtulat: *Novæ legis obſervantia in pacis obſequia eluxit.* Tert. l.
xit. 3. Quia pacifici beati, & filii Dei prædicantur: *Pacificos titulo felicitatis* adv:Jud:3
notat, & filios Dei nuncupat. 4. Quia habenda eſt trina pax in via, ſcilicet cum Tert. l.de Pat. 12
Deo per juſtitiam, cum ſemetipſo per pacatam conſcientiam, cum proximo D. Aug l.
per concordiam: *ut ad illam pacem pleniſſimam quandoque veniatur*, quæ in 2 Retract: 19
cœleſti duntaxat reperitur Hieruſalem, ubi *ipſe Deus erit in pace præmium.* Hæ D. Aug. l.
rationes cunctos generatim Chriſtianos ad pacem urgent. Sed adhuc ſunt 17.Civ:12
aliæ rationes, quæ ſpecialiter conjugatos ſpectant, & ab illis pacem & con-
cordiam efflagitant. 5. Quia *de ſocietate Sacramenti confœderantur.* Alia Sa- Tert. l 4
cramenta pro diverſitate ſuſcipientium multiplicantur numero: neque enim adv Marc. 4.
idem numero Sacramentum pluribus ſuſcipientibus commune eſt; hoc eſt pe-
culiare ſacramento Matrimonii, quod à duobus ſimul ſuſcipitur, eò quòd cõ-
juges fiant una caro: nam *Matrimonium eſt cùm Deus jungit duos in unam car-* Tert. l. de
nem. Hæc autem carnis conjunctio, ſpiritûs & carnis unionem importat. Mon.9
Atquin verè duo in carne una, ubi caro una, unus & ſpiritus. 6. Ut conjuges An- Tert. l. 2
gelorum imitentur concordiam. Adamus immediatè ante nuptias, & dum ei ad Ux. 8
ſponſa paratur, interfuit cœleſti curiæ, & ſummam ſupernorum ſpirituum
admiratus eſt pacem: nam ut animadvertit Hugo Card. *Immiſit Dominus Deus* Gen. 2
ſoporem, non ſomnum, ſed extaſim, in qua creditur interfuiſſe cœleſti Curiæ. 7.
Fœminam ex homine formavit Deus, ut ſe ardentius diligerent. Eſt autem D. Aug. Tract.169
pax, dilectionis mater, concordiæ vinculum. In aliis animantium generibus, de Temp.

eodem momento, eâdemque voce, utrumque ſexum condidit Deus; at Adamum produxit ante Evam, & ex Adamo formavit Evam, non ſolùm ut

Baſil. Sel. Orat. 2

ambo ſint una & eadem caro, ſed *ut una mens conſtruatur*, ne anima aut mens diſſipet, quos eadem caro conjunxit. 8. Ut à conjugio rixas, diſſenſiones, jurgia arceret, conſuluit Deus pacis principem, & dum fœminam formavit, &

Gen. 2

dum eam matrimonio jungit: *Dixit quoque Deus; Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* At quem conſuluit Deus, ut uxorem Adamo provideret? cui hoc dixit? ait D. Chryſoſtomus: *Non creatæ alicui potentiæ, ſed ei qui ex ſe natus eſt, conſiliario admirabili, potenti, principi pacis, unigenito Filio ſuo.* Cùm agitur de condenda fœmina, quæ viro in uxorem deſtinatur, eique mox per conjugium conjungitur, unigenitus Dei Filius, admirabilis conſiliarius, princeps pacis adhibetur, quaſi ad principem pacis ſpeciatim ſpectet & fœminæ efformatio, & conſultior nuptiarum celebratio. Principe pacis conſulto & pronubo, producitur Adami uxor, ut à connubiis rixas, ſimultates, diſcordias arceret Deus. 9. Debet eſſe analogia & proportio inter figuram & rem figuratam. Conjugium unionem Chriſti cum Eccleſia figurat: Chriſtus non odit Eccleſiam, ſed eam diligit. Eodem modo vir conjugem ſuam (& èconverſo uxor virum ſuum) non averſari, ſed amare tenetur. Ad

Tert. l. 5 adv. Marc. 18

quod hortatur Apoſtolus cum dicit: *Carnem ſuam diligit, qui uxorem ſuam diligit, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: Nemo carnem ſuam odio habet, ſed nutrit & fovet eam ſicut & Chriſtus Eccleſiam.* 10. Imitatio prototypi ad unionem conjuges provocat. In divinis reperitur unitas cum numero perſonarum. Quare

L. de Trinit. 22

bellè animadvertit Tertullianus, quòd Filius eſt unum cum Patre, non unus, quia unum naturam, unus verò perſonam denotat. Et ita licèt Pater & Filius unam & eandem habeant eſſentiam, non tamen eandem perſonam, ſed cum

Greg. Nazianz. Or. 1. de Pac.

diverſitate perſonæ ſtat identitas naturæ, & perfecta voluntatis concordia. *Quoniam Trinitas unus eſt Deus, & eſſe creditur, non minus propter concordiam, quàm ſubſtantiæ identitatem.* In conjugio autem viri & uxoris præclarã Tri-

l. de Mon. 1.

nitatis ſimilitudinem agnoſcit Tertullianus: *Unum matrimonium novimus ſicut unum Deum.* In Deo eſt in multiplicitate perſonarum identitas naturæ: in

Chryſol. Serm. 99

conjugio eſt in multiplicitate perſonarum unitas carnis. Nam *quos Deus conjunxit, natura ſociat, & facit Deus ut ſit homo unus, & duo: duo unus, alter ipſe ho-*

Tert. l. ad Scap. 2

mo; ne ſit aut ſingularitas deſtituta, aut confuſa conjunctio. In Deo nulla eſt perſonarum diſſenſio: *Contentioſus Deus non eſt.* In conjugibus nullum debet eſſe

D. Aug. in Pſ. 31

jurgium, nulla diſcordia: *Non eſt domus compoſita, ubi inter virum & uxorem*

D. Aug. l. de Catech. Rud. 16

pax nulla eſt, ſed omnia incompoſita & turbata. Nam *ſanitatem pacis tenere animus non poteſt, qui diſcordiis & certaminibus paſcitur: qualis enim cibus ſumitur, talis valetudo conſequitur.* 11. Ut autem conjuges in pace vivant, ante ma-

Tert. l. de Cor. Mil. 3

trimonium *lactis & mellis concordiam prægustant*, *Eucharistiæ Sacramentum.*

D. Aug. l. 4 Hypogn.

12. Quia conjugium, ubi pax dominatur, imago eſt paradiſi: nam *viſionem pacis paradiſum dicimus.* Ex D. autem Auguſtino, *pax quid eſt? ubi nullum bel-*

in Pſ. 84

lum eſt. Quid eſt ubi nullum bellum eſt? ubi nulla contradictio, ubi nihil reſiſtit, nihil

ad-

adverſum eſt. Talis eſt ſuperna civitas, cujus imago eſt domus, ubi conjuges ad invicem non pugnant, & ſicut Beati in cœlo perfectâ fruuntur pace; Sic *qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem: adjutorium ſecundum illum eſt, & columna ut requies.* Verſio Tigurina habet: *Baſis quietis*, quaſi bona uxor ſit viro *baſis quietis.* Hinc antiquitus in ſepulchrorum inſcriptionibus legebantur iſtæ affectuum voces viri erga probam conjugem: *de qua nihil dolitus eſt; de qua nullum dolorem acceperat; cum qua vixit ſine ulla lite, ſine ullo jurgio, ſine ulla animi læſura ſine bile*, & cætera hujuſmodi. Neſcio an adulatoriè, an verè illa exarata ſint. Refert D. Hieronymus inventum fuiſſe olim monumentum, in quo maritus & uxor conditi erant, cum hac inſcriptione: *Hoſpes, miraculum. Hic vir & uxor non litigant.* Tot ſunt hac ætate inter conjuges jurgia, ut inter miracula adnumeretur pacata viri & uxoris conſenſio. Eccleſ. 36 Reg. in l. 2 ad Ux. 5 L. 1 adv. Jovin.

Hujuſmodi autem diſſidia ut plurimum ex impudicitia, vel ex mala ſuſpicione naſcuntur. Nam eædem rationes quæ pacem firmant, caſtitatem propugnant. Ut enim bellè ait Tertullianus: *Salvo honore ſalva pax eſt*: atè converſo ſublato honore per impudicitiam, vel malam conjugis ſuſpicionem, evertitur pax. Conſervatâ pace conſervatur omne bonum, quod nomine pacis deſignatur: profligatâ pace omne malum incurrit. Unde oriuntur zelotypiæ, dolores, timores, odia, jurgia, convitia, lites, divortia, vulnera, homicidia. *Aemulationi concurrant neceſſe eſt officiales ſuæ in ea qua æmulatur: ira, diſcordia, odium, dedignatio, indignatio, bilis, nolentia, offenſa.* l. de Bapt. 17 Tert. l. 1 adv. marc. 25

Quis dicere valeat quotidianas conjugum zelotypias, quæ ſæpè oriuntur ex levi occaſiuncula? Nam ſermo blandus, urbanus adnutus, incautus aſpectus, zelotypiam conjugum excitat, & laſciviæ reus & adulterii ſuſpectus judicatur. De adulteris ſic fatur Sapiens: *Qui annuit oculo, dabit dolorem*. Benignos aſpectus adeo gravatè ferunt conjuges, ut eos præ zelotypiæ dolore ſcortationis ſuſpectos habeant. Nam ut prætatum locum expendit Clemens Alexand. *Verſatilibus, & tanquam conniventibus oculis intueri, quid eſt aliud quàm oculis mœchari, cùm per oculos ineant prima pugnæ præludia? Annuens enim oculo cum dolo, viri congregat mœrorem.* Quot anguſtias patitur maritus zelotes? ſi enim infidelem habeat conjugem, cujus adulterium ſit publicum, qualem quæſo perſentit in animo dolorem, qualem in vultu præ ſe fert ruborem, *erubeſcens de infamia ſua*? Nam cùm honor unius ad alterum pertineat, etiam unius dedecus alterum dehoneſtat. Quot ærumnas patitur pudica mulier à viro adultero? Anguſtias, quas à muliere laſciva ſuſtinet maritus, declarat Eccleſiaſticus: *Cor humile, & facies triſtis, & plaga cordis, mulier nequam*. Quòd ſi conjux ſit fidelis, ſi tamen zelotypa, de infidelitate ſuſpicatur, quot timores ingenerat hujuſmodi ſuſpicio? *Scio maritum anxium retro de uxoris ſuæ moribus, qui ne mures quidem in cubiculum inrepentes ſine gemitu ſuſpicionis ſuſtinebat.* Conjuges ſic ſuſpicaces obſervant, vigilant, ſolicitè curant, omniq; cautelâ laborant, ut omnem ſcortandi tollant occaſionem: *Omnis maritus caſtitatis exactor eſt.* Quid non facit vectigalium exactor, ut à plebeis tributa ex- Prov. 10 L. 3 Pædag. Tert. l. de Cor. mil. 4 Cap. 25 Tert. l. 1. ad Nat. 4 Ter. l. 2 de cult. fœ. 4

torqueat? Maritus uxoriæ caſtitatis exactor nihil non tentat, ut ſibi debitam
exigat caſtitatem. Vectigalium exactores averſantur ruſticos, & viciſſim
odiuntur à plebeis. Non abſimiliter conjuges zelotypiâ laborantes ſeſe mu-
Tert. l. de tuò averſantur: *Ita & apud illos amor otioſus, & odium injuſtum.* Mutuum
Spect.16. conjugum odium erumpit in *maledicta, convitia*, ſibi defectus & laſcivias, &
Tert. infamias contumelioſè exprobrant, in ſemetipſos maledictiones vibrant, &
Tert. l.2 *adverſus liberos, & conjuges, & omne pignus ſuum dejerant.* De verbis proce-
ad Nat.9 dunt ad alapas, ictus, vulnera, venenum, pugionem, homicidium: *Ex eo itaq;*
Tert. l. de *itur in furias, & animos, & diſcordias, & quidquid non licet ſacerdotibus pacis.*
Spect.16 Conjugium variè nuncupatur à Patribus; Dicitur namque à Tertulliano
L. de Cor. Mil 4 *ſtadium*; à D. Chryſoſtomo appellatur *palæſtra domi*; à Baſilio Magno vocita-
Ho. de tur *nuptiarum tragœdia*. Tandem à S. Maximo *paradiſus* nuncupatur. Stadium
Pulch. locus erat ubi athletæ curru & luctâ exercebantur: vel gladiatores cruentè de-
Op. de certabant. Refert Tertullianus *quæ in ſtadio geruntur, pugnos, & calces, & co-*
ver. Virg. Ho.1. de *laphos, & omnem petulantiam manûs? & quamcumque humanioris, id eſt, divinæ*
accuſ. Do. *imaginis depugnationem.* Nonne hæc geruntur in conjugio, ubi vel adulteran-
apud Pi- tur conjuges, vel de adulterii ſuſpicione culpantur; ubi gladiatoris inſtar con-
lat. tinua exercetur pugna, quaſi rixetur cum effera & immani bellua, moleſto &
Lib. de periculoſo certamine? Uxoratos ad pacem & concordiam hortatur Tertul-
Spect.18 L. ad Mart. 1. lianus, ut diabolum debellent: *Inveniat vos diabolus munitos & concordiâ ar-*
matos; quia pax veſtra bellum eſt illi. Tantum abeſt ut conjuges adulterantes, &
inter ſe rixantes contra dæmonem decertent: quinimò cum eo confœderan-
Tert. l. de tur, & ab eo palæſtricam ediſcunt: *Palæſtrica diaboli negotium eſt.* Conjuges
Spect.18 non benè conſentientes à diabolo edocti, palæſtricam exercent, & in palæſtra
domi ſingulari decertant certamine. Quod cum ſtupore deplorat Tertullia-
L. de Cor- nus: *Et prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conveniat.* Conjugibus non
Mil.11 convenit litigare, ob diſciplinæ ſanctitatem, legis auctoritatem, filiorum Dei
dignitatem, beatitudinis felicitatem, Chriſti cum Eccleſia charitatem, Trini-
tatis divinæ unitatem. At, proh dolor! divinam unitatem haud æmulantes,
Chriſti charitatem non imitantes, felicitatem contemnentes, divinam filia-
tionem dedignantes, evangelicam legem tranſgredientes, chriſtianam diſci-
plinam dediſcentes, ad invicem litigant, continuò inter ſe decertant, conju-
gium in ſtadium & palæſtram immutant, ac de nuptiarum tragœdia exer-
Tert. l. de citium captant. *Ut tragœdias omittam, ſciunt hodie venenarij, ſciunt magi,*
Pud.5 *quot pellicatus ulciſcar, quot rivalitates defendam, quot cuſtodes, quot delato-*
res, quot conſcios auferam. Tragœdia cum gaudio incipit, cum triſtitia fi-
nit; ab initio jucundum aliquid repræſentat, in termino quiddam infau-
ſtum & lugubre propalat. Tragœdia eſt conjugium, in quo non caſtitatem
ſervant conjuges; quare ſententioſè Hypocrates dixit: *Bini ſunt cum*
uxore jucundiſſimi dies: alter quo ducitur, alter quo mortua effertur. Quod
intelligendum eſt de uxore libidinoſa, rixoſa; non de uxore pacifica, pu-
dica, virtutis ſtudioſa; cum qua maritus non in ſtadio, non in palæſtra
lucta-

juctatur; ſed velut in paradiſo lætatur. Ut enim ait Sapiens; *qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino.* Mulier bona ex muliere ejuſque bonitate coaleſcit: Idcirco qui bonam invenit mulierem, invenit bonum ſingulare, rarum, eximium, utile, jucundum, honeſtum. Theodotion legit, *Invenit gratiam*: Septuaginta Interpretes legunt: *Invenit Charites*, id eſt Gratias; gratiarum copiam. Quod innuere videtur Homerus, qui Morali Philoſopho teſte, *Charitatem unam conjugio copulavit, quaſi conjugio præſidentem, eamque vocavit Paſitheam; id eſt omnem deam, quod omnium deorum & dearum dona confluant in matrimonium, ubi vir bonus & uxor bona in unum conſpirant.* Exinde ſubjungit Sapiens: Qui invenit mulierem bonam, *hauriet jucunditatem à Domino.* Hebræa lectio habet: *Hauſit beneplacitum.* Quaſi dicat: Qui invenit mulierem bonam, per eam hauſit in præterito, haurit in præſenti, & hauriet in futuro, omne bonum deſiderabile, omnem gratiam, omnem jucunditatem, omnemque fœlicitatem. Idipſum aſſerendum eſt de muliere quæ à viro bono bonum haurit; illa namque jucunditas communis eſt ambobus uxoratis caſtitatem ſervantibus, quam ſibi & adhuc conjugibus debent. Prov. 18. Lib. de Benef 3.

III. PARS *Vtrique autem ſexui loquimur, etſi ad alterum ſermo eſt: quia una diſciplina præeſt*: Ambo conjuges mutuo ſibi caſtitatem debent: non minus viri quam mulieres ad conjugalem pudicitiam tenentur. *Non dico viris, ut in hac cauſa zelent uxores ſuas, Scio quia faciunt. Quis ferat uxorem adulteram? Sed dico* quod vir qui adulterantem non vult uxorem, *prior debet eſſe à fornicatione purgatus: Quod ſimiliter etiam de fœmina dicendum eſt.* Mulier quæ fornicarium non exoptat virum, aliena ſit à fornicatione. Ambo ad invicem ſibi debitam ſervent caſtitatem: &, ut ait D. Auguſtinus, *habeant conjuges bonum ſuum: quia thori fidem invicem ſervant: quia filios honeſte, licite, pudice, ſocialiter procreant: quia ſacramentum connubij non violant.* His verbis tres rationes prodit D. Auguſtinus, quibus conjuges ſibi mutuo debent caſtitatem: nimirum 1. ob promiſſam fidelitatem: 2. ob prolis unitatem: 3. ob juſtitiæ æquitatem. Tert. l. de Mon. 9 D. Aug. l. 50. Hom. Hom. 49. D. Aug. l. 1. de Ser. Dom. in mont. 28. Lib. de ſanct. Virginita. 12.

1. Debent eſſe conjuges *religioſi ex fide*, ſibi promiſſam fidem religiosè ſervantes. Promiſſa fides apud omnes gentes fuit ſemper maxime venerata. Datam fidem vita chariorem habuit Regulus, qui ne illam fregiſſe diceretur, periturus ad hoſtes rediit, & obſiſtentibus amicis, ne ſe inimicæ feritati concrederet, ad hoſtilia caſtra perrexit, malens cruentam ſuſtinere mortem, quam de violata fide culpari. De quo ſic fatur Tertullianus: *Regulus dux Romanorum captus à Carthaginenſibus, cum ſe unum pro multis captivis Carthaginenſibus compenſari noluiſſet, maluit hoſtibus reddi, & in arca genus, ſtipatus undique extrinſecus clavis transfixus, tot cruces ſenſit.* Regulus lumine fidei deſtitutus, ſolius virtutis moralis ſtudioſus, ne infidelis ab hoſtibus haberetur, cruentam glorioſe paſſus eſt mortem. Hujus exemplum ſufficit ut aſſentiar Ennodio aſſeveranti: *Nulli dubium eſt inter prudentes, ſacra fidem promiſſionis impleri.* Neque Tertull. Apol. 36. Lib. ad Mart. 4. L. 2. Ep 4.

Lib. 2. ad Eccleſ. Tertull. Apol. 46. Tert. l. de Cor. Mil. 12.

que ſolum inter ſapientes & probos viros fuit ſemper ſacrata fides: ſed etiam ut bene animadvertit Salvianus, *latrones quoque ipſi & ſanguinarij fidem ſibi invicem non negant; & quæ promiſerunt, mutuo ſervaturos eſſe confidunt*. Quod ſi promiſſa fides tanto habetur in honore apud Gentiles & ſceleroſos quoſque, quanto magis apud Chriſtianos, qui ſpeciatim de fidelitate glorjantur? *Si de fide comparem, Chriſtianus & extra fidelis*; quia fidelitatem extraneis & infidelibus ſervat. Tanto in pretio fides eſt hac ætate, ut de ejus obſervatione famam capient homines, probe ſcientes: quod *ſuſcepta fide atque eſignata omnibus modis cavillandum eſt, ne quid adverſus Deum committatur*. Qui fidelis cenſetur de honeſtate commendatur, qui infidelis creditur, infamis habetur & pejus ſortitur nomen quam ſi ſit ebrietate contaminatus, latrocinio denigratus, & homicidio cruentatus. Ubi ceteræ virtutes corruunt fides ſuam ſervat dignitatem, & inter atrociora crimina invenit cultores: Nobiles patienter ſuſtinent dum de ſuperbia, gula, ira, avaritia, detractione deprætiantur: at ægrè omnino ferunt dum de infidelitate culpantur. Si quis eis exprobret defectum fidei, tunc ſeſe infamari exiſtimant, & ut de tanto dedecore ſeſe demonſtrent immunes, ad ſingulare certamen infamantem provocant, nihil de fortuna, uxore, liberis, vitâ, conſcientia, & fœlicitate, curantes.

Lib. de Pud. 1. Lib. 1. de Nupt. & Cócup. 10 L. de Bon. Cõjug. 24 Tert. l. de Pud. 10 D. Aug. Epiſt. 205. ad Boniſ. Lir. in Luc Tert. l. de Reſ. 52. Tert. l. de Bapt. 6. Tert. l. 1. adv. Marc. 28. D. Aug. l. 9. de Gen. ad litt. 7.

Pudicitia nuncupatur à Tertulliano, *Fides generis*: vel quia per illam gens Chriſtiana denotatur, & ab infidelibus diſcriminatur: vel quia ad omne genus tum maſculinum, tum fœmininum ſpectat: vel quia, ut ait D. Auguſtinus, conjugalis *pudicitiæ vinculum, fides eſt*: Immo, ut animadvertit ſanctus Antiſtes *bonum nuptiarum per omnes gentes atque homines, eſt in fide caſtitatis*: præſertim penes Chriſtianos conjuges, qui in matrimonio ſuſceperunt *Sacramentum fidei*: quia in illo fidem promiſerunt. Quod ſi Regulus cruentam ſuſtinuit mortem, ne datam violaret fidem, quia *fides quando promittitur hoſti, ſervanda eſt, contra quem bellum agitur*. Si ſocietatem & pacem inviolabiliter ſervant Politici, ne de infidelitate arguantur: quia *major eſt contractus fidei quam pecuniæ*; quanto magis conjuges promiſſam in matrimonio inviolabilem tenentur ſervare fidem? *Cuinam fidei teſtimonium ſignant, niſi quâ credi oportet?* Quia de pace aut alia re terrena tractant, de re tantum civili agunt: at in matrimonio conjuges tractant de re ſacra, nempe de ſacramento. Illi ineunt pacem in campo vel palatio, iſti in templo Deo dicato; illi coram mortalibus; iſti coram Angelis & in præſentia ipſiuſmet Dei. Illi pacem convivio firmant, iſti ferculo Euchariſtico ſuam promiſſionem obſignant. Illi teſtes adhibent homines ne quid adverſus confœderationis conditiones agatur, iſti habent *eoſdem arbitros fidei, quos & ſponſores ſalutis*, ſcilicet per tres perſonas auguſtiſſimæ Trinitatis. Verum quantumvis ſit ſacrata, promiſſa, & jurata in facie Eccleſiæ, coram Angelis & Deo fides conjugalis, *jam ne ipſum fidei ſacramentum video conſiſtere* inter multos conjuges Chriſtianos, qui tot ceremoniis ſolidatam frangunt fidem. *In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altero vel altera concumbatur*. Illi cum adultero vel adultera ſe com-

commiſcentes Sacramentum prophanant, teſtes promiſſionis ad vindictam provocant; pollicitationem violant, caſtitatem denegant quam conjugibus debent, tum ob promiſſionis fidelitatem, tum ob prolis unitatem.

2. Ex Apoſtolo conjuges *erunt duo in unam carnem.* Verum quomodo una caro, ſi duo corpora ſubſiſtunt? annon duæ animæ unam & eamdem valent vivificare carnem? Id tenuit Philoſophia, ſed quod natura non patitur, hoc conjugii virtus operatur. *Duo in unam carnem efficiuntur, per matrimonij nexum.* Animus ardens conjugemque deperiens, eſt in eo quem amat, ſicut in eo quem animat. In eo quem animat per informationem, in eo quem amat per dilectionem. Quomodo Apoſtolum expendit Hugo Victorinus apud Lippomanum: *Tanta erit dilectio inter virum & mulierem, quod ut riuſque ſpiritus nullam habebit differentiam inter carnem à ſe vivificatam, & carnem alterius dilectam; & ſi poſſent, in una & eadem carne libenter habitarent, & quia in re non poſſunt facere hanc unitatem, quod poſſunt, faciunt unionem dilectione.* Tert. l. 5. adv. Marc. 18. Tert. l. de vel. Virg. 5 In c. 2. Gen.

Ultra hanc unionem quam producit dilectio, reperitur adhuc inter conjuges unitas carnis; quod adeo certum eſt, ut arguta Philoſophia Apoſtolo aſſentiri cogatur, quomodo præfatus Author Paulum intelligit: Erunt duo in carne una, *ſcilicet in generatione unius carnis, id eſt prolis, cooperabuntur.* Conjuges ad generationem prolis concurrunt: neque enim pater ſolus vel mater ſola generat filium: (hoc eſt privilegium beatiſſimæ Virginis concepiſſe de Spiritu ſancto, & abſque ullo hominis concubitu generaſſe Chriſtum) Sunt namque conjuges duæ cauſæ partiales, quæ unitæ conflant principium totale quod cum cooperatione ſupremi artificis, unam & eamdem prolis generat carnem. Quomodo veriſſime ſubſiſtit Apoſtoli effatum: Erunt duo in carne una: & ob hanc cauſam conjugalis pudicitia belle nuncupatur à Tertulliano, *integritas ſanguinis*: vel quia utriuſque conjugis ſanguis unitur ad prolis generationem: vel quia generata proles integratur ex utriuſque parentis ſanguine: vel quia parentum bona integrantur in prole quæ eſt horum hæres. Ideoque mulier caſta, *bene meretur de majoribus, quorum ſanguinem futura ſoboles non vitiat*; quia thorum ſervans immaculatum, majorum ſanguinem tranſmittit in filios: & ut ait Petrus Damianus, *legitimorum hæredum digna progenies propagatur.* Verum ſicut pudica mulier, mariti, anteceſſorumque ejus integrat ſanguinem: ita uxor adultera viri ſanguinem non integrat, ſed vitiat: tum quia non maritus, ſed adulter concurrit cum illa ad prolis generationem: tum quia proles ex adulterio generata, vere non pertinet ad maritum, quantumvis eam vocitet filium, & viciſſim ab ea pater appelletur, *ſecundum fidem filius es, non ſecundum carnem*: tum quia filius adulterinus non eſt mariti legitimus hæres. Quapropter Tertullianus illum nuncupat *impium patris de matrimonio hæredem*; quia ſibi non debitam poſſidet hæreditatem, in verorum filiorum & legitimorum hæredum detrimentum. Lib. de Pud. 1. D. Hier. l. 1. adv. Jovin. Serm. 1. in Ded Eccl. Tert. l. de Mon. 6. Lib. de Pud. 15.

Quot crimina in adulterio conglomerantur! In illo enim reperitur, 1. ſacrilegium, quia ſacramentum prophanat: 2. immunditia, quia thorum immaculatum

latum turpat: 3. infamia, quia honorem dedecorat: 4. diviſio, quia unitatem ſeparat: 5. furtuum, quia hæreditatem ſpoliat: 6. mendacium, quia nothus non ſuum parentem, patrem nominat: 7. infidelitas, quia promiſſam fidem violat: 8. injuſtitia, quia uxor caſtitatem non ſervat, quam debet conjugi ob æquitatem.

Juſtitiæ lex duo importat: Unum ut aliis faciamus quod nobis fieri volumus: Aliud, ut non faciamus aliis quod nobis fieri nolumus: *Debeo alij præſtare quod ab alio mihi velim præſtitum; amorem, obſequium, ſolatium, præſidium & ejuſmodi bona; proinde nec alij facere quod ab alio mihi fieri nolim: vim, injuriam, contumeliam, fraudem, ejuſmodi mala*. Hac duplici æquitatis regula conjuges tenentur & impudicitiam vitare & caſtitatem ſervare. Vir non vult uxorem adulteram, neque ipſe ſit adulter: vir uxorem caſtam deſiderat, & ipſe ſit caſtus. Hæc mutua caſtitas relucet in ſponſo & ſponſa, ut conſtat ex iſtis Sponſæ verbis, *Dilectus meus mihi & ego illi*. Symmachus legit in genitivo: *Et ego ejus*. Nam jure deſponſationis ille mihi totus eſt, & ego viciſſim tota ſum illi. Imperfectus perfecte animadvertit quod in protoparentum productione Deus maſculum & fœminam creavit eos: *Non maſculum & multas fœminas, neque maſculos & fœminam, ut una fœmina nullum maſculum putet factum eſſe in mundo præter unum: & unus maſculus nullam putet fœminam eſſe factam in mundo niſi unam*. Sic debet eſſe tota converſio viri ad uxorem, ac ſi in mundo nulla alia eſſet uxor: & viciſſim tota converſio uxoris ad virum, ac ſi in univerſo nullus alius eſſet vir: *Chriſtianus ſoli uxori ſuæ maſculus naſcitur*: quaſi aſpectu ad alias fœminas deſit illi virilis ſexus: & è converſo Chriſtiana mulier ſoli marito fœmina naſcitur, quem ſolum debet aſpicere, diligere & cunctis aliis præponere. Nam ut belle fatur dubius Chryſoſtomus, *Uxor neminem debet ſapientiorem, fortiorem, formoſiorem reputare quam virum ſuum; etſi ſit alter ſapientior, fortior, formoſior; tamen coram oculis ejus talis apparere non debet*. Cujus egregiam ſuppeditat rationem: Quia *perfectus amor judicium verum non agnoſcit*. Vehementer amans, nihil non magnum, non magnificum videt in dilecto. Amoris magnitudo in amante, menſura eſt magnitudinis in amato. Mulier à ſuo viro ardenter amata, quantumvis fœda, pulcherrima illi apparet: *Uxor nulla deformis eſt marito ſuo. Satis placuit cum electa eſt, ſeu moribus, ſeu forma commendata* Et viciſſim uxori diligenti vir deformis venuſtus videtur, amore deformitatem in decorem transformante. Hujus illuſtre exemplum refert Xenophon uxoris Tygranis Armeniæ regis, quæ cum ex aula Cyri Perſarum Regis ad maritum reverti ſſet, ab eo interrogata, quid de Cyro, & Cyri pulchritudine ſentiret, reſpondit: *Abs te, ô marite, Deum teſtor, nuſquam oculos deflexi, itaque qualis ſit forma Cyri prorſus ignoro*. Neque minori laude digna Penelope, *quæ inter tot viliſſimos amatores diverſata obſeſſam caſtitatem tenere protexit*. Hujuſmodi exempla gentilium fœminarum plures condemnant Chriſtianas mulieres, quæ libidinoſe in viros injiciunt oculos, eiſque & forma, & cultu, & fuco placere ſtudent. *Quaſi gentilibus dicam gentili & com-*

Tert. l. 4. adv. Marc. 16.

Cant. 2.

Hom. 32. in Matth.

Tertull. Apol. 46.

Imperf. hom: 22. in Matth.

Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 2

Tert. l. 2. ad Nat. 9.

Tert. l. 2. de Cult. fœm. 4.

& communi omnium præcepto alloquens vos, ſolis maritis veſtris placere debetis. In tantum autem placebitis eis, in quantum aliis placere non curaveritis. Quod de muliere dicitur, idipſum de marito aſſerendum eſt. Uxori ſoli placere debet, in tantum autem placebit in quantum alteri placere non curaverit. Quem ideo alloquitur D. Auguſtinus, *Ama & in te & in aliis caſtitatem.* Vir ab uxore exigens caſtitatem tanquam juſtitiæ debitum, eam ex jure uxori præſtare tenetur. (Propter fidem pudicitiæ uxor non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier.) In multis vir mulieri antiſtat: *ſed quod ad membra corporis attinet quibus ſexus ipſe diſtinguitur, ſimilem in ſe habent poteſtatem, vir in uxorem, & uxor in virum.* Non enim majorem poteſtatem habet vir (quam mulier) in corpus ſuum, neque minus agit contra juſtitiam, quam mulier, adulterando. Hanc juſtitiæ regulam ſervandam viris proponit D. Auguſtinus. *Qui conjugati eſtis, fidem thori ſervate uxoribus veſtris: reddite quod exigitis.* Ordo poſtulat, ut qui dignitate prior eſt, non ſit fide poſterior. Vir eſt muliere fortior, muliere dignior. Vir eſt muliere fortior: *Si vir es, probemus in fortitudine tua quia vir es. Vir es, vince libidinem:* ab imbecilliori ſexu exigis fortitudinem, *qui fortior eſt, prior vincat:* eſt mulier dignior, quia caput mulieris. *Si caput es, ducas, uxor ſequatur: ſed vide quo eas, noli ire quo non vis ut ſequatur, noli ire quo times pediſſequam ſequi, ne in foveam ſequatur adulterii, ſimulque ruatis, ne cum tu facis, doceas quod facis.* Vir mulieris eſt exemplar: *Vir à fœmina caſtitatem exigis, præbe illi exemplum, non verbum.* Fiat vir dux pudicitiæ quam exigit ab uxore. Vir lex eſt uxoris. Quapropter nuptis licet juvenibus tollitur tutor tanquam non neceſſarius, quia tunc mariti mores pro lege habent, ſuoque exemplo diriguntur, ut convenienter agant. Ut caſta ſit uxor, oportet ut ſit caſta lex cujus imperio regitur, & exemplo ducitur. Inordinate maritus ab uxore caſtitatem exigit, cui ipſe caſtitatem non reddit. *Et tamen quod dolendum eſt multi viri vincuntur à fœminis. Servant fœminæ caſtitatem, quam viri ſervare nolunt:* vir fortior fœmina, vir fœminæ caput, vir fœminæ lex. Fœmina pugnat & vincit, & vir hoſti ſuccumbit: ſtat corpus & jacet caput, caſta remanet imago & contaminatur exemplar. *Nolite autem pudiciſſimæ fœminæ imitari impudicos viros veſtros. Abſit à vobis. Aut vobiſcum vivant, aut ſoli pereant. Impudico marito non debet mulier pudicitiam, ſed Deo illam debet: non propter illum faciat qui non meretur; ſed propter Chriſtum,* qui pudicitiam ſectantes ſui viſione remunerat.

Ser. 83. de Temp.

D. Aug. l. 1. de Gra. & Pec. Orig. 4.

D. Aug. l. 22. cont. Fauſt. 34.

Serm. 46. de Verb. Dom.

D. Aug. l. 50. Hom. Hom 49.

D. Aug. Ser. 46. de Verb.

D. Aug. Hom 49.

D. Aug. Ser. 46. de Verb. Dō.

D. Aug. Ser. 46. de Verb. Do.

D. Aug. l. 50. Hom. Hom. 49.

ramus; non ut malo bonum, ſed ut bono melius. Non enim projicimus, ſed deponimus nuptias: nec præſcribimus, ſed ſuademus ſanctitatem; ſervantes bonum, & melius pro viribus cujuſque ſectando: Apoſtolum imitantes, qui præcipue nititur, & ſua doctrina & ſuo exemplo *inſinuare conſilium viduitatis.* Hoc autem conſilium accipient ſoluti à matrimonio, ſi ſerio attendatur vidualis 1. caſtitas: 2. libertas: 2. charitas. Tert. l. 1. ad Ux. 1.

Matrimonium non iterari honeſtum eſt. Talis & tanta eſt viduarum honeſtas, quæ uno contentæ matrimonio poſt viri exceſſum vivunt in caſtitate, ut eam admiratione dignam judicet Clemens Alexandrinus: *Monogamiam & quæ conſiſtit in uno ſolum matrimonio, honeſtatem admiramur.* Nam quamvis licitas demonſtret Apoſtolus ſecundas nuptias, *licentiam permittens denuo nubere propter infirmitatem carnis*; attamen vidualem *continentiam præfert.* Vidualis continentia inter ſtatum virgineum & ſtatum conjugalem velut medium tenens, virginitati quidem poſtponenda, ſed matrimonio præponenda; *Prohiberi nuptias nuſquam omnino legimus, ut bonum ſcilicet: quid tamen bono iſto melius ſit, accipimus ab Apoſtolo; permittente quidem nubere, ſed abſtinentiam præferente.* Inde anſam ſumit Tertullianus urgendi ſolutos à matrimonio ut in viduitate remaneant: *Prælatior enim ſuperior, diſſuaſio eſt inferiorum.* Status vidualis eſt prælatior; ſtatus matrimonialis eſt inferior. *Quod ſi Apoſtolo auſcultamus, obliti poſteriorum, & extendamur in priora, & meliorum donativorum ſectatores ſimus.* Loquitur in perſona eorum qui fuerunt matrimonio conjuncti, & per conjugis necem à matrimonio ſoluti; ſtatum poſteriorem obliviſcuntur, nempe matrimonialem, ad ſtatum priorem, vidualem ſcilicet, ſeſe extendunt; & ut hujus melioris ſtatus ſectatores ſint, in eoque perſeverent, tribus præſertim ſtimulantur rationibus: 1. defuncti conjugis recordatione: 2. gentilium, qui viduitatem ſervarunt æmulatione: 3. immunditiarum tempore conjugii commiſſarum reparatione.

I. PARS. Tert. l. de Mon. 14. L. 3. Strō. Lib. de Mon. 14. Tert. l. de Mon. 3. Tert. l. 1. ad Ux. 3.

1. Chriſtus Dominus *ad ſimplicitatem columbæ provocat, avis non tantum innocuæ, verum & pudicæ, quam unam unus maſculus novit.* Mulier conjugem probe amans, defuncto viro velut turtur gemebunda ſupereſt, & mariti amore viduitatem ſectatur: *ut cujus maritus de rebus abiit, exinde requiem ſexui ſuo nubendi abſtinentia injungat.* Sexus autem requie potitur cum in ſtatu viduitatis perſeverat, neque carnis vacat operibus: ſed pro refrigerio mariti Deum deprecatur, eleemoſynas largitur, fundit lachrymas, adit ſacerdotes, ut tremendum Miſſæ offerant ſacrificium. *Enimvero & pro anima ejus orat; & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus.* Neque contenta die obitus impendere hujuſmodi charitatis officia, ſingulis annis, & toto vitæ decurſu, & ſuis ſuffragiis, & ſua continentia, quantum fuerit ei charus maritus demonſtrat. Nec mirum ſi Chriſtianæ fœminæ, maritorum memoriæ & dilectioni conſecrant continentiam, *quam pleræque gentilium fœminarum, memoria chariſſimorum maritorum parentant.* Imo nonnullæ ſunt inventæ tanto erga fato functos

Tert. l. de Mon. 8. Tert. l. 1. ad Ux. 5. Tert. l. de Mon. 10. Tert. l. 1. ad Ux. 5.

maritos ardore ſuſflamatæ, ut mortem potius quam ſecundas nuptias elege-
Tert. l. de rint. *Fuerunt, & quæ pro viris mor. mallent, quam poſt viros nubere:* Exemplum
Mon. 17. prodit Tertullianus Didonis Reginæ, quæ maluit in rogo comburi quam ſe-
cundi mariti amore ſuccendi. *Regina Carthaginis, quæ profuga, & in aliena ſo-*
lo, & tanta civitatis cum maxime formatrix, cum Regis nuptias ultro optaſſe de-
buiſſet ne tamen ſecundas eas experiretur, maluit è contrario uri quam nubere.
Propoſito Didonis exemplo ad Chriſtianas ſe convertit Tertullianus, qua-
Tert. l. de rum caſtitatem & continentiam obviam prædicat. *Plura exempla curioſius de*
Exh. Caſt. *noſtris invenias, & quidem tantò potiora, quantò facilius eſt vivere in caſtitate*
11. *quam pro ea mori.* Verum quamvis facilius ſit ſervare continentiam quam pro
ea mori, plures ſunt tamen Viduæ Chriſtianæ, quæ neque pro continentia
Tert. l. de mori, neque in continentia vivere volunt: ſed *de continentiæ otio, reſurgere in*
Mon. 16. *opera carnis* per matrimonium exoptant. Nonnullas videbis, quæ ægre ferunt
maritorum mortes; lachrymantur, gemunt, ſuſpirant, ululant, complodunt
manus, ſe contorquent, deliquium pati videntur, & tamen tam inconſolabilis
luctus, tantus lachrymarum torrens eſt non veri amoris pro defuncto mari-
to monumentum, ſed gloriæ negotium, & novi amoris novique conjugii le-
Baſil. Sel. nocinium. *Quod multæ quæque per lamentationes, & plangores incenſos, mari-*
Orat. 40. *talis amoris gloriam ſibi comparando, amatores prolectent:* Lachrymis & plan-
goribus bonæ conjugis nomen, & ingentis amoris gloriam ſibi comparare
volunt, quò faciliùs novos alliciant conjuges. Viduæ quæ vere defunctos di
ligunt maritos, ſuum erga illos amorem oſtentant, non ſolum die obitus per
lachrymas & plangores, ſed toto vitæ tempore, per continentiam, quam ſer-
vant; tum ob conjugum recordationem, tum ob gentilium fœminarum, quæ
in viduitate vixerunt, æmulationem.

Tert. l. de Mon. 17 2. *Idolis certe & monogamia & viduitas apparent,* ut late demonſtrat Tert.
Tert. l. 1. Nam *ſacerdotium viduitatis, & cælibatium eſt apud nationes: pro diaboli ſcili-*
ad Ux 6. *cet æmulatione,* quapropter *Regem ſæculi Pontificem Maximum rurſus nubere*
nefas eſt. Per Pontificem Maximum intelligit Flaminem dialem, qui dicebatur
non ſolum Pontifex Maximus, ſed etiam Rex, quia erat rerum divinarum &
humanarum arbiter. *Cereris ſacerdotes, viventibus etiam viris & conſentienti-*
Tert. l. de *bus, amica ſeparatione viduantur.* Per Cereris ſacerdotes, intelligit dicatas *fœ-*
Mon 17. Lib. de *minas Cereri Africanæ, cui etiam ſponte abdicato matrimonio adſeneſcunt, aver-*
Exh. Caſt. *ſantes exinde contactum maſculorum, uſque ad oſcula filiorum,* & quantumvis
11. ſit durum à benemeritis disjungi maritis, à cariſſimis ſeparari filiis. *Cæterum*
Tert. l. 1. *viduas Africanæ Cereri aſſiſtere ſcimus, duriſſima quidem oblivione à matrimonio*
ad Ux 6. *allectas: nam manentibus in vita viris non modo decedunt, ſed & alias eis utique*
ridentibus loco ſuo inſinuant, adempto omni contactu uſque ad oſculum filiorum:
& tamen durante uſu perſeverant in tali viduitatis diſciplina, quæ pietatis etiam
ſanctæ ſolatia excludit. Quæ hujuſmodi viduitatem profitebantur, renun-
tiabant maternæ teneritudini, neque enim licitum eis erat proprios de-
oſculari filios: renuntiebant licitis connubii voluptatibus, aliaſque fœmi-

nas thorum conjugalem occupantes intuebantur, neſcio an ſine zelotypia & livore. *Hæc diabolus ſuis præcipit, & audıtur, provocat nimirum Dei ſervos continentiâ ſuorum, quaſi ex æquo: nam invenit quomodo homines etiam in bonis ſectationibus perderet, & nihil apud eum refert alios luxuriâ, alios continentiâ occidere.* Honor etiam viduis delatus non parum ſerviebat ad ingenerandum cordibus gentilium fœminarum viduitatis affectum: nam *Fortuna* Tert l.de
muliebri coronam non imponit niſi univira, ſicut nec matri Matuta. Matuta variis inſignitur nominibus: nam apud Ovidium eſt *Leucbotea*, & apud alios Mon.17 Faſt.6
Ino nuncupatur, & inter Deas marinas adſcribitur. Deinde viduitas *apud* Tert.l.de
Ethnicos ita in ſummo honore eſt, ut & virginibus legitimè nubentibus univira Exh. Caſt.
pronuba adhibeatur; & ſi auſpicij cauſa, utique boni auſpicij eſt. Pronuba dice- 11
batur, quia nuptiis præeundis & comitandis præerat: auſpex verò, quòd auſpicia ſint dicta, quaſi aviſpicia pro nuptiis ex volatu avium captare ſoleret. *Item, ut in quibuſdam ſolemnibus & officijs prior ſit univira locus.* Supradicta munera Sacerdotalia viduitati addicta, & honores viduis delatos adinvenit diabolus, ut Gentiles tum laſciviâ, tum continentiâ damnationi manciparet: *Invenit ſcilicet diabolus poſt luxuriam etiam caſtitatem perditricem, quo magis reus ſit Chriſtianus, qui caſtitatem recuſaverit conſervatricem.* Gentiles ut diabolo pareant, viduitatem ſectantur; quantò magis Chriſtiani ut Deo placeant? Quantum autem vidualis continentia Deo placeat, ipſa dæmonis affectatio oſtentat. *Quantum Deo ſanctitas placet, cùm illam etiam inimicus affectat?* Tert l.1
Non utique ut alicujus boni affinis, ſed ut Dei Domini placita cum contumelia af- ad Ux.7
fectans. Gentilium continentia à dæmone eſt inventa, Chriſtianorum verò continentia à Deo auctorata. Illa ſceleroſa, hæc innocua; illa ex diaboli æmulatione oriunda, hæc ex Dei conſilio amplexanda: *Cùm autem Dei ſacramen-* Tert.l.de
ta ſatanas affectat, provocatio eſt noſtra, imò ſuffuſio ſi pigri ſumus ad continen- Mon.11
tiam Deo exhibendam; quam diabolo quidem præſtant nunc virginitate, nunc viduitate perpetuâ. Æmulatio Gentilium, quæ diabolo caſtitatem præſtant perditricem, ſtimulat Chriſtianos & Chriſtianas, ut Deo exhibeant caſtitatem ſervatricem. *Accedunt ſecularia exempla, quæ ſæpè nobis etiam in teſtimonio poſita ſunt, cùm quid boni, & Deo placitum ab extraneis quoque agnoſcitur, & teſtimonio oneratur.* Exempla Gentilium continentiam ſervantium, viduitatem Deo placitam oſtentant, obſervatuque facilem demonſtrant. *Durum planè &* Tert.l.1
arduum ſatis continentia ſancta fœmina poſt viri exceſſum, Dei cauſa, cùm gen- ad Ux.9
tiles ſatana ſuo & virginitatis, & viduitatis ſacerdotia perferant. Numquid Chriſtiana fœmina minus Deo exhibebit, quàm ethnica diabolo? Numquid impoſſibilis videbitur viduitas fideli, quam facilè ſervat infidelis? Quòd ſi à Cereris ſacerdotibus, *ſalvo matrimonio abſtinentia toleratur, quantò magis adempto? Credo enim difficilius ſalvum derelinqui, quàm amiſſum non deſiderari.* Maximè cùm ejuſmodi abſtinentia ſervetur ex Dei dilectione, ex defuncti mariti recordatione, ex gentilium æmulatione, & ex immunditiarum tempore matrimonii commiſſarum expiatione & reparatione.

 3. *Disjun-*

Tert. lib. 1 ad Ux. 4 — 3. *Diſjunctis à matrimonio duæ ſpecies humanæ imbecillitatis neceſſarias nuptias faciunt. Prima quidem potentiſſima, quæ venit de concupiſcentia carnis.* Bellè concupiſcentiam carnis vocat potentiſſimam ſpeciem humanæ imbecillitatis, quæ nuptias requirit tanquam remedium ad ejus ardores temperandos aptiſſimum. Hinc *facilè dignoſcitur neceſſitate nobis conceſſam eſſe nubendi poteſtatem.*

Tert. l. 1 ad Ux. 3 — Hujuſmodi autem neceſſitas duplex eſt: una, ſpeciei conſervatio per filiorum generationem: alia, carnis imbecillitas. Ex D. autem Auguſtino

L. 9. de Gen. ad litt. 7 — *utriuſque ſexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honeſtate nuptiarum, ut quod ſanis poſſit eſſe officium, ſit ægrotis remedium.* In ſtatu naturę integrę fuiſſent neceſſariæ nuptiæ ob ſpeciei propagationem, non ob remedium concupiſcentiæ, quia nulla fuiſſet carnis infirmitas, neque ullus deordinatus concupiſcentiæ motus: in ſtatu autem naturæ corruptæ, *matri-*

Gregor. Naz. in Exh. ad Virg. — *monium libidinis venia eſt.* Nam carnalis copulatio, quæ extra connubium eſt criminoſa, culpabilis, & damnanda, per honeſtum matrimonii uſum ut licita & innocua permittitur:

D. Aug. l. 4. contra Jul. 10 — *Non dicimus turpia eſſe conjugia, quandoquidem ne incontinentia in damnabile cadat vitium, fulcienda eſt honeſtate nuptiarum.* Connubium eſt venia luxuriæ, remedium libidinis, mundities ſordium, concupiſcentiæ refrigerium, honeſtas thori. Quare qui nullo continentiæ adſtricti

Tert. l. de Pud. 1 — ſunt voto, nubere poſſunt, *ne mœchiæ & fornicationi ſuccidere cogantur: quoniam melius eſt nubere, quàm uri.* Honeſtæ ſunt nuptiæ, quas Deus ſanxit, quas ſuâ Chriſtus præſentiâ honeſtavit, quas primo miraculo commendavit. Bonum eſt matrimonium ad extinguendum luxuriæ ignem inordinatum: *Melius eſt nubere, quàm uri.*

Tertull. l. 1 ad Ux. 3 — Ut autem animadvertit Tertullianus: *quare hoc bonum eſt, oro te, quod mali comparatio commendat? ut ideò melius ſit nubere, quia deterius eſt uri.* Quàm tenue, quàm exile, quàm parvum eſt illud bonum quod mali comparatio commendat! tanquam ſi à ſui contrarii malitia bonitatem quodammodo mutuetur. *At enim quantò melius neque nubere, neque uri,* ut patet in illis, qui extra matrimonium inordinatos concupiſcentiæ cohibent motus, & corporis & animæ ſervant caſtitatem? Quapropter Tertullianus aſpiciendum Apoſtolum exoptat, *à matrimonij pomo animas jejunare*

L. de Pud. 16 — *cupientem.* A matrimonio abſtinere deſiderat Paulus, quod pomum nuncupat per analogiam ad pomum, quod in paradiſo comederunt protoparentes: nam ſicut à manducato vetito pomo, omnes quas patitur humana natura, ortæ ſunt miſeriæ; ſic à permiſſo matrimonii pomo oriuntur tot ærumnæ, quas ſuſtinent in connubio conjuges. Deinde ſicut ardor concupiſcentiæ, quâ æſtuat homo, ab originali procedit culpa, originale autem delictum eſt pœna eſus pomi vetiti: ſic quodammodo à matrimonii pomo accenditur in quibuſdam ſalaciſſimis conjugibus libidinis flamma, & homo expertus permiſſas voluptates concupiſcit & captat vetitas. Quod tamen, ut benè animadvertit

L. de bono Conjug. 6 — D. Auguſtinus, *vitium eſt hominum, non culpa nuptiarum.* Licita nuptiarum voluptas fit laſcivia luxuriandi, non ex matrimonii malo, ſed ex conjugum vitio, qui ita voluptatum ſunt cupidi, ut expletio licitæ libidinis ſit appetentia & pru-

pruritus illicitæ luxuriæ. Quomodo Apoſtolum intelligit Tertullianus: *Melius eſt nubere quàm uri; nimirum propter incontinentiam continentia neceſſaria eſt, incendium ignibus extinguetur.* Flammea lib do igne matrimonialis voluptatis enutritur, in voluptuoſis namque & libidinoſis conjugibus, luxuriæ voluptates non extinguunt, ſed ſæpè accendunt concupiſcentiæ fomitem, ut experientia in multis adulteris comprobatur, qui pulcherrimas deſpiciunt mulieres, & deformes pellices ardenter diligunt; & adhuc in fœminis, quæ conjugali thoro haud ſatiatæ, impudenter ſcortantur. Quod evenit, tum quia aſſueta faſtidium ingenerant: etiam *vina uſu depretiantur*; tum ex corruptione naturæ, quæ poſt vetita anhelat: tum ex ardore concupiſcentiæ, quæ eò magis inflammatur, quò majores captat voluptates. Quapropter de cœlo illuſtratus Apoſtolus: *Etſi non delinquas renubendo, carnis tamen preſſuram ſubſequi dicit.* Hæc autem tribulatio & preſſura carnis, quam ſubeunt conjuges, non eſt alia quàm ignis ardentioris concupiſcentia, quæ uſu accenditur; nam experta libido vividè prurit, & accendit Veneris faculas. Quomodo Paulum expendit Anſelmus: *Nubent bus & in carne tribulatio eſt, in qua ſola videbantur habere delicias. Nam & majores tribulationes hi frequenter ex carne ſuſcipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur.* Conjugia à libidinis ardore immunia non ſunt, conjuges in matrimonio patiuntur carnis ſtimulos, & concupiſcentiæ igniculos, quibus ſufflammantur Veneris incendia.

L. de Pud. 1.

Tert. l. de An. 17

Tert. l. 1 ad Ux. 5

Quantumvis æſtuet in hominibus ardor libidinis, vult tamen Tert. conjuges *matrimonio omnem concupiſcentiam ejuſmodi expiaſſe.* O utinam matrimonium omnibus foret expiatio laſciviæ, & conjuges eſſent exleges libidinis! At, proh dolor! plures ſunt, quorum incontinentia fomitem libidinis ex remedio conflat. *Nuptiæ ſunt ſcortationis remedium, non laſciviæ occaſio*; & ipſi ex nuptiis laſciviendi captant occaſionem. *Nobis continentia ad inſtrumentum æternitatis demonſtrata eſt à Domino ſalutis, ad teſtimonium fidei, ad commendationem carnis iſtius exhibendæ ſuperventuro indumento incorruptibilitatis.* Laſcivientes conjuges Dei mandatum caſtitatem præcipiens, & adulterium prohibens non ſervant; ſibi adinvicem debitam fidem violant, carnem libidinibus fœdant. Conjugalis continentia duo deſiderat: unum, ne uxorati ſcortentur; etenim *adulterium eſt extranei hominis admiſſio*: aliud, ne conjugio abutantur; ſed *ut penes Sanctos officia ſexûs, cum honore ipſius neceſſitatis tanquam ſub oculis Dei modeſtè & moderatè tranſigantur.* Attamen plerique thorum conjugis incontaminatum ſuis adulteriis maculant, & quod lugendum eſt magis, adulterantes mulieres ſub ſigno ſacro matrimonii ſuas turpitudines tegunt & obnubilant. Alii ab adulterio quidem abſtinent, verùm in uſu matrimonii ſeſe variis immunditiis contaminant. *Aliud eſt nuptias tollere, aliud moderari; aliud eſt legem non nubendi ponere, aliud modum nubendi ſtatuere.* Hæretici nuptias de medio tollunt, Catholici uſum nuptiarum moderantur: illi conjugium damnant, iſti in uſu conjugii modum exoptant, juxta Apoſtoli monitum, qui *uxores quoque ipſas ſic habendas demonſtrat tanquam non habeantur?*

Lib. 1. ad Ux 5

D. Baſ. ep. 117. ad Diod.

Tert. l. 1 ad Ux. 7

Tert. l. 2 ad Uxor. 2

Tert. l. 2 ad Ux. 5

Tert. l. de Mon. 15

Tert. l. 1 de cult. fœ. 9

tur? Attendant quæſo conjuges quomodo agant in matrimonio. Videat vir
Tert. l. 2 ad ux 3 — quomodo ſuâ utatur uxore, recogitet & uxor *qualiter viro officia pendat*; an pudicè, an impudenter; an moderatè, vel cum exceſſu. *Bonum conjugii non eſt fervor concupiſcentiæ, ſed quidã licitus & honeſtus illo fervore utendi modus.* Qui debitum non ſervant modum, nuptiis abutuntur: nam *iſto bono malè utitur qui beſtialiter utitur, ut ſit ejus intentio in voluptate libidinis.* Qui ſunt hujuſmodi, ob matrimonii abuſum de adulterio ab Auguſtino culpantur: *Audeo dicere, aut illa eſt quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris.*

D Aug. l. 1 de Pecc. mer. 29

D Aug l. de Nupt. & Concup. 4 Cap. 15

Tert l. 1 ad Ux. 5

Ne hoc crimen incurrant conjuges, *ſupereſt ut qui matrimonia habent, tanquam non habentes agant. Quod ſi habentes oblitterare debent quod habent, quantò magis non habentes prohibentur repetere quod non habent?* De mulieribus viduis loquitur, quas ab impudicitiis vult abſtinere, & in viduali continentia permanere, ut per caſtitatem expient immunditias, quas vel in adulterio, vel in abuſu matrimonii commiſerunt. *Amplectenda occaſio eſt, quæ adimit quod neceſſitas imperabat.* Concupiſcentiæ æſtus neceſſarias præſtiterat nuptias; continentia vidualis concupiſcentiam reprimens, ab hac neceſſitate liberat. *Quare facultatem continentiæ quantum poſſumus, diligamus; quamprimum obvenerit, imbibamus*: ſic enim 1. immunditias tempore matrimonii commiſſas expiabimus. 2. amiſſam in matrimonio integritatem reparabimus. 3 meritum virginalis pudicitiæ æmulabimur. 1. Vidualis continentia ſervanda eſt, ut per eam expientur immunditiæ in abuſu conjugii perpetratæ: *ut quod in matrimonio non valuimus, in viduitate ſectemur*; ſic enim loquuntur viduæ apud Tert. Thamar in exemplum profert D. Ambroſius, quę meretricio habitu occultata cum ſocero congrediens ad ſucceſſionis gratiam, ab experta libidine caſtitatem dedidicit, & non tam geminæ prolis fœtum, quàm pudicitiæ propoſitum concepit: *Nunquam poſteà virum experta eſt, amictum viduitatis ſumpſit à coitu*; pudore pudicitiam emit, ab inceſtu mutuata eſt caſtitatem, & vidualis continentia fuit deteſtatæ laſciviæ ſtipendium. *Quanti & quantæ de continentia cenſentur, qui Deo nubere maluerunt, qui carnis ſuæ honorẽ reſtituerunt!* Viduam hortatur Tert. ut poſt mariti obitum *exinde quietem ſexui ſuo, nubendi abſtinentiâ injungat.* Vidualis caſtitas eſt quies ſexûs, voluptatis torpor, laſciviæ cadaver, hiems venereæ flammæ, ros æſtum concupiſcentiæ temperans, cœleſtis imber luxuriæ extinguens ignem, ſtipendium ſenectutis, à fœdis cupiditatibus liberans: *Cupiditatibus ſenes immunes ſunt.* Vidualis caſtitas etiam in juventute præmaturè ſenex, ſenectutis habet ſtipendium: *Non quòd ſenectus ſola viduam faciat, ſed quòd viduitatis merita ſtipendia ſenectutis ſint.* Senectus ab ardore libidinis immunis pacatam & moderatã ducit vitam. Quàm laudanda vidua juventute & pulchritudine pollens, *quæ calorem adoleſcentiæ, & junioris ferveſcentem edomat ætatis ardorem*; & amiſſam in matrimonio quaſi reparat integritatem! 2. Continentiam virginem nuncupat Tert. nam poſtquam demonſtravit Gentiles ſæpè ſæpius inceſtuoſos, à tali crimine Chriſtianos innocuos oſtentat: *Nos ab iſto eventu diligentiſſima & fideliſſima caſtitas ſepſit; quan-*

Ter. l. 1. ad Ux. 7

Lib. 3. in Luc.

Tert. l. de Exh Caſt. 11

Iuncus ap. Stob. Ser. 116

D. Ambr. l. de Vid.

D. Ambr.

Apol. 9

tum-

tumcunque de ſtupris, & ab omni poſt matrimonium exceſſu, tantum & ab inceſti caſu tuti ſumus. Quidam multò ſecuriores, totam vim hujus erroris virgine continentiâ depellunt. Nota hæc ultima verba, *virgine continentiâ*: quaſi vidualis continentia reſculpat virginitatis integritatem, & *eam quæ mulier fuerat, reſtituat in virginitatem priſtinam.* Itaut quod impoſſibile videtur naturæ, perficiatur gratiæ privilegio. Davidi canæ ſenectutis nivibus frigeſcenti quæſierunt ſervi ſui adoleſcentulam virginem, quæ eum ſinu ſuo foveret: inventâq; Abiſag Sunamitide adduxerunt eam ad Regem: erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum Rege, & miniſtrabat ei; Rex verò ei virginitatem non ademit, ſed conſervavit. In quo quaſi redivivæ virginitatis myſterium agnoſcit Bacchiarius: *Ipſe David cùm in adoleſcentia ſua cum adultera deprehenſus ſit, in ſenectute cum virgine invenitur, ut intelligamus quòd poſt peccatū longa caſtitas imitatrix eſt virginitatis.* Virginitas irreparabilis eſt; verùm longa caſtitas etiam poſt integritatis ruinam, virginitatem velut redintegrat, & pudicitiæ lapſum quodammodo reparat. Parum foret quòd David Sunamitidi virginitatem non ademerit, ſed conſervaverit, niſi etiam ipſe æmulam virginitatis exhibuerit caſtitatem: *Qui enim concupivit, & ſeipſum continuit ut vidua, quæ ſit rurſus virgo per temperantiam,* quia deperditam integritatem velut reparat, & virginitatis meritum æmulatur. *Non enim & continentia virginitati antiſtat, ſive viduorum, ſive qui ex conſenſu contumeliā communem jam recuſaverunt.* Virginitas viduitati dignitate præeminet; viduas tamen virginibus quodammodo præponit Tertull. tum quia *virginitas gratiâ conſtat, continentia verò virtute.* Virginitas eſt integritas naturæ, vidualis verò continentia, caſtitatis virtus: tum quia eo glorioſior eſt victoria, quò glorioſius eſt certamen; certamen eſt tantò glorioſius, quò fortiores ſunt hoſtes quibuſcum præliatur, & quò acrius pugnant, & vivacius reſiſtunt: viduæ autem majus ineunt certamen quàm virgines; nam cum concupiſcentia venereis voluptatibus aſſueta pugnant. *Non concupiſcendi, cui concupiſcendo inoleveris, grande certamen eſt: cujus autē concupiſcendi ignoraveris fructum, facilè non concupiſces, adverſarium non habens, concupiſcentiam fructus.* In virginibus non eſt adeò ardens concupiſcentia, quia carnis delicias nō ſunt expertæ; viduæ verò in matrimonio carnis delicias expertæ ſunt, concupiſcentia his voluptatibus aſſueta & inoleta, eas ardenter expetit, & continentiam continuò aggreditur; quare viduitas adverſus pugnaciſſimam concupiſcentiam grande & longum habet certamen, de qua nonniſi magno cum labore triumphat. Ut enim alio ſum ait Tert. *Non tantum virginibus datum opinor, licet in illis integritas ſolida & tota ſanctitas de proximo viſura ſit faciem Dei; tamen vidua habet aliquid operoſius: quia facile eſt non appetere quod neſcias, & averſari quod deſideraveris nunquam; glorioſior continentia, quæ jus ſuum ſentit, quæ quid viderit, novit.* Vidua quæ nupturit, jus ſuum ſentit, illudq; ob voluptatis experimentum expetere videtur: quare expertam voluptatem laborioſè debellat. Adeò laborioſior eſt vidualis continentia, & de operoſitatis elogio, & de experto dudum generoſo repudio ita commen-

Phil. Jud. lib. 2. de Cher.

L. 3. Reg. 1

Tract. de Recipiēd. Lapſ.

Clem. Alex. l. 7 Strom.

Tert. l. de vel. Virg. 10

L. 1. ad Ux. 8

L. 3. Strô. 9 datur, quòd apud Clementem Alex. *jam nonnulli præferunt viduam virgini, quod attinet ad continentiam, ut quæ experta eſt voluptatem, & magno & excelſo animo contempſerit.* Porrò admiratione digna, & omni laude digniſſima eſt vidua, quæ eximiâ pollens pulchritudine, in ipſo juventutis flore à diu expertis abſtinet voluptatibus, nec adhuc æſtuat Veneris igniculo.

Hildeb. ep. 41 *Cato & mulier duplex infirmitas & conſortium, vix diſcens diſcedere voluptatem: apud neutram tuta eſt religio, donec maturior ætas utriuſque reſtinguat incendium.* Hinc elucet vidualis continentiæ gloria, quæ eò eſt illuſtrior, quò majora det triumphavit pericula; eò auguſtior, quò plures & ſæviores vicit hoſtes. Inferior quidem virginitate, ſed multò difficilior; nam difficilius eſt carere inexpertâ voluptate, quàm aſſuetam voluptati cohibere naturam: quapropter

Tert. l. 1 ad Ux. 8 *poteris virgo felicior haberi, at vidua laborioſior: illa, quod bonum ſuum habuit; iſta, quod bonum ſibi invenit. In illa gratia, in iſta virtus coronatur*: in virgine naturæ integritas, & gratiæ felicitas; in vidua verò ſtrenuus labor, & victrix virtus coronatur. Hæc autem viduarum operoſior & victrix continentia datur in virginitatis magiſterium & virginibus ad virginitatis conditionem proponitur:

D. Ambr. l. de Vid. *Quodammodo enim magiſterium virginitatis viduarum viles[c]it exemplu. Quæ cum viro caſtum cubile cuſtodiunt, documento virginibus ſunt, integritatem Deo eſſe ſervandam.* A continente vidua virgo integritatem diſcit, & quantumvis viduitati antiſtet virginitas, & integritatis honore, & angelicæ felicitatis æmulatione; viduitas tamen honoratur, & operoſioris laboris ſtudio, & majoris certaminis & victoriæ triumpho, & nobili adhuc magiſterii prærogativâ.

Hildeb. Martyrum dignitas ſine dubio eſt maxima. Vidualis continentia rectè martyrio comparatur ob exantlatos labores, ob vitata pericula, ob inita ad ſervandam caſtitatem certamina: *Quid ſomnias teneros artus, & exquiſitis educatos deliciis longum poſſe ferre martyrium?* Martyrum duo ſunt genera. Unos

Orat. de Laud. Baſ. nuncupat Gregorius Naz. *mortuos Martyres*, alios verò *vivos Martyres* appellat. Mortui Martyres ſunt, qui pro Dei honore, fidei defenſione glorioſè occubuerunt, quorum martyrium vocitat Tertullianus

Lib. 1. adv. Marc. 12 *Compendium mortis*: quia breviſſimo durat tempore & in momento unà cum morte dolorum & cruciatuum moritur ſenſus. Vivi Martyres è contra vivendo diutius moriuntur, tantòque acerbiorem ſuſtinent pœnam, quantò diuturniorem. Vidua eſt vivens Martyr; nam vivendo ſæpè moritur, & acerbum & perenne tolerat martyrium, totque patitur tortores, quot deordinatos carnis ſuſtinet & debellat motus. Imò hoc martyrii genus tantò eſt glorioſius,

Tert. l. de Exh. Caſt. 11 *quantò majus eſt vivere in caſtitate, quàm pro ea mori; hoc eſt, anima id bonum miſceri, quàm non vivendo ſeparari.* Conſtantiam, quam demonſtrabant Chriſtiani in ferendo martyrio,

Tert. l. de Spect. 1. obſtinationem appellabant Gentiles: *Sunt qui exiſtimant Chriſtianos, expeditum morti genus, ad hanc obſtinationem abdicatione voluptatum erudiri, quò facilius vitã contemnant, amputatis quaſi retinaculis ejus, nec deſiderent quam jam ſupervacuam ſibi fecerunt.* Obſtinatio eſt inexpugnabilis conſtantia, quæ extat

flecti

flecti neſcia in propoſito, non blanditiis & pollicitationibus, nec minis & terroribus, nec tormentis & doloribus cedit, ſed firma & inconcuſſa ſtat. Hujuſmodi erat Chriſtianorum obſtinatio, qui erant ad mortem parati & expediti, ſeſeq; ad martyrium abdicatione voluptatum diſponebant. Sic expeditas volebat Tert. viduas, graſſante Gentilium perſecutione; nam abdicatis per continentiam voluptatibus carnis, *quamcumque preſſuram perſecutionemq́, liberè perferrent, nullâ in utero, nullâ in uberibus æſtuante ſarcinâ nuptiarum.* Hac autem ætate, in qua religio non patitur tyrannorum perſecutionem, obſtinatio chriſtianis viduis non eſt neceſſaria, ut ſint per breve martyrium morientes martyres, ſed ut ſint per longum martyrium viventes martyres; ſcilicet ut carnis abdicent voluptates, & in propoſito ſervandæ pudicitiæ conſtanter perſeverent. Ad quod erudiuntur gentilium etiam fœminarum obſtinatione & conſtantiâ: *Erunt nobis in teſtimonium & fœminæ quædam ſeculares, ob univiratûs obſtinationem famam conſecutæ.* At cur Gentilium quærimus exempla, cùm ſint quamplures viduæ chriſtianæ, quæ ob viduitatis conſtantiam pudicitiæ famam ſunt conſecutæ? Cujuſmodi erat nobilis illa, ad quam D. Paulinus ſcribit: *Neque te divitiæ de matrimonio familiæ conſularis adgeſtæ, neque poſt conjugium peccandi licentia, & cœlebs juventa ab anguſto ſalutis introitu, & arduo itinere virtutis, in mollem illam & ſpatioſam multorum viam revocare potuerunt.* Verùm multò plures ſunt, quę ex viduitate peccandi captant licentiam, quæ loco unius mariti multos habent amatores, & viventes in deliciis non longum ſuſtinent martyrium ob conſtantem caſtitatem, ſed ob impudicitiâ moriuntur juxta illud Apoſtoli: *Vidua, quæ in delicijs eſt vivens, mortua eſt.* Mortua pudicitiæ, mortua honori & famæ, mortua ſanctitati & gratiæ: *Et hanc quippe oppoſuit tanquam è contrario veræ viduæ, tanquam talis non ſit vera vidua.* Vera non eſt vidua quæ vivens mortua eſt, *viduitate in delicijs habitâ.* Tria viduarum genera agnoſcit dubius Auguſtinus. Unum, perfectiſſimum, & cœleſti præmio deſtinatum, jejuniis & orationibus diu noctuque vacans: Aliud, filiorum & domûs curam habens, non tanto præmio dignum, peccatis tamen non obnoxium. Tertium genus eſt in epulis & deliciis, quod æternæ morti ſervatur & pœnæ. Et hujus maximus eſt numerus, quas his inſignibus denotat Tertullianus: *Loquaces, otioſæ, vinoſæ, curioſæ, contubernales, vel maximè propoſito viduitatis officiunt. Per loquacitatem inrepunt verba pudoris inimica: per otium à ſeveritate deducunt: per vinolentiam quidvis mali inſinuant: per curioſitatem æmulationem libidinis convehunt.* Quæ verè vidua eſt, hæc omnia velut caſtitatis ſcopulos fugit, & cuncta quæ pudicitiam defenſant, ſollicitè quærit. Quam ſic hortatur Tertullianus: *Stude igitur ad virtutem continentiæ, quæ pudori procurat; ſedulitati, quæ nugas non facit; frugalitati, quæ ſeculum ſpernit. Convictus atque colloquia Deo digna ſectare*, ut incontaminatam oſtentes caſtitatem, & vidualem valeas conſervare libertatem.

Lib. 1. ad Ux. 5

Tert. l. de Exh. Caſt. 13

Ep. 1

1. ad Tim. 5

D. Aug. ep. 121. ad Probam.

Tert. l. de Monog. 13

l. de Virg. Chriſt. 15

L. 1. ad Ux. 8

Obligatus es matrimonio? ne quæſieris ſolutionem. Solutus es matrimonio? ne quæſieris obligationem. Aliorſum Tert. legit: *Vinctus es uxori?* quaſi uxoratus ſit vin-

II. PARS

Tert. l. 1 ad Ux. 7

vinctus ſervus,ſeu captivus : cœlebs è contra dicitur liber,tanquam qui nuptiarum jugum refutans,quæſierit ſolutionem,& invenerit libertatem. Ideò bellè ad propoſitum D. Adhelmus: *Virginitas pax,conjugium captivitas,cœlibatus redemptio.* Litigia,querelæ, jurgia ſunt nuptiarum appendices,& connubiis individuè cognata. Quod ſententiosè aſſeverat clariſſimus Orator apud D. Hieronymum:*Qui non litigat,cœlebs eſt.* Verùm ſi in continentia eſt pax, captivitas ſeu ſervitus reperitur in conjugio; nam *mulier vincta eſt quandiu vivit vir ejus*:& trinâ ſervitute laborat. Nam tenetur conjugi placere,prolis curam gerere,domui neceſſaria providere. Continentia ſeu cœlibatus eſt redemptio,quia à nuptiarum captivitate redimit, & à conjugii ſervitute liberat. Quapropter viduam hortatur Tertull.in viduitate remanere,ne acquiſitam per mariti exceſſum,libertatem perdat: *Quid libertatem oblatam tibi iterata matrimonij ſervitute faſtidis?* Noli denuò nubere;nam in viduitate perſeverans,eris libera,& à trina ſervitute liberata: ſcilicet 1. à ſtudio placendi. 2. à cura educandæ prolis. 3. à ſolicitudine providendi domui neceſſaria.

l.de Laud. Virg.9

l.5.adv. Jovin.

1. Viduæ juvenes nubere cupientes produnt *carnis & ſexûs neceſſitatem*: carnis autem & ſexûs neceſſitas multis fulcitur rationibus. Nam *carnis neceſſitas ætatis officia defendit,decoris meſſem requirit, dicit virum neceſſarium ſexui,ut auctoritatis & ſolatij cauſam,vel ut à malis rumoribus tuta ſit.* Huic carnis pro ætate & pulchritudine patrocinationi opponit Tertullianus exempla viduarum juvenum & decore pollentium, quæ juventutem & pulchritudinem contemnentes in viduitatis propoſito,toto vitæ decurſu perſeverârunt: *Et tu adverſus conſilia hæc ejus,adhibe ſororum noſtrarum exempla, quarum nomina penes Dominum,quæ nullam formæ, vel ætatis occaſionem, præmiſſis maritis,ſanctitati anteponunt. Malunt enim Deo nubere: Deo ſpecioſæ,Deo ſunt puellæ.* His exemplis addit Tertullianus cœleſtium bonorum recordationem, ut eas ab inordinato ætatis & pulchritudinis avocet affectu: *Talium exemplis fœminarum ad æmulationem te continentia exercens, temporalia & volatica deſideria formæ vel ætatis, immortalium bonorum compenſatione delendo.* Adde quòd pulchræ & juvenes illę viduæ non ſemper ſibi propoſitum aſſequuntur finem: nam perſæpè à maritis deſpiciuntur, & meſſem ætatis & decoris myrrhâ & amaritudine mixtam colligunt, & ſub auctoritate mariti ut captivæ gemunt. Ante matrimonium pollebant libertate, erantque ingenuæ,ſui arbitrii dominæ: ex quo autem nupſerunt, non ſunt amplius ſui juris, cùm *extraneis junctæ libertatem ſuam amittant*, conjugum imperio ſubjectantur, ab eorum nutu & voluntate dependent, ſuntque *per omnia viris ſubditæ.* Nihil eſt fœminis hac ſubjectione moleſtius. Verùm ut tam dira ſervitus firmior exiſtat, & nullà tergiverſatione excuti poſſit, in pœnam originalis delicti imponitur, & Evæ ab ipſomet Deo intimatur: *Sub viri poteſtate eris,& ipſe dominabitur tuî.* In ſtatu innocentiæ obſequuta viro fuiſſet mulier: *Neque enim & ante peccatum aliter factam fuiſſe licet credere mulierem;niſi ut vir ei dominaretur, & ad eum ipſa ſerviendo converte-*

Tert.l.de Mon.11
Tert.l.1 ad Ux 4

Ter.l.2 ad Ux.8
Tert l.de vel.virg. 10
Gen.3
D.Aug l. 11.de Geneſ. ad lit.37

verteretur. Verū ejuſmodi ſubjectio non fuiſſet in pœnam peccati, ſed ut animadvertit D. Hier. *libera ſervitus, & dilectione plena.* At ſervitus quam modo viro mulier debet, eſt admiſſi ſceleris ſupplicium. Nam ut addit D. Auguſtinus: *ſed recte accipi poteſt hanc ſervitutem ſignificatam, quæ cujuſdam conditionis potius quam dilectionis: ut etiam ipſa talis ſervitus de pœna peccati reperiatur exorta.* Gravem hanc & intolerabilem ſubjectionem mulieri impoſuit Deus, ut ſuam erga auctricem primævi delicti juſtitiam oſtentaret, & inobſequentis fœminæ ſuperbiam acrius puniret. Quare belle ad propoſitum Tertullianus: *Igitur uſque ad delictum hominis, Deus à primordio tantum bonus, exinde judex & ſeverus. Statim mulier viro ſervire damnatur: ſed quæ in adjutorium maſculo, non in ſervitium fuerat deſtinata.* Tam acerba eſt fœminis hæc pœna, & adeo ægre illam ferunt, ut nihil non tentent, quo ab iſta ſervitute ſe liberent. In c. 1. Ep. ad Tit. Lib. 4. adv Marc. 11.

Neque ſolum mulieres cruciantur ob ſervitutem quam maritis debent, & tyrannidem quam perſæpe viri in illas exercent, ſed ipſimet viri innumeros à mulierum malitia patiuntur animi dolores. Mulieris malitiam bellè exaggerat S. Maximus. *Mulier eſt viri naufragium, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, ſumptuoſum bellum, bellua convivа, ſollicitudo confidens, leæna complectens, exornata ſcilla, animal malitioſum, malum neceſſarium:* Tot non bona mulieris elogia ejus malitiam non ſatis denotant. Eam magis adhuc commendat Eccleſiaſtici author. *Non eſt caput nequius ſuper caput ſerpentis: & non eſt ira ſuper iram mulieris.* Serpens venenum gerit in capite quod in hominem virulenter evomens, eum lædit & aliquando interimit: & mulier ore gerit venenatam iram, quam per convitia, maledicta ſpirat, quæ viri patientiam exaſperant. Per colubrum nonnulli intelligunt ſerpentem qui Evam, & per eam Adamum decepit, amboſque venenato ſibilo è paradiſo ejecit. Serpentem & mulierem ad primævi peccati ſuadelam junxit Eccleſiaſticus. Non eſt hic omittenda D. Epiphanii reflexio pulchre animadvertentis: quod *Eva ſi tenui ſpiritu pronuntietur, fœminam ſignificat: ſin aſpiretur, Hebræi hoc vocabulo Heva, ſerpentem intelligunt.* Hinc Bacchantes in orgiis ſacro furore initiatæ, & ſerpentibus coronatæ, Evam Evam conclamabant, hoc clamore denotantes furentem mulieris iram, ejuſque cum venenoſo ſerpente ſocietatem. Qualis quæſo calamitas viri, qui cum venenoſo ſerpente in eadem domo habitat? Quale tormentum fœminæ, quæ mariti ſævi & inimicantis tyrannidi ſubſternatur? quid quæſo moleſtius, quam ſemper tyranno ſubjici, ſemper ejus dominationem pati? Quod viduis proponit Tertullianus, dehortans ne ſecundas ineant nuptias. *Rape occaſionem, etſi non exoptatiſſimam, attamen opportunam, non habere cui debitum ſolveres, & à quo exolveres. Deſiiſti eſſe debitor: ô te felicem! dimiſiſti debitum, ſuſtine damnum; Quid ſi, quod diximus damnum, lucrum ſentias?* Tali namque damno te à captivitate redimes, & lucraberis libertatem, qua liberatur mulier à tyrannide mariti, & ulterius à moleſtia generandæ & educandæ prolis. Serm. 39. Cap. 25. In Brev. Cathol. Sd. Expoſ. num. 10. Lib. de Exh. Caſt. 10.

Tert. l. 1. ad Ux. 5. 2. *Adjiciunt quidem ſibi homines cauſas nuptiarum de ſollicitudine poſteritatis, & liberorum amariſſima voluptate.* Belle nuncupat voluptatem quam ex filiis captant parentes, amariſſimam, nam ut experientia comprobatur, filii plus amaritudinis quam dulcedinis afferunt parentibus quibus non obtemperant, quos ſuis ſceleribus & ſæpe ſuppliciis inhoneſtant, quorum ſubſtantiam diſſipant, & ad extremam redigunt egeſtatem. Ad quid quæſo, filios parentes deſiderant? An ut poſteritati provideant? an ut filiorum viſu & ſocietate gaudeant? an ut bonorum ſuorum habeant hæredes? an ut ſolatium & famulatum à filiis recipiant? an ut majori zelo ſalutem ſuam curent? an ut expeditiores ſint in tolerandis paſſionibus & ſuſtinendo pro religione martyrio? Nihil horum ad quærendos filios poteſt inducere Chriſtianos. Non 1. poſteritatis ſollicitudo: *Sed poſteritatem recogitant Chriſtiani, quibus craſtinum non eſt.* Non 2. filiorum præſentia & ſocietas: *Nam quid geſtiamus liberos gerere, quos cum habemus præmittere optamus, reſpectu ſcilicet imminentium anguſtiarum, cupidi & ipſi iniquiſſimo iſto ſeculo eximi, & recipi ad Dominum, quod etiam Apoſtolo votum fuit?* Non 3. ut bonorum ſuorum hæredes hebeant: *Hæredes ſcilicet Chriſtianus quæret; ſæculi totius exhæres? Habet fratres, habet Eccleſiam matrem,* quibus facultates ſuas largiatur. Non 4. ut à filiis auxilium & ſolatium recipiant; nam tantum abeſt ut parentibus filii præſtent auxilium, quin immo eos depauperant debitumque eis auxilium denegant. *Sufficiat ad conſilium viduitatis vel iſta, præcipue apud nos, importunitas liberorum.* Non 5. ut majorem de ſalute ſua curam habeant: *Satis enim de ſalute noſtra ſecuri ſumus: quærenda nobis onera ſunt, plurimum importuna, quantum fidei periculoſa.* Non 6. ut expeditiores ſint in operibus miſericordiæ, & paſſionibus pro fide tolerandis. Chriſtianus filiorum onere exoneratus, eſt *expeditiſſimus in perſecutionibus, conſtantiſſimus in martyriis, promptiſſimus in communicationibus, temperantiſſimus in acquiſitionibus:* ut quotidie apparet. Econtra parens filiorum temporalem formam firmare deſiderans, nihil erogat pauperibus, & bona per fas & nefas congregat. Quapropter non eſt *neceſſaria ſoboles ſervo Dei:* neque ad vitam privatam, neque ad vitam politicam, neque ad vitam Chriſtianam, quin è converſo trinæ huic vitæ importuni & oneroſi ſunt filii.

Tert. l. de Exh. Caſt. 11

Tert. l. 1. ad Ux. 5.

Tert. l. de Mon. 16.

Tert. l. de Exh. Caſt. 11.

Tert. l. 1. ad Ux. 5.

Tert. l. de Exh. Caſt. 11.

Tert. l. 2. ad Ux. 5.

Memorata incommoda ſunt patri & matri communia. At ſunt adhuc alia quæ ſpeciatim ad matrem pertinent. *Vivit ſententia Dei ſuper ſexum iſtum in hoc ſæculo, vivat & reatus neceſſe eſt.* Nam 1. mulier non concipit prolem, niſi cum detrimento ſuæ virginitatis. (Non loquor de beatiſſima Virgine, quæ in hac parte eſt de ſingularitate famoſa.) *Ex nuptiis nulla ſperatur impune fælicitas, quam primo neceſſe eſt quadam carnis contumelia comparari: Infæliciter ei ſuccedit, quæ ſucceſſum virginitatis mercatur impendio.* 2. Paulo poſt initum matrimonium concipit deflorata virgo: *de nuptiis enim uteri, & ubera, & infantes.* Impragnata mulier antequam pariat, multa ſuſtinet incommoda: mox à conceptu ſubeunt faſtidia, inſomnia, vertigines, melancholiæ, præcordiorum anguſtiæ, abſurdi appetitus, cordis deliquia, multaque alia quæ gravi

Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 1.

Hildeb. Epiſt. 36.

Tert. l. de Exh. caſt. 9

gravi ſtylo enumerat Tertullianus: Perora, *deſcribe uterum de die in diem inſoleſcentem, gravem, anxium, nexum, totum incertum libidinibus faſtidij & gulæ.* Tert. l. de Car. Chr. 4.
3. Dolores acerrimos in partu patitur mulier. *In doloribus & anxietatibus paries mulier, & Evam te eſſe neſcis.* 4. Partum comitantur pericula, & perſæpe ſequitur mors matris, quæ non edit prolem in lucem niſi cum detrimento vitæ. *Magni ſoboles emitur, cujus conceptus infeſtatio eſt pudicitiæ, partus vitæ.* Tert. l. 1. de Cult. Fœm. Hildeb.
5. Edita proles continuo eſt mundanda, lactanda, faſcianda, cunis aptanda: unde de mulieribus poſtquam parturierunt loquitur Tertullianus: *Satis opportunos fructus iteratis matrimoniis colligant, ubera fluitantia, & uteros nauſeantes, & infantes pipiantes.* 6. Proles grandior effecta, majores adauget parentum ſollicitudines, ut eam vel in ſcientia, vel mercatura, vel militari diſciplina educent, de officio provideant, cum uxore ditata matrimonio conjungant. Ab omnibus his curis & anguſtiis exempti ſunt Continentes & Viduæ, quæ adhuc ſunt liberatæ à captivitate & ſervitute ſæculi. Lib. de Mon. 16.

3. *Cæterum hæc ſæcularis concupiſcentia cauſas habet, gloriam, cupiditatem, ambitionem, inſufficientiam, per quas neceſſitatem nubendi ſubornat. Videlicet cœleſtia repromittens: dominari in aliena familia, in alienis opibus incubare, cultum de alieno extorquet, ſumptum, quem non ſentias edere.* Sæcularem vocat concupiſcentiam quæ procul debet eſſe à Chriſtianis. *Hæc procul à fidelibus, quibus nulla cura toleranda vitæ.* Nec viris deſunt rationes, quibus ſibi neceſſarias aſſeverent uxores: *Scio quibus cauſationibus coloremus inſatiabilem carnis cupiditatem. Prætendimus neceſſitates adminiculorum, domum adminiſtrandam, familiam regendam, loculos, claves cuſtodiendas, lanificium diſpenſandum, victum procurandum, curas communicandas.* Verum ſæpe accidit ut nihil aliud mutuentur fœminæ à viris, & viri à mulieribus, præter anguſtias, miſerias & infœlicitatem. Sperabat mulier honorem, abundantiam & delicias ſe habituram à marito; & invenit infamiam, egeſtatem & ærumnas: Exiſtimabat vir iniſſe conjugium cum muliere modeſta, laborioſa, & domeſtici negotii ſollicita, & accepit in conjugem, otioſam, ſumptuoſam, arrogantem, luxui & ludo aſſuetam, & nullam familiæ curam agentem. Epiſcopi & Presbyteri matrimonii Sacramentum poſtulantibus, *ſic dabunt viros & uxores quomodo buccellas.* Per buccellas Rhenanus & Pamelius intelligunt Euchariſtiam, quam olim ab Epiſcopis, Presbyteris ſeu Diaconis accipiebant Chriſtiani & domum referebant. Sicut igitur Judas proditor indigne accedens ad altaris Sacramentum fuit dæmonis habitaculum; *Et poſt buccellam introivit in eum ſatanas:* ſic male ſuſcipientes Matrimonii Sacramentum diabolo parant hoſpitium: eorumque domus ut infernus rixis, jurgiis, diſcordiis, animadverſionibus, maledictionibus, conviciis & blaſphemiis continue vexatur. *Et illi plane ſic dabunt viros & uxores quomodo buccellas.* Euchariſtia eſt memoriale paſſionis Chriſti, & omnium quos in cruce pertulit cruciatuum ſignum rememorativum: Nuptiæ Chriſti paſſionem & crucem æmulantur: nam quæ acerbior crux, quam vir nebulo & perditus, cui cogitur uxor adhærere? quæ intole-

Tert. l. 1. ad Ux. 4. Tertull. Tert. l. de Exh. Caſt. 11. Tert. l. de Mon. 11.

intolerabilior crux, quam mala uxor cui maritus toto vitæ tempore crucifigitur? Quod innuit Petrus Damianus duodecim ſacramenta enumerans, (large vocem ſacramenti accipiens) Poſtquam autem recenſuit arctioris vitæ ſtatus qui hæc ſacramenta conſtituunt, addit: *Duodecimum eſt ſacramentum Nuptiarum:* Hæc autem duodecim ſacramenta denotata vult per duodecim cruces Eccleſiæ appoſitas: *Hæc ſunt duodecim ſacramenta, quæ (niſi fallor) illa duodecim cruces ſignificant, quas in circuitu Eccleſiæ videmus impreſſas.* Sententioſe crux Chriſti ponitur tanquam idoneus nuptiarum typus, quod non ignorans maritus ille qui cum audiſſet iſtud Evangelicum: *Qui vult venire poſt me tollat crucem ſuam*, ſupra humeros uxorem ſuam detulit. Sola mors liberavit Chriſtum à paſſionibus & crucis tormentis: ſola mors uxoratos à cruce liberat, quare uxori per mariti necem, à cruce exemptæ: *Nihil viduitati apud Deum ſubſignatæ neceſſarium eſt, quam perſeverare.* in acquiſita ſcilicet libertate, quæ illam à trina ſervitute eximit, & ad opera pietatis expeditam reddit.

Serm. I. in Ded. Eccl. — Tert. l. 1. ad Ux. 4

III. PARS. *Quid utilitatis ſit, oſtendit Apoſtolus dicens: Nupta ſollicita eſt, quomodo conjugi ſuo placeat: innupta vero de dominicis cogitat:* Adverte ex D. Auguſtino, quod non ait Apoſtolus; Nupta *ſollicita eſt ea quæ ſunt mundi, ut ſancta non ſit;* ſed his verbis denotat tantum ſanctitatem conjugalem (ratione majoris ſollicitudinis) minorem eſſe viduali ſanctitate. *Certe minor eſt ea conjugalis ſanctitas, ex ea parte curarum, quâ mundana cogitatur voluptas.* In nupta autem muliere, duplex eſt viro placendi ſollicitudo. Una bona & laudabilis: alia mala & culpabilis. Tunc laudabiliter viro placere ſtudet, dum ſeſe ei gratam per bonos mores & virtutes exhibet: tunc vero culpabiliter ei placere nititur, cum fucum, luxum, blanditias carnis, & Veneris tantum irritamenta curat. Sunt namque plures mariti, qui *quod in meretricibus ſolet quæri, hoc in conjugibus optant.* Non primam, ſed ſecundam ſollicitudinem damnat Apoſtolus, cum *de forma & cultu placere, carnalis concupiſcentiæ ingenium ſit.* De hac placendi viro ſollicitudine innupta liberata, cogitat quæ Domini ſunt. Per innuptam, etiam viduam intelligit Apoſtolus, quam ex ſocietate cum virgine honorare curavit. *Neque enim inhonoras debuimus præterire viduas quas Apoſtolica ſententia cum virginibus copulavit: juxta quod ſcriptum eſt: Et mulier innupta & virgo cogitat quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu.* Quomodo autem vidua placere debeat Deo, declarat Paulus. *Quæ vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die.* Hæc ſunt officia pietatis veræ viduæ. quæ 1. bonis operibus vacat; 2. Deum laudibus prædicat: 3. orationibus inſtat, & ſuis deprecationibus Deum exorat.

Tert. l. 1. ad Ux. 3 — L. de Bon. Vid. 19 — Imperf. hom. 1. in Matth. — Tert. l. de Exh. caſt. 9 — D. Ambr. l. de Vid. — 1. Timoth. 5.

1. *Per continentiam negotiaberis magnam ſubſtantiam ſanctitatis.* Gratiæ ſanctificantis augmentum eſt ſubſtantia ſanctitatis, quæ bonis negotiatur operibus. Hac negotiatione difficilè ditatur nupta: tum quia matrimonio juncta cum viro ſceleroſo, tali conſortio ſæpe depravatur: nam ſi *bonos corrumpunt mores confabulationes malæ: quanto magis & convictus & individuus uſus?* Tum quia licet quam ab educatione parentum didicit virtutem, in

Tert. l. de Exh. Caſt. 10 — Tert. l. 2. ad Ux. 3.

in domo mariti conſervet, maritus tamen vel criminoſus, vel maxime hæreti-
cus, non ſinit illam pietatis vacare operibus. Qua conſideratione utebatur
Tert. ut Chriſtianas fœminas à conjugio cum infidelibus avocaret. *Domino* Lib. 2. ad
certe non poteſt pro diſciplina ſatisfacere, habens in latere diaboli ſervum, procu- Ux 4.
ratorem domini ſui ad impedienda fidelium ſtudia & officia: ut ſi ſtatio facienda
eſt, maritus de die condicat ad balneas: ſi jejunia obſervanda ſunt, maritus eadem
die convivium exerceat: ſi procedendum erit, numquam magis familia occupatio
obveniat. Quis autem ſinat conjugem ſuam viſitandorum fratrum gratia, vicatim
aliena & quidem pauperiora quæque tuguria circuire? Quis nocturnis convoca-
tionibus ſi ita oportuerit, à latere ſuo adimi libenter ferat? quis denique ſolemni-
bus Paſchæ obnoctantem ſecurus ſuſtinebit? quis ad convivium illud dominicum,
quod infamant, ſine ſua ſuſpicione dimittet? quis in carcerem ad oſculanda vincu-
la martyris reptare patietur? Iam vero alicui fratrum ad oſculum convenire,
aquam ſanctorum pedibus offerre, de cibo, de poculo invadere, deſiderare, in mente
habere? Si peregre frater adveniat, quod in aliena domo hoſpitium? ſi cui largien-
dum erit horreum, proma præcluſa ſunt. Fusè enumerat Tertullianus officia
pietatis, quibus ſua tempeſtate incumbebant fœminæ Chriſtianæ, & à qui-
bus impediebantur mulieres viris infidelibus uxoratæ. Eadem hodie patiun-
tur virtutis obſtacula fœminæ cum hæreticis conjunctæ: Hæc pietatis impe-
dimenta non ſuſtinent veræ viduæ, quæ per continentiam magnam ſubſtan-
tiam ſanctitatis negotiantur, tum quia earum virtus ab alieno viro non peri-
clitatur: tum quia ſunt ſui juris & expeditæ ut bonis operibus vacent. Nam
liberè æger viſitatur, indigens ſuſtentatur, eleemoſyna ſine tormento, ſacrificia Tert. l. 2.
ſine ſcrupulo, quotidiana diligentia ſine impedimento. Diligentiam nuncupat ad Ux. 8.
quam in Apologetico dixit, *diligentiſſimam religioſitatem*; hoc eſt, ſedulam &
ſollicitam diſciplinæ ſeu religionis obſervantiam. Addit; *Non furtiva ſignatio,*
non trepida gratulatio, non muta benedictio. Vidua ſiquidem palam & paten-
ter corpus ſuum ſignat; abſque ullo metu per noctem exurgit oratum, altaque
voce Deum benedicit, & laudibus prædicat.

2. *Plane benedici Deum omni loco ac tempore condecet ob debitam ſemper me-* Tert. l. de
moriam beneficiorum ejus ab omni homine. Ab hoc pietatis officio impeditur Orat. 3.
adhuc mulier infideli hæretico, vel nebuloni nupta. Nam. *quid maritus ſuus illi,* Tert. l. 2.
vel marito quid illa cantabit? Audiat ſane, audiat aliquid de ſcena, de taberna, de ad Ux. 6.
ganea: quæ Dei mentio? quæ Chriſti invocatio? ubi fomenta fidei de Scriptura-
rum interjectione? ubi Spiritus, ubi refrigerium? ubi divina benedictio? In domi-
bus ſcilicet viduarum, ubi Deus benedicitur, Deus laudatur, de Deo haben-
tur ſermones. Sanctæ etenim illæ viduæ ab inverecundis & impiis virorum
ſermonibus ſolutæ *cum Deo vivunt, cum illo ſermocinantur: illum diebus &* Tert. l. 1.
noctibus tractant. Unius exemplum prodit Tertullianus Annæ viduæ, quæ ad Ux. 4
Propheteſſæ honore donata fuit, Meſſiam prædixit, Chriſtum infantem Lib. de
agnovit, quia *templo dedita*, divinis laudibus, & orationibus indeſinenter va Mon. 8
cabat: quam ideo beatam prædicat D. Auguſtinus, *Ideo Anna univiro viduata* L. de Bon.
Viduit. 7.

L. 3. Reg. 17 *beatior fuit, quia & Propheтiſſa Chriſti eſſe meruit.* Non ſine myſterio Elias à Deo ad jejunam viduam mittitur, cujus miſſionem cum miſſione Gabrielis ad Virginem comparat D. Ambroſius. Lib. de Vid. *Quid vero illud, quod temporibus iis quibus fames omne genus urgebat humanum, Elias ad viduam deſtinatus eſt? Et vide quemadmodum propria ſingulis gratia reſervetur. Angelus ad Virginem, Propheta ad Viduam. Adde quod Gabriel ille, hic Elias, ut ex Angelorum & Prophetarum numero præſtantiſſimi principes videantur electi.* Bene quod Angelus mittitur ad Virginem, ob puritatis ſimilitudinem, & quòd princeps Angelus mittitur ad Mariam, ad Deiparæ gloriam ſublimandam. At cur Propheta ad viduam mittitur? Quia ſcilicet *propria ſingulis gratia reſervatur*: & ſicut virginitas Angelis cognata eſt, quia virgines ſunt Angeli terreſtres, ſic Prophetis eſt cognata viduitas. At cur ſpeciatim Elias ad viduam mittitur? Hujus ratio in ſimilitudine fundatur. Nam 1. Elias auſteritate vitæ commendatur, & vidua carnis concupiſcentias mortificatione & pœnitentia debellat; ideo funeſtatur, & veſte lugubri induitur, ut ſe ſæculo & deliciis mortuam demonſtret: 2. Elias erat divinæ gloriæ zelator acerrimus: vidua in captanda Dei gloria ejuſque laudibus decantandis tota incumbit. 3. Elias ſuis precibus depopulante calore & ſiccitate, cœleſtes imbres obtinuit; vidua quoque ſuis deprecationibus Dei miſericordiam exorat.

Lib. 1. ad Ux. 4. 3. De viduis ſic fatur Tertullianus: *Orationes ſuas velut dotes Domino aſſignant; ab eodem dignationem velut munera dotalia quotieſcumque deſiderant, conſequuntur.* Quare D. Auguſtinus viduam ut orationi inſtet, hortatur: Ep. 121. ad Probā. 16. *Concerta in oratione vincere hoc ſæculum; ora in ſpe, ora fideliter & amanter, ora inſtanter atque patienter, ora ſicut vidua Chriſti.* Quamvis enim cuncti Chriſtiani teneantur invigilare orationi, in Scripturis tamen diligentior cura orationis viduis invenitur injuncta. De Anna namque vidua, quæ Sanctū Sanctorum adhuc agnovit Infantem, ait Evangeliſta; Luc. 2 *Non diſcedebat de templo jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte & die.* Idem aſſeverat Apoſtolus de vera vidua, cujus verba ſuperius ſunt allata. Dominus etiam cum ſemper ad orandum nos hortaretur, viduam commemoravit. Hinc ſatis intelligi poteſt, quantum præ cæteris viduæ vacare debeant orationi, quod omnibus ad ſuſcipiendum orandi ſtudium, de viduis propoſitum eſt exhortationis ſtudium. Quas ideo ſic alloquitur D. Auguſtinus: Serm. 7. de Temp. *Quæ viduæ eſtis cuſtodite viduitatem, & in oratione & cum ſilentio expectate Dominum, qui pupillum & viduam ſuſcipit.* Hunc loquendi modum mutuatus eſt à Regio Vate, aſſeverante quod Ps. 145. Deus *pupillum & viduam ſuſcipiet*: Hoc eſt ut ex Hebræo expendit D. Hieronymus, *exaltans, erigens, confortans, fulciens, ſuſtentans, adjuvans.* Vidua Hebraicè idem eſt ac *colligata obmuteſcens*: quia viro emortuo velut colligata & vincta domi ſilet & obmuteſcit, nec valet ſe defendere & jus ſuum tueri. Græce autem vidua idem eſt ac *deſolata*: quare Juditha, ut legit Anſelmus Laudunenſis, ſic Deum deprecatur: Judith. 7. *Subveni quaſo, Domine Deus meus viduæ deſolatæ.* Plura poterat allegare Judith, ut à Deo exaudiretur, ſolius tamen viduæ

nomen

nomen proponit, quaſi nihil eſſet ab obtinendam gratiam validius: Titulus viduæ deſolatæ, & populi derelicti, multum eſt efficax ad miſerationem divinam implorandam. *Duo iſta nomina in quantum deſtituta auxilio humano, in tantum divinæ miſericordiæ expoſita, ſuſcipit tueri Pater omnium.* (Tert. l. 1. ad Ux. 8) Probe ſciens Joab quam ſit potens viduæ, & viduæ deſolatæ deprecatio, non quæſivit aulicos ac amicos Regis, ut ipſum ſuper Abſalon demulceret, ſed accerſivit mulierem Thucuitem, cui dixit, *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri*; (L. 2. Reg. 14) quam miſit ad David ut pro Abſalon deprecaretur, quæ veniens ad Regem dixit ei: *Heu mulier vidua ego ſum.* Vocat ſe viduam, inquit Abulenſis, ut ſignificet ſe (Quæſt. 10.) eſſe perſonam miſerabilem; & moveatur facilius Rex ad miſerandum: ſiquidem nihil adeo valet cor ad miſericordiam & benignitatem flectere, quam viduæ lachrymæ ante oculos poſitæ. Ut enim ait D. Chryſoſtomus, *non parva vis lachrymarum viduæ eſt, ſed ipſum cœlum poſſunt aperire.* (Hom. 69. in Joan.) Ob hanc cauſam Job non tantum lachrymas aut ſupplicationes viduarum, ſed etiam nutus earum exaudiebat, quaſi ad pietatem & religionem pertineat eas confeſtim exaudire: *Si oculos viduæ expectare feci.* (Cap. 31.) Hebræa lectio habet, *Oculum viduæ non cōſumpſi*; ſcilicet differendo quod poſtulabat, Septuaginta legunt, *Viduæ oculū non tabeſeci.* Qui viduæ orationes exaudit, ejuſque cauſam vindicat & protegit, Dei miſericordiam & benignitatem æmulatur. Deus dicitur judex, vindex, aſſertor & protector viduarum: iiſdem fere gaudet titulis, qui viduis benefacit, earum cauſas defendit, & deprecationes exaudit. *Nam de viduitatis honoribus apud Deum uno dicto ejus per Prophetam expeditum eſt: Iuſte facite viduæ & pupillo, & venite diſputemus, dicit Dominus. Vide quam ex æquo habetur, qui viduæ benefecerit. Quanti eſt vidua ipſa, cujus aſſertor cum Domino diſputabit?* (Tert. l. 1. ad Ux. 8) Aſſertor idem eſt ac protector, patronus, vindex, qui in libertatem vindicat.

CONCIO QUARTA.

QUærit acute Tertullianus: An *virgines Eccleſiam, an Eccleſia virgines ornat, ſive commendat.* (Lib. de vel. Virg. 14) Utrumque veriſſimum eſt, Virgines Eccleſiam ornant; nam ſi Eccleſia eſt patrum pulchris floribus decoratum; *virgo ex pulcherrimo hoc Eccleſiæ prato, velut auguſtior quidam flos videtur electa.* (D. Hier. Epiſt. ad Demetr.) Si Eccleſia eſt ovile, *virginitas eſt illuſtrior portio gregis Chriſti.* Si Eccleſia eſt pretioſus theſaurus, *virginitas eſt opulentia indeficiens, margarita ſpecioſa.* (D. Cyp. l. de habit. Virg.) Si Eccleſia eſt corpus myſticum ex variis Sanctorum ordinibus conflatum, virginitas eſt *Sanctorum corona.* (D. Athan.) Si Eccleſia eſt regina virtutibus ornata, virginitas eſt *virtutum princeps*, quaſi in reliquas virtutes gerat principatum. (Hildeb. Tur. Ep. 15) Tandem ſi Eccleſia eſt cœlum ſideribus fulgens, S. Iſidorus Peluſiota Soli comparat virgines, Lunæ continentes, & ſtellis conjuges honorabile connubium ſervantes. (L. 3. Ep. 351) Cœlum Sole, Luna & ſtellis illuſtratur: Eccleſia conjugibus, viduis & virginibus

 fulget;

fulget; Alia eſt lux Solis, alia Lunæ, alia ſtellarum: alia eſt caſtitas conjugum, alia continentium, alia virginum. *Id bonum, ſanctificationem dico, in ſpecies diſtribuo complures. Prima ſpecies, eſt virginitas à nativitate. Secunda, virginitas à ſecunda nativitate; id eſt à lavacro, quæ aut in matrimonio purificat ex compacto, aut in viduitate perſeverat ex arbitrio. Tertius gradus ſupereſt, monogamia, cum poſt matrimonium unum interceptum exinde ſexui renunciamus. Prima virginitas fœlicitatis eſt, non noſſe in totum à quo poſtea optabis liberari, ſecunda, virtutis eſt, contemnere cujus vim optime noris. Reliqua ſpecies hactenus nubendi poſt matrimonium morte disjunctum, præter virtutis, etiam modeſtiæ laus eſt. Modeſtiæ eſt enim ablatum non deſiderare, & ablatum à Domino Deo, ſine cujus voluntate nec folium de arbore delabitur, nec paſſer aſſu unius ad terram cadit.* Commendatur continentia tum conjugalis, tum vidualis, *ſalva plenioris ſanctitatis prælatione.* Nam, ut bene animadvertit Hildebertus; *minus ſibi providet quisquis gratia virginitatis aliud anteponit.* Quantumvis conjugium modeſtiâ glorietur, quantumvis viduitas virtute conſtet, virginitas adhuc magis ſplendet. Eccleſia ornatur quidem conjugum modeſtia & caſtitate, continentia viduarum, ſed abſque ulla comparatione, majus accipit decus *de ſummo illo immaculatæ virginitatis gradu.*

Tert. l. de Exh. Caſt. 1. — Tert. l. 5. adv. Marc. 15. — Tert. l. de Exh. caſt. 9

Verùm, ſi virgines ornant Eccleſiam, Eccleſia quoque virgines commendat: In Eccleſia quæ eſt vel triumphans in cœlo, vel militans in terra, ſunt Angeli & homines, quorum Chriſtus eſt caput; virgines autem, 1. ab hominibus, 2. ab Angelis, 3. à Chriſto commendantur. Inter homines qui Eccleſiæ illuſtrant corpus, non minorem occupant locum Patres, qui uno ore virginitatem commendant. Apud Tertullianum habetur *virginis principalis ſanctitas.* D. Cyprianus qui ſe Tertulliani diſcipulum profitebatur, virginitatem nuncupat *decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis.* D. Athanaſius plura de virginitate elogia conglomerat: *O virginitas corona immarceſſibilis, templum Dei, domicilium Spiritus ſancti, gaudium Prophetarum, gloriatio Apoſtolorum, Angelorum vita.* D. Auguſtinus virginum gloriam præclari nominis famæ & dignitati præponit. *Si magnum atque præclarum eſt volumina temporum, nominis dignitate ſervare: quanto eſt majus atque præclarius, cordis & corporis integritate tranſcendere?* D. Hieronymus vult divinationem ſeu Prophetiam fuiſſe à Deo Sibyllis conceſſam tanquam virginitatis ſtipendium. *Quid referam Sibyllas Erithtræam atque Cumanam, & octo reliquas, quarum inſigne virginitas eſt, & virginitatis præmium divinatio?* Et licet clamitet Iſaias, (Quis adjuvit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?) ex D. tamen Hier. *recte conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas.* Nec mirum ſi Doctores Catholici, & Patres Eccleſiæ tot encomiis prædicet virgines, quæ apud Gentiles etiam fuerunt honoratæ: *Novimus virgines veſtæ & Iunonis apud Achaiæ oppidum, Apollinis apud Epheſios, & Minervæ quibuſdam in locis.* Virginibus dumtaxat demandata erat cura ignis inextinguibilis, quæ ideo multis privilegiis gaudebāt, & magno habebantur in honore apud Romanos. *Roma quidem, quæ ignis illius inextin-*

Lib. de Exh. caſt. 9 — Ep 179. ad Probam. — L. 1. cont. Jov. — Iſaias c. 40 — Tert. l. de Exh. Caſt. 11 — Tert. l. 1. ad Ux 6.

inextinguibilis imaginem tractant, auſpicia pœnæ ſuæ cum ipſo dracone curantes, de virginitate cenſentur.

Quanta ſit virginitatis gloria, demonſtrârunt multoties Angeli protegentes virgines ad lupanar ductas, ne ab Ethnicis in illo publico lupanari contaminarentur, ut conſtat ex Agnete, Agatha, aliiſque pluribus, quas alloquitur D. Ambroſius: *Neque mirum ſi pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis: Meretur eorum præſidium virginitas, quorum vitam imitatur.* Lib. 1. de Virgin.

Angelus etiam D. Adhelmo varios caſtitatis gradus elucidat, non ut ex diſcrimine quod inter illos intervenit, conjugium devenuſtet, ſed ut virginitatem ex hac comparatione magis commendet: *Virginitas aurum, caſtitas argentum, jugalitas æramentum. Virginitas ſol, caſtitas lucerna, jugalitas tenebræ. Virginitas regina, caſtitas domina, jugalitas ancilla.* Lib. 1. de Virgin. Vide ex relatione Angeli quantum interſit inter virginitatem, continentiam vidualem, & conjugium. Tantum ſcilicet quantum inter aurum & alia metalla, quantum inter ſolem & lucernam, quantum inter reginam & ſubditas. Nimirum virginitas aurum eſt quod cunctis metallis antiſtat, ſol eſt qui luce cunctas præcedit ſtellas, regina eſt quæ omnes ſibi ſubditas fœminas multum dignitate antecedit: *O quanta virginitatis dignitas, gravitatis corona!* Baſil. Sel. Or. 8 Virginitati competit corona: per coronam autem regia denotatur dignitas. Hanc dignitatem agnoſcit in Proculo Tertullianus, qui virginitatem uſque ad finem ſervavit: *Proculus noſter virginis ſenectæ dignitas.* Lib. adv. Valent. 5

Virgineę adhuc dignitatis encomiaſtes fuit ipſemet Chriſtus, *quam omnibus modis inſinuârat, imprimis ſuo exemplo, tum de ceteris argumentis.* Tert. l. de Mon. 8 Suo exemplo virginitatem commendavit: *Perfectior Adam, id eſt, Chriſtus, eo quoque nomine perfectior, quia integrior, volenti tibi ſpado occurrit in carne.* Tert. l. de Mon. 5 Quantum ſibi ſit grata virginitas oſtendit adhuc Chriſtus, *cùm puerorum dicit eſſe regnum cælorum; cùm in revelatione gloriæ ſuæ de tot Sanctis & Prophetis Heliam ſpadonem ſecum mavult. Non enim aliud fuit Helias, quàm Joannes, qui in virtute & ſpiritu venit Heliæ*, Tert. l. de Mon. 8 cùm à Joanne baptizari voluit. *Quis enim corpus Domini dignius initiaret, quàm ejuſmodi caro, qualis & concepit illud & peperit?* Tert. cùm humanari noluit niſi in utero Virginis: *Et Chriſtum quidem Virgo enixa eſt.* Tert. Tot elogia præmiſi ad virginum laudem, quarũ gloria his tribus adhuc conſummatur: nam 1. Angelis adęquantur. 2. Chriſto deſponſantur. 3. Trinitati aſſimilantur.

Magna ſanè Angelorum dignitas, qui in ordine naturæ ſupra cunctas creaturas obtinent principatum, & ad divinam propius accedunt majeſtatem: *Angelos poſt Deum novimus.* Tert. l. de Reſur. 5 Nam licèt Deo ſint inferiores, aliis tamen à Deo exiſtunt ſuperiores. At tanta eſt virginum gloria ut de nobilitate cum Angelis decertent: nam 1. Angelis aſſociantur. 2. Angelis adæquantur. 3. Angelis etiam majores demonſtrantur.

I. *Virginitas de bonis carnis Deo adoletur.* Tres ſunt creaturarum ordines: aliæ purè ſpirituales, ut Angeli; aliæ purè materiales, ut belluæ; aliæ mixtæ, partim materiales, partim ſpirituales, ut homines; qui ſunt ſpirituales ratione I. PARS. Tert. l. de Reſ. 8

animæ, per quam conveniunt cum Angelis; & materiales ratione corporis, per quod conveniunt cum beſtiis. Ideoque, ut benè animadvertit Clemens Alexandrinus, homo quandiu in ſeculo vivit, *eſt in confinio naturæ mortalis & immortalis.* Siquidem beſtialem, vel angelicam poteſt ducere vitam. Tunc beſtialem ducit vitam, quando beſtiales corporis ſequitur motus: *Omnis caro quando flagitioſis illecebris hujus mundi, ac tenebris feralibus agitur, profectò pecuina eſt.* Tunc autem angelicam ducit vitam, cùm corporis paſſiones domat, carnis renunciat illecebris, & piâ æmulatione immortalem Angelorum imitatur vitam. At inter omnes virtutes virginitas præſertim angelicam puritatem æmulatur. Quare nuncupatur à Climaco: *corporis mortalis atque corruptibilis, mirabilis ad incorpoream ſpiritualem q; ſubſtantiam contentio.* Virginalis caſtitas carnis corruptionem ac mortalitatem ſenſim delueſcens, piâ contentione incorpoream ſpiritualemque ſubſtantiam æmulatur: tantâ in mortali corpore nitet puritate, ut etiam ex hac vita futuram ambiat immortalitatem; Chriſtianis ſcilicet *translatis in angelicam qualitatem & ſubſtantiam.* Quare Baſilius Magnus docet virginitatem eſſe ſemen futuræ incorruptionis: imò virgines futuram illam in cœlo cum Angelis ſimilitudinem hîc prævenire & inchoare, ejuſque perfectionem in cœlis donandam, in terra degentes ſua puritate promereri. Quod probè ſciens S. Ephrem Sirus caſtitatis encomium ſic prædicat: *O caſtitas quæ paſſiones minuis, & animam à perturbationibus liberas! O caſtitas angelicæ vitæ ratio!* Puritas, incorruptio, & immortalitas eſt angelicæ vitæ ratio, angelicam vitam æmulatur virgo, carnis paſſiones minuens, animum à perturbationibus eximens, in corpore corruptibili incorruptionem ambiens. Et fortaſſe ob hanc cauſam à Tertulliano dicitur *Virgo tertium genus monſtruoſum aliquod.* Virgo non eſt Angelus: Angelus namque merè eſt ſpiritualis & immortalis, virgo autem conſtat corpore, eſtque mortalis. Virgo non eſt homo, quia homo paſſionibus agitatur, & carnis patitur illecebras: at *virginitas eſt pax carnis, naturæ oblivio*; &, ut ait D. Cyprianus apud Euſebium: *funus humanæ ſubſtantiæ.* Dicitur virginitas *pax carnis*, quaſi virginem efficiat carnis exlegem, & ab inordinatis concupiſcentiæ liberet motibus. *Naturæ oblivio*, quia virgo eſt quaſi exul humanæ naturæ, & carnis infirmitatem velut deſerit. *Funus humanæ ſubſtantiæ*; ac ſi virginitas ſit mors concupiſcentiæ, vivas hominis peragat exequias, & in ſtatum futuræ immortalitatis transferat: *Virginitas enim vitam noſtram de corruptione ad ſanctitatis gloriam colligit.* Miram illam virginitatis vim conſiderans D. Cyrillus Alexandrinus, præ admiratione exclamat: *O virtus magnetica virginitatis, ad ſe trahens naturam!* Grandis virginitatis virtus, qua velut evertitur natura. Homines naturaliter ad delicias propendent, concupiſcentia eos ad Veneris attrahit voluptates: at arcana virginitatis vis, angelicam æmulans puritatem; ut magnes attrahit ferrum, ſic naturam à concupiſcentiæ illiciis & blandimentis avocat, & ad puritatis ſtudium potentiſſimè trahit.

L. 1. Stro. 7.

S. Zeno l. de Res.

Grad. 4

Tert. l. 1 ad Ux. 1

l. de Virg. 76

Opuſc. de Caſt.

L. de vel. Virg. 7

Hild. Tur. ep. 35

Ho. 22

D Baſl. de Virg.

L. 4. Apol. Mor. 8

Magnum eſt quòd Beati poſt reſurrectionem habeant *carnem in regno Dei* reſor-

reformatam & angelificatam. At ſine comparatione majus & portento perſimile, quòd in hoc mundo caro innatâ infirmitate languens, agnato fomite inſtigante, naturalibus igniculis ſemiuſtula, ſic fiat carnis expers, & à corporis paſſionibus immunis, ut in carne carnis contagia non ſentiat; ſed caſta æmulatione angelicam puritatem ambiat, & pecuniam carnem arcanâ metamorphoſi in carnem angelificatam reformet. Non eſt mirum homines in cœlo angelicam reverberare puritatem: *nam & nobis eadem tunc ſubſtantia angelica repromiſſa.* At omni admiratione eſt digniſſimum, quòd homines carne corruptibili conſtantes æmulentur in terra puritatem Angelorum verſantium in cœlo. Hominis anima quàmvis ſpiritualis, & angelicæ conſors naturæ, quia tamen eſt carni immerſa carnem redolet, carnis ſapit affectus. *Adeò autem non ſola anima tranſigit vitam, ut nec cogitatus licet ſolos auferamus à collegio carnis. Siquidem in carne, & cum carne, & per carnem agitur ab anima quod agitur in corde.* Carnis vitio adeò eſt agnata anima, ſic appetitui carnis obnoxia, ut nec ſpirituales cogitatus auferre liceat à collegio carnis. Tanta tamen eſt virginitatis vis, ut animam à corporis contagio reddat immunem, ipſamque carnem agnatam belluis, & belluinos redolentem motus, ſupra ſeipſam evehat, cognatam Angelis efficiat; quia *non ſecundùm carnem vivere angelicum eſt, & ſuperius naturâ.* In corpore velut ſine corpore vivere ultra humanum videtur faſtigium, ſingulare tamen virginitatis privilegium, quæ Angelorum æmulans puritatem Angelis virgines adæquat.

Tert. l. de Reſ. 26

Tert. l. 2 de cult. fœm. 2

Tert. l. de Reſ. 15

Gregor. Naz. de Virg.

2. *Similes enim erunt Angelis.* Hoc ad cunctos Beatos pertinet poſt reſurrectionem corporum, ſed ſpeciatim ad virgines ſpectat; *quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas.* Siquidem virgines potiſſimum Angelis aſſimilabuntur: 1. Angeli in cœlo vident divinitatem; & *in virginibus integritas ſolida, & tota ſanctitas de proximo viſura eſt faciem Dei.* 2. Angeli in cœlo neque nubent, neque nubentur; & *in illo ævo neque nubent, neque nubentur, ſederunt æquales Angelis.* 3. In Angelis non eſt ſexûs diverſitas, & in cœlo licèt virgines conſervent ſexum, in illis tamen nullum erit ſexûs officium: *Ubi etſi deſpolior ſexu meo, deputor Angelis; non Angelus, ſed Angela.* Somniârunt aliqui Novatores Adamum fuiſſe creatum maſculo-fœminam, hoc eſt, hermaphroditum, tam fœminam, quàm maſculum. Plato etiam cenſuit primos homines fuiſſe androgynos. Sic enormiter homines libidinoſi venereas delicias ampliare ſatagunt, & hominem maſculo-fœminam fingunt ad obſcœnæ promiſcuam concupiſcentiæ voluptatem: Chriſtiana vero Evangelii diſciplina continentiæ perfectiores præſcribens leges, adeò circumſcribit concupiſcentiam, ut dixerit D. Cyprianus: *Virginitas neutrius eſt ſexûs.* Incredibile putabitur monſtrum à luxuriæ alumnis, qui ex Veneris ſacrario promiſcuam depromunt & adorant pruriginem; verum cœleſte à fidelibus cenſebitur virginalis pudicitiæ privilegium. Nam, ut ait bellè ad propoſitum D. Hieronymus: *Sexus devoratur à virgine, jam poſſidet quod futura eſt.* Virginalis puritas ſic cum ſexu naturam evacuat, & ethicè devorat, ut hominem non neutrius ſexûs

Tert. l. de Reſ. 36

Chryſol. Serm. 143

Tertull. l. 2 ad Ux. 8

Tert. l. de Mon. 10

Tert. l. adv. Valent. 32

In Simpl.

L. de bon. Pud 32

Ep. 190

ſexûs inveniat, ſed faciat, & fauſto auſpicio jam prælibare aut poſſidere incipiat, quod æternum futura eſt. 4. In cœlo Angeli nullum corporale ſumunt alimentum, & virginibus *eſui & potui locus non erit.* 5. Angeli ſunt incorruptibiles, & virgines tranſituræ ſunt *in ſtatum angelicum per indumentum illud incorruptibilitatis.* 6. Angeli ſunt immortales, virgines etiam *erunt tanquam Angeli, ſi non nubendo, quia nec moriendo, utique nec ulli ſimili neceſſitati ſuccidendo corporalis conditionis.* Animadvertit autem Tertullianus quòd Chriſtus Dominus non dixit: *Erunt Angeli, ne homines negaret; ſed tanquam Angeli, ut homines conſervaret. Non abſtulit ſubſtantiam, cui ſimilitudinem attribuit.* Matthæus & Lucas non eodem modo referunt verba Salvatoris de virginibus differentis. Apud Matthæum Chriſtus vult virgines ſimiles Angelis pro futuro, in cœlo ſcilicet, quando poſt reſurrectionem perfectâ & adæquatâ corporis & animæ potientur felicitate: & apud Lucam Dominus tribuit virginibus æqualitatem cum Angelis etiam de præſenti: *Aequales enim Angelis ſunt,* non dixit *erunt,* ſed *ſunt.* Nunc virgines in terra degentes ſunt ſicut Angeli Dei in cœlo, quo nihil illuſtrius ad virginum gloriam dici poteſt. *Sic æternum ſibi bonum, donum Domini occupaverunt, ac jam in terris non nubendo de familia angelica deputantur.* Sunt namque Angeli terreſtres, ſicut Angeli ſunt virgines cœleſtes. Ex D. Hieronymo ſtatim ac Filius Dei humanatus eſt, & de Virgine natus, angelicam inſtituit familiam virginum: *ut qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet Angelos in terris.* Hieronymo aſſentitur Auguſtinus, virgines ſic alloquens: *Mementote in quocunque ſexu ſitis, ſive mares, ſive fœminæ, Angelorum vitam ducere vos in terra: Angeli enim non nubunt, neque uxores ducunt: hoc erimus cùm reſurrexerimus. Quantò vos meliores, qui id quod erunt homines poſt reſurrectionem, hoc vos incipitis eſſe ante mortem?* Virgines de familia angelica deputantur, cœleſtem Angelorum ſtatum in terris poſſident, & velut evacuato mortis ſenſu reſurrectionis glorias felici auſpicio prælibant. Quod illis eloquenti ſtylo D. declarat Cyprianus: *Quod futuri ſumus, jam vos eſſe cœpiſtis: vos reſurrectionis gloriam in iſto ſeculo jam tenetis, per ſeculum ſine ſeculi contagione tranſitis, cùm caſtæ perſeveratis & virgines, Angelis Dei eſtis æquales.* Nam virginitatem colentes, & in corpore corporis integritatem ſervantes, ante mortem quaſi glorioſo reſurrectionis fruuntur ſtipendio, cœleſtem vitam in terræ exilio feliciter auſpicantur, & velut humanam dediſcunt naturam, & tranſeunt in angelicam. Virginitas ſiquidem *Angelos facit, & qui eam ſervat Angelus eſt.* Quare nuncupatur à D. Cyrillo Hieroſolymitano, *Angelica corona:* & quaſi parum ſit virgines æmulari Angelos, Angelis adæquari, ſuperiores adhuc Angelis demonſtrantur.

Tert. l. de Reſ. 60 · Tert. l. de Reſ. 32 · Tert. l. de Reſ. 62 · Cap. 22 · Cap. 20 · Tert. lib. 1 ad Ux. 4 · Ep. 22 · Serm. 46 de Verb. Dom. · L. 2 de Diſcip. & Hab. Virg. · D. Ambr. l. 1. de Virg. · Catech. 12 · Tert. l. 1. ad Ux. 8

3. *Quædam enim ſunt divinæ liberalitatis, quædam noſtræ operationis. Quæ à Domino indulgentur, ſuâ gratiâ gubernantur; quæ ab homine captantur, ſtudio perpetrantur.* Hoc diſcrimen apparet in Angelis & virginibus. Angelis ſiquidem Deus ſimul cum natura contulit puritatem: cùm enim ſint expertes carnis, puritas eſt illis connaturalis, ut ſint incapaces libidinis: virgines verò carnem

carnem geſtantes concupiſcentiæ æſtu ſuſſlammatam, ad Veneris voluptates
pronæ ſunt, neque puritatem ſervare poſſunt niſi dediſcendo naturam. Quare
virginitas nuncupatur à Joanne Climaco, *exceſſiva naturæ abdicatio.* Eo- Grad. 4
dem modo ratiocinandum eſt de puritate virginum & Angelorum, ac de
continentia viduarum & virginum: *Poterit virgo felicior haberi, at vidua* Tert l. 1 ad Ux. 8
laborioſior. In illa gratia, in iſta virtus coronatur. Quo argumento utitur
Chryſologus, ut demonſtret puritatem virgineam angelicæ puritati antiſtare,
Poſtquàm enim hoc ſtabilivit fundamentum: *In carne præter carnem vive-* Serm. 148
re, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis; hoc poſito fundamento duplici ratione
probat Chryſologus virginalem puritatem eſſe angelicâ digniorem, illique
præferendam. Quia 1. *angelicam gloriam acquirere majus eſt, quàm habere.*
Angeli autem habent ex ſua natura puritatem, virgines verò non habent ex
ſua natura puritatem, ſed illam cum ſtudio & labore acquirunt, quod majus
eſt atque excellentius. Magnum eſt diſcrimen inter opus naturæ & gratiæ.
Quod Angeli habeant puritatem, opus eſt naturæ; quòd virgines polleant pu-
ritate, eſt opus gratiæ & virtutis. 2. *Eſſe Angelum, felicitatis eſt; virgi-*
nem eſſe, virtutis: virtus autem felicitati longè præferenda; illa enim ſine meri-
tis, hæc verò nonniſi meritis obtinetur: *Glorioſior continentia quæ jus ſuum ſen-* Tert l. 1
tit. Adde 3. quòd pro acquirenda & conſervanda puritate præliatus non eſt ad Ux. 8
Angelus, virgo verò indeſinenter pugnat. Quare *virginitas æquat ſe Angelis,* D Cypr.
imò excedit in carne luctata. Hanc luctam, quæ virgines Angelis ſuperiores l de bon.
oſtentat, eloquenter refert Chryſologus: *Homo è terrena vilitate concretus, dum* Pud.
terrenam labem vincit, dum ſanguinis ſtimulos frangit, dum carnis exuperat Serm. 120
paſſiones, meritis ſupergreditur Angelos. Nec mirum, cùm 4. pro puritate ni-
hil patiantur Angeli, virgines verò pro ſervanda caſtitate continuum ſuſti-
neant tormentum: *Non ideò laudabilis virginitas, quia in Martyribus reperitur:* D. Ambr.
ſed quia ipſa Martyres facit. Virgo ſecum perenne patitur martyrium, in quo l. 5. de
natura eſt tyrannus, concupiſcentia carnifex, voluptas tormentum. Quod ſi Virg.
ſervata virginitas longum eſt martyrium, & ſi virgo vivus eſt martyr, nonne
angelicæ puritati antiſtat virginis puritas, quæ 5. ſemetipſam velut holo-
cauſtum mactat divinæ majeſtati? Ad ſacrificium tria neceſſaria ſunt. 1. ho-
ſtia mactanda. 2. altare, ſupra quod immolanda eſt victima. 3. Sacerdos, qui
hoſtiam Deo offerat. Hæc omnia in virgine reperiuntur. 1. Victima, quam
ideò D. Ambroſius vocitat *pudoris hoſtiam, victimam caſtitatis.* In lege Mo- Lib. 1 de
ſaica ſacrificium immortali Deo oblaturi quærebant vel fruges, vel boves, vel Virg.
agnos, vel turtures, vel columbas: at virgo offert ſemetipſam pudoris hoſtiam,
neque adire debet templum ut inveniat altare. Nam 2. ipſamet eſt *altare Dei.*
Neque 3. alieno ſacerdote quam ſeipsâ indiget, quare virgines à Tertulliano D. Ign. Epiſt.
Sacerdotes pudicitiæ nuncupantur. Hoc ſacrificium caſtitatis divino honori Lib. 2. de
offert virgo; non manè, non veſpere, ſed jugiter, nocte, die, & omni horâ; in cult. fœ. 2
quo Angelo longè antiſtat, qui nec victimæ, nec altaris, neque ſacerdotis fun-
gitur munere, cùm careat carne. Nam, ut ait Bernardus: *Angelus habet* Epiſt. 113

virginitatem, non carnem : ſanè felicior, quàm fortior. In hac parte optimus & optabilis ornatus iſte, qui & Angelis poſſit eſſe invidioſus. Verùm quantumvis glorioſa appareat virginum puritas ob eminentiam, quâ poller ſupra angelicam puritatem, earum tamen gloria multum incrementatur ex deſponſatione cum Chriſto.

II. PARS. *Teneo meum Chriſtum etiam in nomine Sponſi.* Multiplici ratione nomen
Tert.l.4 adv.marc. 11 Sponſi competit Chriſto : quia 1. in Incarnatione naturam deſponſavit humanam, uniens ſibi hypoſtaticè animam & corpus : *Vtrumque in ſemetipſo*
Tert. *fœderavit : ſponſam Sponſo, & Sponſum ſponſæ comparavit.* Hujuſmodi divini-
D.Aug. in Pſ.18 tatis & humanitatis affinitas in beatiſſimæ Virginis utero inita eſt : *In Virginali utero Deus natura humanæ tanquam Sponſus ſponſa copulatus eſt.* 2. Repu-
Tert. Tert. diatâ ingratâ & infideli Judæorum Synagogâ, *Eccleſiam ſponſam Chriſtus ex vocatione Gentium acceſſit; de idololatria enim ſibi deſponſavit Eccleſiam,* quam ſuo mundavit ſanguine, ut eam tanto dignam efficeret honore. 3. Animam in baptiſmo ſibi ſponſat Chriſtus, cui largitur fidem & gratiam : *velut ornamentum ſponſæ.* Quare Chriſtus cujuslibet animæ Chriſtianæ ſanctificatæ eſt etiam *pater & genitor ſuæ ſponſæ*; quia illam in baptiſmate genuit per gratiam.
D.Aug. Verùm 4. virgines ſpeciatim *ad illas nuptias pertinent, in quibus Chriſtus eſt ſponſus.* Quot ſunt qui cordis & corporis puritatem Deo vel per votum conſecrant, vel abſque voto ex devotione toto vitæ decurſu inviolabiliter ſer-
Tert. l.de Reſ.62 vant, ſunt *tot virgines Chriſto maritatæ,* & per ſanctum illud & divinum connubium, 1. multum honoratæ. 2. opulenter dotatæ. 3. pulchrè ornatæ.

1. Mulier habet cum marito *honoris conſortium*, & quò vir eſt in majori
Tert.l.5 adv.marc. 18 dignitate conſtitutus, eò uxor ejus magis honoratur. Magnus profectò puellæ ruſticanæ honor, quando cum nobili deſponſatur ; major dum Principi
Tert.l.1 de cult. fœ.2 ſtirpis regiæ nubit ; maximus quando cum Rege init matrimonium. Inde colligenda eſt virginum gloria, quæ *magno ſcilicet nupſerant* Regi regum
L.1 adv. Marc 3 Chriſto, qui, ut fatur Tertullianus, eſt *ſummum magnum.* Uxor particeps eſt honoris ad maritum pertinentis, ob unitatem quæ inter illos intervenit: nam
D.Cypr. lib.2.de Diſcip: & Hab:Virg. vir caput eſt mulieris, & *mulier viri portio eſt* : ex D. autem Cypriano, *caput Chriſtus eſt, & vice maſculi,* tanquam virginis maritus. Hanc velut identitatem conjugalem inter Chriſtum Sponſum & ſponſas virgines modulatè
Carm de Virginit. pangit Gregorius Nazianzenus : *Salve virginitas divino tradita dono, bona maxima fundens, Chriſti pars.* Grande virginum elogium, quòd ab ipſa copula-
Tert.l. de Cor.Mil. 13 tione virginalis conjugii, *Chriſti pars* nominentur. Capitis autem & partis eadem ferè videtur ſors. Quare Sponſo illi cœleſti ejuſque ſponſis ſic fatur Cyprianus: *Sors vobis & conditio communis eſt*; opes communes, deliciæ communes, honores communes, *Coronant & nuptiæ ſponſos.* Chriſtus qui eſt Rex
Tert.l.4 adv. marc. 11 diademate coronatus, coronat virgines, & ut una ex illis fatetur apud Tertullianum : *Circumpoſuit mitram ſicut ſponſæ.* Quòd ſi Sponſus *diligit imaginem quoque ſponſæ, & ſervat illam, & honorat, & coronat* : quantò à fortiori ipſæ-
Tert.l.1. adv. marc. 18 met ſponſæ Chriſti virgines à cœleſti illo Sponſo honorabuntur, & corona-

bun-

buntur? *Gloria viri eſt mulier, virgo gloria ſibi eſt*: quia ſeparata à carnali viro nullam ab illo mutuatur gloriam. Verùm cùm ſit maritata Chriſto, à divino illo Sponſo gloriam captat, à quo maximè eſt honorata, & opulenter dotata. Tert. l. de vel. Virg. 7

2. Virgines Chriſto deſponſatæ *à Deo dignationem velut munera dotalia conſequuntur.* Uxores olim ditatas non quærebant viri, non opulenter locupletatas, ſed *paupertate dotatas* volebant, ſcilicet ut earum arrogantiam deprimerent: *Nam quantò dives aliqua eſt matrona nomine inflata*, tantò magis ſuperbit, & imperare marito exambit: quod ut impedirent viri, recuſabant emolumentum dotis, quo conjuges pauperiores, & conſequenter humiliores remanerent: imò numeroſâ pecuniâ emebant uxores *dote venales*: quaſi uxorum inopia eſſet opulentia maritorum. Chriſtus ſponſam ſibi emit; ſed longè diverſâ ratione ac homo ſeculo addictus. Vir etenim 1. emit uxorem ut eam dejiciat; Chriſtus verò ut eam ſublimet, & ad ſolium regium evehat, *ut ſpiritus in ea coronetur.* 2. Ille ut uxorem indotatam & pauperem habeat; Chriſtus ut eam opulenter dotet: nam *majori dote dotabitur de bonis ejus qui in Deo dives eſt.* 3. Ille ex uxore lenocinatur, quam ad laſciviendum *poteſtatibus ſubjicit*: Chriſtus ut virginitatem ei conſervet, & ad ſtatum angelicum attollat. Siquidem *virginalis integritas, angelica portio eſt.* 4. Ille ut uxori honorem eripiat, & infamiâ eam dedecoret: Chriſtus ut eam honeſtet, nam virginitas eſt, ut ait D. Cyrillus Alexandrinus, *ſaphirus admirabilis omnem fugans & deſtruens famam venenoſam*: ne ſiniſter ſit de impudicitia rumuſculus. 5. Ille ut uxorem ſuæ ſubdat tyrannidi; Chriſtus ut eam perfectâ donet libertate, & Dei filiam efficiat; etenim *dedit nobis filios Dei fieri poteſtatem.* 6. Ille uxorem retinet in dejectione, in ærumna, & in paupertate: Chriſtus verò bonum ei honeſtum, jucundum, & utile confert. Honorabile, nam virginitas eſt *lata indoles laudis & honoris.* Jucundum, cùm adeò felix uxor *gaudeat de jam pretioſo dono Chriſti.* Pretioſum, etenim *ejus dote nihil utilius, in qua ſufficientiam comitatur æternitas.* Quod ita certum apparet Tertulliano, ut de eo dubitari nullatenus velit; *Dubitandum & inquirendum, & identidem deliberandum eſt, an ſit invectis dotalibus cui Deus cenſum ſuum tradidit.* Per hujuſmodi cenſum intelligunt nonnulli corpus Chriſti animâ beatâ informatum, divino Verbo perſonaliter unitum, in Euchariſtiæ Sacramento ſub ſpecie panis ſponſæ traditum, quomodo Tertullianum interpretantur: *Corpus ejus in pane cenſetur.* Alii cenſum illum, quem ſacer Sponſus ſponſæ dedit, non alium volunt quàm ſanguinem; ſiquidem *Chriſtus moriens dedit ſanguinem ſuum pro ea*: ut opulenter dotet ſponſam. In quo ab aliis conjugibus multum diſcriminatur, nam *quis offert tanta ſponſæ ſuæ, quanta Chriſtus? offerant homines qualibet ornamenta terrarum, aurum, argentum, lapides pretioſos, equos, mancipia, fundos, prædia: nunquid aliqui offerunt ſanguinem ſuum? ſi enim ſanguinem ſuum ſponſæ dederit, non erit qui ducat uxorem.*

Tert. l. 1 ad Ux. 4 — Tert. l. de Exh. Caſt. 11 — Tert. l. 2 ad Ux. 8 — Tert. l. de Pat. 14 — Tert. l. 1. de cult. fœ. 2 — Tert. l. 2. ad Ux. 8 — Tert. l. de Pat. 14 — D. Aug. l. de vel. Virg. 13 — Lib. 4. Apol. Mor. 8 — D. Aug. l. de vel. virg. 55 — D. Cypr. l. de Hab. Virg. — D. Aug. Ser. 7. de Temp. — Hildeb. ep. 33. — L. 2. ad Ux 8 — L. de orat. 6. — D. Aug. — D. Aug. Serm. 8. in Joan.

Verùm ad quid Chriſtus ſponſam tam carò emit? ad quid pro ea ſanguinem fudit? 1. Ut ex magnitudine pretii, quantus ſit ejus amor, dignoſceretur.

Tert. l de Pud. 18 tur. *Hæc enim conſultata ſunt Chriſti ſponſam diligentis.* 2. Ut eam à vilitate,
Tertull. quam à ſuis parentibus acceperat, eximeret, ut ſit *exinde ſine probro vilitatis ut*
ſponſa. D. Auguſtinus ut ſponſa Chriſti duplicem dotem conſiderat: & do-
tem quam Sponſo attulit, & dotem quam à Sponſo accepit. Attulit Sponſo
dotem, quam à ſuis parentibus acceperat, nempe vilitatem, ſordes, oppro-
Serm. 8 brium. Ab immunda illa & vili dote exemit ſponſam Dominus: *Quid enim*
de Verb. *ſponſo tuo contuliſti? quid in dotem à priore patre accepiſti? nonne pannos pec-*
Dom. *catorum? Abjecit pannos tuos miſertus eſt ut ornaret, ornavit ut amaret.* Do-
Tert. l. de tem quam ſponſæ dedit Chriſtus, eſt gratia, ſanctitas, quæ *vel dotis nomine ſe-*
Reſ. 63 *quitur animam* mundatam. Etenim 3. ut ſponſam mundaret & ſanctificaret
Tert. l. de Pud. 18 Chriſtus, *ſe pro ea tradidit, ut ſit ſancta & ſine opprobrio.* 4. Ut venuſtè eam
ornaret, *ut ſiſtat ſibi ſponſam glorioſam.* Tertulliano aſſentitur D. Auguſtinus
adjiciens: *Ut pulchram faceret, fœdam amavit; pro fœda ſanguinem fudit, at*
pulchram reddidit. Habes igitur virginem Chriſto deſponſatam, multum ho-
noratam, opulenter dotatam, & venuſtè ornatam.

Tert. l. de 3. Etenim ſponſa *non erit deſtituta ut nuda ſuſcipiatur à ſponſo: habet orna-*
Reſ. 63 *mentum, habet cultum ſuum:* quem ſcilicet ab amore & liberalitate ſponſi ac-
Tert. l. 4. cepit. De quo ipſamet gloriatur: *Induit me indumentum ſalutaris, & tunicam*
adv. Marc. 11 *jucunditatis ſicut ſponſo.* Quàm ſit pretioſum, & quàm jucundum ſponſæ
Tert. l. de indumentum, ex eo patet, quòd ſit *centenariis roſis, utriſque liliis, etiam gemmis*
Cor. mil. contextum. Tria ſunt quibus ornatur & decoratur ſponſa Chriſti. 1. *Cente-*
14 *nariis roſis:* à centenis foliis ſic dictis. Roſa eſt florum pyropus, hortorum pur-
pura, odorum ſapphirus, Aprilis oculus, veris phœnix, naturæ pompa: roſa
eſt ſignum virginitatis, quæ eſt inter caſtitatis gradus, quod roſa eſt inter flo-
res: roſa ſpectaculi & ſpiraculi res eſt, quia oculos colore, & nares odore de-
lectat. Sponſa Chriſti cœleſtis puritatis fragrat odorem. Quare Sponſus eam
ſibi de Libano quæſivit. Libanus autem denotat altitudinem, candorem, &
Tert. l. 4. odorem: *Veni ſponſa de Libano; eleganter Libani utique montis mentione injectâ,*
adv. Marc. *qui thuris vocabulum eſt apud Græcos:* & rubeo pudoris colore intuentium
11 oculos delectat. Nam *virgineus roſeo cernitur ore pudor.* Fingunt Veteres ro-
ſam ſanguine Daphnes finxiſſe purpuratam: Pudor roſeus ornans genas ſpon-
ſæ, purpuratus fuit à ſanguine Chriſti: *Sanguis ejus ornavit genas meas.* Sic lo-
Ser. 1. de quitur B. Agnes. Sponſa Chriſti ornatur 2. liliis. Ut enim ait D. Auguſtinus:
Aſſumpt. *Poteſt lilii nomine unaquaque virgo ſignificari. Iſte namque flos altius aquâ, ortus*
ex tellure ſuſtollitur, & reportandus ad æthera totus aperitur: à foris quoque ni-
mis candidus, intùs verò rutilo flammeſcit aſpectu, habens præterea quaſi perma-
nentem in medio floſculum. Sic nimirum virginitas tota à viſu ab infimis aſcen-
dens, ad ea quæ ſuperna ſunt, ambit: candeſcit exteriùs munditiâ virgineæ carnis,
flammeſcit interiùs amore geminæ charitatis, fragrat paſſim odore bonæ opinio-
nis, & tollitur ad ſublimia intentione continuâ cordis. Nec mirum ſi D. Auguſti-
nus aptat virgini proprietates lilii, cùm Dominus ipſe ad denotandum pre-
tioſum ſponſæ ornamentum, lilia maximis encomiis prædicet, adeòque ſub-
limer,

limet, ut eorum comparatione omnis Salomonis vileſcat apparatus. (Virginitas quæ Angelis comparatur per lilia tam ſæpe in Scripturis ſacris præfiguratur; ut ideo dixerit Dominus, quod nec Salomon in omni gloria ſua coopertus ſit, ſicut unum ex iſtis.) *Propter quod velim, nos conſiderare, virginitas quam præclara ſit, quæ tantis ac talibus attollitur præconiis.* Lilia in tantum faſtigium gloriæ creſcunt, ut ſapientiſſimi Regis apparatus magnificus, illis cenſeatur inferior. Ratio præexcelſæ liliorum eminentiæ eſt; quia in liliis virginitatis denotatur candor, cujus ſplendor ita fulget, ut omnis aliorum ornatus, minor appareat, quia ipſius etiam Chriſti virginitatem adumbrant, & puritatem ſponſæ & magnam quam habet cum Sponſo ſimilitudinem, ſignificant: *Ego lilium convallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Tandem 3. ſponſæ ornatus gemmis ſplendeſcit: Nam, ut ait Cyrillus Alexandrinus; *Virginitas eſt puritas clariſſima gemma:* at inter omnes gemmas, puritas virginalis præſertim cum margarita componitur. Margaritæ *dos omnis eſt in candore*: At unde ille candor? Ab influxu purioris roris. *Si purus ros influxerit, candor conſpicitur.* ex Richardo à ſancto Laur. *ros cœli virginitas.* Hujus cœleſtis margaritæ dos omnis eſt in candore. Hic autem candor à puriori gratiæ cœleſtis rore dimanat: *Nonne ros dulciſſimus cœli, virginitate vernante, in margaritam gemmaſcit?* Hæc ſunt Cyrilli Alexandrini verba, qui poſt multa virginitatis encomia, concludit: *Ut roſa igitur fragrans, & lilium rutilans, & margarita gemmaſcens, ſancta virginitas.* In roſa denotatur veſtium ſponſæ fragrantia, in lilio candor & pulchritudo; in margarita valor & pretium. Hæc tria ſimul complexus eſt Oſee Propheta, qui ſponſam ſic loquentem prodit: *Ero quaſi ros, Iſrael germinabit ſicut lilium*: Lectio Siriaca habet: *Ero quaſi ros Iſraeli.* Arabicus autem pro lilio roſam ponit: *Germinabit autem ut roſa:* ſponſa eſt ros: ibi cauſa ſumitur pro effectu; ſcilicet ros pro pretioſa margarita quæ ex rore formatur. Eſt lilium pulchritudine florens; roſa ſuaviſſimum odorem ſpargens. Verum quantumvis ex liliis, roſis & gemmis ſit contextus ſponſæ ornatus; Chriſtus eſt *tota gloria* ſponſæ, à tanto ſponſo gloriæ mutuatur conſummationem. Facies eſt venuſtior pars corporis: *Fœminæ facies Chriſtus Ieſus*, & virginis ſibi ſponſatæ major pulchritudo & pretioſius ornamentum. Si Phocionis uxor maritum vocitabat *ſuas opes, ſuum mundum, ſuum theſaurum*, quanto à fortiori virgo Chriſto maritata, divinum illum ſponſum debet nuncupare ſuas divitias, ſuam pulchritudinem, ſuam gloriam?

Paſch. l. 1. in Pſ. 44 — Cant. 2 — Lib. 4. Apol. — Mor. 8. — Plin. l. 9 c. 35 — Cyril. Alex. — Cap. 14 — Clē. Alex. — Tert. l. de Cor. mil. 14 — Plutar.

Tandem: *Unde ſufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii?* 1. ex D. enim Auguſtino, *nuptiarum bona ſunt fides, proles & ſacramentum*: hujuſmodi autem bona non deſunt matrimonio inter Chriſtum & virgines inito. *Sub hoc Sponſo fœcunditatē non impedit integritas. Beata cujus pudor dum concipit non deperditur; dum generat non laborat: ejus prole nihil vivacius, cum qua nulla propagatur mortalitas.* 2. In conjugibus eſt carnis affinitas, cordis unitas, bonorum ſocietas: quos ideo D. Paulinus alloquitur: *Quod alteri veſtrum datur, utriuſque veſtrum eſt, quia in utroque veſtrum una ratio manet, &*

Tert. l. 2. ad Ux. 8. — L. de bon. conjug. — Hildeb. Epiſt. 33. — Epiſt. 11.

ſexum evacuat fides. Illa autem carnis affinitas, cordis unitas, & bonorum ſocietas inter Chriſtum ejuſque ſponſas repetitur. Nam *quibus ſit cum Chriſto quoddam virginitatis participium, quoddam eſt in præmio conſortium.* 3. Gloria & corona viri mulier: Virgines quoque Chriſto ſponſatæ, *candore pudicitiæ Sponſo ſerta componunt, & coronam ſpineam mutant in gloriam triumphantis,* In illis namque Sponſus triumphat de dæmonis aſtutiis, mundi blanditiis, carnis ſtimulis, & concupiſcentiæ illecebris. 4. *Sanctificatur infidelis uxor à fideli marito,* & hoc ut expendit S. Anſelmus, *quaſi ſanctitatis aſpergine:* Virgines autem à Chriſto ſanctitatis auctore, & puritatis fonte, magnum gratiæ & perfectionis mutuantur incrementum. *Beatiſſimus Sponſus, cui niſi cohæreat nulla virgo eſt; nulla caſta, niſi eum diligat: nulla libera niſi ei ſerviat,* 5. Uxor nullum affectum proprium debet habere, ſed ejus voluntas velut echo fideliſſima mariti voluntati & nutui reſpondeat oportet. Nam ut ait D. Paulinus, marito de uxore loquens; *Ad te habens converſionem ſuam, de tuo nutu pendet, & de tuo ſtatu ſiſtitur in veſtigiis tuis ambulat, in anima tua animatur; pro vita tua deficit, & in vita tua reficitur.* Ad illam voluntatis conformitatem virgines Chriſti ſponſas hortatur Tertullianus: *Nupſiſti Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam; illi ſponſaſti maturitatem tuam; incede ſecundum Sponſi voluntatem.* 6. Mulier ſponſum probe diligens, in illum per amorem transformatur, & velut ejus vita vivit, ad inſtar Apoſtoli in quo vivebat Chriſtus; *Vivo ego, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Mihi vita Chriſtus eſt.* Hiſce verbis tantum non clamat Apoſtolus, nullam in ſe affectionem humanam vivere, non faſtum, non voluptatem, non delicias carnis, non ſæculi pompam: *ſed his omnibus abraſis, ſolus, inquit, ille mihi ſupereſt, qui eſt ipſa ſanctificatio, & puritas, & immortalitas, qui paſcitur inter lilia:* Lilia denotant virgines, in quibus vivit Chriſtus qui eſt ipſamet puritas, 7. Mulier ſtudioſi viri tenetur ambire ſimilitudinem: nam *ut ſpeculum auro, gemmiſque ornatum, utilitatem nullam affert; niſi ſimilem ſpeciem referat; ſic opulenta uxoris nullus fructus eſt, ni vitam moreſque præſtet, cum vita & moribus viri congruentes & conſentaneos.* Ad hanc Chriſti imitationem & æmulationem virgines allicit Apoſtolus; *Æmulor vos Dei æmulatione.* 8. Mulier *nupta ſollicita eſt quomodo conjugi ſuo placeat.* Hoc exemplum ſtimulat virgines ſponſas Chriſti, ut omni cura placere illi ſtudeant: præſertim autem Chriſto placebunt puritate, charitate & humilitate: 1. Puritate. *Caro docetur ſanctitatem, qua & in Chriſto ſit ſancta.* 2. Charitate, *Ad hoc utique arrham dat Sponſus, ut in arrha ſua ipſe ametur.* 3. Humilitate. Nam *decet, ut quanto caſtior virgo, tanto ſit humilior; ſit magiſtra humilitatis, in qua eſt profeſſio caſtitatis.* Quapropter Chriſtus ſeſe lilium convallium nominat; id eſt ut expendit Juſtus Orgelitanus; *Ego decus mundi ex virginitate humilium.* In Lilio tria ſunt, quæ puritatem, charitatem & humilitatem virginum denotant. Nimirum, candeſcens color, grana velut aurea, & flores qui verſus terram propendent: 1. Candor ſignificat puritatem: 2. grana aurea charitatem: 3. figura florum qui verſus terram inclinantur, humilitatem. Verum ut ſapienter animadvertit Rupertus;

Hildeb. — D. Hier. Epiſt. 190. — Tert. l. 2. ad Ux. 2 — In 1. Cor. 7 — Hildeb. — Epiſt. 29 — Lib. de vel. Virg. 16 — Gal. 2 — Greg. Nyſ. Hom. 15. in Cant. — Plutarch. in præcl. connub. — 2. Cor. 11. — Tert. l. de Mon. 3. — Tertull. — D. Aug. Tract. 2. in Epiſt. Joan. — D. Ambr. l. 2 in Luc. — In c. 2. cãt.

Rupertus; *Altioris autem honoris & gratiæ eſt ſacra virginitas, quam pia com- mendat humilitatis venuſtas.* Siquidem & Angelis adæquantur virgines, & Chriſto ſponſantur, & divinæ Trinitati aſſimilantur. Lib. 2. in Joan.

Voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra. Vult enim imaginem ſuam nos etiam ſi- militudinem fieri, ut ſimus ſancti, ſicut ipſe ſanctus eſt. Sumit ibi ſanctitatem Tertullianus pro caſtitate, quam in tres ſpecies diſtinguit. De prima autem ſpecie ſic fatur: *Prima virginitas fælicitas eſt*; quem locum corrumpunt Neo- terici falſo referentes, *Prima virginitas, prima fœlicitas*: ut inde virginitatem in divinitate conſtituant: verùm licet hoc non dicat Tertullianus, agnoſcit ta- men *fœlicitatem caſtitatis*; quia ſcilicet virginitas *homines divinos efficit.* Ideo nuncupatur à S. Zenone *divina virginitas*: quia divinitatem quæ prima eſt virginitas imitatur. Imo Trinitati aſſimilatur, quæ, ut canit Gregòrius Na zianzenus, virginitate floret. *Prima trias virgo eſt.* In divinitate tres ſunt per- ſonæ: Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: Patri attribuitur incorrupta fœcundi- tas: Filio nativa puritas: Spiritui ſancto incontaminata ſanctitas. Virgines autem aſſimilantùr Trinitati divinæ: 1. Patri, in incorrupta fœcunditate: 2. Filio, in nativa puritate: 3. Spiritui ſancto, in incontaminata ſanctitate.

III. PARS Lib. de Exh. Caſt. c. I L. I. adv. Marc. 29. S. Ephr. Sir. Op. de Caſt. Ser. 2. de Cont. Carm. de Virg.

1. Deus in ſacris paginis incorruptus nominatur: immò ipſamet incorru- ptio, ut ſumma ejus puritas denotetur: Æternus pater incorruptus eſt & pri- ma divinæ Trinitatis virgo. Puram & incorruptam æterni Patris fœcundita- tem imitantur virgines. Nec dicas: *Sed & virginem parere natura non pati- tur*: nam quod operatur in æterno Patre natura, hoc idem præſtat in virgini- bus gratia, ut ex Deipara, Eccleſia, religionis fundatricibus, & virginibus con- ſtat. 1. Mariæ fœcunditatem cum æterni Patris fœcunditate confert Tertull. *Sicut nondum natus ex Virgine, Patrem Deum habere potuit ſine homine matre: atque cùm de Virgine naſceretur, potuit matrem habere hominem ſine homine pa- tre.* Æternus Pater virgo eſt, quia Filium ab æterno generat ſine matre; Maria eſt mater & virgo, quia Filium in tempore genuit ſine homine patre. *Si eſſet aliquid virginitate melius, Dei filius hoc magis potuerat Matri ſuæ præſtare, cui præſtiterat ut divinæ virginitatis polleret honore*: Mariana puritas divina virgi- nitas nuncupatur, ob ſimilitudinem: divino autem nihil melius poteſt præ- ſtari: 2. Eccleſia eſt virgo & mater: & quidem *ſine ruga vetuſtatis ut virgo.* Adde ex D. Ambroſio, quod Eccleſia *virgo eſt caſtitate, mater eſt prole.* Ad matrem autem pertinet ubera præbere proli: unde filiis ſuis, nempe Chri- ſtianis *mater Eccleſia de uberibus ſuis ſubminiſtrat.* 3. Virgo Religionis funda trix & mater, eſt virgo: *Non parit virgines ſacras niſi virgo ſacra: ex illa tota virgine corpore & ſpiritu naſcuntur ſanctæ virgines, & corpore & ſpiritu.* De qualibet Religionis fundatrice idipſum dici poteſt, quod de Apoſtolo Ter- tullianus: Erat Paulus *parturiens illos, donec formaretur Chriſtus in ipſis, & ca- lefaciens tanquam nutrix parvulos ſuos.* Eodem modo ſtatus religioſi Funda- trices generatas filias lactant & nutriunt; *atque in illis largiter flores Eccleſiæ matris*

Tert. lib. adv. Jud. 9 Tert. l. de Car. Chr. 17 S. Zenon. Ser. 2. de Contin. Tert. l. de Pud. 18. Tert. l. ad Mart. 1. D. Aug. l. de Virg. 12 Lib. de Mon. 14.

D. Cypr. *matris glorioſa fœcunditas.* Arca in qua Noe cum ſua familia ab aquis diluvii
de Habit. liberatus fuit, vocitatur à Petro Damiano navis, *nova mundi ſecundi ſemina*
Virg. *ferens.* Sancta Scholaſtica, Clara, Catharina, Urſula, Thereſia, aliæque quæ
peculiares fundarunt Ordines, ſunt naves nova mundi ſemina ferentes. Ha-
rum quælibet tanta eſt fœcundata prole, ut in illa benedictio Abrahæ facta
Gen. 22 fulgeat: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.* 4. Tandem cunctæ vir-
gines Chriſto ſponſatæ fœcundæ ſunt: quas idcirco ſic alloquitur D. Augu-
Ser. 60. de ſtinus: *Nec propterea vos ſteriles deputetis, quia virgines permanetis: nam &*
Diverſ. c. *ipſa pia integritas carnis ad fœcunditatem pertinet mentis.* Adeo eſt fœcunda
1. virginitas, ut à Chryſologo virtutum copula nominetur: *Integritas cœleſte*
Serm. 146 *conſortium: virginitas juncta Chriſto, copula eſt virtutum.*

Æternus Pater trina fœcunditate pollet; mentis ſcilicet, cordis & vocis.
1. Fœcunditate mentis, ſe ſolo, Filium dictione generat: 2. Fœcunditate cor-
dis, ſimul cum Filio Spiritum ſanctum ſpirat: 3. Fœcunditate vocis; cum Fi-
Tert. l. de lio & Spiritu, ad extra creata cuncta produxit, *omnia ſermone Dei facta ſunt.*
Reſ. 5 In trina illa fœcunditate æterno Patri aſſimilantur virgines: 1. In fœcundita-
D. Aug. te mentis, dum de Deo cogitant: *Agite quod ait Apoſtolus: quoniam non cogita-*
Ser. 60. de *tis ea quæ ſunt mundi, quomodo placeatis maritis veſtris: cogitate quæ Dei ſunt,*
Diverſ. *quomodo illi in omnibus placeatis, ut non uterum fœtibus, ſed animum fœcundum*
poſſitis habere virtutibus. 2. In fœcunditate cordis, tum quia à timore Domini
concipiunt, & parturiunt ſpiritum ſalutis: tum quia Deum credunt, in Deum
Tert. l. 13 ſperant, & Deum ardenter amant. Ex D. autem Auguſtino, *virginitas mentis*
in Joan. *eſt integra fides, ſolida ſpes, ſincera charitas.* 3. In fœcunditate vocis: nam *par-*
D. Ambr. l. de Virg. *vus virginis fœtus labiorum.* Trinam hanc virginum fœcunditatem ſimul com-
Epiſt. 179. plectitur & extollit D. Auguſtinus: *Hæc eſt uberior fœcundiorque fœlicitas, non*
ad Probã. *ventre graveſcere, ſed mente grandeſcere: non lacteſcere pectore ſed corde can-*
deſcere: non viſceribus terram, ſed cœlum orationibus parturire, ipſum Deum in
mente generare quem in carne Deipara generavit. Inde exclamat D. Auguſti-
Serm. 24. nus: *Beata virginitas, quæ illum intra ſe geſtat in mente, quem Maria portavit in*
de Nat. *ventre:* Sic enim incorruptæ æterni Patris fœcunditati aſſimilatur, & nati-
vam Filii puritatem imitatur.

Tertull. 2. *Hunc ex Deo prolatum dedicimus, & prolatione generatum, & idcir-*
Apol. 21. *co Filium Dei, & lumen de lumine accenſum.* In Dei Filio tria conſideran-
da ſunt: 1. Generatio: 2. puritas: 3. ſplendor: 1. Generatio per quam
diſtinguitur ab Spiritu ſancto qui non eſt generatus, ſed ſpiratus: 2. Puri-
tas: idcirco nuncupatur à ſancto Leone *virginitatis filius*; & à Deo Maxi-
Serm. 1. mo dicitur *virginalis puer.* 3. Splendor, quare ab Apoſtolo vocitatur
Epiph. *ſplendor gloriæ*; & à Sapiente nuncupatur *candor lucis æternæ.* Belle vir-
Hom. 5. ginitas appellatur à D. Cypriano *opus integrum & incorruptum*: quia per
Lib. de Hab. Virg eam virgines nativitati, puritati & ſplendori Verbi divini aſſimilantur:
2. Verbum divinum eſt Filius Dei, quia generatur à Patre: Virgines
etiam

etiam renatæ *ex aqua,& pudicitia* divina filiatione gaudet. Tantum honoris titulum conſiderandum virgini proponit S.Hieron.ut illam ad virginitatis cuſtodiam ſtimulet: *In originem tuam reſpice,genus intuere,gloriam nobilitatis adverte,ac non hominis tantùm eſſe, ſed Dei filiam, & divinæ nativitatis nobilitate decoratā.Ita te exhibe,ut in te cœleſtis nativitas appareat, & tua divina ingenuitas clareſcat.* 2.Dei Filius eſt virginalis puer. Filias etiam ætate grandævas vult *repueraſcere* Tertull.ſcilicet per virginitatem: quomodo homines,qui uſque ad ſenectam virginitatem ſervâtunt, ab Afro dicuntur *ſenes pueri.* Bina eſt Verbi divini nativitas,Una æterna in ſinu Patris, alia temporanea in ſinu matris. *Cujus ventris futurus eſt fructus, caro Chriſti quæ ex utero floruit.* Ubique eſt virginitatis filius.Ut autem ait S.Ambr. *Virginitas à cœlo accerſivit, quod imitaretur in terris: Hæc nubes, aëra, ſidera, Angelosque tranſcendens,Verbum Dei in ipſo ſinu Patris invenit.* Bellè invenit virginitas, & è cœlo quodammodo accerſitum in terras deduxit, ut Verbum quod in ſinu Patris erat virgo,eſſet & virgo in ſinu matris,& ab illo virgines ad inſtar divini Verbi,eſſent in terris velut Deus, non naturâ, ſed imitatione puritatis. Quas ideò ad puritatis amorem accendit S.Leo: *Diligite caſtimoniæ puritatem,quia Chriſtus virginitatis eſt filius.* 3. Dei Filius dicitur ſplendor gloriæ, quia in eo paterna gloria rutilat; candor lucis, ut æternæ generationis puritas per lucem denotetur; lux etenim dimanat à Sole planeta puriſſimo, & dimanat adhuc modo mundiſſimo,& ab omni immunditia, & corruptionis umbra defæcato. Dei autem Filius à Patre, ut *radius à Sole porrigitur.* Verbi ſplendorem reverberat virgo. *Cœleſte hîc aliquid in corpore humano refulget.* Quare lucis claritatem cum virginitate Sapiens conjungit: *O quàm puchra eſt caſta generatio cum claritate!* Virginitas eſt ſplendor hominis caſti. *Virginitas ſplendor* Hoc ſplendore virgo refulget, in qua, ut ſuprà retuli ex Tertull.*gratiâ coronatur*; quaſi virginitas ſit gratiæ corona. Gratia eſt præclarum animæ decus, ornamentum illuſtre; virginitas autem juſtitiæ ſplendor,ſanctitatis nitor, gratior etenim eſt in virgine gratia, ſanctitas ſanctior.Nec mirum cùm ſanctitas ſit propria Spiritui S. cui reſpondet virginitas.

[Margin: Ep 14 | Lib adv. Val 2 | Apol.10. l. 1.de Virg. | Tert.apo. 21. | S.Hier.ep. 14. | Sap.4' | Greg.Na. orat.30 | l. 1. ad ux. 4.]

3. Spiritus S. agnoſcitur: ſanctitas propria natura eſt ejus. Sanctitas, charitas,& humilitas ſpeciatim ad Spiritum S.reſpiciunt. 1. Sanctitas, tum quia ut aliorſum dictum fuit, eſt *Genitoris Genitique Sanctitas Spiritusque,* tum quia juſtis largitur ſanctitatem.2.Charitas,quia eſt Amor perſonalis,& terminus voluntatis fœcundæ Patris, & Filii. 3. Humilitas, non quòd in ſe ſit capax humilitatis,cùm ſit Deus infinitus & independens; ſed quia per humiles requieſcit. Virginibus competunt ſanctitas, charitas, & humilitas. 1. Sanctitas: idcircò ex S.Cypriano virgo eſt *Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Dei.* Sanctitas eſt participatio divinæ naturæ. Hanc participationem virginitati tribuit S.Hieronymus: *Grandia nobis, & pretioſa virginitatis promiſſa donavit,ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* 2. Charitas competit

[Margin: Tert. l.de mon.3 | S.Ambr. in ſymb. Apoſt. c.1 | l. de hab. virg. | l 1 contr. Jovin.]

S.Ephr. Sir. Anſel. de Virg.8. S.Aug. l. de bon. conj. 14 S.Fulg. ep.30. perit virginibus: ideò virginitas appellatur *mater charitatis*, & adhuc dicitur *adminiculum*, *& ſubſidium charitatis*; per charitatem virgines Chriſto ſponſo reddunt amoris vicem. *Si nuptias contempſiſtis filiorum hominum, toto corde amate ſpecioſum formâ præ filiis hominum: inſpicite pulchritudinem amatoris veſtri, cogitate æqualem Patri.* 3. Tandem humilitas neceſſaria eſt virgini, tum ut ſit templum Spiritûs S. tum ut Chriſti ſponſa eſſe mereatur. *Ut integritate permaneat dicata Deo virginitas, ſicut cuſtoditur integritas corporis; ita multò magis cuſtodienda eſt humilitas cordis.* Cujus hanc ſubminiſtrat rationē. Quia quæ virgo eſt, *virgo eſt Chriſti, quæ non poteſt Chriſto niſi humilitate conjungi.* Debet namque aliqua eſſe ſimilitudo inter ſponſam, & ſponſum. Sponſus eſt humilis, ut ſponſa ſit humilis eſt neceſſe. Adeò eſt virgini conſentanea humilitas, & contraria ſuperbia, & vanitas, ut verè dixerit S. Aug. In pſ 99. *Melius eſt humile conjugium, quàm ſuperba virginitas.* Cæteris paribus virginitas antiſtat matrimonio. S.Aug. in pſ.73. *Melior eſt virgo humilis, quàm maritata humilis: ſed melior maritata humilis, quàm virgo ſuperba.* Ut ergo virgo ſit Spiritûs S. habitaculum, & Sponſo Chriſto placeat, humiliet ſe ad inſtar Deiparæ, de qua S. Bern. Hom. 1. ſup. Miſſ. *Ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.*

CONCIO QUINTA.

Tert. l.1. ad ux. 7. *Sacerdotium cælibatium eſt: apud nationes* ut liberiùs ſuo miniſterio vacent Sacerdotes, cœlibes ſunt; Nam conjuges domeſticis curis implicati, non ſunt ſatis ad divinum cultum expediti, & quia Deus puriſſimus eſt, etiam in S. Aug. ſer. 246. de temp. ſuis miniſtris deſiderat puritatem. *Omnibus caſtitas perneceſſaria eſt, ſed maximè miniſtris Chriſti altaris; tales enim decet Dominum habere miniſtros, qui nulla contagione corrumpantur.* Miniſtri Dei vivi majori pollere debent caſtitate, Tert. l. de exh. caſt. 11. quàm ſacerdotes diaboli: *Novimus & continentes viros, & quidem tauri illius Ægyptij antiſtites.* Si Sacerdotes diabolo mancipati continentiam ſervârunt, quantò magis Sacerdotes vero Deo dicati tenentur cuſtodire pudicitiam quam debent ſacerdotio, Spiritui S. & Chriſto? 1. Sacerdotio, ob ſummum quo pollent miniſterium. 2. Spiritui S. cujus debent ſervare & ornare templum. 3. Chriſto, ob venerandum Euchariſtiæ Sacramentum.

I. PARS. l. de exh. caſt. 11. *Sacerdotem de virginitate ſancitum* cenſet meritò Tertul. Cum etenim debeat quædam eſſe convenientia & proportio inter ſupremum Numen, & miniſtrum illi ſacratum, Deum mundiſſimum decet impollutus miniſter. Exod 29 Quod innuit ipſemet Deus Sacerdotes alloquens: *Vos eſtis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Gens ſancta, id eſt, ut explicat Oleaſter, *ſeparata à pollutionibus.* Nam apud Hebræos idem eſt ſanctum, ac ab immunditiis ſeparatum. Deus autem ſuos Sacerdotes ab omni immunditia ſeparatos, & Tert. l.4. cont. Marc. 35. mundiſſimos exoptat. Quapropter *Chriſtus authenticus Pontifex Dei Patris*, prædicatur ab Apoſtolo *impollutus, & ſegregatus à peccatoribus.* Lucas etiam Evan-

Evangeliſta, ut acutè animadvertit S. Ambroſ. inter Chriſti prædeceſſores non recenſet Bethſabeam adulterio turpatam, ne ab illius dedecore Salvatoris ſacerdotium quodammodo contaminaretur. Matthæus inclitam Chriſti texens genealogiam, non prætermiſit Thamarem inceſtu infamem, Ruth meretricatu notam, Berſabeam adulterio propudioſam: Lucas verò alium ſucceſſionum ordinem tenuit: neque enim Thamarem, neque Ruth, neque Berſabeam nominandas putavit, *ut immaculatam ſacerdotalis generis ſeriem declararet.* Ratio hujus diverſitatis eſt, quia Matthæus humanam Chriſti recenſet genealogiam, quam dedecorare non exiſtimavit nomine Thamar, Ruth, & Berſabee; Lucas verò Chriſti retulit ſacerdotium, quod eſt puriſſimum, à peccatoribus omninò ſeparatum, ideò ſceleroſas illas non retulit mulieres, ne ejus immaculata puritas etiam à vitæ maculatæ memoria quodammodo contaminaretur. Alii etiam Sacerdotes, divino cultui deſtinati, debent eſſe immaculati; ut ſua puritate, 1. Deum glorificent, 2. ſuum miniſterium honorificent, 3. proximum ædificent. S. Ambr. l. 3. in Luc.

1. Chriſtianos hortatur Apoſtolus, ut in corpore ſuo Deum magnificent. *Magnificetur Deus in corpore veſtro.* Modum autem, quo in ſuo corpore Deum magnificant Chriſtiani, ſtatim declarat Tertull. *Magnificatur autem in corpore per pudicitiam.* Quod ſi cuncti generatim fideles tenentur honorare & magnificare Deum per pudicitiam: quantò à fortiori Sacerdotes, qui ſpecialiter divino cultui ſacrati ſunt? Idcircò bellè nuncupantur à Tertull. *Sacerdotes pudicitiæ.* Sacerdos duplicem importat reſpectum. Unum ad Deum, cui dicatus eſt: alium ad ſacrificium, quod ſoli Deo offerre poteſt, & ſub duplici illa ratione eſt pudicitiæ Sacerdos. 1. Ut purè Deo puriſſimo ſerviat; nam *incorruptio facit proximum eſſe Deo.* 2. Ut dignè ſacrificium mundum offerat. A Deo ſiquidem *munditia ſacrificiorum* deſiderantur. Munditia, vel immunditia ſacrificiorum ex duplici parte deſumi poteſt. Et ex parte victimæ quæ offertur, & ex parte Sacerdotis qui victimam offert. Sacrificia à Sacerdotibus ethnicis oblata, ex duplici hoc capite immunda erant: quod Romanis exprobrat Tertull. *Ut mirer, cur hoſtiæ probantur penes vos à vitioſiſſimis Sacerdotibus: cur præcordia potius victimarum, quàm ipſorum ſacrificantium examinantur.* Sacrificium verò quod offerunt in lege gratiæ Sacerdotes, mundiſſimum ſemper eſt ex parte hoſtiæ oblatæ, quæ eſt ipſemet Chriſtus, in quantum Deus, & in quantum homo puriſſimus: interdùm verò eſt mundum, aliquando immundum ex parte Sacerdotis: Tunc eſt mundum, quando Sacerdos animo, & corpore purus eſt; ſanctitate, & continentia pollet, quæ eſt *ſoror Angelorum, victoria libidinum, ſchola virtutum.* Tunc verò ſacrificium immundum eſt ex parte Sacerdotis, quando Sacerdos eſt crimonoſus, libidine vel anima, vel corpore pollutus. Probroſum ejus crimen vocitatur à Tertulliano *ſacrilegium pudicitiæ.* Tum quia corpus ſuum pudicitiæ in Baptiſmo dicatum commaculat, tum quia pudicitiæ votum in ſuſcipiendo ſacerdotali ordine factum violat; tum quia ſua fœditate ſacroſanctum myſterium prophanat, tum quia

Tert. l. 2. de cult. fœm. 1.

lib. 2. de cult. fœ. 2.

Sap. 6

Tert. l. 3. adv. 22.

Apol. 30

Laur. Juſtin. l. de cont. 2.

l. de pud. 20.

Tert.l.3. Deum debito ſibi honore fruſtrat. Prophetaverat Vates Regius, *fratres*
adv. *Chriſti filios ſcilicet Dei gloriam Patri Deo relaturos*, & Sacerdos impudicus
Marc.22. nomine fratris Chriſti, & titulo filii Dei indignus, tantum abeſt, ut Deum
Tert.l.de ſuâ pudicitiâ glorificet, quinimò ſuis impudicitiis *dedecoravit Deum, & ejecit*
pud. 13. *eum de corpore ſuo*. Gloriæ ſuæ cauſa Deus molitus eſt orbem, & Religionē
Tert.l.3. Chriſtianam, in qua nomini ſuo *offertur ſacrificium mundum gloriæ*, quia ſci-
ad Marc. licet in eo glorificatur Deus. Illud autem mundum gloriæ ſacrificium eſt
22. Euchariſtia, quæ vocitatur à S. Ignatio martyre *Dei gloria*, & à S. Cypriano
Ep.61. *honor Eccleſiæ* nominatur. Perſæpè hujuſmodi Eccleſiæ honor dehoneſtatur, Dei gloria probro afficitur per immundos miniſtros. Nam ut obplorat
l.2 ad Tertull. *Mundiores erunt Regum & Principum comites, quàm ſummi Dei* Laſci-
Nat.7. vioſus Sacerdos criminoſus eſt erga Deum, erga Chriſtum, erga Eccleſiam. Erga Deum, cui gloriam ſuam eripit: erga Chriſtum, cujus corpus & ſan-
S. Cypr. guinem polluit: erga Eccleſiam, quam dedecore afficit. *Puto nec majeſtati divinæ, nec evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur.* Sunt tamen hac tempeſtate perpauci laſcivien-
Apol.30 tes Sacerdotes, in quos hæc tela vibrat Tertull. *Cæterum ſi adjiciam, quæ non minus conſcientiæ omnium recognoſcent; in templis adulteria componi; inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerumq; Æditurum, & Sacerdotum tabernaculis, ſub iiſdem vittis, & apicibus, & purpuris, thure flagrante, libidinem expungi.* Longè multò plures ſunt Sacerdotes caſtitate fulgentes; qui Deum glorificant,
S.Cyp.l. Chriſtum honorant, Eccleſiam decorant. Eſt enim *caſtitas pronuba ſanctita-*
de ſing. *tis, munimen invictum ſanctimoniæ, acquiſitio meritorum, ubertas gloriarum.* Be-
cler. nè dicitur ubertas gloriarum, quia Sacerdotes pudici per caſtitatem Deum glorificant, & miniſterium ſuum honorant.

Tert.l.de 2. Tædioſum foret recenſere cuncta *ſacerdotalia inſignia, officia, & privi-*
idol.18. *legia.* Tres tantùm afferam honoris titulos, quibus ornantur Sacerdotes. In ſacris ſiquidem Paginis dicuntur Angeli, Chriſti, & Dii. 1. Angeli, quomodo Apoſtolum intelligit Doct. Angelicus, volentem mulieres templa ingre-
1.Cor.11 di velatas: *Propter Angelos, id eſt propter Sacerdotes*; qui alioſum Angeli no-
Gal.1. minantur à Paulo dicente: *Si Angelus de cœlo evangelizaverit vobis.* Et benè de cœlo ad diſtinctionem Sacerdotum, qui ſunt Angeli in terra degentes. Quod acutè adnotavit S. Chryſoſt. *Non temerè dixit Angelos de cœlo, quoniam Sacerdotes quoq; dicti ſunt Angeli: ne quis exiſtimaret de his Angelis nunc verba fieri, addiâ particulâ de cœlo, ſupernas virtutes indicavit.* 2. Sacerdotes appellantur Chriſti, à Regio Vate, vel potiùs ab ipſomet Deo per Prophetam loquente: *Nolite tangere Chriſtos meos.* 1. Cuncti Chriſtiani quodammodo vo-
Tert.l.4. cari poſſunt Chriſti, quia *nomen Chriſtianorum à Chriſto deductum*. Siquidē
ad Marc. Chriſtus idem ſonat ac unctus: *Chriſtianus verò, quantum interpretatio eſt, de*
14. *unctione deducitur.* 2. Per Chriſtos, de quibus per Prophetam loquitur Deus,
Apol.3 intelligendi ſunt Reges, qui præ cæteris ſacra unctione inaugurantur. Inde contra Judæos argumentatur Tertullianus, qui Chriſtum fruſtrà venturum

tum ſperant. *Si enim adhuc non venit, cùm venire cæperit, unde ungetur? Lex e-* L. adv.
nim præcepit in captivitate non licere unctionem chriſmatis regalis confici. Si au- Jud. 11
tem jam nec unctio eſt illis, ut Daniel prophetavit: dixit enim, Exterminabitur un-
ctio; ergo jam non eſt illis unctio, quia nec templum ubi erat cornu de quo Reges un-
gebantur. Si ergo non eſt unctio unde ungetur dux qui naſcetur ex Bethlehem? Et
melius ad propoſitum præfatum Prophetæ locum de Sacerdotibus intelli- Opuſc. 6.
git Cardinalis Petrus Damianus. *Chriſti reperiuntur Sacerdotes, propter acce-* c. 10.
pti miniſterii ſacramentum. Quod, ſcilicet quomodo Sacerdotes Chriſti di-
cantur, profunde elucidat Tertullianus in ſacerdotum perſona loquens:
Perunguimur benedicta unctione de priſtina diſciplina, quia ungui oleo de cornu in L. de Bapt.
ſacerdotium ſolebant, ex quo Aaron à Moyſe unctus eſt, unde Chriſtus dicitur à 7
chriſmate, quod eſt unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta ſpiritualis,
quia Spiritu unctus eſt à Deo Patre ſicut in Actis: Collecti ſunt enim vere in iſta
civitate adverſus ſanctum Filium tuum, quem unxiſti: Sic & in nobis carnaliter
currit unctio, ſed ſpiritaliter proficit. Licèt enim ab Epiſcopis in corpore un-
gantur qui fiunt ſacerdotes, in anima tamen ſpiritaliter unguntur: tum
quia gratiæ augmento ſunt delibuti, ni ponant obicem; tum quia indelebi-
lem recipiunt characterem, quo ſpecialiter Deo conſecrantur. Tandem 3.
Sacerdotes Dii nominantur, nam licèt ſit tantum unus Deus per eſſentiam,
qui in tribus perſonis ſubſiſtit; licèt tot ſint dii per gratiam, quot ſunt juſti
ſanctitate donati: tamen per deos de quibus loquitur Propheta: *Ego dixi*
Dii eſtis, Innocentius Papa Sacerdotes intelligit, *qui per excellentiam Ordinis,*
& officii dignitatem deorum nomine nuncupantur.

Quanto dignius eſt ſacerdotale miniſterium, tanto perfectiorem in Sa-
cerdote requirit converſationem: *Agnoſcat unusquisque ſuæ vocationis hono-* Petr. Bleſ.
rem, habet enim primatum Abel, patriarchatum Abraha, gubernationem Noe, Or- in c. 2 Job.
dinem Melchiſedech, dignitatem Aaron, authoritatem Moyſis, virtutem Samuelis,
poteſtatem Petri, unctionem Chriſti. Non ſufficit ſacerdoti tot inſigniri ho-
noris titulis, ſed illis debet bonis moribus reſpondere. *Quod ſumus profeſ-* D. Amb. E.
ſione, actione potius quàm nomine demonſtremus: ut nomen congruat actioni, de Dig.
actio reſpondeat nomini; ne ſit nomen inane, & crimen immane: ne ſit honor Sac. c. 3
ſublimis, & vita deformis: ne ſit deifica profeſſio, & illicita actio. Sacerdo-
talis dignitas honoranda eſt, & à ſæcularibus, & ab ipſis ſacerdotibus.
Quantum ſint ab aliis honorandi Sacerdotes, Mauritio Imperatori decla-
rat Gregorius Magnus: *Quid ergo mirum, ſi illos veſtra pietas dignetur hono-* L. 4. Ep. 31.
rare, quibus in ſuo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos, ipſe etiam
appellat Deus? Neque dumtaxat ab aliis, ſed etiam ab ipſis ſacerdotibus
honoranda eſt ſacerdotalis dignitas; Ut enim ait Tertullianus Sacerdo-
tem alloquens: *Si habes jus ſacerdotis in temetipſo ubi neceſſe eſt, habeas etiam* Lib. de
diſciplinam ſacerdotis ubi neceſſe ſit habere jus ſacerdotii. Non multo tempore Exh. Caſt.
ante paſſionem ſuam Chriſtus aſſumpſit Petrum & Jacobum, & Joannem, 7. Luc. 9
& aſcendit in montem. Cur corporis ſui gloriam oſtentat Dominus, mox

crucis ignominiam paſſurus? Cur non omnes ſecum ducit diſcipulos? ne abſentes, aut mœrore repulſæ, aut invidiæ livore tabeſcant? Cur Petrum, Joannem & Jacobum præ cæteris eligit? His quæſtionibus reſpondet D. Ambroſius. *Petrus aſcendit, qui claves regni cœlorum accepit, Joannes, cui committitur Mater Jacobus, qui primus ſolium ſacerdotale conſcendit*: Scilicet ut à Thaboris gloria diſcat Petrus, qualiter regere debeat Eccleſiam: Joannes, qua reverentia teneatur inſervire Deiparæ: & Jacobus quanto honore obeundum eſſet ſacerdotale munus. Ad quod exemplo Apoſtoli cuncti urgentur

Rom. 11 Sacerdotes. Sic de ſemetipſo fatur Paulus: *Miniſterium meum honorifico*. Ubi

Ep. 42 D. Bernardus. *In omnibus exemplo Apoſtoli, honorificabitis miniſterium veſtrum*. Quod tunc fit quando vita miniſterio reſpondet, & morum ſancti-

L. 2. ad Eccl. 4 tas officii demonſtrat ſanctitatem. *Cunctos qui ſacri altaris ſuggeſtu tantum excellere oportet merito, quantum gradu*. Adæquet virtus gradus ſublimitatem, & quanto major eſt eminentia honoris, tanto major ſit ſublimitas perfe-

Tert. l. de vel. Virg. 9. ctionis. *Sacerdotalis officii ſortem ſibi vendicant* Sacerdotes. Fauſta eſt ſors quando ſacerdotes digne ſuum obeunt munus. Nam & ab hominibus honorantur, & à Deo coronantur. Sors verò eſt infœlix quando per vitam ſce-

In c. 43 Ezech. leroſam, ſacerdotale miniſterium dehoneſtant. *Grandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina eorum, ſi peccant*, ait D. Hieronymus. Tanto magis ſceleroſi ſunt Sacerdotes pravi, quanto munus eorum majorem requirit bonitatem.

Caſſiod. l. 8. var. ep. 2 *Magnum ſcelus eſt crimen admittere, quos nec converſationem decet habere ſacularem*. At proh dolor! quamplures ſunt Sacerdotes ſceleroſi, qui ab aliis honorari deſiderant & ſemetipſos dedecorant: qui totum in gradu non in vita conſtituunt honorem: qui, ut animadvertit Bernardus, ſolam dignita-

L. 1 de Conſid. tem zelant, non ſanctitatem? *Vides omnem eccleſiaſticum zelum fervere ſola pro dignitate tuenda? Honori totum datur, ſanctitati nihil aut parum*. Nec attendunt quod ſanctitas dignitatem venuſtat, & ſacerdotes ſuper omnia commendat: niſi enim ſanctitate fulgeant, à Deo condemnantur, & ab hominibus

Pet. Bleſ. in c. 2. Job inhonorantur: Sane *quanto dignitate, ordine, & officio, aliis ſumus altiores, tanto in conſpectu Dei ſumus deſpectiores, ſi dignitati indigna converſatio contradicit, ſi Ordini inordinata vita obloquitur, ſi officii noſtri munditiam vitæ incontinentia impugnat*. Cuncta vitia contemptui exponunt Sacerdotes, ſed maxime impudicitia contemptibiles eos reddit, *Libido ac laſcivia ſacerdotibus dignitatem abrogat*. Sacerdotes ob miniſterii ſanctitatem & ſublimitatem, cunctis debent coruſcare virtutibus; ſed præſertim caſtitate. Idcirco bigamos à ſacris arcet Eccleſiaſtica diſciplina. Sacerdos debet pollere vel virginitate, vel ſaltem continentia, ſi fuit matrimonio conjunctus: &, ut ait Gregorius Nyſſe-

Hom. 3 in Eccl. nus *Memoriam pudoris habet pro pædagogo, ad vitam ducendam*.

Apol 2. Agnoſcit Tertullianus *cenſum nominis*, quia ſcilicet qui illuſtri aliquo donatur nomine rem per nomen ſignificatam habet, & in ſuis operibus demō-

Tertil. de Præſc. Hær. 32 ſtrat. Boni Sacerdotes *cenſus ſuos deferunt*, quia ſuis moribus cēſum nominis oſtentant. Sacerdotes nominantur Angeli, Chriſti & Dei. Tres illi honoris

tituli

tituli, ab eis expoſtulant caſtitatem, ut cenſum nominis habere dicantur. Nequeunt enim 1. Angeli vere nuncupari, niſi ſint caſtitate ornati, quam vocitat Cyrillus Hierololymitanus *Angelorum converſationem, & incorporea natura puritatem.* Neque 2. Chriſti titulo inſigniri debent, niſi caſtitas in illis fulgeat. Vicarii nomen Chriſto, Spiritui ſancto, & Sacerdoti, tribuit Tertulliã. Chriſto, nam *Chriſtus Dominus, qui ab initio vicarius Patris, in Dei nomine & auditus ſit & viſus.* Spiritui ſancto, *ſed Chriſtus vicarium praefecit Spiritum ſanctum.* Sacerdoti: nam *ſacerdos, Dei vicarius & miniſter eſt.* Hæc vicarii ratio diverſimode competit Chriſto, Spiritui ſancto, & Sacerdotibus. Chriſtus etenim ita eſt vicarius Patris, & Spiritus ſanctus vicarius Filii, ut inter illas divinas perſonas nulla ſit depẽdentia, nec dignitatis & naturæ inæqualitas, & diverſitas. Chriſtum verò *diſtare à vicariis fas eſt.* Sacerdotes namque & à Chriſto dependent, & ſunt alterius ab illo naturæ, & ab ejus perfectione infinite diſtant. Chriſtus Patris vicarius, ad procurandã Patris gloriam totus addictus eſt. Spiritus ſanctus *Chriſti vicarius* docuit Apoſtolos, & perfecit quod Chriſtus inchoarat. Chriſti verò vicarii *Sacerdotes ab hac mortalitate ſejuncti, ipsũ duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione & animo in cælo degentes, quaſi quidam cælites, pro univerſo hominum genere ſunt ſacrati.* Chriſtus Patris vicarius ſuis ſermonibus & operibus Patris majeſtatem manifeſtavit. *Secundum hæc enim vicarium ſe Patris oſtenderat, per quem Pater & videretur in factis, & audiretur in verbis, & cognoſceretur in Filio facta & verba Patris adminiſtrante:* Sacerdotes Chriſti vicarii, Chriſti virtutes tenentur repræſentare, quia, ut ait Tertullianus, ſacerdotio functus *cenſus noſter transfertur in Chriſtum.* Chriſti cenſus eſt ex puritate exiſtimatus, & à pudicitia ſacerdotiũ ſuũ accipit valorem: tunc ſacerdotes ſunt vere Chriſti vicarii, immo & Chriſti quando ſunt pudici. Pudicitia adhuc Dii demonſtrantur: *Dii erimus ſi meruerimus illi eſſe de quibus prædicavit: Ego dixi: Vos Dii eſtis.* Per caſtitatem verò merentur Sacerdotes divino nomine donari: ſiquidem *caſtitas homines divinos efficit.* Deus qui eſt ubique ratione immenſitatis, ſpecialiter reſidet in cœlo. Sacerdotiũ *profeſſio vitæ cæleſtis eſt*; quia converſatione cœlum inhabitat. Deus eſt purus & incontaminatus, quia eſt à rebus corruptibilibus ſeparatus; & *cùm ſacerdos ſit Deo dicatus, oportet ab omnibus cognationis ſuæ affectibus abdicari, poſtulat enim in eo viro perfectionem homine majorem, quippe qui Deo ſit familiaris præ cæteris, ſitus in quodam divina humanaq; naturæ, ſi verum fateri licet, confinio.* Angelus major eſt homine, quia eſt pure ſpiritalis: Chriſtus eſt major homine, quia eſt Homo-Deus: Deus eſt major homine, quia eſt hominis auctor & dominus, Sacerdos caſtitati vacans eſt homine major, quia eſt Angelus, Chriſtus & Deus. *Continentia totum prædicans Sacerdotem,* cum his titulis ſe dignum demonſtrat, & ſuo exemplo proximum ædificat.

3. *Nam & lucere in mundo Chriſtianos oportebat, ut filios lucis, lumen mundi, Deum & Dominum colentes & nominantes.* Multiplici autem de cauſa voluit Deus ſacerdotes pudicitia lucere, 1. Ut ſua puritate Deum glorificarent:

Catech. 12
L. 1. adv. Marc. 6
L. adv. Valent. 16
Oleaſter in cap. 14. Levit.
Tert. l. 4 adv. Marc. 3.
Tert. l. de Præſc. Hær. 28
Cæſ. Arel. l. 1. de Mõ. Evang. 7
Tert. lib. adv. Prax. 24
Lib. de Mon. 5
Tert. l. ad hær. 5.
S. Ephre. Ser. op. de Caſt.
Caſſiod. ibid.
Phil. Jud. de Mon.
Tert. l. de Mon. 8
Tert. lib. adv. Prax. 13

2. Ut

Tert.ibid. 2.Ut miniſterium ſuum honorarent: 3.Ut *& differentia conſtitueretur inter cultores unius,& plurimæ divinitatis.* Gentilium dii & deorum cultores probroſi & immundi ſunt, Chriſtianorum Deus puriſſimus eſt; ſacerdotes ejus decet pudicitia: 2. Ut ſua puritate laſcivorum condemnarent fœditates: *Vel ut malis teſtimonio ſitis.* 5.Ut ſuo exemplo alios ad caſtitatem allicerent. *Sancti Sacerdotes magiſteria doceant ſanctitatis, & plurima virginalis integritatis exempla quodam ſuperna lucis fulgore reſplendeant.* 6.Ne pravo exemplo aliis præberent licentiam delinquendi: *Si enim ſacerdotium integrum fuerit, tota Eccleſia floret: ſi autem corruptum fuerit, tota fides marcida eſt.* Pravus Sacerdos libidinis æſtuans ardore, 1.extraneos ſcandalizat; *nec ab extraneis bonam famam ſectans:* 2.Eccleſiam devenuſtat; *Apoſtoli cenſus Eccleſia,* ab obſcœno Sacerdote dehoneſtatur: 3.Alios ad malum provocat. *Qualis rector civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Vitium hominis privati ipſi ſoli eſt damnoſum, vitium à Sacerdote patratum toti plebi damnum affert. *Cauſa ſunt ruinæ populi, Sacerdotes mali:* quia cùm ſint totius populi forma & exemplar, ſua pravitate alios ad iniquitatem pertrahunt: nam ut obplorat Divus Bernardus: *Factus eſt Sacerdos ſicut populus, ut licentius populus ſicut Sacerdos fiat: Mutuis ad vitia ſeſe aut informant, aut fovent exemplis, paſtores populi.* Ex tamen hac tempeſtate ſunt plures *turpis converſationis ſpiritum peſtilentem* exhalantes, *Sordent talibus Eccleſiæ,* qui venenoſo ſuo halitu toxicant animas. *Miſera eorum converſatio, plebis miſerabilis ſubverſio fit.* Utinam attenderent ad ſalutare Eccleſiaſtici conſilium: elucidat Divus Cyprianus, Cum urbanitas aut neceſſitas exigit, *guſtenda eſt non continuanda cum mulieribus præſentia; ſed quaſi tranſeunter fœminis exhibenda eſt acceſſio quodammodo fugitiva.* Abſurde videtur dictum acceſſio fugitiva, nam dum quis appropinquando accedit, non poteſt fugiendo recedere. Verum belle dictum acceſſio fugitiva, ut cùm quis accedit, jam recedat: cùm accedit fugiat: ſic accedat, & tanta cunctatione rem tractet, ut acceſſus receſſum æmuletur, & approximatio fugæ proxima ſit, & recedendi inchoatio. Sit fugax acceſſus, neceſſitas acceſſum aliquando expetit, ſed periculum fugam expoſcit, neque exulat pietas, quam accuſat periculum. Pietatis officium ſæpe mentitur cauſam, ut videantur, & revideantur fœminæ, & ſæpe ſæpius crebris his fœminarum viſitationibus, colloquiis, familiaritatibus, muneribus *gratiam Dei transferunt in luxuriam.* Caveat Sacerdos ne ſub ſpecie pietatis vel afflet, vel hauriat luxuriæ venenum: Famæ ſuæ conſulat, miniſterium ſuum conſideret, Eccleſiæ honori provideat, cadendi occaſionem fugiat: Sacerdos, ſi tibi *nunc & conſors onerum domeſticorum neceſſaria eſt, aſſume de viduis fide pulchram, paupertate dotatam, ætate ſignatam:* cum qua pudicitiam ſollicite ſerves, quam debes ob ſanctitatis miniſterium, & Spiritui ſancto cujus eſt templum.

Omnes templum Dei ſumus, illato in nos & conſecrato Spiritu ſancto: Ejus templi æditua & antiſtita pudicitia eſt. Sacerdotes qui in ſua inauguratione ſanctum ſuſceperunt Spiritum, ſunt peculiari quodam modo Dei templum: quod

Margin notes: Tert.ibid. — Tert.l.2 de Cult. Fœm.13 — Eucher. Imperf. ho.30 — Tert.l. de Mon.12 — Tert.l.1 adv.Marc. 12 — Eccleſ.10 — D.Greg l.9 ep 64 — Ser.13 in Cant. — D.Bern. — Tert.l.2 ad Ux.8 — D.Bern. ſer.Conv. — B.Paul. — Cap.42 — L.de Sing. Cler. — Ep.de Jud. — Tert l. de Exh. Caſt. 11 — Tert.l 2 de Cult. Fœm.1

quod ab ipſomet Spiritu ſancto conſecratum eſt; tum per ejus gratiam, tum per ejus præſentiam. Neque ſolum pudici Sacerdotis animus eſt templum, in quo Spiritus ſanctus inhabitat, ſed etiam caſtum ejus corpus eſt templum illi dicatum. *Corpus virginis Dei templum eſt*, ait Divus Ambroſius. (L. 2. de Virg.) Cui accinit Divus Athanaſius in gloriam virginitatis clamitans: *O virginitas, corona immarceſſibilis, templum Dei, domicilium Spiritus ſancti!* (Tr. de Virg.) Magnum ſane caſtitatis privilegium, quod tum animam, tum corpus templum Spiritus ſancti efficiat. Quare ſanctus Nilus Sacerdotem hortatur, ut caſtitatem & in animo & in corpore ſervet: *Exerce puritatem in corde, & caſtitatem in corpore; ea enim utraque, templum Dei te efficiunt.* (In cap. Paræ.) Si vere Dei templum eſſe deſideras, caſtimoniam ama, liba puritati atque pudori: nam hujus templi Spiritui ſancto ſacrati, *æditua & antiſtita pudicitia eſt.* (Tertull.) Ædituæ autem templi trinum competit officium: 1. ut templum ab omni impuritate mundet: 2. ut templum in puritate ſervet: 3. ut mundatum & purificatum templum venuſtè & decore ornet. Hæc tria officia Sacerdotibus, ut templi Spiritus ſancti ædituis, neceſſario incumbunt. Debent namque templum, 1. ab omni impuritate mundare: 2. in munditia & puritate ſervare: 3. pulchre & decenter ornare.

1. *Ecce ſtatim quaſi in limine, duæ nobis antiſtites Chriſtianæ ſanctitatis occurrunt: Monogamia & Continentia: alia pudica in Zacharia ſacerdote; alia integra in Joanne Anteceſſore, alia placens Deum, alia prædicans Chriſtum.* (Tert. l. de Mon. 8) Continentia & virginitas ſunt duæ antiſtites pudicitiæ, quæ templo Spiritui ſancto dicato, miniſtrant: 1. Virginitas in Joanne Baptiſta Chriſti prædeceſſore potiſſimum eluxit, & etiam in *ſacerdotibus templi ſpiritualis* fulgere debet: 2. Joannes fuit Chriſti Præcurſor, & ex D. Ephrem *Virginitas eſt præcurſor atque cohabitator Spiritus ſancti.* (Tert. l. 3 adv. marc. 7.) 3. Joannes paravit viam Domino; & virginitas domicilium Spiritui ſancto præparat. 4. Joannes pœnitentiam prædicat, qua mundum Chriſto venturo paretur hoſpitium; Caſtitas templum Spiritus ſancti ab omni inquinamento mundat. (Pet. Bleſ. ſer. 38) (Antiochus Epiphanes tempore Machabæorum templum Domini violenter ingreſſus, idolum Olympici Jovis in eo juxta Arcam teſtamenti poſuit. Machabæi poſtea prævalentes, invenerunt locum pollutum, & poſt ejectas ſpurcitias, multis purgationibus locum mundaverunt.) Si Machabæi tanta cura Hieroſolym. templū ab inquinamentis mundarunt, quanto magis Sacerdotes *ſacrarii* mūdare ſemetipſos tenentur, templa Spiritus ſancti, Hieroſolymitano templo *longe venerabiliora?* (Greg. Naz. orat. pro Baſ.) (D. Chryſoſt. Orat. 3. adv Iud.) Ita emundatio templo Spiritus ſancti competit: ut apud nonnullos Scripturæ ſacræ interpretes, templū ſub emundationis nomine denotetur: *Nonnulli emundationem interpretantur templum: vel quod mundior eo locus non eſſet: vel quod in eo mundatio ſacrificiis & oblationibus perficeretur.* (Agell. in Ps. 88) Sacerdos, tu es templum Dei vivi, ejus emundationi incumbe; *de ipſo omnem elimina ſordem, cunctasq; maculas abſterge, utraq; conveniunt, ambæ ſibi invicem famulantur, puritas & charitas.* (Laur. Juſt. de triūph. Ag. Chr. 1) Spiritus ſanctus eſt charitas & puritas, neque niſi in templo

emundato dignatur habitare: à quo ſunt abigendæ non ſolum carnis fœditates, ſed etiam turpes mentis cogitationes. *Templũ Domini cor ipſius hominis eſt. Hujus templi habitatores, cogitationes mentis, & cordis affectiones.* Quando cogitationes mentis, & cordis affectiones puræ ſunt, cum talibus habitatoribus in corde cohabitat Spiritus ſanctus: quando verò immundæ ſunt, ab impuro illo loco abſcedit Spiritus ſanctus, quare emundandũ eſt cor, ut in illo loco reſideat perſonalis Amor. In lege Moyſis præceperat Deus, ne arbores lucíq; plantarentur in templo: ne Judæi ethnicorũ imitarentur ſpurcitias. Gentiles deorum ſuorum templa denſis arboribus offuſcabant, ut ſuas occultarent turpitudines, & liberius inter arborum umbras nefaria crimina committerẽt. Ab his turpitudinibus alienos volens Deus Judæos, prohibuit ne arbores lucoſq; plantarent: *quoniam verum Dei templum non amœnitates poſtulat, ſed ſeveram caſtimoniam.* Gentilium imitantur obſcœnitates, qui venereas ſectantur voluptates & mentem fœdis cogitationibus contaminant. In his dæmon tyrannidis ſuæ ſedem poſuit; à quibus debet ejici, ut Spiritus ſanctus recipiatur: quod tunc fit cùm emundatur templum per pœnitentiã. *Quid enim mirum ſi eadem operatione ſpiritus iniquus educitur quo ſanctus inducitur?* Educto autem dæmone & in templo emundato ſuſcepto ſancto Spiritu, æditua pudicitia templi puritatem magna cura conſervat.

(Rich. Vict. in Pſ. 28; Deuter. 16; Phil. Jud. l. de Seraphim.; Tert. l. de Jejun. 8)

2. *Quæ nihil immundum aut prophanum inferri ſinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat.* Quamdiu mundum eſt templũ, tamdiu in illo manet Spiritus ſanctus; quapropter pudicitia æditua omni ſtudio debet templi cuſtodire munditiem, ne tanti habitatoris præſentiã fruſtretur. Quam ſic alloquitur Origenes: *Segrega te & ſecerne te, tanquam phialæ ſanctæ, & ſancta thuribula, ſolius templi Dei uſibus, & Dei miniſterio vacans.* Vaſa ſacris altaribus deſtinata non licet ad prophanos adhibere uſus. Nemo ignorat pœnam quam etiam in hac vita luit impius Balthaſar, ob prophanata vaſa templi: *Nos ſumus & templa Dei, & altaria, & luminaria & vaſa.* Sic loquuntur Sacerdotes apud Tertullianum, qui ne prophanationis & impietatis crimen incurrant, puritatem animæ & corporis ſervare tenentur: & ut ait S. Nilus, Dei donum ſeipſos efficere & revereri. *Peragere etiam debemus in ipſa Eccleſia ſacrificia.* Bonum & gratum illud eſt ſacrificium, quo Sacerdos ſeipſum Deo offert, ſeipſum mactat. Equidẽ in uno Sacerdote multa ſacrificia, aras multas, victimas quãplurimas enumerat S. Paulus. (In pectore noſtro caſtum altare ponentes, illa per legem juſſa ſacrificiis animalia mactemus in vitiis: immolantes hircũ cum peremptione peccati, in quo odor mortis eſt; cædentes taurum, ſi deponamus ſuperbiam; ſacrificantes ovem, ſi mollitudinem & ignaviã, in charitate non tepidi, & ſpiritu ferventes ejiciamus: offerentes in nobis & agnum, ſi immaculati vivamus: & vitulum, ſi efficiamur malitia parvuli, ut unius purum pudicitia, alterius ſtudium ſimplicitate referamus. Quale te ſacrificium Deo exhibere video in templo tui corporis, in ſacrario tui cordis, in immolatione tuæ carnis, in oblatione tuæ animæ, Immo-

(Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 1; Hom. 11. in Levit.; Tert. lib. de Cor. Mil. 10; S. Nil. in Paræn.; Epiſt. 5)

molas taurum cum pia humilitate depoſitus, cervicem altam percuſſiſti timore divino. Immolas hœdum cum omnia ſiniſtræ partis opera juſtitiæ ſectator interficis. Ovem jugulas, cùm diligens operarius, ſtudioſuſque meditator divinæ voluntatis & legis, inertiam vitas, & ignaviam quaſi pecus molle proſternis. Non eſt ut in victimarum inquiſitione aliquis laboret, habet in ſeipſo quod offerat, mactandas hoſtias in ſeipſo habet, quin & ipſe hoſtia eſſe poteſt,) ſi in caſtitate vivit. Nam ut ait Iſidorus Peluſiota, *pulcherrima victima eſt, piam mentem, & caſtam habere.* Hanc hoſtiam Spiritui ſancto offert Sacerdos pudicus, templi ædituus, cujus puritatem ſollicite conſervat, & adhuc pulchrè & venuſte ornat. L.3.Ep.71

3. *Diſciplina Apoſtolorum proprie quidem inſtruit ac determinat principaliter ſanctitatis omnis erga templi Dei antiſtitem.* Etenim cùm Spiritus ſanctus ſit ſanctus, æquiſſimum eſt, ut Sacerdotes ad ejus cultum ſacrati, ſanctitate floreant, & templum illius ſanctitate exornent. Idcirco ſanctuarium nuncupatur; quia ſanctitudo illud decet: & adhuc porta juſtitiæ dicitur, quia ut animadvertit Iſidorus Clarus, Sacerdotes illi inſervientes, debent eſſe juſti. In laudem Heliodori prædicat D. Hieronymus, *quòd baſilicas Eccleſiæ, & Martyrum conciliabula, diverſis floribus, & arborum comis adumbrarit.* Hujuſcemodi Eccleſiæ ornatus viget adhuc multis in locis. Quomodo templum Spiritus ſancti ornare & decorare debeat ſacerdos, optimè declarat Laurentius Juſtinian.) Quoniam in medio habitare deſideras, ſpirituale eidem conſtitue templũ, non de ſectis marmoribus, nec de quadratis lapidibus, neque de parietibus pictis, ſed de vivis & fulgentibus gẽmis, aureiſq; laminis, quas rubigo non tangat, nec denigret pulvis, ſed charitatis purget ignis, morũ diſciplina detergat, & virtutum decoret varietas.) Pulchre Spiritus ſancti templũ ornat, qua morũ ſanctimoniâ, vitæ innocentiâ, & pudicitiæ nitore illud decorat: ſiquidẽ *pudicitia eſt flos morũ, decor ſexuũ, honor corporũ, fundamentum ſanctitatis:* Tali autẽ ſanctitate ſãctificatur, honore honeſtatur, decore venuſtatur, flore decoratur. His ornamẽtis deliciatur Deus, & tẽplo adeo pulchre decorato libẽter aſſiſtit, & vos ſacerdotes, vere vos Spiritus S. antiſtites mõſtratis, *cùm pudicitiam in qua Deus habitat, non dicam diligitis, ſed luculentis moribus adornatis;* quam adhuc debetis Chriſto, ob Euchariſtiæ ſacramentum.

Tert.l. de Pud.20 — Ep.3 ad Heliod. — Ser de Euch. — Tert.l. de Pud.1 — S.Zeno.

De *cœna pura* loquitur Tertullianus. Quid autem per cœnam puram intelligat, in dubium revocatur. Nonnulli cœnã puram volunt, in qua admittebantur aridæ eſcæ, non verò dapes ex cæde animaliũ cruentatæ. *Menſa pura eſt à cruentis dapibus, pro cibo panis apponitur, ſed pro obſonio, pro condimento hyſſopus.* Alii per cœnam purã illam intelligunt, non quæ abſtinet ab eſu animaliũ, ſed ab ingluvie & ebrietate, in qua neceſſitati conſulitur, voracitati verò non indulgetur. Ad hanc reſpicit Tertullianus aiens: *Paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa.* Verũ cœna pura dicenda eſt Euchariſtia: tum quia puriſſimũ Chriſti corpus & ſanguinem continet; tũ quia puritatẽ requirit in Sacerdote, qui eã 1, conſecrat: 2, adminiſtrat: 3. mãducat,

III.PARS. — L.1.ad Nat 8 — Phil. Jud. l de Vit. Contemp. — Lib.de Pœn.9

[Tert.l. adv.Jud. 14] 1. *Veſte ſacerdotali exornatus.* Euchariſtiam conſecrat Sacerdos, ut ab indumentis quibus ornatur, diſcat pudicitiam. Hanc autem potiſſimum edi-ſcet, 1. à tunica linea qua dealbatur: 2. à zona quâ præcingitur: 3. à Manipulo, qui in brachio defertur. [Bed.l. 13 de Taber. 8.] 1. *Tunicas habent Sacerdotes lineas, cùm totum corpus candori caſtitatis dedicant,* In tunica quâ dealbatur Sacerdos, duo conſiderāda ſunt: & color & materia de qua conficitur, & in utroque Sacerdotalis caſtitas denotatur. Tunica eſt alba, albedo autem puritatem indicat. Eſt linea, linum etiam caſtitatem ſignificat. Et hæc eſt ratio, ut bene animadvertit D. Auguſtinus, cur de lino & non de lana conficitur. [Ser. 217. de Temp.] *Lana de commixtione animalium naſcitur: linum verò ſine carnis voluptate de terra procreatur: ideo caſtitatis imaginem præferre videtur.* 2. Accinctis renibus jubebantur Hebræi agnum comedere, quo ritu omnis libido coercebatur. Sacerdos etiam ſacra operaturus myſteria, cingulo præcingitur, ut externæ præcinctioni, puritas animæ & corporis reſpondeat: [Gregor. Naz. Orat. 42] *Per zonam ac temperantiam reſtinguatur pars illa, quæ libidine æſtuat; ac veluti hinnitum edit.* Neque tantum debet eſſe purus altaris miniſter ab omni fœditate, ſed adhuc caſtitate nitere. Ad ſanctum illud aſſumptus eſt miniſterium, ut [Tert l. de Pud. 6] *non laſciviæ frondibus, ſed ſanctimoniæ floribus præcingeretur.* Renes præcingat Sacerdos accedens ad altare, & ſerio recogitet, ſe eſſe in conſpectu ſupremi judicis, qui ſcrutatur renes & corda, & nullo modo falli poteſt. Facile homines decipiuntur, qui cùm exterius tantum, & non interius videant, ſæpe numero ſacerdotem caſtum judicant, qui vere caſtus non eſt: At Deus qui renes videt, & ſcrutatur corda, qui interius & exterius perſpicue conſpicit, nullo modo fallitur. Quare ad altare deferenda eſt caſtitas, non quæ vera cenſeatur ab hominibus, ſed quæ talis, Deo teſte, comprobetur: [Paſch. l. de Corp. & Sang. Dom. 22] *Probet ſe unusquisque, & uti præcipitur, ſic agat. Renes veſtros inquit, accingetis, quia ſunt hæc vitæ ſemina, quibus virgines generantur. Propterea primum hoc loco, & lex caſtitatis in renibus, quorum ſcrutator eſt Deus, per ſeipſum adfigitur.* 3. In brachio Manipulum defert Sacerdos, qui ad ejus memoriam revocat fidem Deo debitam, cui deſponſatus eſt. Idcirco nonnulli Manipulum conferunt cum annulo, quem contrahentes matrimonium ſibi mutuo porrigunt, in ſignum fidei inviolabiliter ſervandæ: His caſtimoniæ indiciis indutus Sacerdos, [Laur. Iuſt. l. de ſac. Con. 24] *ſic devotionis affectu ſe componat, virtutum ſe ornet gemmis, ſicque dominicæ memor paſſionis ad ſanctum accedat altare, divina ſuſcepturus myſteria.* Sacerdos qui non ornatur pudicitiæ floribus, ſed laſciviæ frondibus præcinctus, ad ſacra accedit, imitatur impietatem Imperatoris illius, qui [D. Hier.] Adonidem in Bethleem poſuit, & erexit Veneris ſtatuam ſupra Calvariam, ubi Salvatoris crucem fideles venerabantur. *Quicumque enim ad altare Domini accedit inquinatus luxuria, juxta filium Virginis idolum ponit Veneris: qui* [Pet. Bleſ. ſer. 38] *ſacra illius verba ſacramenti ore immundo profert, in faciem Salvatoris ſpuit: & cum in os immundum ſanctiſſimam carnem imponit, eam quaſi in lutum platearum projicit: Ad ſuum judicium ad hoc Sacramentum accedit, qui adhuc alienæ cuticulæ tactu hilareſcit, qui æſtibus vitiorum exardeſcit.* Multi-

moda

moda ratione probat Petrus Bleſenſis; quàm criminoſus ſit Sacerdos, qui ore polluto Euchariſtiam conſecrat, & tantum myſterium impura manu tangit,& adminiſtrat.

2. Angelica puritate fulgere debet Sacerdos, *cui Deus cenſum ſuum tradidit*: Euchariſtiam ſcilicet,in qua totus Chriſti continetur cenſus. Si aliàs Judæi obſervabant *cœnas puras*,nonne Euchariſtiã debet obſervare Sacerdos, ut eam nonniſi puris manibus tractet? *Euchariſtia Sacramentum, nec de aliorum manu,quàm præſidentium ſumimus.* Mundus ſit igitur, qui auctorem munditiæ adminiſtrat. Ad puritatem, ſacramenti miniſtrum vulgari comparatione ſtimulat Anaſtaſ.Sinaita: *Dic age,ſi cœnum manibus geſtares, auderesne veſtes regias attingere? quid igitur eum,quem vilibus veſtimentis habes honorem non itidem impendis Deo?* Alia ratione utitur Petrus Bleſenſis, ut Sacerdotes ad munditiem alliciat; Adducit enim verba Evangelici Prophetæ, qui à ſacerdotibus vaſa Domini deferentibus exigit puritatem. Inde à majori ad minus concludit munditiam Sacerdotum, qui ipſum in ſuis manibus deferunt humanatum Verbum.*Verbum Prophetæ eſt: Mundamini qui fertis vaſa Domini; quantò mundiores eſſe oportet,qui in manibus,& in corpore portant Chriſtum?*Plus audet Petrus Damian. & manum ſacerdotis Chriſtum contingentem,Mariæ Chriſtum concipienti quodammodo adæquare videtur,ut eum ad Marianæ puritatis imitationem alliciat: *Planè ſicut concipienti deifica Virgini non virile ſemen influxit,ſed virtus S.Spiritus obumbravit;ita nunc in altari poſitum Sacramentum,eadem S.Spiritûs virtus eſt quæ vivificat, & neceſſe eſt,ut hoc pudica manus,& impolluta contingat.*Pudica ſit mens,caſtum ſit cor,mundum ſit corpus,impolluta ſit manus, quæ eum tractat in Sacramento,quem beatiſſima Virgo caſtis concepit viſceribus. Dei Filius homo futurus,nonniſi ex puriſſima,& ex omni parte illibata Virgine prodire voluit.Hanc voluit habere matrem,quæ virgineæ puritatis candore fulgeret; Puritatẽ virgineã imitetur ſacerdos, in ſuis manibus portans eumdẽ Chriſtum,quem in ſuo utero Maria portavit. Quod cum admiratione percipit & declarat S.Auguſt. *O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in utero Virginis,Filius Dei incarnatur! O ſacrum, & cœleſte myſterium, quod per vos Pater,Filius,& Spiritus S. operatur! Uno eodemq; momento temporis idem Deus qui præſidet in cœlis,in manibus veſtris eſt in ſacramento altaris. O vere nobilis ſanctitudo manuum!* Qualis quæſo impuri ſacerdotis temeritas, qui pollutis manibus tantum audet contingere myſterium? Prohibentur ſacerdotes ferre vaſa Domini, niſi prius lotis manibus, & Dominum cœli & terræ impuris manibus tractare præſumit impurus Sacerdos, & manus, quibus probroſum ſcortum tetigit, audet *eas manus admovere corpori Chriſti;* & poſt contaminatum ſacratiſſimum à laſcivioſis miniſtris, miniſterium, *ipſi tradunt aliis quod contaminaverunt?* Tam execrandum facinus Judæorum crimine atrocius exiſtimat Tertull.& meritò. *Proh ſcelus! ſemel Judæi Chriſto manus intulerunt,iſti quotidie corpus ejus laceſſunt. O manus præcidendæ! viderint jam,an per ſimilitudinem dictum ſit: Si manus tua ſcandalizat te, amputa eam.*

Tert. l. 2 ad ux. 8.
Tert. l. 5 adv. Marc. 4.
Tert.l.de cor.mil.3
Orat. de S.Syn.
Ep.123.
Op. 28. diſſert.1. c.1.
Conc.2. in pſ.36.
Tert.l.de idol.7.

tiæ, ut fœditas; nihil ſic ejus unitati ut fornicariæ ſocietatis unitas.) Ne ergo tot criminibus ſceleroſi ſimus, *portemus & nos Deum in caſto corpore, quem Virginis caſta membra portarunt.* S. Aug. ſerm. de Nat. Dō.

CONCIO SEXTA.

Sufficiant ad conſilium continentiæ vel iſta præcipue apud nos: Importunitas liberorum, ad quos ſuſcipiendos legibus compelluntur homines; quia ſapiens quiſque nunquam libens filios deſideraſſet. Fatur de Romanis Tertull. qui antequā fuiſſent Evangelii luce irradiati ſibi ſubditos ad matrimonium compellebant, & in cœlibes pœnales leges decernebant, quarum meminit, oſtentans Chriſtianos his legibus non eſſe obnoxios. *Aliud eſt, ſi & apud Chriſtum legibus Juliis agi credunt, & exiſtimant cœlibes & orbos ex teſtamento Dei ſolidum non poſſe capere.* Alludit ad leges Julias, quæ cœlibatus, & orbitatis pœnas continebant. Hæ autem leges dicebantur Caducariæ, quia cœlibes nihil capiebant ex teſtamentis, legata eis facta fiebant caduca, ibantque in fiſcum niſi intra dies centum parerent. Solidum autem capere, de quo hîc agitur, idem eſt ac fieri hæredem. Hæreditate autem & legatis, cœlibes ultra viginti annos fruſtrabantur, & ita, ut ait Plutarch. (plerique Romanorum uxores ducunt, liberoſque ſuſcipiunt, non ut hæredes habeant, ſed ut hæredes fieri ipſi poſſint.) Julius Cæſar hujuſmodi tulit leges, quæ adauctæ ſunt ab Auguſto politiæ causâ, utroque ad temporale Reipublicæ bonum reſpiciente. *Nunquid ergo hujuſmodi & reipublicæ proſpectu aguntur, ne civitates deficiant, ſi ſoboles non exerceantur, ne leges, ne jura, ne commercia delabantur; ne templa derelinquantur? Hæc audire deſiderant, qui filios quærunt.* Apud Judæos etiā maledicta erat continentia, & virginitas: *& neceſſariò ſuccedendum erat in matrimonium fratris ſine liberis defuncti: Primum, quia adhuc vetus illa benedictio decurrere habebat, Creſcite & redundate. Dehinc quoniam Patrum delicta etiam de filiis exigebantur. Tertiò, quoniam ſpadones, & ſteriles ignominioſi habebantur.* Cùm enim quivis ex ſua progenie naſciturum Meſſiam ſperaret, cœlibes, & orbi à Deo maledicti exiſtimabantur. *Itaq; ne proinde maledicti judicarentur, qui non naturæ reatu, aut mortis præventu orbi deceſſiſſent, ideò illis ex ſuo genere, vicaria, & quaſi poſthuma ſoboles ſupparabatur.* Abrogata autem fuit lex Julia; nam Conſtantinus Magnus cœlibatus pœnas ſuſtulit. Evacuata eſt etiam lex Moſaica, quâ frater defuncti fratris uxorem ducere, eique prolem ſuſcitare tenebatur. Tantum abeſt ut cœlibatus, & virginitas, pœnâ, ignominiâ, & maledictione mulctentur in lege Evangelica: quin imò honore, gloriâ, & præmio coronantur. Idcircò *Apoſtolus nunquam nuptias ita permittit, ut non potius ad ſuum exemplum nos eniti malit. Felicem illum, qui Pauli ſimilis extiterit!* Perpetuam ſervavit Apoſtolus virginitatem, alios ſuo exemplo ad ſervandam virginitatem ſtimulat.

Tert. l. de exh. caſt. 11.

Lib. de mon. 16

Sozom. l. 1. hiſt. Eccleſ.

Dio. l. 59

Tert. l. de exh. ca. 11.

Tert. l. de mon. 7.

Tert. l. 1. ad ux. 3.

Feli-

Felices & millies felices Regulares florentes virginitate, 1. auctorata, 2. conſecrata, 3. obſervata.

Tert.l.de mon. 3. *Ipſo Domino ſpadonibus aperiente regna cœlorum, ut & ipſo ſpadone: ad quem ſpectans & Apoſtolus, propterea & ipſe caſtratus, continentiam mavult.* Triplici ratione ad virginitatem allicere nititur Apoſtolus, quã nuptiis merito præponit. 1. Semetipſum virginem prodit. 2. Chriſti virginis exemplum proponit. 3. Cœlum quod eſt præmium virginibus propoſitum, ante oculos objicit. Non obſtantibus tamen illis rationibus, hæretici hujusce ætatis nuptias continentiæ præponunt, pudicitiam averſantur, & quanta poſſunt amaritudine in caſtitatis votum tanquàm diaboli negotium debacchantur. Verùm prætermiſſis Novatorum cachinnis, quantum ſit laudabilis Deo dicata virginitas, inde conſtat, quia auctoratur 1. Patrum teſtimonio, 2. Chriſti exemplo, 3 Deiparæ propoſito.

1. Lutherani, & Calviniſtæ virginitatem depretiantes, propriis ſe telis confodiunt; nam in ſua Confeſſione fatentur Eccleſiam in puritate perſeveraſſe uſque ad finem quarti ſæculi: Patres autem, qui 4. primis ſæculis vixerunt, uno ore virginitatis encomia prædicant. S. Ambroſ. in virginibus
l.de virg. angelicam agnoſcit dignitatem: *Supergreditur virginitas conditionem humanæ*
epiſt.2. *naturæ, per quam homines Angelis aſſimilantur.* S. Hieron. virgines, Eccleſiæ militantis Angelos nuncupat, aſſeverans quòd Dei Filius ſtatim ac humanatus, & de Virgine natus eſt, in terris familiam angelicam inſtituit: *ut qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet Angelos in terris.* Tertull. in fine 2. ſæculi converſans cum mortalibus, audacter pronuntiat, quòd continentes, & vir-
lib. 1. ad ux. 4. gines *de familia angelica deputantur*, & quaſi parum ſit virgines aſſimilari Angelis, & de angelica familia deputari, plus audent ſanctiCyprianus, & Ba-
L. de vel. virg. ſilius Magn. Ex D. namque Cypriano virginitas *reſplendet ad ſanctimoniam Dei.* Ex Magno etiam Baſilio, *magnum eſt virginitas, incorruptibili Deo (ut ſummatim dicam) hominem Deo ſimilem faciens.* Nec mirum, ſi Patres tot encomiis virginitatem prædicant, quæ Chriſti exemplo commendatur.

Tert. l.de mon. 5. 2. *Noviſſimus Adam, id eſt Chriſtus, innuptus in totum, quod etiam primus Adam ante exilium.* Idcircò nuncupatur à Germano Conſtantinopolitano,
Orat. de Nat. *Virginitatis theſaurus*: à Gregorio Nyſſeno, *Virginitatis germen*, à Ruperto,
Hom. 13 in Cant. *Virginitatis filius*, à S. Maximo, *Virginalis puer*, à D. Hieronymo, *Sponſus virginalis*: à S. Auguſt. *Caſtitatis author, magiſter caſtitatis*, à S. Joan. Damaſc.
In Joel. Virginitatis decus, & ornamentum: *Chriſtus virginitatis decus eſt, & orna-*
Serm.de Nat.Dom *mentum, ut non modò ex Patre citra congreſſum genitus, ſed etiam quod carnem ex Virgine ſine virili congreſſu aſſumpſerit, ipſeque omnibus numeris abſolutam*
l.4. de fid. c.5. *virginitatem in ſeipſo oſtenderit.* Chriſtus ab æterno ex Patre virgine generatus, & in tempore ex matre Virgine natus, in ſeipſo omnibus numeris abſolutam virginitatem demonſtravit; quapropter meritò virginitatis decus, & ornamentum dicitur. Ut autem ait S. Hieronymus: *Chriſtus Dominus in*

ſe

ſe, & in Matre dedicavit virginitatem. In ſe, quia eam habuit, oſtendit, & æſtimavit: in Matre, quæ eam voto auctoravit. Ep. 22 ad Euſtoch.

3. Maria concipi poteſt, antequàm pariat, dum peperit, & poſtquàm peperit Christum: & ubique eſt Virgo. 1. Virgo ante partum, quia *nullus omnino hominum nativitatis Chriſti fuit conſcius in conceptu, cùm Virgo Maria Verbi Dei prægnans invenitur.* 2. Virgo in partu. *Ex Virgine natus eſt Chriſtus, licèt deſponſata, tamen integra.* 3. Virgo poſt partum; *ut uterq; titulus ſanctitatis, & Chriſti cenſu diſpungeretur per Matrem & Virginem, & Univiram* Maria eſt univira, quia Joſepho ſoli fuit deſponſata: Virgo, quia virginitatem perpetuò ſervavit. Quare ſic loquitur apud S. Auguſt. *Regnum teneo virginitatis, & Regē genui caſtitatis. Ingredientem, & egredientem habui in palatio ventris filium Imperatoris, & de manibus meis non amiſi clavem regni pudoris.* Tanta eſt Mariana puritas, ut à Patribus præcipuis commendetur elogiis; Nam à S. Epiph. propalatur *indubitata virgo*: à D. Hildephonſo prædicatur *Virginitatis princeps*: à Cyrillo Alex. *corona virginitatis* nuncupatur: à Chryſologo, *virginitatis inſigne, pudicitiæ decus* appellatur: à Proclo Conſtantinopol. Antiſtite *Virginum gloriatio* vocitatur, & ab Hugone Cardin. nuncupatur, *Virginitatis primicera*, quia Deo virginitatem ſacravit, & prima de ſervanda puritate mẽtis, & corporis, votum emiſit. Fuerunt quidem virgines ante Deiparam, ſed nulla ante Mariam Deo viaginitatem ſuam obtulit: Maria virginitatis primicera, prima inter mulieres ſacratæ virginitatis vexillum extulit: *Egregia igitur Maria, quæ ſignum ſacræ virginitatis extulit, & intemerata integritatis pium Chriſto vexillū levavit:* & ob hanc cauſam, ut animadvertit Richardus à S. Laurentio, Maria virgo virginum dicitur, quia prima inter cæteras virginitatem vovit: Ideò *virginitatis ſignifera eſt & exemplar*, quia ſcilicet prima ſignum virginitatis extulit, & aliis virginitatis exemplum præbuit. Neque ſolùm virgo virginum, ſed adhuc mater eſt virginum; nam ut optimè ad propoſitum ratiocinatur Albertus Magn. (B. Virgo eſt Mater omnium in virginitate, quæ prima ſine præcepto, conſilio, vel exemplo, virginitatis munus Deo obtulit: per quod omnes virgines, per imitationem virginitatis genuit.) Nam ut bellè fatur ad propoſitum Tertull. *Terra dedit benedictiones ſuas; atiq; illa terra virgo, nondum pluviis rigata, nec imbribus fœcundata: ex qua homo tunc plurimum plaſmatus eſt: ex qua tunc Chriſtus ſecundùm carnem, ex Virgine natus* Confert nativitatem temporalem Chriſti cum productione Adami; & ſicut primus homo ex terra virgine plaſmatus eſt, ita Chriſtus Dominus ex Maria Virgine natus eſt.

Tert. l. adv. Iud. 13 · Tert. l. de vel. virg. 6 · Tert. l. de mon. 8 · Ser. 26. de temp. · Hær. 7 · l. 1 de Deipar. 1 · Hom. 6. cont. Neſt · Serm. 146 · Orat. 6. in laud. virg. · In c. 1 Luc · S. Ambr. l. de init. Virg. 5. · l. 4 de laud Virg. · Sup. Miſſ. c. 82 · l. adv. Iud. 13.

Invenitur etiam in Jure civili Græca quædam quinionem enixa filiorum omnium mater; unici fœtus parens multiplex; unici uteri puerpera numeroſa. Potiori jure Maria prædicatur *Puerpera numeroſa*, quia (ultra Chriſtum, quem in Bethleem ſine dolore parturivit) eſt etiam *omnium mater*, fidelium ſcilicet, quos juxta crucem Salvatoris, peperit cum doloribus, & cunctarum adhuc virginum, quæ virginitatem ſuam Deo yovent. Quot ſunt virgines conſe- Tert. l. de an. 6

eratæ, tot ſunt Marianæ maternitatis fœtus: Neque in Bethleem tantùm tempore Imperatoris Auguſti, aut juxta aram crucis, tempore Dominicæ paſſionis, fœcunda eſt Maria, ſed in toto orbe, & in cunctis ſæculis fœcundiſſima eſt ejus virginitas: *Cæterum quàm multos hodie parit ſanctiſſima illa fœcundiſſimaque virginitas! quàm fœlix ejusmodi generatio, fœcunda, & incorrupta poſteritas!* Fœcundam Mariæ puritatem denotatã vult Hieron. his verbis Sponſi Cant. 4. (Hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſſiones tuæ paradiſus.) Per hortum concluſum, Mariana ſignificatur integritas: per emiſſiones verò multimodo ejus innuitur fœcunditas. *Quod clauſum eſt atq; ſignatũ ſimilitudinem habet Matris Domini, Matris & Virginis: & tamen perpetua eſt mater virginum. Sequitur enim: Emiſſiones tuæ paradiſus.* Emiſſiones ſignificant germina, quæ ex arbore pullulant. Maria arbor plantata ſecùs decurſus aquarum, & gratiarum imbribus irrigata & fœcundata, germinat flores, & fructus pudicitiæ. Quare Joannes Damaſc. Mariam nuncupat plantam feraciſſimam, quæ longè & latè pudicitiæ diffundit ramos, & abundè fert caſtimoniæ fructus: *Tu virginitatis feraciſſima planta: per te enim virginitatis pulchritudo latiſſimè ſe diffundit:* quia non tantùm in ſe, ſed etiam in aliis, uberes caſtitatis flores & fructus feraciſſimo proventu fundit. Hujusmodi autem flores & fructus pudicitiæ, quos beatiſſima Virgo germinat, ſunt flores & fructus paradiſi. Inter paradiſi laudes eximia illa eſt, quòd uberes fundebat caſtitatis proventus. Quandiu protoparentes verſati ſunt in paradiſo, tamdiu fuerunt virgines. *Adam adhuc integer.* Idem de Eva aſſeverat Tertul. *Adhuc felix, adhuc virgo, adhuc digna paradiſo.* Paradiſiaca Adami integritas, Evæque virginitas, puritatem tum animi, tum corporis complectebatur. Emiſſiones Mariæ paradiſi integritatem æmulantes, germinant *totã & ſolidam virginitatem.* Tota virginitas ex puritate tum animi, tum corporis integratur. Utramque B. Virgo obtulit cœleſti Sponſo, qui ideò paſcitur inter lilia in plurali, quia binã illam puritatem exoptat. (Paſcitur inter lilia, & ideò vovit virginitatem: quaſi hoc ipſo diceret: Lilia deſiderabat, lilia ei affero, id eſt duplicem virginitatem, mentis ſcilicet & corporis: quod notatur per hoc quod dicitur, inter lilia.) Duplicem hanc carnis, & cordis munditiem, in virgine Chriſto deſponſata, deſiderat adhuc Apoſtolus: (Deſpondi vos uni viro virginem caſtã exhibere Chriſto.) Nam ut venuſtè animadvertit Richard. à S. Laurentio: (cùm dixiſſet virginem, noluit ſubſiſtere, ſed ſubjungit caſtam, ut ſic innueret, ipſum requirere duplicem caſtitatem, nec unam ſine altera ei complacere.) Siquidem aliæ virgines ſunt caſtæ, aliæ non caſtæ: virgines non caſtæ habent integritatem corporis, non verò puritatem cordis, quæ, ut bellè Tertull. *ſine ſponſalibus virginibus deſinunt eſſe*; nam animo mœchantes, caſtitatem cordis amittunt, licèt conſervent integritatem carnis; cujusmodi erant gentilium virgines, corpus habentes integrum, & mentẽ fœdis cogitationibus, & affectionibus pollutã. De quibus ſic fatur S. Ambr. *At certe ipſis gentilibus inter aras, & focos, venerabilis ſo-*

les

Galf. apud Titelm. in Alleg.

l. 1. adv. Jov.

Orat. 1. de Deip.

Tert. l. de vel. virg. 8.

l. de vel. virg. 5.

Tert. l. de mon. 3.

Rich. à S. Laur. l. 3. de laud. virg.

2. Cor. 11

l. de vel. virg. 11.

l. 3. de Virg.

lot eſſe virginitas: & in quibus nulla meritorum eſt pietas, nulla mentis integritas; in iis tamen carnis virginitas prædicatur. Virgines caſtæ ſunt, quæ ſimul cum integritate corporis, illibatam cuſtodiunt puritatem cordis, & utramque Deo vovent, ad inſtar Mariæ, quæ eas ſuo exemplo docuit præſtititque formã quam ediſcerent, quas ideò hortatur S. Hildephonſus: *Habetis egregij magiſterii formã, habetis exemplar in ea perfectæ virginitatis.* Ambulate in ſemitis ejus; à Maria diſcite caſtitatem, Mariæ ſequimini caſtitatem. Maria prima caſtitatis emiſit votum. *Adducentur Regi virgines poſt eam.* Rectè poſt eã, non ante, quia ante virginem nulla voto virginitatẽ ſuã Deo obtulit, *Primatum ſola vindicat ſibi*: poſt Mariam tamen plures virgines virginitatem vovent, & puritatem mentis, & corporis Deo conſecrant. Ser. 3. de Aſſumpt. Pſ 44 S Bern. ſer 7. de B. Virg.

Unde ſic fatur apud Tertull. *Cùm tantam oblationẽ Deo offerimus, ipſius corporis, & ſpiritus noſtri: cùm illam etiã naturã conſecramus.* Multimoda ratione caſtitatis votum magna oblatio dicitur. 1. Quia totã naturam ex anima & corpore adunatã conſecrat. 2. Quia ejusmodi conſecratio Deo offertur, quia eſt *ſummum magnum*. 3. Quia talis oblatio fit per votum, quod eſt actus latriæ, quæ inter virtutes morales tenet principatum. 4. Quia voventes ad magnum ſublimat honorem: *Neq; enim & virginitas, quia virginitas eſt, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur: quæ licèt in carne ſervetur, ſpiritu tamen, religione ac devotione ſervatur.* 5. Quia per oblationem virginitatis, virgo fit *ſacrarium ſancti Spiritus.* 6. Potiſſimum, quia hujusmodi conſecratio, cujus Spiritus S. eſt *conſecrator*, proceſſionem Spiritûs S. imitatur. Proceſſio quâ perſonalis producitur Amor, eſt 1. ſapiens & illuſtrata, 2. voluntaria & libera, 3. ardens & ſufflammata. II. PARS. lib de vel. virg 13 Tert. l. 1. adv. Marc. 3 S. Tho. 2. 2. q. 88 a. 6 S. Aug l. de B Virg. 8. S. Ildep. de Virg Mar. 10 Dub. Tert. l. de Trin.

1. Tertullianus Spiritum S. nuncupans *tertium gradum majeſtatis*, docet tres eſſe in Deitate perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum S. qui à Patre Filioque producitur: cujus productio eſt non cæca, ſed occulta: tũ quia voluntas, quæ eſt ejus principium quo, ſupponit intellectũ, qui eſt lucidus, & irradians: tum quia generatio Filii, quæ eſt in ſplendoribus, eſt origine prior ſpiratione: tum quia Spiritus S. procedit à Verbo, cui lux & ſapientia appropriantur. Quod D. Martialis mirè elucidat: *Spiritus S. glorioſus procedit ineffabiliter, & ab eo qui genuit, & ab eo qui genitus eſt.* Inde concludit: *Itaq; Spiritus Domini procedens eſt à Patre, & à Verbo.* Si per impoſſibile Spiritus S. à ſolo Patre, & non à Filio procederet, ejus ſpiratio plenè, & perfectè non eſſet glorioſa, & Græci contumeliam faciunt tum Verbo, tum Spiritui ſancto, utriusque gloriæ derogant, negantes Spiritum ſanctum à Filio procedere: quia Filius proprio charactere eſt Verbum, & Sapientia, Spiritus S. proprio etiam charactere eſt Amor: Ad gloriam ſapientiæ ſpectat producere amorem, ad gloriam amoris pertinet à ſapientia produci. Porrò imperfecta ſapientia illa eſt, quæ non producit amorem: amor ille degenerat, qui non procedit à ſapientia. Nihil deeſt nec ad gloriam Filii, nec ad gloriam Spiritus ſancti. Uterque eſt perfectiſſimè glorioſus: Filius Lib. adv. prax. 30 Ep. ad Burdig.

quidem, quia glorioſè ſpirat amorem: Spiritus S. quoque, quia glorioſè ſpiratur à Filio, qui nuncupatur à Tertull. *Sophia*, cum qua Pater producit Spiritum S. ad intra, & cum qua adhuc, & Spiritu S. ad extra, cuncta creata producit: *Vis intelligentiæ & ſcientia ipſa eſt: ex hac fecit, faciendo per illam, & faciendo cum illa.* Virginis conſecratio æmulans proceſſionem Spiritûs S. eſt ſapiens & illuſtrata. *Quidquid obtuleris ſacrifiçii, ſale condies*: ex S. Hieron. ſal eſt ſymbolum ſapientiæ, quæ lucere debet in ſacrificio pudicitiæ, quod offert Virgo. Verùm unde ſapientia illa ad votum neceſſaria mutuabitur? A Filio Dei, qui eſt *hujus gratiæ diſciplinæque arbiter, & magiſter, illuminator atq; deductor.* Clemens Alex. agnoſcit maximè providentiã Dei erga homines, quòd illis doctorem & illuminatorem dederit ſuum Filium. *Deus curam gerit hominis, & de eo eſt ſollicitus: Id autem reipsâ oſtendit, cum Verbo eum erudiat*, Verbum eſt ab æterno ſapientia genita; ſapientia ab æterno genita humanata in tempore eſt. Ad quid? ut homines doceret. Ab illo ſapiente Doctore diſcant virgines, an Deo ſeſe vovere debeant. Quòd ſi in rebus terrenis, ubi agitur de hæreditate temporali, ſi in litibus nullius momenti, nihil agunt homines, niſi prius Advocato conſultato, & conſilio habito; quantò à fortiori habenda eſt deliberatio, facienda eſt conſultatio, antequàm regularis ſuſcipiatur ſtatus, & Deo per votum ſolemne conſecretur virginalis integritas? Et ſi Sophia in condiendo mundo fuit ab æterno Patre conſultata; nam ut ait Tertull. *hæc illi conſiliarius fuit*; nonne in ſuſcipiendo ſtatu regulari admittenda eſt conſiliatrix divina Sophia, ut nihil agatur niſi de *luminis conſilio*: ſcilicet de conſilio Filii Dei, qui procedit de Patre, ut lumen de lumine, & cum Patre producit Spiritum S. ſpiratione activâ, ſapiente, & lucida, voluntaria & libera?

l. adv. Her. 18 — Luc. 2. — Tert. Apol. 21 — l. 1. pæd. 8. — l. adv. Her. 18 — Tert. l. de Pall. 1.

2. *Libertas, non neceſſitas Deo competit.* Loquitur de Deo agente ad extra, non neceſſariò, ſed liberè. Trina poteſt conſiderari in Deo operatio. Una neceſſaria, & non libera; alia libera, & non neceſſaria; alia libera & neceſſaria. Operatio neceſſaria, & non libera, eſt illa, quâ Pater æternus naturaliter & neceſſariò generat Verbum: operatio libera & non neceſſaria ea eſt, quâ tres perſonæ divinæ per eandem potentiam agunt ad extra, & producunt vel conſervant creaturas: Operatio neceſſaria & libera, eſt illa, quâ Pater, & Filius neceſſariò, & liberè producunt Spiritum S. ſiquidem in divinis ad intra duplex eſt tantùm producendi modus, uterque neceſſarius. Unus per modũ naturæ, alter per modum libertatis. Intellectus in Patre per modũ naturæ generat Verbum: Voluntas in Patre, & Filio per modum libertatis ſpirat Spiritum S. Libertas ut ſic, prout abſtrahit à libertate Dei, Angelorum, & hominum, non opponitur neceſſitati, neque in indifferentia ad utrumlibet ſita eſt. Nam ut docet Doctor Angelicus, *Neceſſitas ſecundùm quã voluntas aliquod ex neceſſitate velle dicitur, libertati voluntatis non repugnat.* Eadem eſt mens S. Anſelmi, qui interrogatus à quodam diſcipulo: *cur non ſit liberior illa voluntas, quæ ad utrumque ſe habet, non video*: Reſpon-

Tert. l. adv. Herm. 16 — Q. 10, de poteſt. 2. ad 5. — L. de lib. arb. c. 1.

reſpondet: *Annon vides quoniam qui ſic habet quod decet & expedit, ut hoc amittere nequeat, liberior eſt, quam ille qui ſic habet hoc ipſum, ut poßit perdere?* Et paulò poſt addit: *Liberior itaque voluntas eſt, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quam quæ illam poteſt deſerere.* Taceo Scotum, qui veſtigiis D. Auguſtini inhærens, libertatem in communi, cum neceſſitate componit. Ex D. namque Auguſtino humana voluntas etiã pro ſtatu viæ neceſſario & libere beatitudinem appetit. *Beati eſſe ſic volumus, ut eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poßimus.* Et ab ſtatu viæ erigens ſuam cogitationem ad ſtatum patriæ, componit in Beatis neceſſitatem cum libertate, & neceſſariã hujuſmodi libertatem libertate indifferentiæ multo nobiliorem prædicat. *Sic oportebat prius hominem fieri, ut & bene velle poſſet & male: poſtea vero ſic erit ut male velle non poßit: nec ideo libero carebit arbitrio: Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit ſervire peccato.* Inde D. Thomas angelice concludit: *Libere ergo Spiritus ſanctus procedit, non tamen poßibiliter, ſed ex neceßitate.* Proceſſio Spiritus ſancti eſt libera: (non quidem libertate indifferentiæ orta à voluntate quæ poteſt velle & non velle, velle etiam bonum, & nolle malum) quia Spiritus ſanctus cùm ſit Deus, eſt ens per eſſentiam, & ens abſolute neceſſarium, & cum eſſe illud divinum, eſſentiale & neceſſarium, habeat à Patre & Filio, virtute ſpirationis activæ, hujuſmodi ſpiratio neceſſaria eſt, & voluntas divina quæ eſt hujuſce operationis principium, agit libere & neceſſario: libere, quia libertas eſt eſſentialis voluntati: neceſſario, quia ſpiratio activa terminatur ad perſonam divinam Spiritus ſancti, quæ eſt ens non contingens, ſed neceſſarium. Tres poſſunt conſiderari libertatis gradus. Unus, iſque minus perfectus, eſt viatorum: Alter perfectior primo, eſt Beatorum, Tertius perfectiſſimus, in divina duntaxat voluntate reperitur. 1. Viatores habent libertatem indifferentiæ ad velle & nolle, ad bonum & malum, & hujuſmodi indifferentia procedit, vel ex ignorantia intellectus, vel ex mutabilitate & pravitate voluntatis: vel ex contingẽtia objecti quod mutatur & deſinit eſſe: vel ex indeterminatione ipſius voluntatis, quæ à cauſa ſuperiori non determinatur: vel quia ſtatus viæ, eſt ſtatus meriti & demeriti. 2. Beati in cœlo, libere, non tamen contingenter, ſed neceſſario diligunt Deum, & hujuſmodi amor neceſſarius procedit, tum ex lumine intellectus, qui clare intuetur Deum: tum ex rectitudine voluntatis, quæ immobiliter Deo adhæret, neque poteſt velle malum: tum ex neceſſitate eſſentiali objecti beatifici. 3. Divina voluntas neceſſario producit Spiritum ſanctum: ob perfectiſſimam cognitionem intellectus divini, rectitudinem voluntatis divinæ, neceſſitatem eſſendi divinæ naturæ: ſed longe nobiliori modo, quàm Beati: Beati non habent à ſemetipſis, (ſed à Deo) neque lumen gloriæ, neque habitum charitatis, quibuſcum producunt viſionem & amorem Dei: Pater & Filius habent ex ſemetipſis, & non ab aliqua cauſa ſuperiori & ſplendorem intellectus & voluntatis rectitudinem. Beati non ſunt eſſentialiter & neceſſario beati, ſed quaſi per accidens, ex gratiæ auxilio, ex concur-

In Enchir. cap. 105

ſu luminis gloriæ & habitus charitatis, ex determinatione divinæ voluntatis, quæ poſt libere acceptata eorum merita, voluntarie adhuc & libere divinã eſſentiam eis exhibet videndam & diligendam: Pater & Filius ex ſemetipſis neceſſario determinantur, ad producendum Spiritum ſanctum per voluntatem eſſentialiter liberam, & ad intra neceſſario operantem.

Ut autem conſecratio caſtitatis offerenda à virgine, ſit conformis proceſſioni Spiritus ſancti, debet eſſe libera, cum hoc tamen diſcrimine, quòd proceſſio Spiritus ſancti eſt libera & neceſſaria; oblatio autem facienda à virgine importat libertatem, ſed non neceſſitatem; quia voluntas debet eſſe indifferens ad vovendum & non vovendum; & hujuſmodi libertas indifferentiæ eſt conditio ad votum neceſſario requiſita. Unde Tertullianus, *Multi ſe ſpadonatui obſignant propter regnum Dei, tam fortem & permiſſam voluptatem ſponte ponentes.* Tria, eaque notatu digniſſima, dicit Tertullianus: 1. *Multi ſe ſpadonatui obſignant*; id eſt, continentiæ vel virginitati conſecrant: quia votum nequit eſſe de aliquo malo, ſed tantùm de bono: Votum etenim debet eſſe Deo acceptum: Bonum verò eſt Deo acceptum, non autem malum ſeu peccatum quod Deo diſplicet. 2. *Permiſſam voluptatem ponentes*; ſcilicet licitam matrimonii voluptatem, cui renuntiant, *prælatione continentiæ*: ſiquidem votum eſt de meliori bono, continentia autem bonum, melius eſt bono conjugii. 3. *Sponte ponentes*; quia promiſſio Deo facienda per votum debet eſſe voluntaria & libera. Ut autem ſit libera, ſupponit in voluntate deliberationẽ & propoſitum, & in intellectu conſultationem & rationis uſum. Utrũque neceſſarium eſt ut quis *animam ſuam Deo voveat*. Qui carent uſu rationis & exercitio libertatis, votum nequeunt emittere quod eſt electio de meliori bono, quod abſque ſalutis damno poteſt omitti: Deus qui licitum & permiſſum inſtituit matrimonium, continentiam adhuc regularem, liberam & voluntariam deſiderat: in electione liberi arbitrii poſuit ſtatum aut conjugalem, aut regularem. *Arbitrio permiſſa res eſt ut quæcumque voluit aut tegi, aut nubere: quod & ipſum neque cogitur, neque prohibetur.* Ut autem caſtitas vel conjugalis, vel regularis eligatur, conſulendum eſt cœlum, ſerio & diu deliberandum eſt, ne temere & abſque deliberatione facta electio pœnitentiâ mulctetur. *Elige, poſtea dilige*, ait bellè ad propoſitum Philoſophus Moralis. Nec minus lepide fatur D. Ambroſius: *Ars grandis probare quod diligas, & diligere quod elegeris.* Si negotiatores merces non emunt, niſi prius eas examinaverint, quanto à fortiori cogitandum, conſulendum, examinandum eſt *ipſum continentiæ votum*; in quo vovens toto vitæ decurſu carnis voluptatibus renuntiat, & ſe perpetuæ caſtitati conſecrat.

L. 2. de Cult. Fœm. 9 — D. Th. 22 q. 88. c. 2 — Tert. l. de Mon. 3 — Tert. Apol. 24 — Tert. l. de vel. Virg. 3 — Sen. Ep. 3 — L. 1. Off. 7 — Tert. l. de vel. Virg. 11

Plures ſunt tamen parentes qui natis liberam hanc ſtatus electionem tollere nituntur. Nonnulli eos à vocatione ſua avocare moliuntur, impediendo ne ſe Deo in religione voveant: quos irreligioſos exiſtimat Tertullianus: *Videte ne & hoc ad irreligioſitatis elogium concurrat adimere libertatem religionis.* Filii ad ſtatum regularem à Deo vocati, non debent obſequi parentum

Apol. 24

tum imperio, nec annuere eorum deſiderio, dum eos à Religione arcent. In hac parte à paterna auctoritate liberantur: & quamvis pro ſua libertate diſponere nequeant de rebus temporalibus abſque parentum voluntate & cōcurſu, abſque eorum tamen permiſſione, imo contra eorum voluntatem, ſe Deo conſecrare poſſunt; cui potius quàm parentibus carnalibus obtemperare & ſervire tenentur. *Ejerare patrem & matrem, & omnem proximum, quos & lex honorari, & poſt Deum diligi præcipit: quos & Evangelium ſolo Chriſto pluris non faciens, ſic honoravit.* Tert. l. de Cor. mil. 11

Alii & multo plures parentes, puellas potiſſimum, per vim religioni mancipant, in quarum arbitrio non relinquunt aut nubere aut velamine tegi; & quàmvis nequeant eas cogere ad ſtatum Religionis, ſi vocatæ non ſunt: quia *Virgines non coguntur velari*; injuſti tamen & impii parentes, eis denegant ſtatum conjugalem, quem exoptānt, & compellunt ad ſtatum regularem, quē per coactionem amplexantes *funem longum delictorum ſibi attrahunt*: nam habitum regularem ſine religionis affectu deferentes, criminoſam vitam ducunt; ſceleraque atrociſſima committunt. *Hæc admittit flagitia coacta & invita virginitas*; quæ non æmulantur proceſſionem Spiritûs ſancti, voluntariam & liberam, & adhuc ardentem & ſ ... flammatam. Tert. l. de vel. Virg. 8 Tert. l. de vel. Virg. 4. Tert.

3 Dei Filius à Patre procedit, *ut lumen de lumine accenſum*. Pater generando Filium, communicat illi voluntatem fœcundam & ardentem, in potentia proxima ad producendum Spiritum ſanctum: nam, ut docet Doctor Angelicus, *Pater generat Vèrbum, non qualecumque ſed ſpirans amorem.* Sicut Pater generat Verbum in ſplendoribus Sanctorum; ita Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum in ardoribus; quia illum ſpirant de amore omniū divinarum perfectionum, quæ ſunt infinite amabiles. Ut cognoſcatur quātum ſpiratio illa ſit accenſa & inflammata, attendenda eſt amabilitas eſſentiæ divinæ, & voluntatis divinæ dignitas. Eſſentia divina eſt infinitè amabilis; voluntas divina eſt infinitè amans: Tantus eſt amor in voluntate, quāta eſt perfectio in Divinitate; quia voluntas Divinitatem amat quantum eſt amabilis ſecundùm totam perfectionem ſuæ amabilitatis. Ut oblatio virginis reſpondeat ardori ſpirationis activæ, debet eſſe igne charitatis ſufflammata. Quidquid obtuleris ſacrificii, ſale condies. Procopius legit: *Quidquid obtuleris ſacrificii, amore condies.* Amore conditur votum quo virgo ſeſe Deo conſecrat. In proceſſione Spiritus ſancti tria conſideranda ſunt: Principium ſpirans, terminus ſpiratus, & ſpiratio activa quâ ſpirans terminum ſpirat. 1. Principium ſpirans, eſt voluntas Patris & Filii infinito ardens amore. 2, Terminus ſpiratus, eſt Spiritus ſanctus *Genitoris Genitique amor*. 3. Spiratio eſt infinitè ardens, nam ex amore omnium divinarum perfectionum Spiritum ſanctum ſpirat. In virgine caſtitatem Deo vovente tria etiam conſideranda ſunt: 1. Principium hujus conſecrationis: 2. Terminus hujus conſecrationis. 3. Ipſamet conſecratio. 1. Principium hujus oblationis eſt cor charitate Spiritus ſancti ſufflammatum. 2. Terminus hujus oblationis Tert. Apol. 21. D. Ambr. in Symb. Apoſt. c. 2

eſt

eſt votum Deo factum propter amorem ipſiuſmet Dei: Oblatio fit ex puro amore Dei. In ſpiratione Spiritus ſancti eſt circulus amoris infiniti. Nam 1. procedit à voluntate Patris & Filii infinite amante. 2. Terminatur ad Spiritum ſanctum infinite amatum. 3. Spiratio ipſa ex infinito Divinitatis amore procedit. In oblatione etiam virginitatis eſt circulus divini amoris; qui 1. procedit ab habitu charitatis ſuper omnia Deum amante: 2. terminatur ad Deum propter ſemetipſum toto corde amatum: 3. Fit ex puro ipſiuſmet Dei amore. Vota ſolemniter emiſſa, vocitantur à Tertulliano *ſolemnia charitatis*; quia vovens non ſolum tenetur ex præcepto Deum diligere, uti cæteri Chriſtiani, ſed etiam ex conſilio renuntiat cunctis obſtaculis, quæ divinum impediunt amorem. *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum*: conſumunt omnes ignes, igni divini amoris contrarios: Trinus eſt ignis igni divini amoris contrarius: *Unus de parte diaboli*; ait D. Auguſtinus: alter de parte mundi; tertius de parte carnis. Ignis à diabolo accenſus, eſt ſuperbia; ignis à mundo ſufflammatus, eſt avaritia; ignis à concupiſcentia carnis ardens, eſt luxuria. Virgo caſtitatem offerens, Seraphinorum inſtar ardens; *Ardent Seraphim, ſed igne Dei, vel potius igne Deo*; tres illos extinguit ignes, & ſolo igne divini amoris ignitur: nam per votum obedientiæ extinguit diabolicum ſuperbiæ ignem: per votum paupertatis extinguunt mundanum avaritiæ ignem: per votum caſtitatis æſtuantem libidinis extinguit ignem. Quia verò ignis concupiſcentiæ carnalis, eſt ignis devorans, qui *conſumit animam*: Deum enixe deprecatur, ut ſuâ gratiâ ab ejus liberetur ardore, *Totum enim meum ignis tuus conſumat, nihil mei remaneat mihi & totum ſit tibi*. Sacro hoc igne ardent virgines quæ *vectante Spiritu ſancto* ad Monaſterium properant; quæ verò ex aſtutia parentum abſque ullo Religionis amore religioni mancipantur, prophano ut plurimum æſtuant igne.

Ep. de Cib. Jud. 1 — Serm. 4 de Baſil. — D. Bern. l. 5. de Conſ. 5. — D. Aug. in Pſ. 57 — D. Aug. in Pſ. 65 — Tert. l. de Pud. 12

Sunt etenim nonnulli parentes qui illas non aperta vi ad Religionem cogunt; ſed aſtute alliciunt; quas à nativitate clauſtro devovent; à prima ætate Moniales vocitant, ſalutationibus Monialium aſſueſcunt, ad Monaſterium ducunt, ibique cum Religioſis religioſe educari ſatagunt, & abſque ulla ſæculi cognitione velamine contegunt: & ita *æmulatio illas, non religio producit*. Æmulatio parentum, familiæ & domus fortunæ temporali conſulentium; æmulatio puellarum quæ cæcutientes, & non probe ſcientes quód faciunt, parentum & religioſarum ſuadela & perſuaſu, deſumentium habitũ regularem imitantur exempla. Puella ab ineunte ætate non eſt religioni addicenda: *ſed ex quo ſe intelligere cœperit, & cenſum naturæ ſuæ intrare, & de virgine exire, & pati novum illud quod alterius ætatis eſt*. Quapropter Eccleſiaſtica diſciplina filias ad continentiæ votum non admittit niſi poſt completum ſextum decimum ætatis annum: *Et ideo penes Iſrael illicitum eſt ad virum tradere, niſi poſt conteſtatam ſanguine maturitatem : ita ante hunc indicem acerba res eſt*. Fructus non manducatur niſi ſit maturus, filia nec ſtatui conjugali nec regulari addicatur niſi matura. *Cùm matura cognoſcitur, legi applicatur ſicut*

Tert. l. de vel. Virg. 14 — Tert. l. de vel. Virg. 11 — Tert.

aut & nuptiis. Ut autem habeat maturitatem neceſſariam & ad ineundas nuptias & amplexandam Religionem, debet utriuſque bonum cognoſcere, & libere quod voluerit eligere. Qui filiam religionis ignaram & religionem averſantem, ea renitente ad Monaſterium compellunt, de injuſtitia, crudelitate & impietate culpantur. Nec minus ſceleroſi qui filiam ad ſtatum regularem à Deo vocatam, à religionis ingreſſu impediunt, vel receptam in Monaſterio, è Monaſterio exire cogunt. In quos invehit merito Tertull. *O ſacrilega manus quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt! quid pejus aliquis perſecutor feciſſet, ſi hoc à virgine electum cognoverit?* Liberè eligendus eſt ſtatus, vel conjugalis, vel regularis; & quamvis regularis ſit multo nobilior, nullius ad illum niſi ex conſilio tenetur. Duo conſilia prodit Apoſtolus: unum quod ad nuptias allicit, aliud quod continentiam conſulit. *Videmus duo conſilia, quo nubendi veniam facit, & quo poſtmodum continentiam nubendi inducit.* Conſilium ad nuptias alliciens eſt humanum conſilium: continentiam ſuadens eſt divinum: *Cùm veniam facit, hominis prudentis conſilium allegat: cùm continentiam indicit, Spiritus ſancti conſilium affirmat.* In poteſtate eſt filiæ à matrimonio & Monaſterio ſolutæ, annuere cui ex his duobus conſiliis voluerit. Verum *cui aſſentabimur?* an permiſſioni Pauli, qui nubendi concedit veniam? an Spiritus ſancti conſilio, qui ſuadet continentiam? *Sequere admonitionem cui divinitas patrocinatur:* & cum ſtatum regularem ſponte elegeris & caſtitatem Deo conſecraveris, factam promiſſionem digniſſima cura obſerva.

Tertull.

Tert. l de vel. Virg. 3

Tert. l. de Exh. Caſt. 4.

Tert.

Et factum eſt jam non conſilium divini Spiritus, ſed pro ejus majeſtate præceptum: Nullus ex præcepto ad continentiam vovendam tenetur, ſed ex conſilio duntaxat caſtitatem Deo vovet. *Numquid non intelligis ſabbatum conſilii, non præcepti? Sabbathum quo feriatur ab opere carnis caro, quod ſapit quidem ſuper carnem caro.* Emiſſo autem libere & ſponte caſtitatis voto, vovens caſtitatē ſervare neceſſario tenetur, nec amplius eſt in ejus voluntate non ſervare. In ſolemni religionis voto tria ſunt notanda: 1. Virgo vovens: 2. Deus per ſuum miniſtrum votum acceptans: 3. Oblatio qua ex fidelitate tenetur vovens, promiſſum Deo ſervare votum. Vovens ad vovendum conſilio adducitur, ſponte & voluntarie vovet; at voto Deo facto, & à Deo acceptato ad voti obſervantiam adſtringitur. Audiatur hac ſupra re Tertullianus, qui Novatores vota damnantes pungit, & doctiſſime expendit quomodo emiſſum & acceptatum votum, habeat vim præcepti, & ad ſui obſervationem obliget. *Dum oſtendimus quo ſemper in ordine fuerint religionis, eos revincamus qui hæc ut nova accuſant; nec novum enim quod ſemper, nec vacuum quod utile. Sed & illud in medio eſt, quædam ex his officiis à Deo homini imperata legem conſtituiſſe quædam ab homine Deo oblata, votum expunxiſſe: tamen & votum cùm à Deo acceptatum eſt, legem in poſterum facit, per auctoritatem acceptatoris.* His verbis plura ſcitu digniſſima elucidat Tertullianus: 1. Aſſeverat vota non eſſe nova; nam ab initio mundi Abel Deo vota obtulit, quod adhuc præſtiterūt Patriarchæ in

III. PARS

Tert l. de Exh. Caſt. 4.

Hildeb.

L de Jej. 11.

lege naturæ, Judæi quoque in lege Moſaica. Beatiſſima virgo virginitatem vovit ante legem Evangelicam; D. Joannes Evangeliſta in initio naſcentis
Hom. 7. in Marc. Eccleſiæ: quare nuncupatur à ſancto Joanne Chryſoſtomo; *Exordium virginitatis*. Nam ſicut ad Deiparæ exemplum plures fœminæ caſtitatē Deo voverunt; ita multi viri D. Joannem imitantes continentiam Deo conſecraverunt.
Tert. l. 1 ad Vx. 5 *Quot enim ſunt qui carnem ſuam obſignant, voluntarii ſpadones pro cupiditate regni cæleſtis?* 2. Votum utiliſſimum declarat Tertullianus. Tum quia votum baptiſmi effectum præſtat, innocentiam baptiſmalem voventibus reſtituit:
Tert. l. de Bapt. 10 Eſt autem *baptiſmus candidatus remiſſionis & ſanctifi ationis in Chriſto.* Tum quia magna merita acquirit: nam ut ratiocinatur Doctor Angelicus;
24. q. 88. a. 6 (qui magis ſe Deo ſubjicit, magis Deo placet, magis meretur: Vovens autem caſtitatem, magis ſe Deo ſubjicit, quàm ſervans & non vovens caſtitatem: iſte enim tantum ſe ſubjicit Deo, quantum ad actum, non quantum ad poteſtatem: ille verò quantum ad actum & quantum ad poteſtatem ſimul: ideoque plus Deo dat, ſicut plus daret homini qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui tantum daret ei fructus.) Tum quia magnā adipiſcitur mercedem: Virgini namq; caſtitatem voventi confert Deus gloriam eſſentialē & accidentalē. Beatitudo eſſentialis ex mente D. Thomæ in viſione Dei ſita
Tert. l. 1 ad Vx. 8 eſt: At *integritas ſolida, & tota ſanctitas, de proximo viſura eſt faciem Dei:* Beatitudine adhuc accidentali potientur in cœlo virgines: nam in veſtibus deal-
Tert. l. de Reſ. 27 batis ſequentur Agnum, quocumque ierit. *Hi ſunt qui veſtimenta ſua non coinquinaverunt cum mulieribus, virgines ſcilicet ſignifi ans, & qui ſemetipſos caſtraverunt propter regnum cælorum: itaque in albis erunt veſtibus, id eſt, in claritate innuba carnis.* 3. Oſtendit Tertullianus quòd homo qui obtulit Deo votū non ex præcepto ut obſequeretur legi, ſed ex pietate; emiſſo tamen voto tenetur ex præcepto ad ſervandum votum: ob fidelitatem promittentis, & auctoritatem acceptantis. His enodatis conſecrata Deo caſtitas ſervanda eſt, quia eſt 1. caſtum connubium cum Chriſto initum: 2. mundum ſacrificium Deo oblatum: 3. ſanctum ſacramentum velamine obnubilatum.

Tert. l. de vel. Virg. 16 1. *Quamquam non mentiris nuptam, nupſiſti enim Chriſto:* Tria in matrimonio attendenda ſunt. Unum quod præcedit matrimonium: aliud quo contrahitur matrimonium: tertium quod matrimonium conſequitur. 1. Quod præcedit matrimonium, ſunt ſponſalia, in quibus non contrahitur de facto matrimonium, ſed promittitur ab ſponſis contrahendum per verba de fu-
Tert. l. de vel. Virg. 11 turo; *per qua primum reſignaverunt pudorem ſpiritus, per commune conſcientia pignus.* 2. Illud quo contrahitur matrimonium eſt mutua traditio & acceptatio contrahentium, quæ denotatur per verba de præſenti: Sumo te in uxorem; Sumo te in maritum, & virtute mutuæ hujus traditionis & acceptio-
1. Cor 7 nis, (Mulier corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vir: neque vir corporis ſui poteſtatem habet, ſed mulier.) 3. Illud quod conſequitur matrimonium, eſt indiſſolubilitas conjugii: & ſi per impoſſibile conjuges viverent in æternum, numquam poſſent à conjugio disjungi, & toto illo tempore ſibi fidem

ſer-

ſervare tenerentur. *Quos Deus conjunxit homo non ſeparabit, ne contra Dominum* Tert. li. de
faciat. In conjugio virginis cum Chriſto ſunt etiam tria memoratis ſimilia. Mon. 9
Eſt enim aliquid quod præcedit, aliquid quod conjugium efficit : aliquid
quod conſequitur initum conjugium. 1. Novitiatus præcedit, & annum in-
tegrum quo durat *ad exercitationem virtutum animi & corporis deputatæ:* Toto Tert. l. ad
hoc tempore præparare debet ſe virgo, ut divino illi Sponſo digne nubat. 2. Mart. 3
Conjugium initur die profeſſionis, in qua virgo ſolemne emittens votum, Tert. l. de
ſumit ſibi Chriſtum in conjugem, cui ſui corporis tradit poteſtatem. *Chriſto* vel Virg.
tradidiſti carnem tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam. 3. Illud quod conſe- 15
quitur eſt indiſſolubilitas hujus conjugii, quod toto vitæ tẽpore durat, qua-
re virgo Chriſto deſponſata tenetur ſemper conſervare puritatẽ mentis &
corporis: Quam ſic hortatur Tertullianus: *Serva Deo rẽ ſuam incontaminatã.*

Deſponſatæ ſuis conjugibus tria debent: 1. Cohabitationem; quare de pa-
terna exeunt domo, & in domo mariti cum illo cohabitant: *Propterea relin-* Tert. l. de
quet homo patrem & matrem, & conglutinabitur mulieri ſuæ: & erunt duo in car- vel Virg. 4
ne una. 2. Subjectionem, *caput maritis ſubjicite*, ait Tertullianus, qui bellè ani- L. 2 de Cult.
madvertit quod velamen quod ſupra caput deferunt mulieres denotat ob- fœm. 13
ſequium quod maritis præſtare tenentur. *Ipſæ enim ſunt quas ſubjectas eſſe o-* L. de vel.
portet, propter quas poteſtas ſupra caput haberi debet: velamen jugum illarum eſt. Virg. 16
3. Complacentiam. Ut enim ait Apoſtolus: *Virgo cogitat ea quæ ſunt Domini,* Tert. l. de
ut ſit ſancta corpore & ſpiritu: nupta autem cogitat quomodo placeat viro. Virgo vel. virg. 4
Chriſti ſponſa cœleſti Sponſo cohabitationem, ſubjectionem & compla-
centiam præſtat. 1. Cohabitationem. *Non ſcitis quod qui adglutinatur Domino* Tert. l. de
unus eſt ſpiritus? Virgo Chriſto unita, *obliviſcere populum tuum, & domum pa-* Pud. 16 Pſ. 44
tris tui; & in domo remane ſponſi. Martyribus pro Dei amore ad carcerẽ Lib. ad
deductis ſic loquitur Tertullianus: *Cætera æque animi impedimenta, uſque ad* Mart. 4
limen carceris deduxerint vos, quouſque & parentes veſtri. Exinde ſegregati eſtis à
mundo. Virgo monaſterium ingreſſa ſegregata eſt à mundo, à ſuis ſeparata
parentibus, ut cum Chriſto in domo ſua cohabitet: Cui dicendum eſt idip-
ſum, quod Martyribus Afer. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum qui vobiſcum* Lib. ad
introivit in carcerem. Si enim non vobiſcum nunc introiſſet, nec vos illic hodie fuiſ- Mart. 1
ſetis: & ideo date operam ut illic vobiſcum perſeveret. Virgo à Spiritu ſancto in
domum Domini deducta debet dare operam, ut cœleſtis ille habitator
ſemper cum illa in Monaſterio remaneat. 2. Subjectionem Chriſto præſtat Tert. l. 2
virgo, cujus jugum libenter portat: *Adnectentes cervicibus jugum Chriſti*, & per de Cult.
velamen capitis ſuum denotat obſequium. *Chriſtus eſt qui & alienas ſponſas &* fœm. 13
maritatas velari jubet, utique multo magis ſuas. 3. Complacentiam Chriſto de- Tert. l. de
bet virgo ejus ſponſa. *Incede ſecundùm Sponſi tui voluntatem.* Quomodo au- vel. Virg. 15
tem incedat ſecundùm Sponſi voluntatem declarat Ambroſius: *Sponſo* Tert.
quid poteſt placere, niſi pax animi, puritas cordis, claritas mentis? L. 5. in Luc.

Deſponſatæ mulieres in domo mariti degentes tribus maxime nitere de-
bent: 1. Solitudine. *Pedes domi figite.* 2. Operatione. *Manus lanis occupate.* 3. Ve- Tert. l. 2 de Cult.
 recun- Fœm. 13

Tert. l. de recundia & pudore,maxime cum illis converſandi incumbit negotium: *In-*
vel. Virg. *due armaturam pudoris,circunduc vallum verecundiæ murum ſexui tuo ſtrue,qui*
15 *nec tuos emittat oculos,nec admittat alienos.* Eiſdem dotibus in Monaſterio
Tert l. de fulgere debent virgines.1.Solitudine,*& utique ea diſciplina diligenda,quæ vir-*
vel.Virg.2 *gines includit ſoli Deo notas*.Quantum ſolitudo afferat utilitatis, duobus ver-
bis declarant Baſilius Magnus,& Gregorius Nazianzenus. Gregorius Na-
Orat. 2. zianzenus ſolitudinem appellat *arcem & azylum*. Porro in tuto eſt quiſquis
in arce eſt. Azylum etiam eſt vitæ ſecuritas. Baſilius verò eam adhuc vocitat
De Laud *vitiorum mortem.* Qui cum multitudine converſatur, occulto quodam fo-
Vit Sol. mite agitur ad vitium. (Facile tranſitur ad plures;nemo non aliquod vitium
Senec. aut commendat,aut imprimit,aut neſcientibus allinit:Malignus comes quam-
Ep.7 vis candido & ſimplici rubiginem ſuam affricuit. Numquam mores quos
extuli,refero:aliquid ex eo quod compoſui,turbatur, aliquid ex his,quæ fu-
Cap.2 gavi,redit.) Religioſa in ſolitudine eſt velut in arce & aſilo,tuta à vitiorum
contagio quæ converſatio ſpirat, cui aptanda ſunt verba quæ Tertullianus
habet ad Martyrem incarceratum. *Non vides alienos deos,non imaginibus eorum*
incurris,non ſolemnes nationum dies ipſa commixtione participas , non nidoribus
ſpurcis verberaris,non clamoribus ſpectaculorum atrocitates,vel furores, vel impu-
dicitias celebrantium cæderis : non in loca libidinum publicarum oculi tui impin-
gunt.Vacas à ſcandalis,à tentationibus,à recordationibus malis. Neque ſolum à
tot periculis,à tot vitiorum fomitibus liberat ſolitudo: verum,ut addit Ba-
D.Baſ. ſilius,eſt adhuc *vita virtutum.* Nam ut proſequitur Tertullianus,*hoc præſtat*
carcer Chriſtiano quod eremus Prophetis. Eremus gymnaſium Dei eſt, ubi cœ-
Tertull. leſtia docet myſteria. *Solitudo namque cœleſtis doctrinæ ſchola eſt, & divinarum*
Job.3 *artium diſciplina.* In ſolitudine virgines Chriſti ſponſæ, divinis irradiantur
illuſtrationibus. Nec mirum: nam *ipſe Dominus in ſeceſſu frequenter agebat,ut*
Greg: *liberius oraret,ut ſæculo cederet: gloriam denique ſuam diſcipulis in ſolitudine de-*
Naz:orat: *monſtravit.* Virgines ad inſtar Sponſi *ædificant ſibi ſolitudines*; & ſi aliquando
de Pac: exeunt è cella ad colloquendum cum ſæcularibus,*in media luce verſantes ſo-*
Tert A- *litariæ vitæ rationem ſervant.* 2.In ſolitudine autem operibus virtutis incum-
pol.33 bunt. Pertractant ſæculares *ampla negotia* : A ſæcularibus negotiis alienæ
2.Tim.2 ſunt virgines Deo ſacratæ,quia *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæculari-*
bus;ſed in negotiis pietatis terunt tempus. Interdum manualiter occupan-
tur,& rebus Monaſterii vacant. Interdum ad lecturam librorum devotio-
Tert. A- nis,& *litterarum divinarum commemorationem* congregantur. Interdum ora-
pol.39 tionibus & meditationibus dant operam. *Coimus ad Deum, quaſi manu facta*
precationibus ambiamus. Interdum tempore recreationis de pietate loquun-
tur. *Certe fidem ſanctis vocibus paſcimus,ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſcipli-*
nam præceptorum inculcationibus denſamus. Interdum prædicationi verbi Dei
aſſiſtunt , corpus macerant , in quod auſteritates vitæ regularis exer-
cent : *Ibidem etiam exhortationes,caſtigationes,& cenſura divina.* Interdum
cum Deo loquuntur , ejus implorant auxilium , & laudes prædicant:

Cum

Cum Deo vivunt, cum illo ſermocinantur: illum diebus & noctibus tractant, orationes ſuas velut dotes, Domino aſſignant: ab eodem dignationem velut munera dotalia, conſequuntur. Interdum ſacramenta frequentant, & poſt acceptum in pœnitentia Spiritum Sanctum ſacra menſa corpus & ſanguinem Domini ſumunt de manu ſacerdotis, *fidem aqua ſignat; ſancto Spiritu veſtit, Eucharistia paſcit.* Et ſi interdum cum extraneis habenda eſt converſatio: *pudor ubique veſtitur,* & non niſi pudicitiâ & pudore armatæ, ad converſationis locum accedunt. Armata debet eſſe virginitas; cùm enim ubique hoſtium pateat inſidiis, ubique ſuis armis munita videatur. Quare gentiles Dianam, & Minervam Deas virgines armatas exhibent: & quidem ſagittis, *Minervam armorum æquè deam galea & gladio.* (Ut ſciatis autem ſemper virginitatem debere eſſe armatam, ac ſi in acie; quòd gentilitas variis deluſa erroribus, ſibi finxerit, recolendum cẽſeo, quia virgines ſuas armatas, multis expoſuere figmentis.) Verùm prætermiſſis gentilium fabulis: deſiderat Chriſtus, ut ejus ſponſæ ſtrenuè pugnent, habentes renes cinctos *caſtitatis baltheo, quod eſt inſigne militiæ Chriſtianæ,* & adhuc deferentes velamen velut galeam, quo caput à vulneribus conſervent immune: *Sed enim vera & tota, & pura virginitas, confugit ad velamen capitis quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat adverſus ictus tentationum, adverſus jacula ſcandalorum, adverſus ſuſpiciones, & ſuſurros, & æmulationem, ipſumque livorem.* Denique adverſus omne quod dedecet puritatem connubii initi cum Chriſto: *Cui nupſiſſe virginitas eſt,* & quod adverſetur munditiei templi Deo dicati.

Tert. l. 2 ad uxor. 4 | Tert. l. de præſ. hær. 36 | Tert. l. de vel. virg. 11 | Tert. l. de cor. mil. 12 | Paſch. in pſ 44 | Chryſol. ſer. 22 | Tert. l. 1. de vel. virg 15 | S. Paulin. ep. 4

2. *Sacerdotalia officia, ſi ſacrifi alia miniſteria, & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum, & piaculorum, & votorum curioſitas conſideremus;* in ſacrificio quinque cenſebimus diſtinguenda: 1. Deum, cui offertur ſacrificium, 2. templum in quo offertur, 3. altare, ſupra quod offertur, 4. hoſtiam, quæ offertur, 5. Sacerdotem victimam offerentem. In ſacrificio autem caſtitatis quod Deo offerunt ſanctimoniales, hæc quinque reperiuntur, & pudicitiam ſapiunt. 1. Deus ipſe, qui eſt ipſiſſima puritas, & incorruptio, *ſacrificia munda* exoptat. 2. Sanctimoniales ſunt templum Deo dicatum: *hujus templi æditua, & antiſtita pudicitia eſt.* Virgines Deo dicatæ ſunt etiam altare caſtitatis, quia *aram Deo mundam proponi oportet.* 4. Virginalis puritas eſt hoſtia Deo oblata, ut ait S. Ambr. *pudoris hoſtia, victima caſtitatis.* 5. Virgines ſeſe Deo conſecrantes, ſunt *Sacerdotes pudicitiæ.*

Tert. l. de præſ. 40 | Tert. l. adv. Iud. 5 | Tert. l 2. de cult. fœm. 1 | Tert. l. 1. ad ux. 7 | Tertul. l. 1. de virg.

In hoſtia, quæ in ſacrificio offertur Deo, tria ſunt attendenda: 1. Oblatio, 2. Conſecratio, 3. Conſumptio. Hæc tria reperiuntur in ſacrificio caſtitatis quod Deo offerunt ſanctimoniales: 1. Oblatio; nam *virginitas de bono carnis Deo adoletur.* Hæc autem oblatio fit per ingreſſum religionis, & toto tempore novitiatus perſeverat. 2. Conſecratio fit dum emittit vota: *Per virginitatis profeſſionem, Deo conſecrata es.* 3. Immolatio incipit à die profeſſionis, durat toto vitæ tempore. *Propter te mortificamur tota die: facti ſumus*

Tert. l. 2. de cult. fœm. 12 | Tert. l. de Reſ 8. | S Aug. ep. 103 ad Dem. | Rom. 8

mus ſicut oves occiſionis; quarũ occiſa,& immolata eſt vita. In homine trina eſt vita, vita ſcilicet ſpiritus, vita corporis,& vita moralis. Vita ſpiritus conſiſtit in libertatis uſu,& Dei independentiam imitatur. Vita corporis conſiſtit in voluptatibus corporeis, quibus licitè fruuntur conjugati. Vita civilis conſiſtit in poſſeſſione bonorum temporalium. Tres has vitas Deo immolat ſanctimonialis: Vitam ſpiritûs, per votum obedientiæ, quo voluntati ſuperioris ſubſtratur: Vitam civilem, per votum paupertatis, quo bonis temporalibus denudatur: Vitam corporis, per votum caſtitatis, quo voluptatibus matrimonii renuntiat. Itaque in illa eſt *vita ſine vita*. Vita, quia vivit Deo, vivit gratiæ, vivit cœlo: Sine vita, quia mortua eſt mundo, mortua carni, mortua libertati. Trina hæc mors denotatur per induitionem *tenebricoſæ veſtis*; quâ à die profeſſionis induitur, & velut ſacramentum puritatis tegitur.

Tert. l. de an. 55
Tert. l. de Pal. 4

3. *Diabolus ipſas quoque res Sacramentorum divinorum, idolorum myſteriis æmulatur. Habet & virgines, habet & continentes.* Inter ſacramenta divina, quæ dæmon æmulatur, virgines collocat Tertull. Hunc fortaſſe loquendi modum mutuatus eſt à S. Ignatio, apud quem *Virgines ſunt Chriſti ſacramenta.* Conſtat autem ſacramenti nomen apud hos authores *allegoriæ habere ſacramentum*: vel quia regularis habitus à Prælato benedictus *ſacramento benedictionis* inter ſacramentalia computatur: vel quia virgines Deo dicatæ ab uſu prophano ſæculi avocantur, & totæ cultui divino devoventur, *quaſi ſatum conſecratione mutantes*: vel quia ſicut ſacramenta, 1. gratiam ſignificant, 2. gratiam dant, 3. jus ad gloriam præſtant; ita ſtatus regularis virginis: 1. gratiam ſignificat; quapropter virgo quæ illum ſanctitatis ſtatum profitetur nuncupatur à Tertull. *Virgo ſanctior*, quæ 2. (ni ponat obicem) gratiæ accipit incrementum, & tum induitionis, tum profeſſionis *prærogativa ſacramentum ſanctificationis conſequitur.* 3. Cum gratiæ augmento jus ad gloriam ſuſcipit: etenim *in illa gratia coronatur.* Vel potius virgines ſacramenti nomine donantur *ſignificatione alicujus tecti ſacramenti.* Gratia inviſibilis ſacramenti ſigno viſibili tegitur, & virginis ſanctitas velamine occultatur. *Si qua virgo eſt, & carnem ſuam ſanctificare propoſuit; idcircò velaminis venia ſit illi, ut in Eccleſiam notabilis, & inſignis introeat, ut honorem ſanctitatis in libertate capitis oſtendat.* Chriſtus Dominus in Euchariſtiæ Sacramento ſub ſpeciebus panis, & vini latitat, nec videtur. In hoc myſterio trina potiſſimũ ratione abſconditur: 1. Ut Judæis, & gentilibus ſcandalizandi tolleret prætextum: *Ne nos judicent crudeles, & inhumanos, utpote humani corporis comeſtores, & ſanguinis bibitores.* 2. Ne ab infidelibus videretur Chriſti corpus in Sacramento exiſtens: *Ut & arcana ſecretorum celarentur infidelibus.* 3. Ut profundæ humilitatis daret exemplum. Ut enim ait S. Auguſt: *Commendavit corpus, & ſanguinem ſuum de humilitate.* Eiſdem rationibus velamine tegi, & occultari debet ſanctimonialis, ut meritò Sacramenti nomine donetur: 1. Ne ſæculares *querantur ſcandalo ſibi eſſe petulantiam, impudentiam*

Tert. l. de præſ. hær: 40
Tert. l. 5 adv. marc. 4
Tert. l. de Pud. 14
Tert. apo. 12
l. de vel. virg. 15
Tert. l. de Bapt. 4
Tert. l. 1. ad ux. 8
Tert. l. de præſ. hær. 2
Tert. l. de vel. virg. 9
Alger. l. 2 de corp. & ſang Dñ. 3
Paſch l. de corp. & ſang D. 13
In pſ. 33
Tert. l. de vel. virg 3

dentiam oſtentatia virginitati, quæ ſæpiſſimè ipſâ publicatione deperditur. Nam ut addit Tertull.*cùm ſpiritus ipſe violatur in virgine, ſublato velamine didicit amittere quod tuebatur.* 2. Ne videatur ab hominibus, eiſque præbeat tentationis materiam: tunc enim verè erit virgo ſapiens, *ſi tentationibus gradum obſtruxerit: quis enim audebit oculis ſuis premere faciem clauſam?* 3. Ut Sponſi humilitatem imitetur: *Etiam ipſum bonum ſuum erubeſcendum eſt*: tum quia regularis diſciplina in monaſterio *Virgines includit ſoli Deo notas*: tum quia velatæ virgines omnem mundi æſtimationem abdicârunt; *quibus à Deo, non ab hominibus captanda gloria eſt.*

Tert. l.de vel. virg. 15

Tert. l.de vel.virg.2

Tert.

CHRISTIANUS.

SCHOLIUM.

Chriſtianus 1. ſuæ dignitatis contemplator: 2. Criminis condemnator: 3. Sanctitatis demonſtrator: 4. Boni operator, 5. Temporis æſtimator. 6. Exempli ædificator.

CONCIO PRIMA.

Tert. l. de cat. chr. 12. NOtitia ſui eſt homini abſolutè neceſſaria. Nemo poteſt *ſcire, quid interdum ſit ſibi neceſſarium, ſi non ſcit ſuam qualitatem.* In homine poteſt trinum Eſſe conſiderari; naturæ ſcilicet, fortunæ, & gratiæ. In natura, eſt animal rationale ex corpore, & anima compoſitum: In fortuna, eſt vel fauſtus, & temporalibus bonis ditatus, vel infelix, & terrenis bonis denudatus: In gratia ſeu diſciplina, eſt Chriſtianus. In Eſſe naturæ, omnes homines conveniunt: Eſſe fortunæ, variè poſſidetur, & perſæpè improbi majori potiuntur fortuna, quàm probi: Eſſe Chriſtianum competit illis duntaxat, qui Chriſti profitentur religionem. (S. Aug. tract. 5. in 1. ep. Joan. Attendat unusquiſque veſtrum, Fratres, quid habeat Chriſtianus: quòd homo, eſt commune cum multis; quòd Chriſtianus eſt, ſecernitur à multis, & plus ad illum pertinet quòd Chriſtianus, quàm quòd homo; nam quòd Chriſtianus, reformatur ad imaginem Dei, à quo homo factus eſt ad imaginẽ Dei. Quòd autem homo poſſet & malus, poſſet & paganus, poſſet & idololatra.) Quantò majus eſt Eſſe quod habet Chriſtianus à profeſſione ſeu diſciplina, quàm quod habet, vel à natura, vel à fortuna: tantò magis ad illius notitiam ſtudere debet. Præſertim cùm Verbum humanatum ſit, ut ſe Chriſtianum cognoſceret: Tert. ib. *Propterea Filius Dei deſcendit, & animam ſubiit; non ut ipſa anima ſe cognoſceret in Chriſto, ſed ut Chriſtum in ſemetipſa.* Tunc autem homo Chriſtum cognoſcit in ſemetipſo, quando ſe cognoſcit Chriſtianum: à Chriſto namque accepit nomen Chriſtianum, quod eſt titulus maximæ 1. dignitatis, 2. ſanctitatis, 3. pietatis.

Nemo major niſi Chriſtianus. Uſque adeò tumeſcit humana ſuperbia, ut auguſtiora, & numeroſiora nomina uſurpet. Homines ſuperbiâ inflati inflant nomina, ut non tantùm homo, ſed nomen etiam turgeat. Apud Romanos quidam vocati ſunt Africani, nonnulli Aſiatici, alii Germanici, à nationibus quas debellârant: *Reges triumphorum ſuorum titulis nuncupantur, & ſubjectarum gentium nominibus conquirunt numeroſiſſima cognomenta.* Adulatio adhuc populorum, principes nuncupavit Magnos, Auguſtos, Fideles, Divinos: hos aliosque adinvenit titulos, queis Imperatoribus blandiretur. *Cætera enim cognomina honoris data ſunt, Magnos, & Fideles, & Auguſtos diximus, & ambitioſæ majeſtati, quidquid potuimus titulorum congeſſimus.* Verùm quantumvis ſuperbos titulos affectet ambitio, quantumvis grandia cognomina tribuat adulatio; *Nemo major niſi Chriſtianus*, qui eſt titulus dignitatis, 1. Regiæ, 2. angelicæ, 3. Dominicæ.

Tert. l. de præſ. hær. 3. — Chryſol. — Sen. l. de Clé. c. 14

1. Meritò Chriſtus dicitur *Rex regnantium, & Dominus dominantium*: non ſolùm quia reges terræ per illum regnant, ab illo dependent, ejusque ſubditi ſunt imperio: neque 2. quia eſt rex beatorum, qui ſunt reges in cœlo regnantes, ut ipſimet fatentur in gratitudinis monumentum; *Nam & reges nos Deo, & Patri ſuo fecit Chriſtus Jeſus;* ſed 3. potiſſimum Chriſtus eſt Rex regum, quia eſt Rex Chriſtianorum, quos in Baptiſmate ſacravit reges, quos hortatur Origenes, ut regiæ ſtirpis recogitent dignitatem. *Exulta popule Dei audiens tua nobilitatis inſignia: tibi datum eſt regale genus, populus acquiſitionis, ideò, quia reges vos eſtis, meritò Rex noſter Dominus Rex regum dicitur.* Chriſtus Dominus per crucem regnavit, *ut ſecundùm Prophetiam etiam Dominus regnaret à ligno.* Et quia Baptiſmo virtutem & merita paſſionis communicat Salvator: *Omnes in Chriſto regeneratos, crucis ſignum efficit reges.* Purpura eſt inſigne regum, in Baptiſmate Chriſtiani Chriſti ſanguine purpurantur; quapropter *omnes, qui in Chriſti ſanguine ſacrati ſunt, ſplendidi reges ſunt.*

I. PARS. — Tert. l. de reſ. 23. — Tert. l. de cor. mil. 15. — Hó. 6. in lib. Jud. — Tert. l. adv. Jud. 10. — S. Leo ſer. 3. de aſſumpt. — Rup. l. 1. in Apoc.

Acutè legit Tertull. *Rex regnantium*, quia potiſſimum eorum eſt rex, qui ſupra ſe regnant, qui paſſiones regunt, concupiſcentiam frænant, cunctosque inordinatos animi motus, rationis & gratiæ ſubjiciunt dominio. *Ingens regnum imperare ſibi, maximumque imperium:* nullum eſt hoc imperio præſtantius. Tanti illud regnum faciebat Rex Ageſilaus, ut Spartarum præponeret regno. *Quod ſibi imperaret pulchrius eſſe judicabat, quàm quòd regnum obtineret in alios.* Hoc regnum in ſemetipſum exercent probi Chriſtiani, ut regio nomine digni appareant. *Benè ſancti viri Scriptura ſacra teſtimonio, reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, luxuriæ appetitum frænant.* Qui ſemetipſos regunt, verè ſunt reges. In illos Chriſtus dominatur, & *Rex regnantium nuncupatur.* Qui verò animam corpori, rationem paſſioni, voluntatem concupiſcentiæ ſubjiciunt, *fallacia appellationis* reges nuncupantur. A captivo regis *nomen recuſatur.* Antequàm mater, & uxor Darii regis captivatæ eſſent ab Alexandro Macedone, vero nomine reginæ vocabantur: in captivitate

Sen. ep. 113. — Greg. Magn. l. 26. mor. 21. — Baſil. Sel. orat. 27. — Tert. l. 4. adv. Marc. 14

vitate tamen,qui eas reginas nuncupant,alieno appellabant nomine.*Reginas*
Quint. Curt.l.3. *dominasque veris quondam,nunc alienis nominibus vocitantes.*Quandiu Chriſtiani libertatem & gratiam cuſtodiunt,tandiu acceptam in Baptiſmo regiam dignitatem conſervant,& meritò nuncupantur reges. Verùm ſtatim ac per peccatum gratiam,& libertatem amittunt,& dæmonis tyrannidi ſubduntur; non ſunt amplius reges,ſed diaboli ſervi, regio nomine indigni.

Lege ſancitum fuit apud Athenienſes, ne ullus ſervus Harmodius, & A-
Aul.Gel. l.9.c.2. riſtegito,nuncuparetur,*quoniam nefas ducerent nomina libertati patriæ devota ſervili contagione pollui.* Fortiſſimi iſti duo athletæ Hippiam tyrannum occiderant,patriæ libertatem reddiderant,quapropter Athenienſes decreverunt,ne eorum nomina imponerentur ſervis; ſapienter judicantes hos libertatis titulos,non poſſe absque dedecore viliſſimis imponi ſervis. Chriſtus Dominus diabolum debellavit, hominem ab ejus tyrannide liberavit,
Tert. l.4 adv. Marc.14 ſua cruce Regis nomen obtinuit: adeò *honoratum nomen* nequit absque contumelia tribui peccatoribus diaboli mancipiis,qui Chriſto, & ſibi injurioſi ſunt: Chriſto quia ei titulum Regis regnantium adimere moliuntur. Sibi,quia ſe demonſtrant indignos nomine Chriſtiano,quod ſapit dignitatem regiam.Demades orator proſpiciens Philippum Macedonem ebrioſum,cum ſervorum turba viliter ſtultèque ludentem, dixit ei: *Cùm, ô Rex, fortuna tibi Agamemnonis perſonam impoſuerit, non pudet te factis agere Therſitem?* Non pudet te,Chriſtiane,vilem, & criminoſam ducere vitam,cùm tibi contulerit Chriſtus dignitatem regiam, & angelicam?

l.ad Scap. 2. 2. Grandis ſanè regis dignitas. *Imperatorem & hominem à Deo ſecundũ: & ſolo Deo minorem* conſiderat Tertull. Attamen licèt Imperator ſit *omnibus major,dum ſolo Deo minor eſt*; illum Angelus antecedit, quo profectò minor eſt rex, etſi ſit cæteris hominibus major, Tanta eſt Angelorum nobilitas,
Tert.l.de Ref.5 quòd inter creaturas divinæ majeſtati propius accedunt. *Angelos poſt Deum novimus*: angelica nihilominus dignitate pollent Chriſtiani, *propterià Chri-*
S.Aug.in pſ.33. *ſtus eſt homo,ut poſſet eſſe Chriſtianus, Angelus.* Neque ſolùm Chriſtianis poteſtatem contulit Chriſtus,attingendi angelicam dignitatem, ſed eam de facto contulit; quapropter quoties gentiles Chriſtianum aliquem conſpicie-
S.Chryſ. ho.9.ad pop. bant,præ ſtupore dicere ſolebant: *Verè magnus Chriſtianorum Deus, quales conſtituit homines? quales è qualibus fecit! Angelos ex hominibus ipſos reddidit.* Quod denotatum vult S.Auguſt.à Vate Regio decantante: *Panem Angelo-*
Pſ.77. *rum manducavit homo.* Quaſi diceret,Panem Chriſtianorum manducârunt
S.Aug.q. 19.ex vet.teſt. Hebræi,nempe Euchariſtiam per manna figuratam. (Panis quem Angelorum appellat,manna eſt: ut quod tunc factum eſt,ejus rei,quæ nunc in Eccleſia offertur,figura fuiſſe exiſtimetur: ut Chriſtiani populi,quos in Angelis ſignificavit Scriptura,panem manducârent homines,id eſt Judæi, quos homines dixit.) Vides Hebræos per homines denotatos, Chriſtianos verò per Angelos,qui ob magnam,quâ pollent dignitatem, non homines, ſed Angeli nuncupantur.

Prom-

Proinde igitur & nos Angelorum, ſi meminerimus candidati. Angeli de puritate commendantur; idcircò apparent in veſte candida, quæ denotat puritatem. Chriſtiani ſunt in Baptiſmo *ex pudicitia renati*; eisque confertur *amictus candidus*, ratione pudicitiæ quâ nitent. *Jam in terris non nubendo de familia angelica deputantur.* 2. Angeli luce coruſcant; quapropter per lucem, quam produxit Deus, S. Auguſtinus Angelos intelligit, quos ut lumina contemplatur Tertull. *Contemplatio ipſorum angelicorum luminum*, quia inferiores illuminant Angelos. In Baptiſmo etiam deſuper illuſtrantur Chriſtiani, *qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad lucem expaverint veritatis.* Hanc lucem eis contulit Chriſtus ut alios illuminent; *Nam & lucere in mundo Chriſtianos oportebat, ut filios lucis, lumen mundi, Deum unum & Dominum colentes, & nominantes.* 3. Angeli in decantandis divinis laudibus addicti ſunt: *Illa Angelorum circumſtantia non ceſſant dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Chriſtiani Angelorum æmuli, Deum ſuis laudibus prædicant. *Jam hinc cœleſtem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediſcimus.* 4. Angeli ſunt cœli cives, & ſuperna potiuntur felicitate. Chriſtiani ſuum in cœlo habent municipatum, *Suſcitans, & quidem de terra in cœlum, ubi noſtrum municipatum, Philippenſes quoq; ab Apoſtolo diſcunt.* Deinde non propter terrenam, ſed propter cœleſtem hæreditatem facti ſunt Chriſtiani. (Audite, & diſcite, & tenete, quæ ſit ſpes Chriſtianorum. Quare ſumus Chriſtiani? non enim ad hoc ſumus Chriſtiani, ut terrenam nobis felicitatem petamus, quam plerumque habent & latrones, & ſcelerati, ad aliam felicitatem ſumus Chriſtiani.) Chriſtiani angelica dignitate nobilitati, angelicam debent ducere vitam, caſtitate candeſcere, virtutis exemplo ſplendeſcere, divinas laudes prædicare, ad cœlum cordis attollere affectus, hoc enim modo angelica, imò & dominica dignitate fulgebunt.

Tert. l. de orat. 3. S. Cypr. Tert. l. de pat. 15 Tert. l. 1. ad ux. 4 l. 11 civ. 9 l. adv. Valent. 7 Tert. Apol. 39 Tert. l. adv Prax. 13 Tert. l. de orat. 3. Tert. Tert. l. de Reſ. 47 S. Aug. in Pſ. 62

5. Chriſtiani à Chriſto ſuam accipiunt denominationem. *Quid novi, ſi aliqua diſciplina de magiſtro, cognomentum ſectatoribus ſuis inducit? Nonne philoſophi de authoribus ſuis nuncupantur Platonici, Epicurei, Pithagorici?* Sicut ergo Pythagoras, Epicurus, & Plato nomina ſua tradiderunt diſcipulis, ita Chriſtus Chriſtianis, qui licèt honoribus ſublimati, facultatibus ditati, nobilitate decorati, Chriſtianum nomen non mutuantur, neque à nobilitate generis, neque à dignitatibus, neque à divitiis, neque ab aliis naturæ, vel fortunæ titulis; ſed duntaxat à Chriſto: *Eſtis vocati Jeſu Chriſti.*

Tert. ap 3 Rom. 9

Animadvertit acutè Abulenſis verſans initium Evangelii ſecundùm Matthæum: *Liber generationis Jeſu Chriſti*, quòd ibi ponuntur duo nomina ejusdem perſonæ. Primum eſt Jeſus, & eſt perſonale, id eſt Salvator, quia ipſe ſalvum faciet populum à peccatis ipſorum. Secundum eſt Chriſtus, quod interpretatur unctus, & nō eſt nomē perſonæ, ſed dignitatis, quia ſignificat tum Regem, tum Sacerdotem. Primum nomen laboris, & miſeriæ aſſumpſit, & retinuit Salvator, non enim Jeſuitæ à Jeſu vocamur. Etſi nonnulli per *audaciam nominis* id affectârint. Secundum verò nomen, quod honorem, dignitatem ſonat, nobis reliquit, & donavit Dominus.

Tert. l. de pall 3

S. Aug. de ſpir. & an. 1. *Ipſe erat unctus ut ab uncto unctus, & à Chriſto diceretur Chriſtianus.* Ut autem Chriſti nomen non eſt vacuum, ſed plenum, continens unctionem quam ſignificat, ita nomen Chriſtiani debet eſſe plenum ſanctitatis unctione, quâ poſtulamus, quoties Deum deprecamur, ut in nobis ſanctificetur nomen illius: *Tu ipſius nominis oras & expoſtulas ſanctitatem, quia à Chriſto vocatus es Chriſtianus, & ideò ſupplicas, ut prærogativa tanti nominis, meritis in te ſubſequentibus roboretur.* Chryſol. ſerm 63

l. 3. adv. Marc. 15. Tert. l. adv prax. 27. l. de Bapt. 7 In Chriſto duo ſunt: Nomen, & unctio. 1. *Chriſti nomen non ex natura veniens*, ſed ab unctione; nam *Chriſtus unctus ſignificatur, quomodo chriſma ab unctionis Sacramento.* 2. Unctio, quâ unctus eſt Chriſtus, eſt gratia ſumma illi collata, de qua fatur Tertull. *Unde Chriſtus dicitur à chriſmate, quod eſt unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta ſpiritalis:* ratione ſcilicet ſanctitatis, & gratiæ, quâ ejus anima delibuta fuit. Hæc duo à Chriſto participant Chriſtiani. 1. Nomen: *Nomen Chriſtianorum utique à Chriſto deductum.* 2. Unctionem: *Chriſtianus quantum interpretatio eſt, de unctione deducitur.* Hanc unctionem ſimul cum nomine accipiunt in Baptiſmo. Ut enim ait Tert. *Exinde egreſſi de lavacro perunguimur benedicta unctione.* Duplicem unctionem accipiunt in Baptiſmate Chriſtiani. Unam in corpore, aliam in anima: Illã à Sacerdote ſacramenti miniſtro, iſtam ab Spiritu ſancto ſanctitatis auctore: in illa, corpus chriſmate ungitur, in iſta, anima gratiâ ſanctificatur. *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritaliter proficit.* Tert. l. 4 adv. Marc. 14 Tert. apo. 3. l. de Bapt. 7 Tert. l. de Bapt. 7

Tanta eſt dignitas quam ab illa unctione mutuantur renati, ut audeat dicere nonnemo: *Quivis Chriſtianus quidam Chriſtus eſt.* Quod docet etiam antiquus auctor Origenes. *Fiunt per unum Chriſtum, multi Chriſti.* Hujus rationem reddit S. Auguſt. quia caput, & membra unum & idem conſtituunt corpus, Chriſtus hujus corporis eſt caput, Chriſtiani verò membra. *Inde apparet Chriſti corpus nos eſſe, quia omnes unguimur; omnes in illo, & Chriſti, & Chriſtus ſumus.* Trina ratione Chriſtiani poſſunt vocitari Chriſti: per participationem, per unionem, & per imitationem. 1. Per participationem unctionis, & gratiæ, debet etenim *etiam qualitatis inter illos eſſe conſortium, ut jure conſiſtat collegium nominis.* 2. Per unionem membrorum cum capite, *quia quodammodo totus Chriſtus, caput, & corpus eſt.* 3. Per imitationem, quomodo Chriſti dicuntur *Chriſti imitatores, transformati ad illius ſimilitudinem, qui eſt imago Dei.* Quod probè ſciens Apoſtolus: *Formam animi ſui in prototypon ipſum exemplarque tranſtulit:* quo ſenſu ait Ambr. *Inter multas Chriſti imagines ambulamus*, nimirùm inter multos Chriſtianos, qui in ſua vita & moribus Chriſtum præferunt, ejusque imaginem repræſentant. Paul. à Pal. in c. 12 Matth. In Job. In Pſ 26 Tert. l. 1. ad Nat. 4. S. Aug. in pſ. 26 Orig. in Joo. Greg Nyſſ de for per. Chr. In pſ. 118

Qui ſunt hujusmodi, ſunt veri Chriſtiani, & tanti nominis dignitatem merentur: *Nam perpetua fruitur laude, cui eſt honor in nomine.* Commendatur Probus quòd *adoleſcens eſſet ac vir ſui nominis*, quia in adoleſcentia, & virilitate magnam oſtentavit probitatem. Chriſtianus gratiæ unctione delibutus, Chriſtique imitator, eſt vir ſui nominis; criminoſus Caſſiod l. 10 epiſt 7 Vopiſc.

verò

vero & è perverſo imitans Chriſt[illegible] *adulterium:* tantum ab- Rup.l.1 in
eſt ut Chriſtus vocari poſſit, quin [illegible] Auguſtinus, eſt *Antichri-* Joan. Tract.3 in
ſtus, id eſt, contrarius Chriſto. Nam Chr[illegible] humilis, ille ſuperbus; Chriſtus Ep. Joan.
patiens, ille iracundus; Chriſtus liberalis, ille avarus: *Certe fœdiſſima contrarie-* Caſſiod.l.
tatis vitium eſt, ſtudere furtis, & habere vocabulum largitatis. Scceleroſa illa con- 4 Ep.20
trarietas. Chriſtianum nomen, & Chriſtum etiam infamat. *Sicut virtus no-* Chryſol.
minis tantum reſpondet ad gloriam, ita male converſantis infamia, ad ejuſdem no- Ser.69
minis redundat injuriam : dicente Apoſtolo, Nomen Dei per vos blaſphematur in gentibus: & revera gentilis, nomini derogat Chriſtiano, quando aliter quàm profite-tur & dicitur, vivere viderit Chriſtianum. Indignum profectò tali nomine, quod eſt titulus dignitatis, & ſanctitatis.

II. PARS.

Nominis cenſus habetur apud Tertullianum. Cenſus apud Romanos, fa- Apol. 21
cultates omnes & honores ſignificabat, quæ à Cenſore per luſtra notaban-tur. Quare cenſus innuit omnes res per nomen ſignificatas in illo inveniri; & quia Chriſtianus idem eſt ac Sanctus; tunc Chriſtianus habet cenſum no-minis, quando eſt omnimode ſanctus. Sanctus autē ſumitur tripliciter: Pro ſanctificato: 2. pro ſeparato: 3. pro cultui divino deputato. Chriſtianus au-tem habet cenſum nominis, quia trina hac ratione eſt ſanctus : Nam eſt 1. gratia ſanctificatus: 2. à terra ſeparatus: 3. divino cultui deputatus.

1. Chriſtiani in baptiſmo *biberant Spiritum ſanctitatis*; quia gratia ſanctifi- Tert. A-
cati ſunt, & reſtituit ad illum innocentiæ & ſanctitatis ſtatum quem in A- pol.39
damo gulone perdiderant. Ex D. Irenæo, homo innocuus tribus conſta-bat: corpore, anima, & Spiritu ſancto. Ratione corporis erat animal, ratio-ne animæ erat Angelus: ratione Spiritus ſancti erat Deus: peccando tamen nobiliſſimum ſuum eſſe perdidit. Nam licet conſervarit eſſe animale cor-poris, quod habebat commune cum belluis : eſſe etiam ſpiritale animæ, quod eſt illi commune cum Angelis: eſſe amiſit divinum quod mutuabatur ab Spiritu ſancto. *O fœlix Sacramentum aquæ noſtræ*, in quo homo amiſſum Tert.l. de
per peccatum eſſe divinum recuperat ! *Recipit enim illum Dei ſpiritum, quem* Bapt.1
tunc de afflatu ejus acceperat, ſed poſt amiſerat per delictum. Ideoque Chriſtianus Tert. l. de Bapt.3
ex aqua & Spiritu ſancto regeneratus, tribus adhuc conſtat: corpore, anima & Spiritu ſancto, qui ei largitur gratiam, ſanctumque efficit ; in quo ratio Chriſtiani ſita eſt. Res non conſtituuntur in ſua eſſentia per nomen, ſed per propriam naturam, quæ per nomen declaratur: Chriſtianus non eſt nomen duntaxat appellativum, ſed ſubſtantivum, quod ſanctitatem quæ eſt eſſen-tia Chriſtiani, ſupponit. Sicut homo non conſtituitur in ſuo eſſe per hanc vocem, homo, ſed per rationalitatem, quæ eſt ejus differentia eſſentialis, conſtitutiva & diſtinctiva : ita Chriſtiani eſſentia non conſiſtit in nuda & ſimplici voce, ſed in ſanctitate quæ per vocem notificatur: & ob hanc cau-ſam Paulus in ſuis epiſtolis Chriſtianos ſemper vocitat Sanctos : *Omnibus* Eph.1
ſanctis qui ſunt Epheſi, quia per gratiam ſanctificati ſunt. Et alíorſum habet, Rom.1
Vocatis ſanctis, id eſt, vocatis ad ſanctitatem: Illic denotat naturam Chriſtia-

 ni,

ni, quæ eſt ſanctitas: ibi veró operationem Chriſtiani, qui ſanctificatus eſt ut ſancte vivat, & per ſanctas operationes ſanctitatem demonſtret. Quos adhuc Apoſtolorum princeps hortatur ad ſanctam converſationem, ut reſpondeant ſanctitati Chriſti, qui eos ſuo nomine inſignivit, & inſuper ſanctitati Chriſtiani, quam acceperunt in baptiſmate. *Secundùm eum qui vocavit vos ſanctum, & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis.*

1. Ep. 1

Operatio ſequitur eſſe, quod per operationem dignoſcitur. Omnes operationes hominis à tribus principiis oriri poſſunt: ſcilicet à paſſione, à ratione, & à ſanctitate. Quando homo paſſione agit, eſt homo animalis: Quãdo agit ratione, eſt homo rationalis: quando veró ſanctitate agit, eſt homo Chriſtianus. Ex D. ſiquidem Hilario, trinus eſt homo: animalis, rationalis, & ſpiritalis: animalis ex parte corporis, rationalis ex parte animæ, ſpiritalis ex parte ſanctitatis. Si modo ex operationibus volumus cognoſcere quales ſint Chriſtiani, plures reperiemus homines animales, qui paſſione aguat, & beſtiales demonſtrant mores. *Quidam homines beſtiis adæquantur, pro qualitatibus morum & ingeniorum & affectuum.* Plures adhuc inveniemus homines rationales, qui pollent ingenio in negotiis mundi. *ſæcularibus ſatis agentes:* ſed perpaucos inveniemus homines ſpiritales gratia ſanctificatos, & ſancte operantes: *Illa canicula Diogenes hominem invenire cupiebat, lucernam meridie circumferens*, innuens lepide perpaucos eſſe veros homines. Non diſſimiliter inter illos qui Chriſtiani nuncupantur perpauci ſunt Chriſtiani gratia ſanctificati, & à terra ſeparati.

In Pſ. 10
Tert. l. de An. 32
Tert. l. 1 ad Ux. 1
Tert. l. 1 adv. Marc. 1

2. Sunt *terræ & cœli filii:* ſeu, ut ait Philo Judæus, *homines cœleſtes & terreſtres.* Cœleſtes homines neglecta terra, cogitationes mentis & cordis affectus in cœlo collocant: homines terreſtres econtra deſpecto cœlo, toti terræ addicti ſunt. Conſtat Chriſtianum, *Cœlitem dici:* quia eſt ſanctus, ſanctus enim, Græce agios, idem eſt ac abſque terra. Chriſtianus agios, id eſt, ſanctus, *terram neſciat, amorem carnis ignoret, partem pulveris non requirat, nihil in ſe vitiis licere permittat, qui Deum patrem cœleſtem reperit ad naturam: ne iterum ad terrena deſcendens ad ipſam tanti genitoris tendat injuriam.* Quare ne ad terram vertat mentis oculos & voluntatis affectus, ſed tum mentem, tum voluntatem, ad cœlum erigat, monetur ſe habere patrem cœleſtem, & debere in cœlis converſatione demorari. *Non quod non ſis in terris, ſed te qui cœleſtem Patrem jam vocas, ad cœleſtem vult tendere, & repetere jam naturam, ut generi tanto vita noſtra reſpondeat, ne terreni mores degenerent, quos cœleſtis donavit, & contulit jam natura.* Quando autem dicimus patrem noſtrum eſſe in cœlis, hoc eſt ita intelligendum: *non quòd ille non ſit in terra, ſed ut tu per hoc germen eſſe noveris te cœleſtem.* Qui cœleſtem agnoſcunt Patrem, plane cœleſtes ſunt. *Cujus genus ſumus; ejus cenſemur & nomine.*

Tert. l. 2 ad Nat. 12
Tert.
Chryſol. Ser. 63
Chryſol Ser. 69
Chryſol. Ser. 70
Chryſol. Ser. 67

Neque ſatis eſt Chriſtiano qui eſt *Cœli diſcipulus*, Patris cœleſtis filius, eſſe cœleſtem nomine, niſi ſe cœleſtem vita & operatione demonſtret. Tunc autem ſe cœli diſcipulũ, & Patris filium profitetur, quando ſeparatus à terra mu-

Tert. Apol 47
Chryſol. Ser. 71

municipatum ſuum habet in cœlo. *Homo quid commune cum terris tibi, qui cōfiteris tibi genus eſſe de cœlis? Ergo cœleſtem vitam monſtra in habitatione terrena: qui ſi quid in te geſſerit terrena cogitatio, cœlo maculam, cœleſti generi injuriā contuliſti.* Quot ſunt hac tempeſtate Chriſtiano nomine indigni, qui cœlo maculam, & cœleſti generi injuriam conferunt? Tot ſcilicet quot ſunt, qui cor ſuum in terra habent affixum: quos non cœli, ſed *terræ filios jactitamus.* Veri Chriſtiani Dei filii; virtute fulgentes, ſunt *cœleſtes homines* gratia ſanctificati, à terra mente & voluntate ſeparati, & divino cultui conſecrati. Tert. l. 2 ad Nat. 22 Tert. Scorp. 10

3. In baptiſmate *caro abluitur ut anima emaculetur: caro ungitur ut anima conſecretur.* Binum refert effectum baptiſmi; ſanctificationem ſcilicet & conſecrationē. Sanctificatio fit per infuſionem gratiæ, conſecratio verò per impreſſionem characteris: S. Vincentius Ferrerius exiſtimat quòd Joannes Baptiſta & Virgo ſuſceperunt baptiſma, non receperunt tamen primum effectum baptiſmi, quia Deipara fuit concepta in gratia, & Præcurſor Salvatoris ſanctificatus in utero matris, ſed ſecundum, nempe characterem: *Mithra ſignat in frontibus milites ſuos*, æmulatione unctionis Chriſtianæ: & Chriſtus in anima ſuorum ſacrum imprimit characterem. Deus in veteri Teſtamento eligens peculiariter populum Judaicum, dedit illi circuncisionem qua ab aliis gentibus ſepararetur: & in novo Teſtamento ſibi ſpecialiter devovens Chriſtianos ſignat eos charactere indelebili: Res Deo dicatæ, ſunt *cultu conſecrationis* ſanctificatæ, ut patet ex Templis, altaribus, vaſis ſacris: quare Chriſtianis in baptiſmate initiatis aptari poſſunt hæc verba: *En Deus elegit te hodie, ut ſis populus ſanctus Domini Dei tui.* Res conſecratæ ad Dei cultum deputantur, quia, ut docet Doctor Angelicus, *ſanctificatio eſt deputatio ad cultum Dei.* Quod Judæis declarat ipſemet Deus, *Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos à cæteris populis, ut eſſetis mei*; & Chriſtiani poſt ſuſceptum baptiſma Dei ſervi *municipali conſecratione cenſentur.* Res Deo ſacratæ uſui prophano nequeunt deſervire *quaſi ſtatum conſecratione mutantes*; & Chriſtianus ſacro charactere ſignatus, & Deo dicatus, non mundo, ſed divino cultui eſt addictus. At proh dolor! de multis Chriſtianis poteſt fieri eadem querela, quam faciebat alias Propheta de templo: *Diſperſi ſunt omnes lapides ſanctuarii in medio platearum.* Tert. l. de Reſ. 8 Fer. 6 poſt Dō. Adv. Tert. l. de Præſ. hær. 40 Tert. l. de Cor. mil. 10 Deuter. 26 22. q 81. a. 8 Deuter. 20 Tert. Apol. 24 Tert. Apol 12 Thren. 4

Qui polluit vaſa ſacra, prophanator eſt. Sacerdos pravus ſacrilegus eſt, qui characterem ordinis contaminat. Religioſus in profeſſionē ſuam delinquēs apoſtata eſt, & ſceleroſus Chriſtianus, eſt prophanator, ſacrilegus, & apoſtata; & monſtrum in religione. *Omne quod contra naturam eſt, monſtri meretur nomen penes omnes: penes nos verò etiam elogium ſacrilegii in Deum naturæ Dominum & auctorem.* Prophanatores & ſacrilegi maximo puniuntur ſupplicio: & criminoſi Chriſtiani graviſſima in inferno luent ſupplicia: nam ultra pœnā damni & ſenſus, habebunt ſemper ante oculos characterem baptiſmi velut partem quæ eos accuſabit, judicem qui condemnabit, & tortorem qui eos cruciabit, eo quod ſceleroſam & impiam duxerint vitam, deferentes nomē ſanctitatis & pietatis. Tert. l. de Cor. mil. 3

Deus

III. PARS *Deus ita eſt credendus & colendus, ut diſciplina diſpoſita eſt Chriſtianorum.* Sola Chriſtianorum diſciplina Deum vere cognoſcit & colit. Quod à Prophetis vaticinatum refert Tertullianus. Chriſtiani namque vatum teſtimonio erant, *Deum agnituri, & omni officio religionis proſecuturi*: Religio & pietas ita eſt propria Chriſtianorum, ut dixerit D. Auguſtinus: *Chriſtianus pietatis nomē eſt*, quia omnimoda pietate Deum colunt Chriſtiani, de quo ipſimet gloriantur: *Nos integrum & totum Deum colimus.* Licèt enim Deus ſit ſimpliciſſimus nec partiri poſſit: ſunt tamen in illo variæ perfectiones, quas diverſis pietatis officiis proſequuntur Chriſtiani. In præſenti autem illum conſidero ut dominum, ut Patrem, ut Deum. In baptiſmate autem Chriſtiani facti ſunt ſervi ſupremi illius Domini: Filii hujus cœleſtis Patris: & Sacerdotes magni illius Dei: Ex pietate autem 1. ſervi Domino obtemperant: 2. filii reverentiam patri præſtant: 3. Sacerdotes Deo hoſtias ſacrificant.

Tert. Apol. 23 — L. 3. adv. Marc. 6 — L. de Vit. Chr. 6 — Tert. Apol. 16

1. Chriſtiane, *ſervus es Chriſti*, qui te ſigillo ſignavit. Domini olim in corpore ſervorum ſuæ dominationis imprimebant inſignia: Chriſtianus defert non in corpore, ſed in anima, inſigne dominii Chriſti; non ſolum, *per imaginem animæ impreſſam*, quam in ſua productione ſuſcepit, ſed etiam per ſuſceptionem characteris quo in baptiſmo ſignatus eſt, quem Guillelmus Pariſienſis *ſignaculum & ſtigma inſeparabile* nuncupat. Chriſtianus divino ſignaculo notatus, tria ſupremo Domino præſtare tenetur: 1. Timorem: *Dominū ſimul cognoveris, timeas.* In hoc timore inchoatam pietatem agnoſcit D. Auguſtinus: *Pietas timore inchoatur.* 2. Debet reverentiam: nam ut addit Tertullianus; *Dominum ſimul inſpexeris, reverearis.* Hæc autem reverentia pietate naſcitur, & pietatem importat. *Pietas vera eſt verax veri Dei cultus.* 3. Chriſtianus Domino debet obſequium, quod oſtentat Tertullianus: *Igitur ſi probos quoſque ſervos & bonæ mentis pro ingenio dominico converſari videmus (ſiquidem artificium promerendi obſequium eſt: obſequii verò diſciplina morigera ſubjectio eſt:) quanto magis nos ſecundùm Dominum moratos inveniri oportet, ſervos ſcilicet Dei vivi?* Lactantius autem Firmianus in hoc obſequio ad dominica præcepta, pietatem & Dei cultum conſtituit. *Quiſquis omnibus præceptis cœleſtibus obtemperat, hic eſt vere Dei cultor.*

Tert. l. de Cor. mil. 13 — Baſil. Mag. hom. 10 — L. de Leg. c. 3 — Tert. l. de Pœn. 6 — L. de ver. Relig. 17 — D. Aug. l. 4 Civ. 23 — L. de Pat. 4 — L. de Inſt. 24

Dixit aliàs D. Auguſtinus: *Sicut magna pietas paucorum eſt, ita & magna impietas paucorum eſt.* Salva tamen tanti Doctoris venia, plures ſunt hac ætate Chriſtiani magna pietate coruſcantes, ſed adhuc multo plures magnæ impietatis indicia præbentes, qui Dominum non timent, nec reverentur, nec mandatis ejus obtemperant. 1. Dominum non metuunt, & hic defectus timoris ex impietate procedit: *Impii minus metuunt.* 2. Dominum non reverentur, ſed ejus majeſtatem deſpiciunt & irrident religionem: *Quoniam impleverunt impietates ſuas, & ecce ipſi quaſi ſubſannantes.* 3. Dominicis mandatis non obtemperant, ſed ejus dominium dedignantes, *impatientes Dei vivunt.* Horum impietas magna eſt profecto, *eripiens Deo hominem, Domino famulum, patri filium.*

Serm. 10 de Verb. Dom. — Tert. Apol. 7 — Tert. lib. adv. Jud. 11 — Tert. l. de Pat. 15 — Tert. l. 1 adv. Marc. 23

2. Nihil non tentavit Deus, ut ab hominibus officia pietatis reciperet:

Sed

Sed & gratius nomen eſt pietatis, quam poteſtatis, etiam familiæ magis Patres, quam Domini vocantur: Ut hoc pietatis nomine ad ſuum cultum homines alliceret Deus, ſumpſit Patris nomen; *dicendo autem Patrem, Deum quoque cognominamus, appellatio iſta & pietatis & poteſtatis eſt.* Deus qui nuncupari poteſt pater cunctarum creaturarum, quarum eſt auctor, ſpecialiter eſt pater Chriſtiani quem in baptiſmate generavit; de quo fatur Tertullianus tanquam *de ſanctiſſimo lavacro novi natalis*. In illo ſiquidem homo *renaſcitur ad ſalutem* & ſanctitatem recipit qua Deo aſſimilatur, ejuſque filius efficitur.

Tert. Apol. 14.
Tert. l. de Orat. 1.
L. de Bapt. 20.
D. Aug. Tract. 12. in Ioan.

Multi pii nomen affectarunt. Ludovicus, Francorum Rex, & Caroli Magni filius, Pius eſt cognominatus, Antoninus Imperator eſt etiam vocitatus Pius. Inter ſummos Pontifices quinque fuerunt hoc nomine inſigniti, & Pius quintus eſt Sanctorum catalogo adſcriptus. Verum *tam pater nemo, tam pius nemo* ac Deus, qui Chriſtiano in baptiſmate plura largitus eſt pietatis dona, ut ab illo pietatis accipiat monumenta. Utinam *quam pius pater, tam pius filius.*

Tert. lib. 2. ad Nat. 11.
Tert. l. de Pœn. 8.
Tert. lib. 2. ad Nat. 13.

Quod ſi inquiras quomodo Chriſtianus Dei Filius erga patrem demonſtrabit pietatem, & quomodo Deum colet, reſpondet D. Auguſtinus: Deum eſſe *Fide, Spe, & Charitate colendum.* 1. Fide colitur Deus à Chriſtiano: *Non enim omnium credere eſt, quod Chriſtianorum eſt.* 2. Spe colitur Deus, ideo Chriſtianis in baptiſmate infundit ſpei ſupernaturalis habitum, *Ut in illam ſpem æternæ ſalutis erigeret illos, & averteret à reſpectu præſentium rerum.* 3. Colitur Deus Charitate, quæ eſt *Chriſtiani nominis theſaurus.* Ut enim ratiocinatur D. Auguſtinus, *quid eſt pietas niſi Dei cultus, & unde colitur niſi charitate?*

In Enchir. c. 3.
Tert. l. de An. 6.
Tert. lib. de Reſur. 31.
Tert. l. de Pat. 12.
Ep. 29. ad Hier.

Videat Chriſtianus ſi Deum colat, ſi ſit Dei filius pietate commendatus, ſi habeat fidē, ſpem, & charitatē: *& tunc dicat, Natus ſum ex Deo*: Si vero Deo non credit, in Deum non ſperat, Deum non amat: Deum pietate non colit, nec ejus eſt filius, Deus illi hoc ipſum exprobrat quod impio Judæo: *Pater tuus Amorrhæus, mater tua Cethea, ob conſimilem impietatem.* Eodem modo rejicitur à Deo ſceleroſus Chriſtianus, nec filius agnoſcitur, *ſub pio impius*, qui cœleſtem Patrem non colit fide, ſpe, & charitate, nec ullo religionis officio veneratur.

D. Aug. Tract. 5. in Ep. Ioan.
Lib. 3. adv. Marc. 19.
Tert. l. de Mon. 7.

3. *Ieſus ſummus Sacerdos & verus Patres, de ſuo veſtiens Sacerdotes, (quia qui in Chriſto tinguntur, Chriſtum induerunt) Sacerdotes Deo patri ſuo fecit.* Quamvis non omnes Chriſtiani ſint clerici, & ſacramento Ordinis initiati; ſunt tamen ad Sacerdotale munus aſſumpti, hoc illis officium demandatum eſt in baptiſmate, in quo de Chriſto ſummo Pontifice infulis Sacerdotalibus veſtiti ſunt. *Nonne & laïci Sacerdotes ſumus*, & hujuſmodi *regale ſacerdotium* competit cūctis Chriſtianis cujuſvis ſexus & conditionis? Hoſtiæ autem quas Deo poſſunt offerre, aliæ ſunt corporeæ, aliæ ſpirituales, aliæ mixtæ, partim corporeæ, partim ſpirituales. Hoſtiæ corporeæ ſunt jejunia, carnis macerationes; *Afflictatio carnis hoſtia Domino placatoria.* 2. Hoſtiæ ſpirituales ſunt motus animi, internæ virtutes, anima gratia & ſanctitate decorata, quam nuncupat Ter-

Tert.
1. Pet. 2.
Tert. l. de Pat. 7.

Lib. de Idol. 6. Tertullianus *ſaginatiorem, auratiorem, & majorem hoſtiam.* De hoc ſacrificio
L. 6. Inſt. 24. à Chriſtiano Deo oblato loquitur Lactantius Firmianus: (Cujus ſacrificia ſunt manſuetudo animi, & vita innocens, & actus boni: quæ omnia qui exhibet, toties ſanctificat, quoties bonum & pium aliquid fecerit.) Hæc ſunt ſacrificia pietatis, quæ offerunt Chriſtiani, ad quos virtute baptiſmi pertinet
1. Ep. Pet. 2. *offerre ſpiritales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.* 3. Hoſtiæ mixtæ tum animam tum corpus importaut, ut eleemoſynæ quæ ab animi compaſſione oriuntur, & per manus erogantur; ſuntque, ut ait Tertullianus, *depoſita pietatis.*
Apol. 39. Orationes etiam, quæ elevationem mentis, & oris voces comple-
Hom. 41. In 1. Cor. ctuntur; ut enim fatur D. Chryſoſtomus, *Communis totius orbis victima, preces ſunt*: hæ ſunt hoſtiæ pietatis quas Chriſtiani ſacerdotes in baptiſmate initia-
Tert. l. de Spect. 3. ti, Deo offerunt, quas denegant ſceleroſi Chriſtiani, quibus *minus impii ethni-*
Tert. l. 1. ad Nat. 3. *ci, minus peccatores, minus hoſtes Chriſti.* Loquitur de Judæis Tertullianus. Verum hæc verba probe hæreticos feriunt, ut conſtat ex Lutheranis & Calvini-
Tert. l. 1. adv. Marc. 19. ſtis, *tam horrendis, & omnem impietatem ſupergreſſis.* Nec mirum ſit tot nefanda & ſacrilega patrarunt poſt apoſtaſiam à religione, ab Eccleſia, à Deo.
Tert. l. 5. adv. Marc. 15. *Quid enim illis poſt blaſphemiam inlicitum eſt*: Hæreticorum *aquavit impietates* perverſus Chriſtianus, nomine tenus catholicus, *Deo impius, patri irreligioſus*
Tert. l. 1. adv. Marc. 13. *Domino nequam,* à quo maxime diſtat verus Chriſtianus, qui *pudori impia habet,* & pietatis officia reddit quæ debet ſervus Domino, filius Patri, & ſacer-
Tert. l. 1. ad Nat. 1. dos Deo.

CONCIO SECUNDA.

Tert. Apol. 1. *Chriſtianus nullius criminis nomen eſt.* Chriſtiani ita olim erant immunes à criminibus, ut criminoſi, Chriſtiano nomine indigni cenſerentur. Et, ut
Apol. 46. ait Tertullianus, *deſinunt Chriſtiani haberi penes nos.* Nam licet cum crimine non deperderent fidem, (quæ non amittitur niſi per infidelitatẽ aut hæreſim) attamen fideles hujus ætatis cupiebant tanta innocentia pollere, ut de nullo ſcelere poſſent culpari: & ſi aliquando incarcerabantur & luebant pœnas ab iniquis judicibus & crudelibus tyrannis, pro tuenda virtute & defenſanda religionis veritate duntaxat patiebantur. Quod Scapulæ Carthaginis præfecto & Chriſtianorum inhumano perſecutori exprobrant Martyres: *Pro tanta*
Tert. *ta innocentia, pro tanta probitate, pro tanta juſtitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo cremamur.* Chriſtiani & Gentiles in eiſdem carceribus detinebantur, eadem ſuſtinebant ſuppliciorum genera, ſed diverſa ratione, Gentiles propter vitia, Chriſtiani propter virtutes: Gentiles ob crimina, Chriſtiani ob innocentiam: Gentiles pro impietate, Chriſtiani pro religione. Adeo enim integri erant moribus: & vita innocui, ut ſolũ pro cauſa fidei, à tyrannis impiis & ſceleroſis, in cuſtodias detruderentur; & tormẽtis manciparentur. In cujus fidem teſtes advocant Romanos Judices. *Veſtros enim*

jam

jam conteſtamur actus, qui quotidie judicādis cuſtodiis præſidetis, qui ſententiis elogia diſpungitis. Tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recenſentur: quis ex Chriſtianis etiam talis, quales tot nocentes? De veſtris ſemper æſtuat carcer, de veſtris metalla ſuſpirant: de veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur: de veſtris ſemper munerarii noxiorum greges paſcunt. Nemo illic Chriſtianus, niſi hoc tantum, aut ſi aliud, jam non Chriſtianus. Varias recenſet ſpecies pœnarum, quas meritò tolerabant Gentiles criminoſi ob facinora ab ipſis patrata, & quas injuſte patiebantur pro religione innocentes Chriſtiani. Nam ſi quis innocentiæ Chriſtianæ immemor ob commiſſa ab ipſo ſcelera in ergaſtulis detinebatur & ad ſupplicium condemnabatur, habebatur à fidelibus: 1. Chriſtiani nominis uſurpator: 2. Chriſti negator: 3. Religionis perſecutor.

Tert. Apol. 44.

Cum aliquos de noſtris malos probatis, jam hoc ipſo Chriſtianos non probatis. Chriſtianæ diſciplinæ probitas immunis eſt ab omni gentilium improbitate: & quanquam Ethnici cunctis ſint criminibus dedecorati; *In nobis ſolis pudet aut piget, ipſis nominibus ſcelerum pronuntiare.* Quod ſi ab ipſis ſcelerum nominibus abſtinemus, ne ipſa pronuntiatio nos quodammodo contaminet: *Viderint qui ſectam mentiuntur, quos & ipſi recuſamus:* qui ſuis criminibus diſciplinæ puritatem commaculant, à nobis recuſantur, tanquam indigni nomine Chriſtiano quot portant, 1. vane: 2. criminoſe: 3. damnabiliter.

I. PARS

Tert. lib. 1. de Nat. 5.

Tert. Apol. 2.

Tert. l. ad Scap. 4.

1. Sunt quamplures hac ætate qui *nominis phantaſma affectant.* Nonnulli Equites vocantur qui nunquam in ordine Equitum recepti ſunt; alii Barones vel Marchiones nuncupantur, qui inter nobiles nequeunt numerari, alii Abbates appellantur, qui nullo Eccleſiaſtico beneficio gaudent. (Quam multi vocantur Medici qui curare non norunt; quam multi vocātur vigiles qui tota nocte dormiunt! ſic multi vocantur Chriſtiani & in rebus Chriſtianis non inveniuntur: quia hoc vocantur quod non ſunt, ideſt in vita, in moribus, in fide, in ſpe, in charitate.) Nec attendunt quod vane Chriſtiani nomen ferunt: Nam *quid prodeſt nomen ubi res non eſt?* Illud autem eſt vanum quod nihil prodeſt: qui ſunt hujuſmodi, ſunt *plane & ipſi imaginarii Chriſtiani*: quia 1. nullum Chriſtiani indicium oſtentant: (Nam tu illum Chriſtianum putas, in quo nullus chriſtianitatis eſt actus?) 2. Illud eſt imaginarium quod rei caret veritate & ſolam externam figuram præ ſe fert. Ut autem bellè ait Tertullianus, in illis imaginariis Chriſtianis, non eſt vera Chriſtiani ratio, ſed tantum *hominis Chriſtiani extrinſecùs ſuperficies.* 3. Sunt velut monſtrum ab imaginatione productum, & præſertim Tertullianus imaginarios vocitavit Chriſtianos; *ut ipſam fidem monſtruoſiſſimam oſtenderet.* Monſtrum eſt imaginationis figmentum, phantaſia ſiquidem diverſas ſimul adunat naturas, ex quibus monſtrum componit: Caput habens leonis, corpus equi, alas aquilæ, caudam draconis: & ejuſmodi monſtrum à phantaſia formatum nullum habet eſſe reale, ſed in imaginatione tantum exiſtit. Talis eſt imaginarius Chriſtianus; habet enim fidem Chriſtiani, mores Ethnici: credit ut fidelis, vivit ut idololatra; ideoque velut monſtrum eſt. (In parte

Tert. l. 3. adv. Marc. 15.

D. Aug. Tract. 1. in Ioan.

D. Auth.

Tert lib. adv. Val 17.

D. Aug. l. de Vit. Chr. 10.

Lib. de Præſc. Hær. 4.

Tert. l. 3. adv. Marc. 4.

Guillel. Par. 1. p. Ser. 71.

enim

ctitatem denotat: Sacramentum eſt res ſacra divino cultui dicata, & Chriſtianus in baptiſmate ſacro charactere fuit inſignitus, ut hoc ſigno ſpecialiter Deo manciparetur: Qui indigne ſacramentum ſuſcipit eſt prophanator; qui criminoſe Chriſtianum nomen portat: eſt adhuc prophanator, quia ſuis ſceleribus nomen ſanctum & Deo ſacratum contaminat. Quem ideo pungit Baſilius Seleucus: *Cur igitur appellationi cujus virtute cares, contumeliam irrogas? quid geſtas cognomen, quod perſona probro fit? factis appellationem impugnas, & calumnia nomen tuum afficis.* Eumdem inſequitur Salvianus, tanquã qui nominis Chriſtiani valorem depretiet, dignitatem dejiciat; & ſanctitatẽ prophanet. (Quo fit ut etiam nos, qui nos Chriſtianos eſſe dicimus, perdamus vim tanti nominis vitio pravitatis. Omnino enim nihil prodeſt nomen ſanctum habere ſine moribus: quia vita à profeſſione diſcordans, abrogat illuſtris tituli honorem, per indignorum actuũ vilitatẽ.) Inde quantum ſint criminoſi perverſi Chriſtiani, recte colligit Salvianus: *Quid eſt quod nobis de Chriſtiano nomine blandimur, cum utique hoc ipſo magis per nomẽ ſacratiſſimum rei ſumus, qui à ſancto nomine diſcrepamus,* quòd criminoſe & damnabiliter ferimus? Orat. 7. Lib. 3. de Provid.

3. *Sed nobis quidem vaſi exceſſerimus in aliquo diſciplina jugum.* Quantis maledictionibus plectendus eſt ſceleroſus Chriſtianus, qui ſuis criminibus omne diſciplinæ Chriſtianæ jugum dejicit; Gentiles alias *Chriſtianum hominem omnium ſcelerum reum, Deorum, Imperatorum, legum, morum* exiſtimabant. Sceleroſus Chriſtianus eſt omnium reus: nam peccat in Deum, in Chriſtum, in religionem, in fideles, in infideles, in ſeipſum. 1. Peccat in Deum, quem filii hominum, ob illius pravitatem, blaſphemant. Quod eleganter his verbis declarat Salvianus. (Cujus ergo criminis rei ſunt Chriſtiani? Ex hoc uno intelligi poteſt, quod Dei nomen infamant. Cum ipſe Servator noſter ad nos quotidie clamet: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant filii hominũ opera veſtra bona, & magnificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt; nos ita vivimus è contrario, ut filii hominum videant opera noſtra mala, & blaſphement Patrem noſtrum qui in cœlis eſt.) Chriſtiani autem nullam gentilibus Deum blaſphemandi debent præbere anſam. *Porro blaſphemia qua nobis omnino devitanda eſt, hac opinor eſt: ſi quis noſtrum ad juſtam blaſphemiam ethnicum deducat.* 2. Peccat in Chriſtum, quem ſui ſceleris magiſtrum proclamat: nam cum nomen & diſciplinam à Chriſto deſumat, ſuis criminibus probat *malam ſectam, malum auctorem, & nomen malum digno modio de reatu ſecta & auctoris.* Nam ut bellè ait ad propoſitum Salvianus: *Æſtimari itaque de cultoribus ſuis poteſt, ille qui colitur*; & ſicut ex bonis Chriſtianis, Chriſti ſanctitas & Chriſtianæ diſciplinæ veritas colligitur: ita à pravis Chriſtianis, inferunt infideles Chriſtum eſſe ſceleroſum, & doctrinam ejus falſam & mendacem: *Sancta à Chriſtianis fierent, ſi Chriſtus ſancta docuiſſet.* 3. Peccat in Religionem, quam dedecorat, & ut ſceleroſam demonſtrat. Nam *de genere converſationis qualitas fidei æſtimari poteſt: doctrina index diſciplina eſt.* Quales

Tert. lib. adv. Val. 3. Tert. Apol. 1. Lib. 4. de Provid. 4. Tert. l. de Idol. 14. Tert. Apol. 3. Lib. 4. de Provid. Salv. Tert. l. de Præſc. hær. 41.

nietur:& hanc pœnam merito luet,ut Chriſtiani nominis uſurpator,& Chriſti Domini negator.

II. PARS.

Manifeſta definitio & ratio eſt,tam confeſſionis quam negationis. Etenim qui ſe confitetur Chriſtianum,Chriſtum etiam confitetur, qui autem ſe Chriſtianũ negat, Chriſtũ quoque negat.Quanta peccatoris cœcitas, qui ſuis ſceleribus efficitur: 1.fidei ſuæ interfector: 2.Chriſti negator: 3.Religionis deſertor! Tert. Scorp.9.

1.*Accepimus benedictionem ſpiritualem per fidem,ex qua vivet juſtus.* Vita fidei ex qua vivit juſtus,tria importat, 1.Formam ipſius: 2. effectus: 3. motus. 1. Forma fidei eſt charitas, nam ſicut anima vivificat cordus, ita charitas vivificat animam: Ab anima perficitur animatũ corpus: Eodem modo ratiocinatur ad propoſitum Apoſtolus *propter fidei prælationem,illius fidei quam dicendo per dilectionem perfici.* 2.Effectus fidei ſunt bona opera: quare nuncupatur à Tertulliano *Fides obſervatrix*: Ut enim flores & fructus denotant vitam & virtutem arboris à qua dimanant, ita bona opera ſunt *argumenta fidei*:quæ ejus veritatem demonſtrant. 3. Motus fidei eſt praxis & regula fidei, ſecundũ quam Chriſtiani vita dirigitur. Ut enim ait Tertullianus, *à fide etiam ipſa vita noſtra cenſetur.* Animadvertit autem D. Auguſtinus, quod (fides appellata eſt ab eo quod fit,quod dicitur. Duę ſyllabæ ſonant cum dicitur fides; prima ſyllaba eſt à facto,ſecunda à dicto. Fac quod dicis & fides eſt.) Inde cõcludit D. Auguſt. *Difficile eſt ut male vivat,qui bene credit*: Sicut autem vita innocua arguit veritatem fidei;ita vita ſceleroſa fidei defectum denotat. Nam *quid eſt aliud,quam prævaricatio fidei?* In criminoſo namq; peccatore mortua eſt fides: nam neque informatur à charitate:ex D.etenim Bernardo;*Mors fidei eſt ſeparatio charitatis.* Neque 2.bona producit opera, quæ ejus denotent vitam:nam ut addit D.Bernardus:*quid eſt fides quæ non operatur,niſi cadaver exanime?* Neq; 3.habet motum quo ad praxim & exercitium redigatur. Quapropter ſceleroſi male vivunt,& *per infirmitatem fidei ſua offendunt.* Quot autem peccata committunt, tot ſunt *vulnera fidei*; quibus ad vitam fidei attentant. Quare ſceleroſus dicitur à Bernardo *fidei interfector:* quia 1.eam interficit in corde ſeparando à charitate:2.eam interficit in aliorum æſtimatione,ante quos *debemus ſancte & tota fidei ſubſtantia incedere*; ideſt ore & opere oſtentare fidem: 3.eam interficit in intellectu;nam crimina ad hæreſim conducunt: & *ita fidem meam deſerens,negator invenior.*

Tert. l 5. adv. Marc. 8. — Lib 5. adv. Marc. 5. — Lib. de Cor. Mil. 4. — D. Bern. Ser. de Reſur. — L. ad Mon. 11. — Ser. 181 de Temp. — Tert. l. de Idol 20. — Se. 124. in Cant. — Tert. l. de Fug. in Perſ. 9. — Tert. l. 2. ad Ux. 3. — Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 2.

2.*Nefas eſt ulli de ſua Religione mentiri. Eo enim quod aliud à ſe coli dicit quã colit,negat quod colit,& culturã in alterũ transfert: & transferendo jam non colit, quam negavit.* Quoties peccat ſceleroſus Chriſtianus,toties de ſua Religione mentitur; cui ſuis pravis moribus contradicit:& ulterius Chriſtũ negat,quia quot habet ſuorum criminũ objecta, tot ſunt divinitates quas colit, & in illas cultum Chriſto debitum transfert,& transferendo negat Chriſtũ.*Eſt fides & corde ſervanda,& ore promenda,*& ulterius opere demonſtranda. Criminoſus autem Chriſtianus non confitetur Chriſtum,neque opere,neque voce,ſed eum tum manu,tum ore negat. Manu, nam verbis (confitentur ſe noſſe

Tert. l. de Præſ. Hær. 11. — Tert. Apol. 28. — D. Aug. Ser. 181. de Temp. — Ad Tim. 1.

Deum, factis autem negant.) Quod hac ratiocinatione demonſtrat Tertullianus: *Qui ſe Chriſtianum confitetur, Chriſti eſſe teſtatur: qui Chriſti eſt, in Chriſto ſit neceſſe eſt : ſi in Chriſto eſt, in Chriſto utique confitetur, cum ſe Chriſtianum confitetur: Hoc enim non poteſt eſſe niſi ſit in Chriſto. Porro in Chriſto confitendo Chriſtum quoque confitetur qui ſit Chriſto, dum & ipſe in illo eſt, utpote Chriſtianus.* Obſcura ſane ratiocinatio, quæ illuſtratur advertendo duo: Unum, Chriſtianum non eſſe Chriſtianum, niſi per Chriſtum; aliud, verum Chriſtianum debere eſſe Chriſto unitum per gratiam & charitatem : quo ſuppoſito recte infertur, quod Chriſtianus ſeſe Chriſtianum per bona opera demonſtrans confitetur Chriſtum : tum quia ſe Chriſto unitum oſtendit; tum quia teſtatur accepiſſe à Chriſto ſanctitatem, quæ eſt eſſentia Chriſtiani, à qua bona opera dimanant. Quod hoc exemplo elucidat Tertullianus: *Si diem dixeris, lucis rem oſtendis, quæ diem præſtat, licet non dixeris lucem. Ita qui ſe confitetur Chriſtianum, etiam id per quod eſt, id eſt Chriſtum, confitetur.* Et quia contrariorum eadem eſt ratio: *Proinde qui ſe negavit Chriſtianum, in Chriſto negavit, negando ſe in Chriſto eſſe, dum negat ſe Chriſtianum, Chriſtum autem in ſe negando, dum ſe in Chriſto negat, Chriſtum quoque negabit.* Prava opera negant Chriſtianum, & conſequenter negant Chriſtum, à cujus ſanctitate non procedunt, & cum quo per gratiam non eſt unitus peccator. 2. Ore negat Chriſtum ad inſtar Petri qui ter negavit Dominum, ut ipſemet aſſeverat Salvator : *Ter me negabis* : Quæ verba difficultate non carent; nam *ab eis negatur Chriſtus qui dicunt eum non eſſe Chriſtum* : At Petrus qui olim de cœlo edoctus dixit (Tu es Chriſtus filius Dei vivi,) nunquã negavit Jeſum eſſe Chriſtum & Dei filium, ſed tantum negavit hominem illum noviſſe; cum eo in horto fuiſſe; ſe ex diſcipulis ejus eſſe. Aliud eſt autẽ negare ſe eſſe Chriſti diſcipulũ, aliud negare Magiſtrum ſuum non eſſe Chriſtum, nec Dei filium. Hoc dubium non latuit ingenium D. Auguſtini, qui ſic peracute reſpondet (Dominus non ait Petro, Diſcipulum meum te negabis, ſed me negabis. Negavit ergo ipſum, cũ ſe negavit eſſe diſcipulum.) Negat Chriſtum eſſe Deum, qui ſe ejus eſſe diſcipulum timet aut erubeſcit. Quod ſi Petrus ex puſillanimitate & voce tantum, negando ſe eſſe diſcipulum Chriſti, ejus negavit divinitatem, quanto magis ſceleroſi Chriſtiani Chriſtum negant, qui eum non ex formidine, ſed ex crimine: non verbis tantum, ſed factis negant ? Ut tamen animadvertit Guillemus Pariſienſis; (magis contumelioſa videtur negatio Chriſtiani, quã Judæi, quam Saraceni) tum quia Judæus aut Saracenus non credit Chriſtum eſſe Deum, Chriſtianus vero Chriſti divinitatem confitetur: tum quia Judæus aut Saracenus non eſt addictus ſervitio Chriſti; Chriſtianus vero Chriſti cultui mancipatus, ejus eſt negator, & Religionis Chriſtianæ deſertor.

Scorp. 9. — Matth. 16. — D. Aug. Tract. 113. in Ioan.

3. Fuit alias *perditiſſimus etiam ſuæ religionis deſertor.* Quot ſunt hac ætate deſertores religionis ? tot ſcilicet, *quot ſunt deſertores bonæ vitæ.* Quot autem ſunt peccatores, tot ſunt deſertores bonæ vitæ, & conſequenter deſer-

Tert. l. 1. ad Nat. 14. — Tert. l. 1. ad Nat. 1.

deſertores religionis. Nam ſi inquiramus cum Tertulliano, *ubi eſt religio?*
Eam non invenimus apud calviniſtas, qui ſunt homines religionis prætenſæ Apol 6.
duntaxat. Nec adhuc reperienda eſt apud ſuperbos, libidinoſos, avaros, ali- Tert.
oſque ſceleroſos, qui *arcentur à religionis proprietate.* Imò ut bellè philoſo- Apol. 24.
phatur Guillelmus Pariſienſis hujuſmodi criminoſus Chriſtianus (nullius le-
gis eſſe videtur: Legis enim Chriſtianæ non videtur eſſe; cum ipſe ſit ejus
transgreſſor: Legis etiam Judæorum non videtur eſſe, cùm eam non obſer-
vet: Nec legis Saracenorum, cum legis Mahometi neſcius ſit. Judæi vero &
Saraceni legis alicujus ſunt, licet in ea non ſalventur.) Ille vero *tunc frater,* Tert. l. 1.
tunc apoſtata; in quo deterior eſt quam Judæus vel Turca. (Sicut deterioris adv. Marc. 1.
conditionis eſt, qui aliquando fuit alicujus Ordinis, & apoſtatavit, quam ſi Guillel.
nunquam fuiſſet alicujus Ordinis, ſic deterioris conditionis videtur
eſſe malus Chriſtianus qui ab ordine Chriſtianæ religionis apoſtata-
vit, quantum ad hoc, quam Judæus & Saracenus, qui nunquam in illo Ordi-
ne fuit.) *Perſecutio & martyres facit, hæreſis apoſtatas tantum.* Tale crimen ſi- Tert. lib
mul efficit & martyres diaboli & religionis apoſtatas. Hos adhuc Antichri- de Præſc. Hær. 4.
ſtos vocitat Tertullianus: *Qui Antichriſti interim & ſemper, niſi Chriſti rebelles?*
Illi autem ſunt Chriſti rebelles, vel qui ſunt *rebelles lumini* ſive fidei, ſive gra- Iob. 24.
tiæ, vel qui authoritati ejus nolunt ſe ſubjicere, & ut fatur Tertullianus, *im-*
patientes Dei vivunt. Vel quia pravis ſuis dogmatibus & operationibus diſci- L. de Pat.
plinam Chriſti evertere moliuntur. Vel tandem quorum vita ex diverſo pe- 15.
nitus oppoſita eſt Chriſto. Ut enim ait D. Auguſtinus: *Latine Antichriſtus di-*
citur contrarius Chriſto. Antichriſtus dupliciter ſumitur: 1. pro filio peccati, Tra. 3. in
qui ante ſecundum adventum Chriſti veniet, ad Chriſtianam religionem Ep. Ioan.
oppugnandam: de quo ſic fatur Tertullianus: (Quis autem eſt homo deli-
cti, filius perditionis quem revelari prius oportet ante Domini adventum, Lib. 5 adv.
extollens ſe ſuper omne quod Deus dicitur, & omnem religionem, conſeſſu- Marc. 16.
rus in Templo Dei, & Deum ſe jactaturus? Secundum nos quidem Antichri-
ſtus, ut docent veteres, & novæ prophetæ.) 2. Pro homine Chriſti vel doctri-
næ, vel ſanctitati contrario. *Antichriſtus, id eſt contrarius Chriſto.* Antichriſtus
primo modo ſumptus, unicus erit venturus in noviſſimis diebus: Antichri-
ſtus ſecundo modo ſumptus multiplex. Nam *Ioannes Apoſtolus jam Antichri-* Tert.
ſtos dicit proceſſiſſe in mundum. Ex D. etiā Chryſoſtomo, *Antichriſti dicuntur fi-* Ho. in id Pſ. 1.
cti Chriſtiani, hæretici, pagani, qui aut ſub laude vituperant, aut inimicitiam aperte Patientia pauperum
exercent. Antichriſti pagani; qui Chriſtianam religionem omni atrocita-
te perſecuti ſunt: Antichriſti, qui hæretici fidei veritates depravant: *Anti-* Tert. l. de
chriſti nomine vocantur hæretici penes Ioannem: Antichriſti ſunt ſceleroſi Chri- Iejun. 11.
ſtiani, Chriſto contrarii: *Vnde interrogare debet unuſquiſque conſcientiam ſuam,*
quia Antichriſti multi ſunt. Tot ſcilicet quot criminoſi qui ſuis ſceleribus Chri-
ſtum negant: nam ut ait D. Auguſtinus, *quiſquis factis negat Chriſtum Antichri-* D. Aug.
ſtus eſt. Antichriſtus ſuperbus ſua vanitate Chriſti negans humilitatem: An-

tichriſtus luxurioſus ſua impudicitia Chriſti negans puritatem: Antichriſtus avarus cupiditate ſua negans Chriſti paupertatem, Antichriſtus inimicitias habens, ſuis animadverſionibus Chriſti negans dilectionem; & in univerſum quilibet Chriſtianus pecccator, eſt Antichriſtus, fidei interfector, Chriſti negator, & Eccleſiæ perſecutor.

III. PARS. *Quis eſt enim exitus perſecutionis? quis effectus ejus, niſi probatio & reprobatio fidei, quâ ſuos utique Dominus examinavit?* Multiplicem paſſa eſt religio perſecutionem ad probatiónem fidei, & virtutis fidelium. D. Auguſtinus trinam enumerat: Gentilium ſcilicet, hæreticorũ & Antichriſti. Perſecutio Gentiliũ fuit cruenta; perſecutio hæreticorum eſt fraudulenta, perſecutio Antichriſti ſimul erit cruenta & fraudulenta. (Prima perſecutio Eccleſiæ violenta fuit, cum proſcriptionibus, tormentis, cædibus, Chriſtiani ad ſacrificandum cogerentur; altera perſecutio fraudulenta eſt, quæ nunc per hæreticos & falſos fratres agitur: tertia ſupereſt per Antichriſtum ventura, quâ nihil eſt periculoſius, quoniam & violenta & fraudulenta erit. Vim habebit ex imperio, & dolum ex miraculis:) Verum omiſſa Antichriſti ventura ſævitia & aſtutia, trina conſideranda eſt Chriſtianæ religionis perſecutio: 1. Perſecutio Gentiliũ: 2. Perſecutio Hæreticorum: 3. Perſecutio pravorũ Chriſtianorũ.

Tert. l. de Fug. in Perſ. 1. — *In Pſ. 7.*

1. A gentibus perſecutionem paſſa eſt Chriſtiana religio. Nam *quod aliud negotium patitur Chriſtianus niſi ſua ſecta?* Hæc autem perſecutio ſæviſſima fuit: Nam *alios ignis, alios gladius, alios beſtia, Chriſtianos probaverunt.* Verum perſecutores ſua pravitate Chriſtianam probitatem probaverunt. Unde ſic fantur Chriſtiani apud Tertull. *Tales ſemper nobis inſecutores, injuſti, impii, turpes. Conſulite commentarios veſtros, illic reperietis primum Neronem in hanc ſectã cum maximè orientem Cæſariano gladio ferociſſe. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur: qui enim ſcit illum, intelligere poteſt nonniſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* Tyrannorum vitia Chriſtianorum illuſtrant virtutes: nam juſtitia ab injuſtitia magis eluceſcit; caſtitas ab impudicitia; innocentia à crimine; patientia à crudelitate: de qua glorioſè Martyres triumpharunt, atrociſſima quæque tormentorum genera conſtantiſſime tolerantes. Idcirco ſævos illos ſic alloquuntur Tyrannos: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos, probatio eſt enim innocentia noſtra, crudelitas veſtra.*

Tert. l. ad Scap. 4. — *Tert. Scorp. 1.* — *Apol. 6.* — *Tert. Apol. 6.*

2. Secunda perſecutio eſt Hæreticorũ, quam cum Antichriſti ſævitia & furore comparat Tertullianus: *Nunc ſunt hæreſes non minus doctrinarum perverſitate Eccleſiam laceſſentes, quam tunc Antichriſtus perſecutionum atrocitate perſequetur.* Veteribus hæreſibus prætermiſſis, quam crudelis fuerit noſtris temporibus, Lutheranorum & Calviniſtarum perſecutio nemo non videt. Sacerdotes occiſi, Regulares mactati, Moniales violatæ, templa diruta, altaria everſa, Sanctorum imagines & reliquiæ flammis ſuccenſæ, bella univerſam Europam depopulantia, ſunt monumenta quæ apparent crudelitatis Lutheranorum

L. de Præſ. Hæret. 4.

norum & Calviniſtarum, quorum hæreſim paſſa eſt divina providentia, ad corrigendos iniquos, probandos juſtos, & coronandos Martyres. *Ad hoc enim ſunt hæreſes, ut fides habendo tentationem, haberet etiam probationem.* Verum fides quæ de aliis Novatoribus triumphavit, eſt adhuc de Lutheranis triumphatura. Et *experimenta fidei victricis* de antiquatis jam hæreſibus, ſunt certa argumenta victoriæ de nova hac hæreſi habendæ. (Tert. lib. adv. de Præſc. Hær. 1.) (Tert. l. 1. Marc. 4.)

3. Tertia eſt perſecutio pravorum Chriſtianorum. Belle ad propoſitum Tertullianus: *Cum odio ſui cœpit veritas ſimul atq; apparuit inimica eſſe, tot hoſtes ejus quot extranei, & quidem proprie ex æmulatione Iudæi: ex concuſsione milites, & ex natura ipſi etiam domeſtici noſtri.* Scilicet ex pravitate naturæ perverſi Chriſtiani perſequuntur religionē. De hac perſecutione loquitur D. Bernardus. (Videbatur jam ceſſaſſe perſecutionis tempus, ſed nunquā deeſt perſecutio Chriſtianis, ſed neque Chriſto, & nunc quod gravius eſt, ipſi Chriſtū perſequuntur, qui ab eo utiq; Chriſtiani dicuntur.) De qua alioſum ſic fatur: (*Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*, Amara prius in nece Martyrum; amarior poſt in conflictu hæreticorū: amariſſima nunc in moribus domeſticorum.) Crudelis fuit quidem Gentilium perſecutio, decernentium in Chriſtianos atroces leges; *quas adverſus nos exequūtur impii, injuſti, turpes, truces, vani, dementes.* Crudelior adhuc hæreticorum perſecutio, nam (pejor eſt deſertor fidei, & ex deſertore oppugnator ejus effectus, quam ille qui non deſeruit quam nunquam tenuit.) Verū crudeliſſima pravorum Chriſtianorū perſecutio. Hanc graviorem exiſtimat D. Bernardus ea qua Judæi Chriſtum Dominum ſunt inſecuti. (Horrendum penitus ſacrilegium, quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino majeſtatis manus injecerunt.) Cujus hanc reddit rationem: Nam (ſi proprium ſanguinem dedit in redemptionem animarū, non tibi videtur ab eo majorem ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione, avertit ab eo animas quas redemit, quam à Judæo, qui ſanguinem illum fudit?) Tyranni Martyrum afflixerunt carnem, Hæretici Fidelium obſcurant intellectum, pravi Chriſtiani, bonorum depravant voluntatem, quæ eſt nobilior animæ facultas. Tyranni à Chriſtianis avellere ſpem nitebantur, Hæretici fidem à Catholicis; pravi Chriſtiani, & à juſtis charitatem, quæ eſt præcipua virtutum. Tyranni inferebant mortem corpori, non autem animæ: Hæretici fidem occidere conantur: *Nunc & hæreſes ad languorem & interitum fidei productas*; Pravi Chriſtiani occidunt animas quas gratia & ſanctitate denudant, & poſſeſſione gloriæ fruſtrant. (Apol. 7.) (Ser. 1. de conv. D. Paul.) (Ser. 33. in Cant.) (Tert. Apol. 6.) (D. Aug. l. 11. Civ. 25.) (Ser. 1. de Conu. S. Paul.) (Tert. l. de Præſc. 1.)

CONCIO TERTIA.

IN ſanctitate & gratia formatus fuerat Adamus, ut ipſemet fatetur apud Tertullianum. *Factus filius ſui ſtatim cum me manibus enixus eſt, cum de ſuo halitu movit.* Verum ſtatim ac peccato præbuit conſenſum, gratiam & animæ vitam perdidit, mortem incurrit, & omnes ab illo deſcendentes morti mancipavit, (exceptis Chriſto Domino & Deiparâ.) Exoptavit ardenter Caligula Imperator ut cuncti Romani unicum duntaxat haberent (Lib. 4. adv. Marc. 17.)

berent caput, ut eo amputato omnes ſimul poſſet detruncare. Deſideriũ ſævi illius tyranni executus eſt dæmon. Omnes homines erant in Adamo velut in capite comprehenſi, quo peccante peccaverunt, multaque damna paſſi ſunt. Nam incurrerunt 1. peccatum: 2. mortem: 3. damnationẽ. Multa etiam perdiderunt bona nimirum 1. gratiam: 2. ſanctitatem: 3. Spiritum ſanctum inhabitantem: 4. Dei adoptionem & filiationem: 5. jus ad immortalitatem. Verum quia *baptiſmus aquæ Dei curſus*, per hunc & mala reſcinduntur & bona recuperantur. Nam 1. mors tollitur: *Nonne mirandum & lavacro dilui mortem?* Quare nuncupatur à Baſilio Seleuco mortis effugiũ. *Hominibus baptiſma dandum erat, quo mortis promittebatur effugium, & reſurrectionis confugium.* 2. Peccatum deletur; baptiſmo namque ſumus *abluti delictis priſtinæ cæcitatis.* Idcirco Gregorius Nazianzenus baptiſmum appellat *peccati diluvium*: & Optatus Milevitanus, *criminum mortem, peccatorũ naufragium.* Eodem modo ratiocinatur ſanctus Maximus aiens: *Baptiſmus nobis eſt ſepultura, in quo peccatis morimur, criminibus ſepelimur.* 3. Damnationem & infernũ reſcindit: nam ut ait Euſebius Emiſſenus, *de æternis debitis breviſſimo lavacri compendio, cum indulgentiſſimo creditore tranſactum eſt*: Nam ut ipſe aliorſum philoſophatur: (homo fonte tingitur, & momentaneo lavacro ab inveterato malo primi parentis abluitur & ſub aquis relinquitur quidquid flammis debebatur.) Nec ſolum mala tollit baptiſmus, ſed etiam deperdita bona reſtituit. Nam 4. confert gratiam, ſanctitatem: *De ſancto ſanctificata natura aquarum & ab ipſo ſanctificare concepit.* Renatus egreditur *ab immaculato fontis utero*: &, ut ait Gregorius Nyſſenus, (vetus homo in aqua ſepultus eſt, novus generatus, gratia floruit.) Quaſi gratia florida detur in Baptiſmo, quę toto vitæ decurſu ſanctitatis pariat fructus. Virtute autem ſacri hujus fontis, *veteris hominis conſcientia reſoluta, in alteram nativitatem recidiva infantia reparatur.* Etenim efficacia baptiſmi homo ex vitiorum ſenio ſibi reſculpit infantiæ innocentiam; & & ut fatur Tertullianus, *repueraſcit*: quia ita in novum hominem recreatur ac ſi nunquã deliquiſſet. Chriſtus Dominus, ut animadvertit Euſebius Emiſſenus, *tam puros nos eſſe concedit ex fonte, qualis ipſe ad nos venit ex Virgine.* Tãta eſt gratia quam confert baptiſmus, qui vocitatur adhuc à D. Dionyſio *illuminatorium*; quia fidei habitum infundit, quia peccati diſſipat tenebras, & mentem gratiæ luminibus irradiat. Et à Gregorio Nazianzeno nominatur *ſplendor animorum, conſcientiæ interrogatio*: illuſtrat enim vitam Chriſtiani, & Chriſtianum inſuper interrogat quomodo vivat, in quo ſtatu ſit ejus anima, an peccatis & ſceleribus mortua, an gratia & virtutibus florida. 4 Per baptiſmũ Spiritus ſanctus in corde baptizati inhabitat. *Tunc ille ſanctiſſimus Spiritus ſuper emundata & benedicta corpora libens à Patre deſcendit: ſuper aquas baptiſmi tanquam priſtinam ſedem recognoſcens, conquieſcit.*) 5. Dei ſimilitudinem confert Baptiſmus. *Reſtituitur homo Deo, ad ſimilitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat; recipit enim Dei Spiritum quem tunc de afflatu ejus acceperat, ſed*

poſt

Marginal notes: Tert. l. de Bapt. 17. — Tert. l. de Bapt. 2. — Orat. 13. — Tert. l. de Bapt. 1. — Orat. 9. — Lib. 5. — Hom. de Iud. prod. — Ho. 7. de Paſch. — Ho. 2. de Symb. — Tert. l. de Bapt. 4. — Greg. Mag. l. de Sacra. Pœn. — S. Max. — Ho. 2. de Symb. — Lib. de Cel. Hier. — Orat. in ſanc. Bapt. — Tert. l. de Bapt. 8. — Tert. l. de Bapt. 6

poſt amiſerat per delictum. 9. Largitur baptiſmus Dei adoptionem & filiatio- L. 1. ad
nem. Nam ut ratiocinatur Tertullianus, *ſcitum Deum ex Deo naſci quemadmo* Nat. 3.
dum ex non Deo non Deum. In baptiſmo autem ex Deo naſcimur. *Nos piſciculi* Tert. l. de Bap. 1.
ſecundum noſtrum Ieſum Chriſtum in aqua naſcimur. Tandem per Baptiſmum
in vitam æternam liberamur, quia ſcilicet confert jus ad vitam æternam.
Quare nuncupatur à Baſilio Magno *fons æternus*, & à Gregorio Nazianzeno
vehiculum ad Deum: Tot effectus baptiſmi Chriſtianum ad ſanctitatem ſti-
mulant, ſed præcipue tres: quia 1. ſimilitudinem Dei ſancti accepit: 2. quia Lib 3. cõt. Eunom.
religionem ſanctam profeſſus eſt: 3. quia acquiſivit jus ad beatitudinem ſan- Orat. 9.
ctam, quæ non confertur niſi Sanctis.

In oratione Dominica, *ut ſanctificetur Deus poſtulamus:* Non quaſi ſanctitate 1. PARS. Tert. l. de
indigeat vel noſtris orationibus novus aliquis gradus ſanctitatis illi adveni- Orat. 8.
at quia eſt ipſamet ſanctitas eſſentialis, quæ cum ſit infinita, neque minui, ne-
que incrementari poteſt: ſed optamus ut divina ſanctitas a cunctis prædice-
tur hominibus, juxta iſtud Davidicum: *Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ* Pſ. 144.
loquentur. Non ſatis fuit Prophetæ ut homines Dei ſanctitatem loquantur, ſed
vult adhuc ut gloriam ſanctitatis prædicent. Et quaſi parum ſit gloriam divi-
næ ſanctitatis laudare, deſiderat ut extollant magnificentiam gloriæ ſancti-
tatis, quia humana laus nunquam eſt Deo glorioſior quam cum magnificen-
tiam ſanctitatis ſuæ commendat; *Deus per excellentem cuncta excellentiam San* D. Dio. de
ctus Sanctorum prædicatur. Quare ut bene animadvertit D. Ambroſius: *Nihil pre-* Di. No. 12.
tioſius invenimus quo Deũ prædicare poſſimus, niſi ut Sanctum appellemus. Quod at- L. 1. de Spiritu
tendens D. Dionyſius hortatur nos ut *Deo ſanctitatis nomen omnium nominum* ſancto. 18.
pretioſiſſimum devoveamus & conſecremus. Eſt autem religioſe colenda & enco-
miis prædicanda Dei ſanctitas: 1. eſſentialis: 2. moralis: 3. perſonalis.

1. Sanctitas eſſentialis *propria natura eſt ejus*, quæ in eminentia magnitudi- Tert. l. de
nis ſita eſt, & Deum infinite ſublimat ſupra perfectiſſimas quaſque creaturas, Mon. 3.
eumq; ab earum defectibus & maculis immunẽ præſtat. Nam ut docet Dio-
nyſius Areopagita; *Sanctitas eſt puritas quædam ab omni ſcelere libera, itemque* De D. No. 11.
perfecta prorſuſque incontaminata mundities. Et quia in Deo perfectiſſimo mo-
do reperitur, eum etiam ſupra Seraphinos evehit, qui in præſentia Dei velut
maculati apparent: ob hanc cauſam Sacerdos tremendũ Miſſæ offerens my-
ſterium, Deum ſolum ſanctũ proclamat innuens hoc loquendi modo, quod
quemadmodum ſtellarum lux coram ſole non conſpicitur, ita Angelorum &
hominum ſanctitas coram ſanctitate Dei diſparet. In quo diverſa longe ra-
tione ac in illis exiſtit. In Deo etenim eſt 1. perfectio eſſentialis, in homini-
bus participata qualitas: 2. In Deo eſt ſubſtantia ipſiuſmet Dei, in hominibus
eſt accidens ſubſtantiæ eorum ſuperadditum: 3. In Deo eſt infinita & inde-
pendens, in hominibus eſt dependens & limitata: 4. In Deo eſt ſimpliciſſima
& in ſua unitate cunctos perfectionis continet gradus; in hominibus tot per- D. Dion. de D. No.
fectiones diverſas patitur quot habẽt gratiæ gradus, & virtutes quæ eos ſpe- 13.

cialiter ornant. 5. Deus eſt *ſeipſo perfectus, ſemper perfectus, omni ex parte perfectus:* homines non ſunt ex ſeipſis ſancti, ſed ex Dei dono; nec ſemper ſancti, quia in peccatis & criminibus concepti ſunt, neque omni ex parte ſancti, quia aliorum ſanctitatem non habent 6. Tandem, ut eſſentia, ſapientia, bonitas, potentia hominum & Angelorum collata cum Dei eſſentia, ſapientia, bonitate, & potentia, ſunt duntaxat tanquam umbræ eſſentiæ, ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ Dei, ita illorum ſanctitas eſt quaſi nihil, nec ſanctitatis meretur nomen ſi cum Dei comparetur ſanctitate.

Tert. l. 2. adv. Marc. 2. *Bonus natura Deus ſolus.* Sicut enim à ſemetipſo habet ſanctitatem eſſentialem; ita & moralē, quæ non eſt minus perfecta eſſentiali. In unione voluntatis cum natura divina ſita eſt, ſeu potius in identitate divinæ voluntatis infinite diligentis, cum divinis perfectionibus infinite dilectis. Ex hoc infinito & mutuo amore Patris & Filii producitur Spiritus ſanctus, quem D. Bernardus (Ser. 8. in Cant.) nuncupat *oſculum Patris ad Filium.* Et quia in divinis ille amor eſt ardentiſſimus, unio voluntatis intimiſſima, identitas perfectiſſima, in Deo eſt infinita ſanctitas moralis, à qua omnis morum creata ſanctitas infinitè diſtat. *Non eſt ſanctus ſicut Deus noſter qui eſt ſanctus ſanctificans.* (D. Aug. l. 17.) Quod innuit ipſemet Deus dū ſibi ſanctitatem propriam arrogat, & dum exprobrat hominibus quod eum aſſimilarint falſis & probroſis numinibus: *Cui aſſimilaſtis & adæquaſtis me? dicit ſanctus*; (Eſa. 40.) quales gentilium dii, criminibus duntaxat commendati & famoſi: (Tert. Apol. 11.) *Impii in parentes, & in ſorores inceſti, & maritarū adulteri, & virginū raptores, & puerorum contaminatores, & qui ſæviunt, & qui occidunt, & qui furantur, & qui decipiunt.* Hæc ſunt crimina quæ falſos deos fœdant: verus autem Deus nullo ex his criminibus contaminatur; quia ab illis ſanctitate diſcriminatur, de qua nullus ethnicorū Deus gloriatur. Jupiter dedecoratur quidē parricidio, Juno ſuperbiâ, Bacchus ebrietate, Mars crudelitate, Venus impudicitia, Mercurius latrocinio, ceteri aliis criminibus: At verus Deus de ſanctitate ſolus cōmendatur. (Lib. 1. Reg. 15.) *Quis ſimilis tui in Diis Domine? Magnificus in ſanctitate.* Licet omnes divinæ perfectiones ſint æquales, quia infinitæ; Scriptura tamen quādam ſanctitatis eminentiā tribuere videtur dum Deum in ſanctitate magnificum declarat (Magnificaſti ſuper omne (ſeu ſuper omnia) nomen ſanctum tuum.) (Pſ. 137.) Quanta ſit divina ſanctitas, denotant Seraphini Angelorum primates, dum ſilentio prætereunt ceteras divinas perfectiones, de ſola ſanctitate ſolliciti, & Deum ter ſanctum indeſinenter decantant. Trina Sancti repetitio ſanctitatis eminentiam demonſtrat. Uti homines, ut Mercurium magis honorent, vocitant eum Triſmegiſtum, nempe ter maximum: ita Seraphini ut magis commendent Dei ſanctitatem, Deum ter ſanctum nominant.

Tert. l. de Or. 3. 3. *Illa Angelorum circumſtantia non ceſſant dicere: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Fortaſſe hoc ſacro triſagio denotare intendunt ſanctitatem Dei perſonalem: Pater eſt ſanctus, cui perfectiſſimè competunt hæc D. Auguſtini verba: (In Pſ. 103.) *Ille ſanctus eſt, qui per ſe, & in ſe, & in Sanctis ſuis, ſanctus eſt.* Pater æternus eſt per ſe ſanctus,

ctus,quia cùm ſit prima Trinitatis perſona,non procedit,nec habet ſanctitatem ab alia perſona. Filius autem non eſt ſanctus per ſe, ſed à Patre, à quo in ſua generatione accepit ſanctitatem. Spiritus ſanctus eſt ſanctus, non à ſe; alias eſſet improductus: ſed à Patre & Filio,à quibus procedit. Deinde Pater æternus eſt ſanctus in ſe, quia ſanctitas eſt ipſius ſubſtantia, non accidens ei ſuperadditum; & hoc eſt ei cum aliis perſonis commune. Nam ut ait belle ad propoſitum Origenes: *Sola Trinitas ſubſtantia eſt, quæ non extrinſecus acceptatione, ſed ſui natura ſit ſancta*: Tandem æternus Pater eſt ſanctus in Sanctis ſuis: quia per circuminſeſſionem inexiſtit in Filio & Spiritu ſancto, qui ſancti ſunt. 2. Filius eſt ſanctus: *Solus enim Deus ſine peccato*: Filius autem eſt idem cum Patre, qui Filii declarat ſanctitatem, aſſeverans quod generavit eum in ſplendoribus Sanctorum: ſeu *in ſplendoribus ſanctitatum*: ut habet Hebræa lectio: quia eum genuit de cognitione eſſentiæ, ſapientiæ, potentiæ, miſericordiæ, & aliarum divinarum perfectionum, quæ ſanctæ ſunt. 3. *Spiritus ultrò ſanctus agnoſcitur*: quia eſt terminus ſpirationis activæ Patris & filii, & ut pulchre ait D. Ambroſius: *Genitoris Genitique ſanctitas & Spiritus* ad denotandam divinarũ perſonarum ſanctitatem. Ter ſanctum Deum prædicant Seraphini & ſuo exemplo ad eam decantandam invitant *Proinde igitur & nos Angelorum, ſi meminerimus, candidati, jam hinc cœleſtem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediſcimus*. Ac quod nos etiam hortatur D. Cyrillus Hieroſolymitanus: *Propterea traditam nobis hanc ſeraphicam Theologiam Sanctus, Sanctus, Sanctus, recitamus, ut in illa cœleſti hymnodia, cum ſupra mundana militia communicemus, per hujuſmodi hymnos nos ſanctificantes*, & ad imitationem divinæ ſanctitatis ſtimulantes.

Ho. 10. in lib. Iudic. Tert. l. de An. 41. Pſal. 109. Tert. l de Mon. In Symbo. Apoſt. 6. Tert. l. de Orat. 1. Catech. 5.

Quod præcipue a nobis Deus exoptat, quem ſic ad nos loquentem inducit Didimus: (Sicut ego fons ſanctitatis ſum per ſubſtantiam ſanctus, ita & vos ſtudete participare ſanctitatem quam diligo.) In diſciplina aliarum virtutum ad irrationales nos mittit Deus creaturas: vult enim ut diſcamus à columbis ſimplicitatem, à ſerpentibus prudentiã, à formicis providentiam; verum deſiderat ut à ſe ſolo diſcamus ſanctitatem: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Dixit alias nonnemo; *Magni nati ſunt in exemplar*, ut ſibi ſubditos ad ſtrenue agendum ſuo exemplo accedant: Deus qui eſt ſummum magnum, & infinita ſanctitas, ut nobis ſanctitatis ſtudium ingeneret, ſemetipſum proponit ſanctitatis exemplar. In Deo quædam perfectiones ſunt adorandæ & non imitandæ; aliæ adorandæ & imitandæ ſimul. Ut enim ait Greg. Niſſ. *Ex iis autem nominibus illa quæ capere poſſumus, exhibemus: quæ vero in naturam noſtram non cadunt, ea veneramur & colimus.* Admiranda non imitanda eſt ſapientia divina, quæ ſcrutatur renes & corda: omnipotentia divina, quæ cuncta de nihilo produxit: auctoritas quâ pollet Deus ferre judicia: divina majeſtas, ad cujus honorem omnia ſunt referenda, Deus nobis non proponit has perfectiones imitandas, ſed adorandas. Intolerabilis ſane eſt temeritas, uſurpare gloriam ſoli Deo debitam, arrogare ſibi auctoritatem judicandi Dei ſervos, velle cognoſcere occulta cordis, aliaque quæ ad Deum ſolum pertinent:

In c. 10. Lev. Lev. 19. Vell. pater. Lib. de Perf. Chr. forma.

Divi-

Divinæ perfectiones à nobis imitandæ ſunt, juſtitia, miſericordia, ſanctitas:
Serm. 1. de Iejun. 10. Menſ. Nam ut ait S. Leo, (Invenimus hominem ideo ad imaginem Dei conſitũ, ut
imitator ſui eſſet authoris, & hanc eſſe noſtri nominis naturalem dignitaté,
ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinæ bonitatis forma reſplendeat.) Et
quia, ut ait D. Hieronymus, imago Dei factus eſt in ſua productione; *ſimilitu-*
D. Hieron. in c. 28. *do in baptiſmate completur*: Poſt acceptã Dei in baptiſmate ſimilitudiné, *Chri-*
D. Baſ. ho. 10. *ſtianus eſſectus utique ſimilior Deo*, divinam ſanctitatem debet referre: At cur
Chriſtianus in Baptiſmate ſimilior eſt effectus? Quia Dei filius effectus eſt.
Imago debet eſſe conformis ſuo exemplari: filius tenetur paternos repræſen-
tare mores; Chriſtianus Dei imago, Dei ſimilitudo; Dei Filius, ſtudere debet
virtuti, & divinam imitari ſimilitudiné. Ut tantũ ſuſtineat honorem, divinæ
Paſc. l. de Exh. Caſt. 1. ſe demonſtret filiationis dignũ, & cœleſti placeat Patri. *Vult enim imaginem*
ſuam nos, etiam ſimilitudiné fieri, ut ſancti ſimus ſicut ipſe ſanctus eſt. Tobias ut fi-
lium ſuum ad ſanctitatem alliceret, nihil aliud ore promebat, niſi *Filii ſan-*
Cap. 8. *ctorum ſumus*; ſapienter judicans ſufficere ad ingenerandum in corde filii
ſanctitatis amorem, proponere anteceſſorum ſanctitatem, quam imitari de-
beat, ne degener & adulterinus filius videretur. Eodem Argumento utitur
Petrus Chryſologus. Ut Chriſtianos ſanctitatis efficiat ſtudioſos; objicit o-
culis eorum Patris cœleſtis ſanctitatem, ut in terra cœleſti huic reſpondeant
Serm. 67. ſanctimoniæ: *Intellige tibi genus è cœlo, cujus pater habetur in cœlo: & age, & vi-*
vendo ſancte, ſancto reſpondeas Patri.

Imitanda eſt Dei ſanctitas eſſentialis, moralis, & perſonalis. 1. Habitualis
gratia eſt quædam ſimilitudo Dei participata in homine, & imitatur ſancti-
tatem Dei eſſentialem: 2. Charitas qua Deo unimur; nam (qui manet in cha-
D. Tho. 1. p. q. 2. ad 1. ritate in Deo manet, & Deus in eo,) imitatur ſanctitatem Dei moralem: 3.
1. Ioan. 4. Bona opera imitantur ſanctitatem Dei perſonalem: 1. Sanctitas Dei eſſentia-
lis, ſumme ſublimat Deum ſupra perfectiores quaſque creaturas, eumq; ſepa-
rat ab omni macula & fœditate: & gratia habitualis evehit juſtum ad eſſe ſu-
Lir. in 2. Pet. 1. pernaturale, & ſeparat à maculis & inquinamentis peccati. (Dona gratiæ in
eſſe ſupernaturali, ſunt quædam divinæ naturæ participationes,) 2. Sanctitas
Dei moralis identificat voluntatem ſuam cum ſuis perfectionibus & produ-
Chryſol. Ser. 8. de Penteo. cit Spiritum ſanctum qui eſt nexus Patris & Filii: & charitas unit juſtum cũ
Deo, & *Spiritus ſanctus eſt copula unionis noſtræ in Chriſto.* 3. Sanctitas perſona-
lis conſiſtit in operationibus internis divinarũ perſonarum, quæ ſanctæ ſunt.
Nam generatio activa & ſpiratio activa quæ ſunt operationes internæ, ſunt
Pſal. ſanctitate decoratæ. Actiones etiã externæ tribus perſonis communes: (quia
opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa:) etiam ſanctitate ſplendent. Etenim
Chryſol. Ser. 77. (ſanctus Dominus in omnibus operibus ſuis.) Sãctitas juſti perſonalis in bo-
Clé. Alex. l. 2. Strom. nis operibus ſita eſt: nam *Dei filium ille ſe probat, qui vitiis non obſcuratur huma-*
nis, qui divinis virtutibus eluceſcit. 1. Gratia habitualis in qua ſita eſt ſanctitas
eſſentialis juſti, perficit ejus animã, eſtque *Dei aſſimilatio & affectatio.* 2. Cha-

ritas

ritas in qua ſita eſt ſanctitas moralis juſti, perficit ejus voluntatem, & cum Deo init amicitiam: nam *Charitas eſt benevolentia*. 3. Bona opera in gratia facta, in quibus conſiſtit ſanctitas perſonalis juſti, perficiunt ejus perſonam, & virtutum parturiunt habitus. *Quid eſt ſanctitas, quam Deo conſueſcere!* Qui ſunt gratia ſanctificăte ornati, charitate Deo uniti, virtutibus fulgidi, divinis ſunt coloribus decorati, ſigillo muniti, ſimilitudine inſigniti: qui vero habent animas lethali peccato maculatas, corda prophano amore ſufflammata, manus iniquitate plenas: ſunt coloribus inferni denigrati; dæmonis tyrannidi ſubſtrati; divina ſimilitudine denudati. Illi referunt Luciferum ante lapſum omni lapide pretioſo indutum, ſapientia, pulchritudine, gratia & ſimilitudine Dei illuſtratum: iſti referunt eundem Luciferum rebellem, apoſtatam, criminoſum, tam pretioſis indumentis deſpoliatum: cui Deus apud Tertullianum: *Tu es reſignaculum ſimilitudinis, qui ſcilicet integritatem imaginis & ſimilitudinis reſignaveris*: modo unuſquiſque conſcientiam ſuam conſpiciat juxta D. Bernardi monitum: (Attende diligenter quam ſis ſimilis Deo, vel quam diſſimilis: quam ſis prope vel quàm ſis longè: qualis ſis in moribus & qualis in affectibus; & dum te dæmon ad ſuas partes trahere tentabit, dic illi cum Gregorio Nazianzeno: *Chriſtum indui, in Deum transformatus ſum*: volo in ſanctitate vivere, quam debeo, & ſimilitudini Dei ſancti, quam accepi in baptiſmo, & religioni ſanctæ, quam profiteor.

D.Chryſ. Hom. 1. in Gen. Greg. Naz. Iamb. 15. Lib. 2. adv. Marc. 10. Lib. Medit. c. 9. Orat. in ſanct. Bapt.

II. PARS. Tert. l. de Reſur. 47.

Chriſtiana religio eſt *ſanctimonia diſciplina*. Tria præſertim ad ejus ſanctitatem concurrunt: 1. Sacramentum: 2. Mandatum 3. Prototypum. 1. Sacramentum largitur ſanctitatem: 2. Lex ſeu mandatum docet ſanctitatem: 3. Prototypum allicit ad ſanctitatem.

Apol. 8.

1. Refert Tertullianus *defuſum brachiis ſanguinem, nationes quaſdam fœderi comparaſſe*. Ut cum homine iniret amicitiam Chriſtus Dominus, non tantũ ex brachiis, ſed de toto corpore ſanguinem fudit, quem in ſacramentis velut in vaſis aureis depoſuit, ut qui ad ea accederent, maculis peccati mundarentur & gratiæ nitore venuſtarẽtur. Quare baptiſmus nuncupatur à Tertulliano, *candidatus remiſſionis, & ſanctificationis in Chriſto*: quia virtute ſanguinis Chriſti peccata diluit, & confert ſanctitatẽ. D. Iſidorus ſanctũ à ſanguine nominatum exiſtimat. Sanctum quaſi ſanguine tinctum eſt nuncupatum. Nihil enim ſanctum apud veteres dicebatur, niſi quod hoſtiæ ſanguine eſſet conſecratum.) Apud Judæos etiam purificationes fiebant per ſanguinẽ hoſtiæ immolatæ: verum licet ex Dei decreto animalium ſanguis Judæos mundaret à maculis legalibus, non tamen delebat peccata & conferebat gratiam. Hoc eſt proprium Sanguinis Chriſti qui in ſacramentis utrumque præſtat effectũ. Ut enim ait D Ambroſius, *illic carpis roſam, hoc eſt Dominici corporis ſanguinem*; cujus meritum rite accedentibus ad ſacramenta applicatur. In Sacramentis legis Evangelicæ duo ſunt conſideranda, & ſigna corporea & ſenſibilia, ut aqua in Baptiſmo, ſpecies panis & vini in Euchariſtia, & Chriſti merita: in his

L. de Bapt 10. L. 19. Ethim. 4. In Pſ. 118.

ſignis ſenſibilibus moraliter contenta, virtute pacti à Chriſto cum Patre initi, dum hujuſmodi inſtituit ſacramenta. Nimirum quod quoties Chriſtiani rite accederent ad ſacramenta, ſigna illa ſenſibilia, velut inſtrumenta gratiæ,
Cant.7. illam conferrent ex opere operato, ut loquuntur Theologi: quomodo nonnulli iſtud intelligunt: *Purpura regis vincta canalibus.* Sanguis Chriſti regis re-
Tert. l. 2. adv. Marc. 8. gum eſt velut alligatus ſacramentis per quæ largitur ſanctitatem, quæ eſt fructus ſanguinis Dominici in cruce effuſi; nam *totum Chriſtiani nominis & pondus & fructus, mors Chriſti.*

2. Verum ſi Sacramenta ex pacto Chriſti, & virtute ſanguinis & meritorum ejus, largiuntur gratiam, lex non parum conducit ad ſanctitatem: quare
L. de Pud. 6. nuncupatur à Tertulliano: *Lex tota ſanctitatis*: quia nihil eſt in illa quod ſanctitatem non redoleat, cuncta ſiquidem præcepta quæ continet, ſancta ſunt.
Rom.7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum*; quia 1. ſanctitatem docet: 2. ad ſanctitatem dirigit: 3. ſanctitatem præcipit. 1. Sanctitatem docet, in quo divinã bonitatem agnoſcit Tertullianus, quam legem dedit homini, ut ab ea ediſce-
Lib. 2. adv. Marc. 4. ret ſanctitatem: *Legem Dei bonitas erogavit, conſulens homini, quo Deo adhæret.* 2. Lex ad ſanctitatem dirigit: tunc etenim recte vivunt Chriſtiani, quando eorũ vita juxta legem regulatur. Ut perfectio naturalis creaturarũ ab ideis divinis menſuratur, ita perfectio moralis deſumitur à conformitate cũ divinis legibus: quas Origenes appellat *ſanctitatis effectrices*: quia dirigunt Chriſtianos ut
Pſ. 131. ſancte vivant: 3. Lex ſanctitatẽ præcipit, & ob hanc causã *arca ſanctificationis* nuncupatur à Vate Regio: quia ut animadvertit Origenes, tabulã legis continebat, quæ eſt ſanctificans, tanquam præcipiens ſanctitatem. Ex D. namque
Lib. de Salut. Doc. 79. Auguſtino (Sanctitas in juſtitiæ operibus, juſtitia vero duobus adimpletur: ut quæ prohibita ſunt à Deo non faciamus: & quæ juſſa ſunt à Deo faciamus.) Nihil amplius requiritur ad hoc ut quis ſit ſanctus, niſi ut præcepta Dei, tum affirmativa, tum negativa obſervet, ut fugiat malũ quod præcepta negativa prohibent, & faciat bonũ quod præcepta affirmativa præcipiunt. Chriſtiane,
Baſ. Max. ho. de Pat. ſi ſanctã exoptas ducere vitã, *fac tibi præceptũ Domini contubernale, anima tua curã ſuſcipiens*, & inſuper imitare Chriſtũ, qui eſt prototypus tibi propoſitus.

Tert. l. de Orat. 4. 3. *Sine dubio quæ faciebat Dominus, ea erant voluntas Patris, ad quæ nunc nos velut ad exemplaria provocamur.* Suã Deus per legẽ declaravit voluntatẽ, Chriſtus voluntatis paternæ perfectus obſervator, legẽ implevit, & ſuo exemplo, ad faciendã divinã voluntatẽ, ejuſq; legem ſervandã nos provocat. D. Chryſoſtomus expendens iſtud Davidicũ, ubi beatus prædicatur ille cujus in lege Domini voluntas, per hujuſmodi legem intelligit Chriſtum viſibiliter in ſua humanitate voluntatem divinã adimplentẽ & legem obſervantẽ, ut ſuo exẽ-
1a Cat. plo ad legis obſervationẽ alliceret Chriſtianos: *Et quæ lex iſtiuſmodi niſi Chriſtus? Lex quidem paterna decreta deferens in ſemetipſo.* Tot virtutes quot operatus eſt Chriſtus, tot ſunt mandata divina quæ auribus noſtris reſonant: tot leges exemplares, quas oculis noſtris objicit: tot decreta viſibilia quæ noſtris

intimat

intimat cordibus. Tria ſunt nobis cognitu neceſſaria, ut voluntas noſtra ſanctitatis amore inardeſcat, Cognoſcere 1. ſanctitatẽ: 2. obligationẽ ad ſanctitatem: 3. modum exercendæ ſanctitatis. Primũ habemus à doctrina: ſecundũ à lege: tertium ab exemplo. *Vide an Chriſtus ſervaverit genus, in quos juſtitia vicem mandat*: nam à nobis ſanctitatem poſtulans, 1. dedit doctrinã à qua ediſceremus ſanctitatem: 2. legem qua obligamur ad ſanctitatem: 3. exemplum quod præbet modũ ſanctitatis exercendæ. (Chriſtus, ait nonnemo, egit velut Mathematicæ præceptor, qui poſt multa data diſcipulis Matheſeos documẽta, de cathedra deſcendit, ſupra arenã exarat figuras, eiſque præbet modũ ſimiles efficiendi figuras:) Non abſimiliter Dei Filius de cœlo deſcẽdit, humanatus eſt, docuit, & ut *doctrinã ſuam impleret*, ſanctitatis exempla præbuit. Et ob hanc cauſam, ut acutè adnotat Chryſologus, non permiſit Chriſtus Herodi ut eum adhuc infantem in cunabulis interficeret, ne homines ſuis fruſtrarentur exemplis. (Fratres, quod fugit Chriſtus, fuit myſterii, non timoris: fuit liberatio, non periculũ creatoris: divinę virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ: non fugit propter authorẽ mortis, ſed propter ſæculi vitam. Nam qui mori venerat, quare fugeret mortem?) *Chriſtus totam cauſam noſtræ ſalutis occiderat ſi ſe parvulũ permiſiſſet occidi. Chriſtus venerat, ut quos præceptis docuerat, firmaret exemplis: & ipſe faceret, quæ facienda mandaverat: & viſu probaret poſſibilia, quæ impoſſibilia videbantur auditu.* Erat neceſſaria connexio inter officiũ doctoris, exemplaris, & redemptoris: Antequam pro hominibus moreretur Chriſtus, conveniens erat ut eos doceret, & virtutis præberet exempla. Ad trinum illud munus obeundum, corpus aſſumpſit: 1. Redemptori corpus neceſſarium fuit, ut pati poſſet, quare ut animadvertit Tertullianus, Dei Filius venit *in humana forma & paſſibili*: 2. Doctori corpus neceſſariũ fuit, ut humane poſſet loqui, & ab hominibus audiri: idcirco D. Auguſtinus ſic hunc elucidat locum, *Veritas de terra orta eſt, Chriſtus de fœmina proceſſit, Filius Dei de carne proceſſit.* 3. Exemplari corpus neceſſarium fuit, ut ab hominibus corpore indutis videri & ſequi poſſet: Nam ut ratiocinatur D. Auguſt. *Homo ſequendus non erat, qui videri poterat. Deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo*: Homo erat videndus, quia corporeus: ſed ſequendus non erat, quia criminoſus. Deus è converſo ſequendus erat, utpote ſanctus; ſed videndus non erat à mortalibus, ut mere ſpiritualis: ideoque Deus factus eſt homo, ut in humana carne Dei ſanctitas viſibilis appareret. Quomodo D. Ambroſius Apoſtolum intelligit; Tum dum ait: (Inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur) id eſt *inviſibilia nobis ejus per ea quæ ſunt viſibilia demonſtrantur.* Tum quando proclamat: (Magnum pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne.) *Dominicæ quippe carnis actus, Divinitatis exemplum eſt.* Viſibile ſe præbuit exemplar Chriſtus in carne, 1. Ut doctrinam ſuam auctoraret: *Solet etiam id implere Chriſtus, quod*

Tert. Scorp. 10.

Tert. l. de Fug. in Perſ. 8.

Ser. 142.

L. Adv. Iud. 14.

In Pſ. 84.

Ser. 72. de Diverſ.

In c. 4. Luc.

Tert. l. de Car. Chr. 7.

alios

D. Bern. de Benedic. *alios docet*. Etenim doctrinæ veritatem nihil efficacius perſuadet, quam Doctoris exemplum. *Sermo vivus & efficax exemplum operis eſt; plurimū faciet ſuaſibile quod ſuadet*. 2. Ut legem adimpleret, & ob eam cauſam à Joanne baptizari voluit: D.Amb. Ser. 41. (Ut quemadmodum ſecundum carnem de Judæis Salvator eſt genitus; ita & ſecundum ſpiritum Evangelium de lege naſceretur: ut unde ſucceſſionem ducebat originis, exinde & traditionem conſecrationis acciperet. Juſtum enim erat, ut mandata legis, quæ ipſe condiderat, ipſe compleret.) Chriſtus obſervans legem quam condiderat, mirum in modum Evangeliū auctorabat: obſervatio legis ab ipſo facta, erat quædam conſecratio, quæ legem magis exhibebat venerandam. 3. Ut ſuo exemplo Chriſtianos Chryſol. Ser. 148. ad legis obſervationem alliceret, *Hoc faciendum docuit Chriſtus, hoc nobis reliquit exemplum*, ut faciente Domino, facere indignum non putet ſervus.

At proh dolor in ſanctimoniæ diſciplina non ſanctam vitam ducunt Chriſtiani, & Vatis plangor ſuam ſortitur veritatem his temporibus: *Salvum me* Pſ. 11. *fac Deus, quoniā defecit Sanctus*. Defecit apud milites, defecit apud mercatores, defecit apud Senatores, defecit apud magnates, defecit etiam apud Eccleſiaſticos, non ex defectu diſciplinæ, cujus ſacramenta ſunt ſancta, leges ſanctæ, exemplar ſanctum: ſed ex defectu Chriſtianorum, qui vel raro accedunt ad Sacramenta, & dum accedunt indigne accedunt: vel quia non obſervant legem, ſed faciunt mala quæ prohibet, & non faciunt bona quæ præcipit: vel quia non imitantur exemplar propoſitū: nam Chriſtus cunctis ſplendet virtutibus, & ipſi è contra omnibus ſordent vitiis: nec formidant minitantē Deum, & hanc ſententiam adverſus iniquum pronuntiantem: Iſa. 26. *In terra Sanctorū iniqua geſſit, non videbit gratiam Dei*. Superbus ambitione tumidus, luxurioſus impudicitia turpatus, avarus habendi ardore accenſus, & quivis criminoſus cujuſvis generis, conditionis & ſtatus ſit, nō potietur fœlicitate: At cur? Quia in terra Sanctorum iniqua geſſit; in religione ſancta ſceleroſe vixit. *Chriſtianiſmi profeſſio eſt reductio ad æternam fœlicitatem, participatio Chriſti, & imitatio* Greg. Nyſſ. Tr. de Profeſ. Chriſtia. *divinæ naturæ*. 1. Chriſtianiſmus eſt imitatio divinæ naturæ, nam qui illū profitentur, divina fuerunt in baptiſmo ſimilitudine ornati, ut divinam imitarētur ſanctitatem. 2. Participatio Chriſti, quia ab illo Chriſtiani habent nomen ſanctum, & religionem ſanctam, quæ eos ad ſanctitatem obligat: 3. Reductio ad æternam fœlicitatem, quia ſi Deum imitantur, & perfectè religionis ſanctimoniæ reſpondeant, ſibi comparant æternam felicitatem, quam nequeunt conſequi ſine imitatione Dei & participatione Chriſti, qui eſt *via in exemplo,* D. Bern. Ser. 2. de Aſcenſ. *veritas in promiſſo, vita in præmio*. Via in exemplo, quia eſt exemplar propoſitum Chriſtianis, qui ſunt in via in ſtatu meriti: 2. Veritas in promiſſo, quia fidelis eſt, nec fallit ſanctos Chriſtianos quibus promittit fœlicitatem: 3. Vita in præmio, quia in cœlo beat electos, & dat illis poſſeſſionem beatitudinis ſanctæ, quæ non datur niſi Sanctis.

III. PARS. Tertullianus ordinatè deducit tres mirabiles effectus, quos Baptiſmus

confert

confert renatis: *Ab injuſtitia & delinquentia divellens, juſtitia & ſanctimoniæ adjungens, & transferens ab ſtipendio mortis ad donativum vitæ æternæ.* Nam 1. delet maculam peccati: 2. largitur gratiam & ſanctitatem: 3. confert jus ad vitam æternam. Beatitudo conſiderari poteſt, vel 1. ut finis ad quem conſequendum Deus nos creavit ad imaginem ſuam, & in baptiſmate ſimilitudinem ſuam nobis contulit: Vel 2. ut hæreditas quam nobis Chriſtus ſuo acquiſivit ſanguine: Vel 3. ut corona vincentibus propoſita. Verum ſanctitas neceſſaria eſt, 1. ad reportandam illam coronam: 2. ad obtinendam illam hæreditatem: 3. ad acquirendum illum finem. L. de Reſ. 47.

1. Chriſtianos ad ſuam militiam vocavit Deus, & ſtrenue militantibus & victoriam reportantibus proponit æternitatis coronam. Quod profunde declarat Tertullianus: *Bonum agonem ſubituri eſtis, in quo agonothetes Deus vivus eſt: xyſtarches Spiritus ſanctus: corona æternitatis.* Agonothetes præeſt agoni, & vincentibus prębet coronam, xyſtarches ſubminiſtrat arma ad certandū neceſſaria. Chriſtianus ab Spiritu armatus, & ejus gratia munitus, ſtrenue decertans, mundum, carnem & dæmonem debellās, à Deo agonothete, æternitatis corona donatur: quæ cum ſit *expreſſa ſigno ſanctitatis*, nonniſi à Sanctis poteſt comparari. Quapropter Chriſtianus pulchræ & pretioſæ hujus coronæ cupidus *ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatē*: ſeu ut habet Hebręa lectio, *ſanctitatē*; quia ſanctis duntaxat confertur, qui in præmiū ſanctitatis in cœlo *exultant coronati* & hæreditatē ſanctā poſſident, quam acquiſivit Chriſtus ſanguine ſuo. L. ad Mart. 3. Sap. 10. Tert. Scorp. 6.

2. Cœleſtis hæreditas, *tota candida de ſanctitate deſcribitur.* Tum quia candor puritatem incontaminatam denotat: tum quia dealbata eſt ſanguine Chriſti: tum quia qui illam *hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam* deſiderant, debent habere togam candidam, *à toga candida candidati.* Alludit ad illos Tertullianus, qui apud Romanos ambiebant magiſtratus, qui erant veſte candida induti. Eodem modo qui ſunt candore ſanctitatis veſtiti, ſunt *æternitatis candidati.* Chriſtus eſt ſimul & ſemel candidus & rubicundus, hos deferunt colores Chriſti hæredes. Sunt purpurati & candidati: purpurati ſanguine Chriſti; nam *purpurati à purpura*; candidati ab eodem ſanguine, qui virtutem habet dealbandi. Nam ſi *maculæ martyrio candidantur*: ſi ſanguis Martyrum Martyres candidat, quanto magis ſanguis Chriſti, ut conſtat ex Cœlicolis qui Chriſti hæreditate potiuntur, quia *candidaverunt veſtimentum ſuum in ſanguine Agni?* Cohæredes Chriſti, debent iiſdem fulgere coloribus ac ipſemet Chriſtus: Chriſtus ſanctitate ſplendeſcit, & ipſi debent veſtiri *byſſino ſanctitatis.* Conveniens eſt, ut ſit aliqua proportio inter filium adoptivum & filium naturalem: Chriſtus Filius Dei naturalis ſanctus: *ſi Sancti filius cupis eſſe, ſanctitas te in filium adoptat.* Celeſtis Hieruſalem eſt Civitas ſancta, cœlum quod eſt Dei curia, eſt domus ſanctitatis: Civitas ſancta non recipit niſi cives ſanctos; & nullus niſi Sanctus, de Dei familia deputatur. Nam, ut addit Baſilius Magnus, *per ſanctificationem, in Sancti familiam* Tert. l. 1. ad Vx. 7. Tert. l. de Idol. 11. Tert. l. de Reſ 58. Tert l. de Idol. 18. Tert. Scorp. 12. Tert. Tert. l. 1. ad Vx. 8. D. Baſil in Pſ. 28.

 aſciſci-

aſciſcimur: & Sancti familiaritate perfruimur, adepti finem qui ſanctitate duntaxat comparatur.

Tert. l. de Reſ. 47. 3. *Nunc vero liberi à delinquentia; famulati autem Deo, habetis fructum veſtrum in ſacrificium, finem autem vitam æternam.* Locum Apoſtoli refert Tertullianus, quem tantiſper variatnam loco ſacrificii Paulus habet ſanctificationẽ: *Habetis* Rom. 6. *fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.* Uterq; meminit & finis & medii ad finem. Finis eſt vita æterna, medium vero, ſanctificatio: Tert. l. 2. ad Vx. 8. nam in cœlo *gratia coronatur*: quia ſicut gratia eſt gloria inchoata, ita gloria eſt gratia conſummata. Conſummatur autem quando coronatur per aſſecutionem finis: aſſequi autem nequit finis ab adulto niſi per opera in gratia fa- Tert. cta: quia in regno beatitudinis ſola ſanctitas & *virtus coronatur*. Et quia Deus vult nos omnes beatos in patria, & adhuc ſanctos in via deſiderat: *Voluntas* Tert. l. de Exh. Caſt. 1. *Dei eſt ſanctificatio noſtra*; per nos ſolos obſtabit, ſi beati non ſumus: ſiquidem Deus ad ſuam nos formavit imaginem, & in baptiſmate ſuam adhuc largitus eſt ſimilitudinem, ut ſanctum illum aſſequamur finem. Chriſtus nobis offert hæreditatem illam ſanctam, & ſuum ſanguinem, quo ejus deferamus colores: Spiritus ſanctus qui nos ad militiam ſpiritualem vocavit, ſubminiſtrat arma & vires quibus ſtrenue certemus, & pretioſam illam valeamus obtinere coronam. Sola ſanctitas neceſſaria eſt ad finem illum acquirendum, hæreditatem conſequendam, & victoriam reportandam.

Si dominatio ſeu imperium neceſſarium eſſet ad ingreſſum cœli, ſoli principes & reges admitterentur, ſubditi & ſervi exularent. Si ſcientia neceſſaria eſſet ad videndum Deum, ſoli ſapientes illum intuerentur, idiotæ & ignari eſſent in tenebris, nec clare & intuitive valerent Deum conſpicere. Si pulchritudo neceſſaria eſſet ad cohabitandum cum Angelis, ſoli decori cum beatis illis ſpiritibus conviverent, deformes corpore ab illa ſocietate rejicerentur. Si nobilitas neceſſaria eſſet ad cæleſtem hæreditatem conſequendã, ſoli magnates ea fruerentur, à qua excluderentur ruſtici. Si opes neceſſariæ eſſent ad obtinendũ regnũ æternũ, ſoli divites celeſtes haberẽt gazas, iis pauperes fruſtrarẽtur. Nemo ſe ſeducat, opulentia, pulchritudo, ſcientia, dominiũ aliaque bona ſive fortunæ, ſive naturæ, ſive animæ, ſive corporis, neceſſaria non ſunt ad cœlum adipiſcendum: imo ſæpe ſæpius ſunt obſtacula beatitudinis. Neq; è converſo morbus, paupertas, corporis deformitas, inſcitia, ſervitus, impediunt fœlicitatem, imo perſæpe ſunt media ad illam obtinendam. Deus promiſcue offert gratiam & gloriam, ſervis & regibus, ignaris & ſapientibus, pulchris & deformibus, mendicis & divitibus: infirmis & bene valentibus; modo ſancti ſint. Soli Sancti exiſtimantur in cœlo, *ubi dignitas, ſanctitas.* Cri- D. Aug. l. 2. Civ. 29. minoſis non prodeſt dominium, nobilitas, opulentia, ſanitas, & alia hujuſmodi: nam ſicut moneta non ponitur in ærario niſi fuerit cuſa regio numiſmate; D. Mach. ho. 10. ſic nemo recipitur in cœlo, niſi ſit ſanctitate decoratus, & divina ſimilitudine inſignitus. Et è converſo juſtis non obeſt ſervitus, inopia, ægritudo, aliaque fortu-

fortunæ damna. Ab illis nihil præter virtutem deſiderat Deus. *Æſtimatio-* D. Greg.
nem pretii regnum Dei non habet: ſed tantum valet, quantum habes. ho. 5. in Evang.

Avari, quid vobis proderunt terrenæ facultates, ſi vobis deſunt celeſtes theſauri? Superbi, quid vobis proderunt dignitates ſæculi, ſi eſtis in profundum abyſſi detruſi? Epulones, quid vobis proderunt lauta convivia, ſi æterna fame & ſiti cruciamini? Impudici, quid vobis proderunt venereæ voluptates, ſi ignem patimini intolerabilem? Fœminæ, quid vobis proderit pulchritudo, ſi corpora veſtra ad dolores duntaxat & cruciatus reſurgunt? Heroes, quid vobis proderit robur & fortitudo, ſi dœmonem habetis tyrannũ? peccatores, quid vobis proderit illud quod veſtris criminibus tanto proſecuti eſtis ardore, ſi eſtis de numero præſcitorũ? Belle D. Auguſtin. *Sæculi homines infeliciter* In Pſ. 117.
fœlices ſunt: martyres autem Domini feliciter infœlices ſunt: dum vitam amittunt, vitam cuſtodiunt. Illi infœliciter fœlices ſunt: nam exiſtimantur ab hominibus, contemnuntur à Deo; habent corpus venuſtum & ſanum, animam ægrotantem & fœdam; bona fortunæ poſſident, ſed gratiæ bonis ſunt denudati; ducunt in gaudio dies ſuos, ſed in puncto ad infernum deſcendunt. Martyres è converſo, vel qui adverſitatibus premuntur in mundo, ſunt fœliciter infœlices: terræ depauperantur bonis, ſed pretioſis gratiæ ditantur divitiis: humiliantur & ejiciuntur ab hominibus, ſed à Deo ſublimantur in cœlum: morbos & dolores patiuntur, ſed immortalitate coronantur: vitam ducunt mœrore & triſtitia repletam, ſed cum lætitia & animi voluptate moriuntur: *Tria* D. Bern. Ser. 25. inter parvos.
ſunt quæ mortem Sanctorum faciunt pretioſam: Quies à labore; gaudium de novitate; ſecuritas de æternitate.

CONCIO QVARTA.

A*Nimam ediximus negotioſam, & exercitam ſemper ex perpetuitate motationis,* Tert. l. de An. 4.
quod divinitatis & immortalitatis eſt ratio. Motus & exercitatio ita convenit animæ, ut non ſolum ſit principium omnium motuum & operationum quas naturaliter operatur corpus: verùm etiam *cùm quies corporibus evenit, quorum ſolatium proprium eſt, vacans illa à ſolatio alieno, non quieſcit.* Quies neceſſaria eſt corpori, ut vires ejus labore debilitatæ, ſomno reficiantur, dormiente autem & quieſcente corpore, anima *interim ſomniat, nec quieſcit,* Tert. l. de An. 41.
nec ignaveſcit omnino, nec naturam immortalitatis ſervam ſopori addicit. Probat ſe mobilem ſemper; terra, mari peregrinatur, negotiatur, agitatur, laborat, ludit, dolet, gaudet, licita atque inlicita proſequitur. Varias refert Tertullianus animæ cogitationes in ſomniis, quando corpus quieſcit, corpore ſomno ſopito ipſa agitatur. Idem proſequitur argumentum & munia quæ exercet anima, prodit: *Concipe gladiatorem ſine armis, vel aurigam ſine curri-* L. de 49.
culis, & alia ejuſmodi, quæ demonſtrant animam eſſe maxime mobilem, 45.
homi-

hominemque ex ea compoſitum eſſe ad actionem & operationem conditum. Ut autem ad bene operandum ſtimuletur, illum in præſenti conſidero ut hominem, ut Chriſtianum, ut prædeſtinatum; & his tribus titulis urgetur ad bene operandum: 1. ut homo, quia defert imaginem Dei qui bene operatur: 2. ut Chriſtianus, quia in bonis operibus in Chriſto creatur: 3. ut prædeſtinatus, quia bonis operibus electus à reprobo diſcriminatur.

1. PARS Tert. Apol. 47. *Epicurei aſſeverant Deum otioſum, & inexercitum, (& ut ita dixerim) nemine humanis rebus.* Verum quàm erronea & falſa ſit inertis illius philoſophiæ ſententia, conſtat ex teſtimonio increatæ ſapientiæ, quæ Patrem operantem inducit: Ioan. 5. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.* Loquitur de æternis operationibus: nam ab æterno Pater generat Verbum, & Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum: & non ſolum ad intra, ſed etiam ad extra operatur Deus. Quod inculcare nititur Moyſes mundi deſcribens exordium: *Sic & benedicebat quæ bene faciebat, ut tibi totus commendaretur bonus, & dicere, & facere.* Tert. l. 2. adv. Marc. 4. In operationibus autem Dei ad extra reperitur quaſi circulus bonitatis: nam principium eſt bonum, terminus bonus, finis bonus. Principium bonum, nempe Dei voluntas: Terminus bonus, nimirum creaturæ, à divina voluntate productæ. Finis bonus, ſcilicet ipſemet Deus; nam propter ſemetipſum omnes produxit creaturas. Homo ad Dei imaginem formatus in ſuis operationibus divinum illud tenetur imitari prototypum: quod efficiet ſi ejus opera, 1. ſint à voluntate bona: 2. ſi terminentur ad bonum: 3. ſi fiant propter Deum ſummum bonum.

1. *Operatione Dei univerſa conſiſtunt.* Tert. l. 4. adv. Herm. 45. Hujus externæ operationis principium eſt Dei voluntas. Illa autem operatrix Dei voluntas, eſt 1. luminoſa: 2. libera: 3 bona. 1. Luminoſa, non cæcutiens, ſed prævia cognitione agens: *Iam edix'mus Deum univerſitatem hanc mundi, verbo & ratione molitum.* 2. Libera, Tert. Apol. 21. quia non neceſſario, ſed liberè circa res contingentes operatur Deus: creaturas ſiquidem produxit prout voluit, quando voluit, & quomodo voluit. Divina libertas eſt exemplar humanæ libertatis, in qua potiſſimum ſitam Dei imaginem in homine, exiſtimat Tertullianus: Lib. 5. adv. Marc. 5. *Liberum & ſui arbitrij & ſuæ poteſtatis invenio hominem à Deo inſtitutum: nullam magis imaginem & ſimilitudinem Dei quam ejuſmodi ſtatus formam.* 3. Bona, qualis eſt namq; Deus, talis eſt ejus voluntas; Deus autem eſt infinite bonus, & conſequenter ejus voluntas bona eſt. Ut enim ratiocinatur Tertullianus, Scorp. 5. *Deum interim ſufficit dici, ut neceſſe ſit bonum credi. Malum enim Deum qui præſumpſerit, conſtare in utroque non poterit. Aut Deum negare debebit, quem malum exiſtimarit: aut bonum dicere, quē Deum pronuntiarit. Bona igitur erit & voluntas ejus, qui niſi bonus, non erit Deus.*

Juſtos nuncupat Tertullianus, *bonæ frugis operarios*, quia opera illorum Lib. 4. adv. Marc. 1. procedunt à voluntate: 1. illuſtrata: 2. libera: 3. bona. 1. Illuſtrata, *Chriſtianus jam in Dei luce eſt.* Tert. l. de Pud. 7. Homo in triplici ſtatu conſiderari poteſt: naturæ ſcilicet, gratiæ, & gloriæ; habetque lucem cuilibet ſtatui convenientem

nientem. In ſtatu gloriæ, illuſtratur lumine gloriæ, abſque quo non poteſt elicere Dei viſionem; hæc enim viſio prævia eſt ad amorem beatificum, in quo formalis ratio fœlicitatis ſita eſt. In ſtatu naturæ, lumine rationis irradiatur, & illud rationis lumen prærequiritur ut quis humanam valeat facere actionem. *Nec bonitas ſine ratione bonitas.* In ſtatu gratiæ lumine fidei illuminatur, quæ dicitur *fides operum*; quia bonam voluntatem illuminat, eamque velut fax præcedit ut bene operetur. Ut enim ait D. Ambroſ. *Fides bonæ voluntatis & juſtæ actionis eſt genitrix*, Bene dicitur fides juſtæ actionis genitrix, eſt namque boni operis velut origo & principium; quia ut ratiocinatur D. Auguſtinus: (non ſe quiſque arbitretur ideo percepiſſe gratiam, quia bene operatus eſt; ſed bene operari non poſſe, niſi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa monitione motus ad fidem.)

Tert. l. 2. adv. Marc. 6.
Tert l. 2. ad Nat. 5.
de Vocat. Gent. 6.
l. 1. Quæſt. ad Simplician. Q. 2.

Illuſtrata per fidem & gratiam Chriſtiani voluntas, 2. libertate adhuc cõmendatur. *Neque enim homo facie & corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expreſſus eſt: ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit ideſt anima ad formam Dei reſpondentis, & arbitrij ſui libertate & poteſtate ſignatus eſt.* Trina in præſenti conſideranda eſt libertas: Una à mortalitate; alia ab iniquitate, tertia à neceſſitate; Prima reperitur apud Beatos, qui liberati ſunt tum à morte animæ, tum à morte corporis, de qua loquitur D. Auguſtinus: *Nulla libertas vera eſt niſi Beatorum, & legi æternæ adhærentium.* Secunda libertas reperitur in juſtis, quos liberavit Chriſtus, *non à barbaris, ſed à Diabolo; non à corporis captivitate, ſed ab animæ iniquitate.* Tertia libertas in cunctis reperitur hominibus, in quorum arbitrio poſuit Deus conſentire aut bono aut malo. *Tota ergo libertas arbitrij in utramq; partem conceſſa eſt homini, ut ſui dominus conſtanter occurreret, & de bono ſponte ſervando, & de malo ſponte vitando.* Niſi enim homo propria voluntate agat, neque de bono laudandus, neque erit de malo culpandus: neutrum ei poterit imputari; quia (nec peccatum, nec recte factum imputari cuiquam recte poteſt, qui nihil fecerit propria voluntate. Eſt igitur & peccatum, & recte factum in libero voluntatis arbitrio) Deinde ſi homo non eſt indifferens ad bonum & malum, neque mercedis, neque ſupplicii capax eſt. *Ceterum nec boni nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus aut malus neceſſitate fuiſſet inventus, non voluntate.* In quo homo à bellua diſcriminatur, quæ non agit ſtudioſe nec criminoſe; laudabiliter nec culpabiliter: non meretur nec demeretur, neq; eſt capax mercedis aut ſupplicii, quia nequit operari moraliter cum careat ratione, libertate, ſitque incapax gratiæ. Nam ut belle ad propoſitum ratiocinatur D. Bernardus; (Deus eſt author ſalutis; liberum arbitriũ tantum eſt capax ſalutis: nec dare illam niſi Deus, nec capere valet niſi liberum arbitrium. Tolle liberum arbitrium, non eſt quod ſalvetur: tolle gratiam, non erit unde ſalvetur.) Quare in oratione dominica *petimus ſubſtantiam & facultatem voluntatis ſua ſubminiſtret nobis, ut ſalvi*

Tert. l. 2. adv. Marc. 5.
Lib. 1. de Lib. Arb. 15.
D. Aug. Ser. 48. de Verb. Do.
Tert. l. 2. adv. Marc. 6.
D. Aug. L. 83. Quæſt. Q. 24.
Tert.
De Lib. Arb.
Tert. l. de Orat. 4.

ſalvi ſimus? ſcilicet divinā poſtulamus gratiā,ut ſicut divina voluntas eſt eſſentialiter & ſubſtantialiter bona, habetq; à ſemetipſa facultatem bene operandi: ita voluntas noſtra per gratiam efficiatur bona, habeatque facultatem bene operandi.

Ut autem voluntas ſit bona valeatq; bene operari, trina gratia indiget: 1. Gratia antecedente quâ præveniatur: 2. gratia ſanctificante qua juſtificetur: 3. gratia concomitante, qua ad agendum excitetur, & in operando adjuvetur: 1. Gratia præveniens eſt illi neceſſaria ad bona opera; *ut ad capienda præſtanda ea, ſola gratia divinæ inſpirationis operetur: nam quod maxime bonum, id maxime penes Deum, nec alius quiſquam qui poſſidet diſpenſat, ut cuique dignatur.* Diverſimode ſe habet humana voluntas ad bonum & ad malum: ſe ſola fertur ad malum, nec ad hoc Dei indiget auxilio; ad bonum vero ferri nequit abſq; gratiæ divinæ beneficio. *Quod facit homo male, ipſius eſt hominis: quod facit bene, de beneficio Dei eſt.* ideo male facit, quia pravam habet voluntatem: ideo bene facit, quia bonam habet voluntatem: Hanc autem voluntatis bonitaté habet à gratia: (Semper ineſt nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona. Aut enim à juſtitia libera eſt, quādo ſervit peccato, & tunc eſt mala: aut à peccato libera eſt, quando ſervit juſtitiæ, & tunc eſt bona Gratia vero Dei ſemper bona eſt: & per hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ.) Neque tantùm gratia præveniente indiget voluntas, ſed etiam gratia adhuc ſanctificans eſt ei neceſſaria ut ſit bona & bene agat. Etenim *Spiritus & virtus extrinſecus conferuntur Dei gratia.* Gratia ſanctificans eſt principium meriti, principium autem meriti non cadit ſub meritū, ſed à Deo datur gratis, & ab illa humana voluntas bona efficitur, & vires ad bene operandum mutuatur. Quod bellè elucidat D. Auguſtinus. (Primo eſt gratia, conſequenter ſunt bona opera: non quæ gratiam pariant, ſed quæ gratiā pariantur. Non enim ut ferveat calefacit ignis, ſed quia fervet. Nec ideo bene currit rota ut rotunda ſit, ſed quia rotunda eſt. Sic nemo propterea bene operatur ut accipiat gratiā, ſed quia accepit. Quomodo enim poteſt juſte vivere, qui non fuerit juſtificatus? quomodo ſancte vivere qui non fuerit ſanctificatus; vel omnino vivere, qui nō fuerit vivificatus? Juſtificat autē gratia, ut juſtificatus poſſit juſte vivere. Primo igitur eſt gratia, ſecūdo ſunt opera bona.) 3. *Qua ut implere poſſimus, opus eſt Dei voluntate,* ideſt gratia concomitante, quæ bonam adjuvet hominis voluntatē. *Diſtinguenda eſt lex & gratia. Lex jubere novit, gratia juvare. Nec lex juberet niſi eſſet voluntas; nec gratia juvaret, ſi ſat eſſet voluntas.* Ita nimirum Dominus gratia adjuvat voluntatē, ut nullomodo ejus vulneret libertatē: *Liberum arbitrium ideo non tollitur quia juvatur: ſed ideo juvatur, quia non tollitur.* Neque ſolum tollitur, ſed ſimul cum gratia libere bonum operatur.

Tert. l. de Pat. 1. | D. Aug. In Pſal. 91. | D. Aug. l. de Grat. & Lib. Arb. | Tert. l. de An. 15. | L. 1. Quæſt. ad Simplician. Q. 2. | Tert. l. de Orat. 4. | D. Aug. Ep. 95. ad Bonod. | D. Aug. Ep. 89 ad Hilar. Q. 3.

Gratia Dei tria in nobis operatur: ſcilicet bonam cogitationem, bonam voluntatem, & bonum opus. Bonam cogitationem operatur in nobis ſine nobis, quia gratia ſuis illuſtrationibus mentem prævenit & irradiat: bonam volunta-

voluntatem non operatur in nobis ſine nobis, nam illuſtrata & excitata per
gratiã prævenientẽ voluntas, libere ad ſuſcipiendam gratiam ſanctificantem
ſe diſponit. Tandẽ bonũ opus non operatur in nobis ſine nobis; nam gratia &
voluntas ſunt boni operis duo principia partialia, quæ non agunt ſeorſim, nec
ſucceſſive unum poſt aliud, ſed ſimul, conjunctim, eodemq; temporis momẽ-
to; quia ex his duobus principiis partialibus conflatur principiũ totale à quo
bonum opus producitur. Et ſicut in generatione prolis pater unam partem
non generat, nec mater alterã, neq; medietas patri, & medietas matri tribui-
tur, ſed pater ſimul cũ uxore, una & eadem actione totam generat prolem, &
è converſo, utriq; etiam tota tribuitur proles. Eodem modo, ait D. Bernard[9];
non partim gratia, partim liberum arbitriũ: ſed totum ſingula, opere individuo per- De Lib.
agunt. Totum quidem hoc, & totum illa: ſed ut totum in illo, ait totum ex illa. Inde Arb.
præ ſtupore exclamat D. Bernardus. *O eximiã dignitatẽ, ut coadjutores Dei, co-*
operatores Spiritus ſancti, imo & promeritores regni nos eſſe præſumamus? Quod
meremur per opera, quæ à bona procedũt volũtate, & terminantur ad bonũ.

2. Divina voluntas ad extra operans produxit bonum. Duplex eſt obje-
ctum divinæ voluntatis. Motivum unum, terminativum aliud. Motivum eſt
eſſentialis Dei bonitas: terminativum ſunt creaturæ ad quas terminatur o-
peratio ejus externa. Utrumq; eſt bonum, motivum eſſentialiter & infinite:
terminativum finite & participatione ſecundum gradũ bonitatis quem lar-
gita eſt libere divina voluntas. Illam operum divinarum bonitatẽ Marcioni Lib. 1. adv.
objicit Tertullianus: *Aſpice ad ſummũ, qualia ſermo fructificaverit. Et dixit Deus;* Marc. 4.
Fiat, & factum eſt; & vidit Deus quia bonum: non quaſi neſciens bonum, niſi videret:
ſed quia bonum ideo videns, honorans, & conſignans, & diſpungens bonitatem operũ
dignatione conſpectus. Deum imitari debet homo, ut commendetur *de opere bo-* Tert. l. 1.
nitas: oportet ut ſit aliqua proportio inter imaginem & ſuum prototypum: adv. Marc. 23.
Conveniens quippe eſt ut talia ſint (cæteris paribus) humana opera, *qualia* Tert. l. de Bapt. 2.
decet opera divina; quod tunc erunt ſi bonitate ſplendeant. Terr.

Verùm perpauci ſunt bonitatem operantes hoc tempore: *quo juſtitia rareſ-* Apol. 10.
cit & iniquitas increbreſcit, bonarum omnium diſciplinarum cura torpeſcit. Quod
experientia ſatis apparet, nec alia indiget probatione: 1. Plerique ſiquidem
homnes prava agunt voluntate: bona voluntas gratia ſanctificatur, volunta-
temque divinam in agendo imitatur: *Quam autem ſanctitatem noſtram, volun-*
tatem Dei dicat, ex contrarijs quæ prohibet, agnoſceres. 2. Deus eis abunde ſubmi- Tert. l. 5. Marc. 15.
niſtrat cuncta ad bene operandum neceſſaria: nam fide eos illuminat, gratia
ſollicitat, auxilium præſtat, legũ diſciplinã ſuppeditat, *habentes gubernacula*
diſciplinæ, & timoris inſtrumenta, Legem & Prophetas: & tamen fidei lumen Tert l. de Pud. 7.
obnubilant, gratiæ motionem reſpuunt, diſciplinam contemnunt, legem
tranſgrediuntur, Deum minitantem non metuunt, mercedem virtuti propo- Tert. lib. adv. Val.
ſitum vilipendunt, & *de vitiis peſſima* committunt: 3. Dei externum *opus* 16
mundiſſimum eſt: tum quia à ſancta procedit voluntate; tum quia ad Tert. l de Pall. 5.

bonum terminatur: ipſorum vero opus eſt contaminatum: tum quia oritur à voluntate ſceleroſa, criminibus maculata: tum quia in probroſis quibuſque vitiis occupantur. Quibus poſſet idem exprobrari quod gentilibus Romanis Tertullianus, *Vos quidem balneis & cauponis, & lupanaribus operantibus.* Apol. 40.

Operarii ſunt in triplici differentia: 1. Nonnulli operarii iniquitatis: 2. alii operarii vanitatis; 3. tertii, bonitatis: 1. Operarii iniquitatis ſunt peccatores, qui faciunt opera ex ſuo genere mala. Omne namque opus eſt ex ſua natura vel bonum, ut eleemoſynam dare? vel indifferens, ut deambulare: vel malum, ut furtum vel homicidium patrare: illorum autem opera non ſunt indifferentia, neque bona. *Non ergo natura optima ſunt illa, quæ à Deo non ſunt auctore natura:* quia Deus non eſt auctor peccati: *Nec idem habendus eſt delicti auctor, qui invenitur interdictor, imo & condemnator.* 2. Operarii vanitatis illi ſunt, qui opus ex natura ſua bonum faciunt, ut inde gloriam captent, qui pauperibus munera largiuntur, Eccleſiæ jejunia obſervant, ut bonum nomen acquirant apud homines: cujuſmodi erant Pharizæi in lege Moſaica: hujuſmodi ſunt hipocritæ in lege Evangelica: qui contra Domini mandatum: *Cavete autem facere juſtitiam veſtram coram hominibus, ut videamini ab eis,* nihil agũt niſi videantur. Hi habent quidẽ ſpeciem pietatis, virtutẽ autem ejus abnegât, *Non erat quod videbatur, & quod erat mentiebatur:* ſunt ſepulchra dealbata, plena oſſibus mortuorum; extrinſecus ovium deferunt habitum, intrinſecus ſunt lupi rapaces: *Putativus habitus, putativus actus: imaginarius operator, imaginaria opera.* Operarii bonitatis illi ſunt, qui bonum bene faciunt, quorum opera commendantur; tum ex parte principii quod bonum eſt, nempe voluntas bona gratia ſanctificata: tum ex parte finis ad quem ordinantur. *Tunc recta ſunt opera, cum in illum finem diriguntur, qui eſt Chriſtus.* Præbendum quidem eſt aliis virtutis exemplum, ut ædificentur, & Deus glorificetur, quomodo iſtud Davidicum intelligit D. Auguſtinus. (Jubilate Deo omnis terra, pſallite autem nomini ejus.) *Si jubilatis quod Deus audiat, pſallite etiam quod homines videant, & audiant ſed non propter nomen veſtrum* Nõ ſufficit facere bonum, ſed bonũ bene faciendum eſt, cum puritate cordis, & rectitudine intentionis: quia, ut docet ex Dionyſio Theologia Moralis. (Bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu:) Ut autem bonum opus ex *conſcientia integra* facere valeas, (finem attende, in finem canta, quo fine facias vide. Si ideo facis ut tu glorificeris, hoc prohibuit: ſi autem ideo ut Deus glorificetur, hoc juſſit. Pſallite ergo non nomini veſtro, ſed nomini Dei veſtri. Vos pſallite, ille laudetur: vos bene vivite, ille glorificetur.)

Tert. l. 1. de Cult. Fœ. 7.
Tert. l. 1. adv. Marc. 9.
Matth 6.
Tert. l. 3. adv. Marc. 8.
Tert.
D. Aug. in Pſ. 89.
Pſ. 65.
Tert. l. de Spect. 29.
D Aug. in Pſ. 65.

3. *Gloria ſua cauſa Deus molitus eſt mundum;* neque ſi propter ſemetipſum valuit producere mundum: quia gens ſi ordinate agat, non ſolum ſibi proponit aliquem finem, ſed adhuc finem ipſius agentis dignum. Deus qui eſt agens infinitum, & eſſentialis ratio, cujus ordinata ſunt opera, omnia ad ſemetipſum ut ad finem ultimum ordinavit: ſi etenim ad alium ordinaſſet finem, Deus

Tert. l. adv. Herm. 10.

non

eſſet finis ultimus; quod repugnat: quia ſicut nequit ab aliqua cauſa efficien-
te dependere, quia eſt prima cauſa efficiens à qua cuncta creata dependent;
ita nequit ad aliquē referri finē, alias eſſet finis ultimus & non eſſet ultimus;
ſicut implicat quod prima cauſa efficiēs ſit dependens & independens. *Et quia* Tert l. de Pœn. I.
*Deus omniũ conditor, nihil non ratione providit, diſpoſuit, ordinavit, nihil non ratio-
ne tractari voluit*: tūc autē homo rationaliter tractat, agit, diſponit, ſuaq; ope-
ra ordinat, dum Deum imitatur, & cuncta quæ operatur, ad ejus gloriam re-
fert. Qui ad illum finem ſua dirigunt opera, 1. Deum honorant: 2. à Deo ho-
norantur: 3. multum ſibi proficiunt. 1. Mamertinus ſic Imperatori adulatur:
(Veſtra hæc, Imperator, veſtra laus eſt, à vobis proficiſcitur id quod per alios Paneg. I.
operatur.) Quanto à fortiori laus boni operis Deo tribuenda eſt, cujus gratia
tale opus factum eſt? Quod probe recognoſcit Chryſologus expendens iſtud
Matthæi: (Nonne bonum ſemē ſeminaſti in agro tuo?) *Seminaſti, non ſemina-* Matth 13.
vimus nos quod facimus, tibi ſemper noſtro aſſignamus auctori. Æquiſſimum ſane Ser 97.
eſt, ut ad Deum referatur opus *quod ad Dei gloriam pertinet*; quia nonniſi ejus Tert. l. de
beneficio factum. Debitus Deo honor ita juſtitiæ conformis videtur Tertul- Fug. I.
liano, ut in procuranda divina gloria, Chriſtianæ diſciplinæ obſervantiam
potiſſimum conſtituat. *Deum prædices, & adimpleas diſciplinam*: Nihil hoc L. de Idol. 21.
munere gratius poteſt offerri Deo (Virtus hominis glorioſi, eſt victima mu- S. Nil.
tila,) quæ Deo non placet, & aſſimilatur donis à Caino oblatis, quæ rejicit Orat. 7.
Deus: At virtus quam offert homo humilis, habens *faſtidium gloria, ſoli Deo* Tert. l. de
captans placere maxime Deo placet; hanc acceptat & odoratur Deus, ut patet vel. Virg. 10 Tert.
in oblationibus ab Abel & victimis à Noê immolatis: *Nam ad oblationes Abel* Tert. l. 2.
advertit, & holocauſta Noë odoratus eſt libenter. Licet enim Deus his hoſtiis non adv. Marc. 22.
indigeat, quia *Deus æternus non eſuriet, nec ſitiet*, nec ex his oblationibus vo-
luptatem capiat: nam *quæ jucunditas ſive viſcerum vervecinorum ſive nidorũ ar-* Tert.
dentium victimarum? Attamen *animus ſimplex & Deum metuens offerentium ea
quæ à Deo habebant, & pabuli & ſuavis olentiæ gratia apud Deum deputabatur, non
quæ fiebant exigentis, ſed illud propter quod fiebant, ob honorem ſcilicet Dei.* Tria
præſertim munera Abel & ſacrificia Noê præſtiterunt Deo grata & acce-
ptabilia: 1. animus ſanctus & purus offerentium: 2. res oblatæ quas à Deo
acceperant, ipſique offerebant in gratitudinis monumentum. 3. finis pro-
pter quem offerebant Deo res ſuas, nimirum ejus honor & gloria.

Bona opera quæ facit Chriſtianus ſunt bona ipſiuſmet Dei: *Quando cœpe-* D. Aug l. de Grat.
rit homo habere merita bona, non ſibi debet tribuere, ſed Deo. Deo igitur tribuat liber. Arb. 9.
bona ſua, ſed corde ſimplici, propter ſolum Dei honorem à quo honorabitur.
2. *Quicunque glorificabit me, glorificabo eum.* Septuaginta legunt; *honorantes me* L. I. Reg. 2.
honorando, ut patet in Noë, qui à Deo fuit honoratus. Tranſacto diluvio in ſi-
gnum quod non eſſet in generationibus hominum ſimile futurum, poſuit
Deus arcum in nubibus, dixitque ad Noê: (Hoc eſt ſignum fœderis.) Nonne
Dei promiſſio ſufficiens erat? ad quid ultra ſignum datur in Nubibus? Noê, Gen. 9.

quan-

Gen. 8. quantum ex ſacris conſtat litteris, primus in Dei honorem ædificavit altare, eique celeberrimum de cunctis pecoribus obtulit holocauſtum: Quia igitur Noê primus in Dei gloriam, poſuit ſuper terram ſignum externum, nempe altare permanens; Deus quoque ad majorem Noê ſplendorem & honorem, poſuit ſignum in nubibus cœli. *Vide quanto honore juſtum dignatur, ita cum eo paciſcitur, quaſi homo homini loquens.* Neque honorem tantum profert redditus Deo honor 3. Sed adhuc multum proficit, *Quod homini profecit, Deo ſervit*, dixit alias Tertullianus: verum quod divino ſervit honori, grandem affert homini utilitatem. Nam (debetur merces bonis operibus ſi fiant, ſed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.)

D. Chryſoſt. ho. 28 in Gen. Tert. l. de Pœn. 2. D. Aug. l. de Ver. 127. Tert. l. 2. adv. Marc. 18.

Sed & in ipſis commerciis vitæ, & converſationis humanæ, quando duo negotiatores ineunt ſocietatem, unuſquiſque largitur partem pecuniæ neceſſariæ ad negotiandum, & colligit etiam partem utilitatis quæ ex negotiatione provenit. In bonis exequendis operibus nos ſibi ſocios aſcivit Deus: *Nos operis tui facis pro tua dignatione conſortes.* Plura abſque comparatione præbet Deus quam nos: nam Deus concurrit ad initium, progreſſum & conſummationem operis boni, nos tantum ſubminiſtramus liberam noſtræ voluntatis cooperationem. In illo opere in quo cum Deo habemus ſocietatem, duo ſunt: honor & meritum. Deus ſolo honore contentus, nobis meritum relinquit & mercedem, quam largitur in cœlis hominibus, qui eum imitantur in operando, & Chriſtianis quos in Baptiſmate creavit in operibus bonis.

Chryſol. Ser. 97.

II. PARS. *Iſte igitur Dei radius, ut retro ſemper prædicabatur, delapſus in Virginem quandam, & in utero ejus caro figuratus, naſcitur homo Deo miſtus, caro ſpiritu inſtructa nutritur, adoleſcit, affatur, docet, operatur, & Chriſtus eſt.* Quamvis ab ipſo inſtanti incarnationis quo Verbum unitum fuit humanitati, vere Chriſtus extiterit, tamen non eſt perfecte cognitus ut Chriſtus, neque naſcens, neque adoleſcens, neque docens, ſed dumtaxat operans. *Operatur & Chriſtus eſt.* Chriſtianus à Chriſto nuncupatus, fuit in Baptiſmate, 1. à Deo adoptatus: 2. Divinitate donatus: 3. ad cœleſtem hæreditatem deſtinatus: Verum bonis debet vacare operibus: 1. ut tanti genitoris majeſtati reſpondeat: 2. ut gloriam acceptæ divinitatis ſuſtineat: 3. ut cœleſtem hæreditatem acquirat.

Tert. Apol. 41.

1. *Nos piſciculi ſecundum noſtrum Ieſum Chriſtum, in aqua naſcimur*: In baptiſmate Deus Chriſtianos ſibi adoptat in filios, & ut de divina dignatione nequeant dubitare, Chriſtus orationem inſtituit dominicam, ut quoties dicerent Pater noſter qui es in cœlis, meminerint ſe patris illius cœleſtis eſſe filios. *Ecce homo tua te voce, Chriſtus hodie Dei Patris adoptat in Filium, dum ais, Pater noſter*: & ut ſe ad tantam dignitatē ſublimatos certo cognoſcant, Dei Filius factus eſt filius hominis. *Et quid mirum ſi homines Dei conſecravit in filios, quando ſe homini dedit & aptavit in filium?* Difficile profecto creditu & explicatu, quod homo divina filiatione donetur, ſed multo difficilius quod Dei Filius, hominis effectus ſit filius: ideoque fas non eſt de minori dubitare, cum

Tert. l. de Bapt. 1. Chryſol. Ser. 69. Chryſol. Ser. 70.

cum majus adimpletum ſit in utero Virginis. Nam ut philoſophatur dubius Chryſoſtomus: (Si de rebus tuis dubitas, ex illis rebus etiam credenda iſta perſuade tibi: etenim multo difficilius eſt, Deum hominem fieri, quam hominem filium Dei. Cum igitur audieris Filium eſſe Davidis & Abraham, cave dubites quin & tu filius Adami, filius Dei ſis futurus. Non enim temere & fruſtra tantopere ſeipſum abjeciſſet, niſi nos ad altum vellet educere.) *Ho. 2. in Matth.*

Duplex eſt Dei filius, naturalis unus, adoptatus alter, Chriſtus eſt Filius Dei naturalis; Chriſtianus (modo ſit juſtus) eſt filiùs Dei adoptatus: *Ipſe eſt Dei Patris adoptatus in filium.* At inter filium adoptatum & naturalem debet *etiam qualitatis inter illos eſſe conſortium, ut jure conſiſtat collegium nominis, communione ſubſtantiæ.* In tribus autem potiſſimum hujuſcemodi nominis & qualitatis communio elucet: 1. Filius Dei naturalis eſt à patre generatus, Chriſtianus in baptiſmate generatur à Deo. Quare Tertullianus fatur de Baptiſmo tanquam *de ſanctiſſimo lavacro novi natalis*: quia in illo Chriſtianus divinam accepit nativitatem. *Divinus in nobis ſtatus efficitur: Hic ſtatus divina nativitas eſt,* quoniam homines baptizati *ſunt Sancti, non tantum Sancti, ſed juſti: non ſolum juſti, ſed & filij.* 2. Filius Dei naturalis accipit in ſua generatione quod majus omnibus eſt, nempe divinitatem: Chriſtianus in baptiſmo generatus, accipit gratiam, qua nihil eſt majus in creatis. Nam ut docet Doctor angelicus: (Bonum gratiæ unius, majus eſt quam bonum naturæ totius mundi.) Quid quæſo glorioſius pro homine poteſt concipi, quam eſſe Dei filium? *Quãta dignatio Dei, patrem hominum eſſe? quanta hominum gloria, Dei filios eſſe?* Talis & tanta, illa Dèi dignatio, eſt hominis gloria; ut vere fateatur ſanctus Leo: *Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem.* Filii nobilitas ex patris ſumitur dignitate: Quare Theodoricus rex ſcribit regi Herulorum quem adoptat in filium: *Adoptat te talis, de cujus gente tu potius formideris.* Et quidam orator Alexandri Macedonis encomium perfeciſſe credidit, dicendo: *Tu es Philippi filius.* Verùm quid ſunt cuncti reges terræ in conſpectu Dei, qui Chriſtianum adoptavit in filium? Talem dignitatem omni admiratione majorem merito exiſtimat Chryſologus. (Omnia quæ divinitus dicta factaque referuntur, ſunt miraculo, ſunt ſtupori, ſunt pavenda mortalibus, ipſis etiam cœleſtibus ſunt tremenda: ſed nihil tam ſtupet cœlum, pavet terra, expaveſcit univerſa natura, quam quod vos eſtis hodie nobis dicentibus audituri. Servus Dominum Patrem vocare audet, judicem ſuum reus nuncupat genitorem, conditio terrena ſua ſe voce Dei adoptat in filium.) 3. Filius Dei naturalis eſt perfecta ejus imago & ſimilitudo: Chriſtianus etiam Dei adoptatus in filium, eſt ejus ſimilitudo: *Vult enim imaginem ſuam nos etiam ſimilitudinem fieri.* In creatione imaginem ſuam nobis contulit Deus; at in regeneratione ſuam nobis largitur ſimilitudinem. Nam per Baptiſmum *reſtituitur homo Deo adſimilitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat.*

Chryſol. Ser. 63. *Tert. l. 2. ad Nat. 4.* *L. de Bapt. 10.* *D. Dion. de Cœl. Hier. 2.* *D. Aug. l. 1. cont. Iulian. 2.* *12. Q. 113. A. 4. ad 2.* *Ser. de Nat Dom.* *Ser. 6. de Nat. Dom.* *Caſſiod. l. 4. Var.* *Ser. 70.* *Tert. l. de Exh. Caſt. 1.* *Tert. l. de Bapt. 6.*

Chri-

Tert. lib. adv. Prax. 14. Chriſtus Dei Filius naturalis nuncupatur *repræſentator Patris*. Dupliciter autem repræſentavit Patrem: inviſibiliter & viſibiliter. Inviſibiliter per Divinitatem qua erat imago Dei inviſibilis: & viſibiliter per opera humanitatis,
Tert. *Per opera ergo virtutum & verba doctrinæ, manens in Filio Pater per ea videtur per quæ manet, & per eum in quo manet.* Pater in ſemetipſo inviſibilis apparebat in operibus quæ in ejus nomine faciebat Chriſtus. Verba quæ loquebatur Dominus, & miracula quæ patrabat, Patrem repræſentabant, quē conſtat *viſibilē*
Tert. *in Filio fieri ex virtutibus, non ex perſonæ repræſentatione*, Chriſtianus Dei filius adoptatus, æternū debet repræſentare Patrē & inviſibiliter, & viſibiliter. Inviſibiliter per gratiā in ejus anima inhęrentē. Chriſtianus Deo debet imaginē & ſimilitudinem ſuam. Imaginem ut creatori: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari,*
Tert. l. de Idol. 15. *& quæ ſunt Dei Deo. Imaginem Cæſaris Cæſari, quæ in nummo eſt; imaginem Dei Deo quæ in homine eſt, ut Cæſari quidem pecuniam reddas, Deo temetipſum.* Simili-
Tert. l. de Fug. in Perſ. 12. tudinem adhuc Deo debet ut Patri: *Aut quomodo reddam quæ ſunt Dei Deo? utique proinde imaginem & monetam ipſius, inſcriptam nomine ejus, ideſt hominem Chriſtianum*, cui impreſſa eſt ſimilitudo Dei per gratiam ſanctificantem. Nam
3 p q. 1. memb. 1. ad 2. ut docet Doctor irrefragabilis; (Gratia reducit ipſam imaginem in plenam conformitatem Dei; quia gratia eſt ipſa Dei formitas,) ſiquidem gratia con-
D. Chryſ. in Pſ. 100. fert animæ ſanctitatem, quæ eſt *divinæ ſimilitudinis expreſſio*. Viſibiliter autem Chriſtianus Deum repræſentat per operationes virtutum. *Virtutibus imago*
D. Amb. l. de Bon. Mort. *Dei acquiritur, ideo qui nos pinxit quaſi auctor, pinxit virtutū coloribus.* In baptiſmate pinxit nos Deus virtutum coloribus, quia ſimul cum gratia ſanctificante dedit habitus ſupernaturalium virtutum, quibus depicta fuit interius Dei
Greg. Nyſſ. orat. 6. de Beat. ſimilitudo. Etenim *divina effigies imprimitur vita cum virtute conjuncta*. Actus autem virtutum quæ exterius apparent, divinum Patrem viſibiliter demon-
D. Aug. in Pſ. 11. ſtrant: nam *Virtutes ſunt characteres quibus divini vultus ſimilitudo exprimitur.*
Ser. 5. Quad. Ut autem fatur ſanctus Leo, *nihil eſt dignius quam ut homo ſit ſui auctoris imitator, & ſecundum modum propriæ facultatis divini ſit operis executor.* Hoc modo Chriſtianus æmulabitur Chriſtum, qui indeſinenter opera Patris exequebatur, quibus Patrem repræſentabat, ſeſeque ejus Filium demonſtrabat.

Summopere exoptat Chriſtus Dei filius cenſeri apud homines: quapro-
Ioan. 17. pter ſic Patrem deprecatur: *Clarifica me Pater claritate quam habui antequam mundus fieret.* Non poſtulat ibi 1. gloriam Divinitatis, quam non amiſit humanam ſumendo naturam, nec 2. gloriam animæ quam non habuit ab æterno, & qua fruebatur à primo inſtanti humanationis, nec 3. gloriam corporis quam non habuit ante mundi conſtitutionē, nec habiturus erat, niſi poſt reſurrectionem ſuam: 4. Sed claritas quam expoſtulat Salvator eſt gloria famæ, ſcilicet ut ab hominibus verus Filius Dei habeatur. Unde ſic fatur apud D. Ambroſium: *Opinionem de te hominibus hujus mundi infunde, ut cognoſcant te Deum verum, & tu hanc de me illis confirma opinionem, ut credant me tuum Filium, & verum Deum.* Hanc autem opinionem confirmabat per opera, quæ

etiam

etiam ex dæmonum confeſſione teſtabantur & ſuadebant hominibus, vere eſſe Filium Dei. Chriſtianus à Deo adoptatus, ſtudere debet virtuti, *qui ſe Dei filium credit, actu, vita, moribus, honeſtate, tanto reſpondeat Genitori.* Varro apud D. Auguſtinum ultro patitur quod ſeſe Heroes ex divina proſapia natos, licèt falſò, exiſtiment, quia hac cognitione ſublimia concipiunt, & maxima exequuntur facinora, ne tanti generis degeneres videantur. Chriſtianus à Deo adoptatus, ſuis moribus ſe Dei filium debet demonſtrare, paternam redolere indolem. *Meminiſſe & ſcire debemus ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, ſic ſibi placeat & ipſe de nobis.* Qui divinos ſapiunt mores cœleſti Patri placent. Boleslaus paternam imaginem collo ferebat appenſam, ut recogitaret ſuam vitam paternis virtutibus debere eſſe conformem, ne tanti genitoris filius adulterinus videretur. ChriſtianusDei filius, ut tantæ reſpondeat dignitati, debet *quantum fieri poteſt conſequi ſanctam cum Deo ſimilitudinem*, virtutis operibus ſtudendo, quia *non aliter in nobis erit dignitas divina majeſtatis, niſi imitatio fuerit voluntatis.* Menedemus Antigoni avus rogatus à nepote, quomodo ſe gereret in convivio ad quod erat invitatus: nihil aliud reſpondit, niſi *Filius regis es*; docens illum nihil agere regia ſtirpe indignum. Chriſtiane, *ſi te Dei filium eſſe fateris, vive quaſi Dei filius, ut actu, vita, virtutibus, tanto poſſis reſpondere Genitori*, & ſuſtinere participationem divinitatis, quam in baptiſmo aſſecutus es.

Chryſol. Ser. 65.
L. 1. Civ. 4.
D. Cypr. de Or. Do.
D. Dion. de Eccleſ. Hier.
S. Leo Ser. 2. de jejun. decim. meſ.
Chryſol. Ser. 70.

2. *Tentabis ad hac de nomine Dei ut paſſivo, & in alios quoque permiſſio.* Quamvis non ſit niſi unus Deus per eſſentiam; *ſolitudinem quandam de ſingularitate præſtantiæ ſuæ poſſidens*: tamen quot ſunt probi Chriſtiani, tot ſunt Dii per participationem, quibus de tali dignitate ſic blanditur Iſidorus Clarus. *Tempus eſt ut vos ita alloqui incipiam, non ut homines tantum; ſed poſtquam Chriſtianam philoſophiam profiteri cœpiſtis, ut Deos*: quia gratiam acceperunt in baptiſmate, quæ cum ſit divinæ participatio naturæ, *Deos ex mortalibus facit.* Gratiam autem largitur Spiritus ſanctus Chriſtianis, quos in baptiſmo ſanctificat & ad ſtatum ſublimat divinum; & ob hanc cauſam apud Vatem Regium Deus Deorum loqui perhibetur: quia, ut elucidat Magnus Baſilius, *per Spiritum ſanctum etiam quilibet Sanctorum Deus eſt: nam Deus Deorum, id eſt Sanctorum, loquutus eſt.* Talis & tanta eſt hæc Dei dignatio, & juſti dignitas, ut ad eam cognoſcendam neceſſe ſit ut idem Spiritus qui eam donavit, nos ſuo illuſtret lumine. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt; ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Scilicet ut expendit S. Iſidorus, *ad cognoſcendam Chriſtiani divinitatem, divino opus eſt ſpiritu.* Dæmon protoparentes *divini nominis ambitione corruperat*, & Deus ſua bonitate Chriſtianis largitur gratiam quâ Dei nominantur & ſunt. *Per Deitatem intellige munificam Dei gratiam, nos bonos, & Deos conſtituentem: hoc enim donum origo eſt & cauſa, qua Dii efficimur, pariterque boni.*

Tert. l. 1. adv. Marc. 7.
Tert. l. 1. adv. Marc. 4.
Orat. 11. in Luc.
D. Iuſt. Orat. 8. in Græc.
L. 1. adv. Eunom.
1. Cor. 2.
D. Hil. Can. 1. in Matth.
D. Dion. Ep. 2. ad Cajun.

Quanto major eſt divina illa nobilitas, tanto majorem & ſanctiorem

expoſtulat in Chriſtiano vitam. Qui in ſæculo nobilitate pollent, vel dignitate præeminent, *magna audent quoniam magni ſunt.* Quanta à fortiori tentare debet Chriſtianus, cujus nobilitas eſt non terrena, ſed cœleſtis, non humana ſed divina? Moralis Philoſophus lumine fidei deſtitutus aſſeverat quod *idem eſt bene vivere, & vivere ſecundum naturam.* At licet hoc verum ſit de vita humana, quæ naturæ vires non ſuperat, & conformis eſt rationi; non tamen de vita Chriſtiana, quæ eſt ſupernaturalis, & debet eſſe conformis gratiæ. Ut enim bellè ait ad propoſitum Origenes; Deus *vult ſuos meliores omni naturâ.* Chriſtianus divinitate donatus, tenetur vivere *dignè Deo.* Dignè Deo Patre qui eum adoptavit in filium: dignè Chriſto Deo qui fecit illum divinitatis participem: dignè Spiritu ſancto Deo qui dedit illi gratiam & ſanctitatem; dignè ſemetipſo Deo, ut vita *Deo digna* ſublimẽ ſuam ſuſtineat dignitatẽ, & nõ fallaci, ſed veraci nomine vociteturDeus: *Nomen Dei quod per ſe ſanctum eſt, aut ſanctificatur in nobis noſtro actu, aut noſtro actu blaſphematur in gentibus.* Qui criminoſam ducunt vitã ſuis moribus Dei nomen devenuſtant, in eis nomen Dei eſt paſſivum; ut ſupra dixit Tertullianus, quia per illos injuriam & infamiam patitur; tanto magis culpabiles quanto ſanctiſſimum illud nomen majori eſt veneratione honorandum. Qui vero ſancte vivunt & digne Deo, magnum merentur elogium: Chriſtianus Dei nomine inſignitus divine vivens, ſuo nomini probe reſpondens eſt encomiis commendandus. Nam honoratur in terra, quia à Deo adoptatur; honoratur in cœlo, nam ſanctis & divinis operibus æternam acquirit fœlicitatem.

D. Bern. Ser. 31. in Cant. — *Lib. de Beat. 8.* — *Hom. 16. in Matth.* — *Coloſ. 1.* — *Tert. l. 2. adv. Marc. 10.* — *Chryſol. Ser. 70.*

3. Tertullianus expendens iſtud Davidicum: *Deus judicium tuum regi da, & juſtitiam tuam filio regis*; per regem intelligit Chriſtum: per Filium vero regis intelligit Chriſtianum: *filij enim Chriſti ſunt qui in illo renaſcuntur.* Deus autem dat judicium regi, quia Chriſtus accepit à Patre judicandi poteſtatẽ: *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.* Juſtitiam verò filio regis; quia erga Chriſtianum juſtitiam exercet, bona ejus remunerando opera; & ut ait Vates Regius: *Iuſtitia ejus ſuper filios filiorum.* Ubi D. Auguſtinus; *ſed filios noſtros dicit opera noſtra; filios filiorum, mercedem operum noſtrorũ.* De⁹ erga Chriſtianos quos beat, oſtentat 1. miſericordiam & bonitatem: 2. magnificentiam & libertatem. 3. juſtitiam & æquitatem. Idcirco beatitudo triplici nomine exprimitur. Nam 1. dicitur corona miſericordiæ: *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* 2. Gratia nuncupatur: *Gratia Dei vita æterna,* 3. Corona juſtitiæ vocitatur: *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Nominatur autem 1. corona miſericordiæ, quia Deus miſericordiam & bonitatem ſuam oſtentat: 2. Gratia, quia De⁹ magnificentiam & liberalitatem ſuam demonſtrat: 3. corona juſtitiæ, quia Deus juſtitiam & ęquitatẽ ſuam manifeſtat. Coronat Deus in miſericordia & miſerationibus: *quia ejus miſeratione bona operamur, quibus corona redditur.* In tribus autem potiſſimum divina elucet miſericordia: 1. quia jacentem erexit, ægroto medicinam præbuit, vulneratum ſana-

Lib. 5. adv Marc. 9. — *Ioan.* — *Pſ. 102.* — *Pſ. 101.* — *Rom. 6.* — *2. Timot. 4.* — *D. Aug. l. de Grat. & Lib. Arb. 9*

ſanavit, peccatorem à peccati ſervitute liberavit. (Idoneus eſt homo ad vulnerandum ſe, nunquid idoneus eſt ad ſanandum ſe? Quando vult ægrotat, non quando vult ſurgit. Ut jaceret ægrotus, intemperantiam ſuam habuit neceſſariam; ut ſurgat autem, neceſſariam habuit artificis medicinam.) Neq; tantum miſericors Deus jacentem erexit, ægroto medicinam paravit: ſed 2. ad bene operandum indebitum præbuit auxiliũ. (Omnino non recipit homo ex malo in bonum commutari, niſi hoc in illo agat indebita & gratuita miſericordia Dei.) Diverſimode ſe habet homo erga bonum & malum. Ad faciendum malum ſe ſolo ſufficit, ad faciendum bonum ſe ſolo, ſine gratiæ auxilio non ſufficit, & ob hanc cauſá (reddet omnino Deus & mala pro malis, quoniam juſtus eſt; & bona pro bonis, quoniam bonus & juſtus.) In remunerando bono bonitatem ſimul & juſtitiam exhibet, quia 3. dum præmiat noſtra merita, coronat ſua dona, quæ nobis miſericorditer dedit. Ut enim ait D. Auguſtinus: (Cui autem redderet coronam juſtus judex, ſi non donaſſet gratiam miſericors pater? Et quomodo eſſet ipſa corona juſtitiæ, niſi præceſſiſſet gratia, quę juſtificat impium? quomodo iſta debita redderentur, niſi prius illa gratuita donarentur?)

D. Aug. in Pſ 98.

D. Aug. l. 2. cont. duas Ep. Pelag. 10.

D. Aug. l. de Grat. & Lib. Ar. 18.

L. de Grat & libero Arb. 6.

Deus erga Chriſtianos eſt adhuc 2. liberalis & magnificus: & hæc divina liberalitas & magnificẽtia manifeſtatur maxime in trib⁹: 1. Quia prima gratia ſive actualis ſive habitualis, eſt gratis à Deo data: Bona autem opera quibus comparatur beatitudo, ſunt fœtus gratiæ illius æque ac humanæ voluntatis, & ita gloria eſt præmium gratiæ liberaliter à Deo datæ. Quod profunde declarat D. Auguſtinus. (Formamur & creamur à Deo in operibus bonis, quæ non præparavimus nos, ſed præparavit Deus ut in illis ambulemus. Itaque, Fratres chariſſimi, ſi vita noſtra nihil eſt aliud quam Dei gratia: ſine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia eſt: & ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illa cui datur: ſed illa cui datur tantummodo gratia eſt, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro juſtitia, ut verum ſit quod reddit unicuique Deus ſecundum opera ſua.) Ex mente D. Auguſtini gloria datur gratis, quia correſpondet primæ gratiæ quæ data eſt gratis; deinde datur ut præmium gratiæ, quia per gratiá comparata eſt: datur etiá ut merces voluntatis humanæ, quę formata à gratia produxit opera gloriæ meritoria: in quo 2. maxime Dei ſplẽdet liberalitas & magnificẽtia, qui opera parvi momẽti inæſtimabili fœlicitate compenſat. Nam opera quæ ex Dei gratia & cum Dei gratia facimus, ſunt levia, beatitudo autem eſt pro ſua magnitudine intolerabilis. *Bonorum quorumdam intolerabilis eſt magnitudo.* Opera noſtra fiunt in momento temporis; his tamen debetur *gloria in ſæcula ſæculorum, corona æternitatis*; quam 3. magnifice largitur præmiando ultra meritum. Illa autem corona æternitatis, 3. nuncupatur corona juſtitiæ: quia Deus erga Chriſtianos juſtitiam & æquitatem oſtentat.

Lib. de Grat. & Li. Arb. 8.

Tert. l. de Pat. 1.

Tert l. ad Mart., 3.

In tri-

In tribus adhuc elucet divina juſtitia. 1. In pacto quod ultro fecit Deus. *Non leviter nobiſcum pactus eſt Spiritus ſanctus; etiam ultro pactus, quo magis honorandus.* Iuſtitia non reperitur inter Deum & creaturam, quæ neceſſario ab illo dependet: neque inter patrem & filium pupillum, qui non eſt ſui juris, ſed voluntate paterna gubernatur: Deus tamen juſtitiam ſtabilire volens inter ſe & hominem, Chriſtianum emancipavit, ut eſſet ſui juris, & libere gratiæ cooperans, valeret efficere opera propria æternæ fœlicitatis digna. Quod ſic declarat Tertullianus: *Vt ergo bonum jam ſuum haberet homo emancipatum ſibi à Deo, & fieret proprietas jam boni in homine, de inſtitutione adſcripta eſt illi, (quaſi libripens emancipati à Deo boni) libertas & poteſtas arbitrii, qua efficeret bonum ut proprium, jam ſponte præſtari ab homine.* Emancipato filio pater facultates largitur queis valeat negotiari: ingenuo ſuæ poteſtatis & libertatis emancipato Chriſtiano, præſtat cœleſtis Pater bona gratiæ, quibus ſibi æternam valeat comparare fœlicitatem. *Compenſatione res acta eſt, lucrati ſumus plura ut aliqua præſtemus.* Deus adultis cœleſtem non largitur gratis fœlicitatem: gloriam eis offert, modo adimpleant initum pactum, bonaque faciant opera. *Nihil aliud vim & facultatem baptiſmi exiſtimare debemus, quam ſecunda vita, & purioris rationis pactum.* pactum initum obligat paciſcentes. 2. Deus juſtitiam ſuam commendat, bene merentibus præſtans beatitudinem. Fidelis eſt & quod promitit fideliter ſervat, quare ut juſtus gloriam conſequatur, ſufficit ut bona opera exhibeat. *Dico ego opera mea regi:* quia ut ait Apoſtolus Juſtos alloquens: *Non eſt injuſtus Deus ut obliviſcatur operis veſtri.* Deus nequit de injuſtitia culpari. *Vſque adeo juſtitia etiam plenitudo eſt divinitatis ipſius exhibens Deum perfectum.* Si Deus pro plenitudine juſtitiæ ſuæ pollicitam ex pacto offert Chriſtianis fœlicitatem; modo appoſitam ſervent conditionem: qui conditionem non adimplent, ſunt ingrati erga Deum: *Sponſionem ejus nemo diſſolvit, niſi ingratus:* Hos Deus pro ſua juſtitia, 3. tanquam filios ſpurios, & cœleſtis hæreditatis indignos rejicit.

Tert. l. de Pud. 11. — Lib. 2. adv. Marc. 6. — Tert. — Greg. Naz. Orat. in ſanct. Bapt. — Pſ. 44. — Hebr. 6. — Tert. l. 2. adv. Marc. 11. — Tert. l. de Pud. 11.

Nemo de jure hæreditate potiri poteſt, niſi teſtatoris adimpleat voluntatem, & appoſitas in teſtamento ſervet conditiones. Chriſtianis velut legitimis conditionaliter tantum celeſtem dedit Deus hæreditatem: ſcilicet ut efficerent *opera Deo digna.* Sceleroſi Chriſtiani non vacant bonis operibus; imo criminoſam ducunt vitam, & gravia quæque committunt ſcelera, quæ eos hæreditate & adoptione divina indignos demonſtrant: quia *hæc non admittet omnino, qui natus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius ſi admiſerit.* Deus non agnoſcit velut ſuum filium, peccatorem ſanctitate & gratia deſpoliatum, nec ſuam largitur hæreditatem extraneo, qui non facit opera quibus prædeſtinatus à præſcito diſcriminatur.

D. Aug. Orat. adv. 5 Hær. — Tert. l. 2. adv. Marc. 1. — Tert. l. de Pud. 19.

III. PARS. — Tert. l. 2. adv. Marc. 12.

A primordio Creator tam bonus quam juſtus: pariter & utrumque proceſſit: bonitas ejus operata eſt mundum, juſtitia modulata eſt. In mundi productione ſuam Deus bonitatem & juſtitiam demonſtravit. Bonitatem, res creatas producendo,

cendo, quibus bonitatis ſuæ veſtigia largitus eſt: Juſtitiam ſeparando creaturas ab invicem. Nam *Iuſtitia opus eſt, quod inter lucem & tenebras ſeparatio pronunciata eſt, inter diem & noctem, inter cœlum & terram.* In negotio ſalutis eodẽ modo ſe habet Deus: ſuam etenim bonitatem & juſtitiam oſtentat. Bonitatem, qua vult omnes homines ſalvos fieri, quibus media ad ſalutem conſequendam ſufficienter ſubminiſtrat. *Nulla gens jam Dei extranea eſt, in omnem terram, & in terminos orbis, Evangelio coruſcante.* Juſtitiam, quâ electos à reprobis ſeparat. Decretum prædeſtinationis bona juſtorum opera complectitur, tanquam rationes ob quas adultis largitur gloriam, vel ſaltem tanquam conditiones ſine quibus fœlicitatem non conſequuntur; quia *omnia ut bonitas concepit, ita juſtitia diſtinxit* Hæc juſtitia ad bona reſpiciens opera, ſeparat lucem à tenebris, diem à nocte, cœlum à terra. Lux Chriſtianos denotat, tenebræ ethnicos; dies Catholicos ſignificat, nox hæreticos; cœlum electos figurat, terra reprobos. Bona igitur opera, in divina prædeſtinatione (modo jam enodato) incluſa, ſeparant 1. Chriſtianum ab ethnico: 2. Catholicum ab hæretico: 3. electum à reprobo.

L. de Ant. 49.

Tert. l. 1. adv. Marc. 11.

1. Plura refert Tertullianus quibus Chriſtianus ab ethnico diſcriminatur: *Neque de ſcientia, neque de diſciplina æquamur.* In præſentiarum tria tantum p opo am, quæ mihi præcipua videtur; nempe doctrinæ veritatem, vitę ſanctitatem, morum probitatem. Fides præſtat doctrinæ veritatem, gratia vitæ ſanctitatem; virtutis opus, morum probitatem. His tribus ſplendet Chriſtianus, quibus ab ethnico diſcriminatur, qui non habet 1. doctrinæ veritatẽ: 2. vitæ ſanctitatem: 3. morum probitatem. Non 1. doctrinæ veritatem; nam *Philoſophi affectant veritatem & affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant: Chriſtiani & neceſſario appetunt, & integrè præſtant, ut qui ſaluti ſuæ curant.* Ethnicus 1. quæ naturam tantum ſpectant, contemplatur, veritates ſupernaturales non cognoſcit; Chriſtianus ſublimia quæque attingit myſteria, quorum *veritatem ex fide præſtat.* Ethnicus 2. non habet vitę ſanctitatem, quæ Chriſtiani in baptiſmo ſanctificati propria videtur. *Evangelium Ioannis prædicans Spiritum columbæ corpore delapſum deſediſſe ſuper Dominum*, ejus denotat ſanctitatem. Sanctitas appropriatur Spiritui ſancto, qui ſupra Chriſtum ſedens ejus ſanctitatem demonſtrat. *Tunc ille ſanctiſſimus Spiritus columbæ figura delapſus ad Dominum, ut natura Spiritus ſancti declararetur per animal ſimplicitatis & innocentiæ:* Idem Spiritus ſanctus ſuper aquas intinctorum adhuc requieſcit, ut ab eo ſanctificatæ habeant vim ſanctificandi eos, qui ſanctum ſuſcipiunt baptiſma. Hãc ſanctitatem & vitæ innocentiam à Chriſtianis adultis expoſtulat Salvator, *cum ad ſimplicitatem columbæ provocat avis innocuæ;* quos hac nota ab ethnicis voluit diſcriminari. Cæcilius paganus Chriſtianis exprobrat apud Minutiũ, quod *occultis ſe notis & inſignibus noſcunt.* Cui reſpondet Octavius: *Sic nos non notaculo corporis, ut putatis, ſed innocẽtiæ ſigno facilè dignoſcimus*, de qua audacter gloriantur, quaſi ipſis ſolis conveniat. *Nos ergo ſoli innocentes; quid mirum? ut à*

Apol. 46.

Tert.

Tert.

Tert. l. de Car. Chr. 4.

Tert. l. de Bapt. 9.

Tert. l. de Mon. 8.

In Octav.

Tert. Apol. 45.

 perſe-

perfecto magiſtro revelatam, & fideliter cuſtodimus, ut ab incontemptibili diſpectore mandatam. Vobis autem humana æſtimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio impetravit. Inde nec plena nec adeo timenda eſtis diſciplina ad innocentiæ veritatem. Quanta eſt prudentia hominis ad demonſtrandum quid verè bonum? quanta auctoritas ad exigendum? Tam illa falli facilis, quam iſta contemni. Tria ad Chriſtianorum ſanctitatem concurrunt: 1. principium formale ſanctitatis, nempe gratia quam largitur eis Spiritus ſanctus: 2. directorium; nempe fidei doctrina, quæ eos dirigit ad vitæ ſanctitatem: 3. motivum quod eos excitat ad ſancte vivendum; nempe Dei auctoritas, qui Sanctis æternam præparavit mercedem, & iniquis interminabile ſupplicium. His innocentiæ & ſanctitatis fulcris erant deſtituti gentiles. Nam 1. erant non gratia ſanctificati, ſed atrocibus criminibus contaminati: & licet in cordibus eorum lex naturalis fuerit ſcripta, erat tamen paſſionibus & vitiis obnubilata: 2. Erant eruditi à Philoſophis erroribus obnoxiis; qui quamvis *de Prophetarum rivis ſitim*

Tert. Apol. 47. *ingenii ſui rigaverint: ſed homines gloria & eloquentiæ ſolius libidinoſi, ſi quid in ſanctis offenderunt digeſtis, exinde regeſtum pro inſtituto curioſitatis ad propria verterunt neque ſatis credentes divina eſſe, quo minus interpolarent, nec ſatis intelligentes ut adhuc tum ſubnubila, etiam ipſis Iudæis obumbrata quorum propria videbantur.* Verùm quavis ex parte edocti ſint gentiles Philoſophi, vel Poëtarum fabulis; vel Sophiſtarum argutiis; vel dæmonum ingeniis, vel Prophetarum

Tert. l. de An. 2. latrociniis: *Vera quæque & conſonantia prophetis aut aliunde commendant, aut aliorſum ſubornant, cum maxima injuria veritatis, quam efficiunt aut adjuvari falſis aut patrocinari.* 3. Gentiles ab hominibus mortalibus vitæ rationem acceperant; quorum præceptum eis contemptibile videbatur: ad quod obſervandum non movebantur, nec timore pœnæ, nec ſpe mercedis æternæ. *Quod*

Tert. Apol. 46. *ſi de probitate defendam*, bonis operibus tanquam notis apertis, Chriſtiani ab Ethnicis diſcriminantur; quamquam ſe jactitent paganam religionem eſſe Chriſtianâ meliorem: quia tempore idololatriæ, campi abundarunt frumento, arbores fuerunt onuſtæ fructibus, concordia viguit in civitatibus, provinciæ in obſequio permanſerunt, pax ubique regnavit, floruit imperium, generatim cuncta ſunt proſpera: at ſtatim ac orta eſt Chriſtiana Religio, concordia fugata eſt à civitatibus, provinciæ factionibus fuerunt agitatæ; bellum ubique graſſatum eſt, imperium defloruit, campi fuerunt ſteriles, & adverſitas cuncta devaſtavit. Huic rationi reſpondet ſanctus Juſtinus Martyr: bonitatē religionis non eſſe captandam ex adverſa vel proſpera fortuna, nam perſæpe

Q. 161. Apol. 46. probi adverſitate premuntur, & improbi proſperitate florent: ſed *ex bonis operibus tanquam quibuſdam notis Chriſtianorum ſanctitatem dignoſcere oportet.* Bonis autem operibus non decorantur gentiles, ſed potius pravitate dedecorantur ut fuſe demonſtrat Tertullianus. Quod ſi nonnulli eorum de bonis moribus commendātur, non de vera probitate, ſed de fallaci & mentita virtute laudantur. Eſto autem quod aliquorum vera fuerit virtus, eorum tamen

opera

opera fuerunt duntaxat moralia, non autẽ cœleſtis felicitatis meritoria. Nã ut ait D. Aug. (Opera tua præterita antequam crederes, vel nulla erant: vel ſi bona videbantur, inania erant. Si enim nulla erant, ſi eras quaſi homo ſine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens. Si autem bona videbantur antequam crederes, currebas quidem, ſed præter viam currendo errabas potius quam perveniebas.) Cujus hanc rationem reddit: *Sunt opera quæ videntur bona ſine fide Chriſti, & non ſunt bona, quia non referuntur ad eum finem ex quo ſunt bona.* Carent namque principio & fine bonitatis. Principio, quia non ſunt à gratia: Fine, quia non referuntur ad Deum. Tract. 10. In Ep. Ioan. Tract. 45. In Ioan.

Chriſtianus eſt *veritatis cuſtos.* Plures tamẽ ſunt hac ætate fucati Chriſtiani qui non ſunt cuſtodes veritatis, vel ſi cuſtodiunt eam, in injuſtitia detinent. Chriſtianos comparat D. Aug. hominibus in luce exiſtentibus, quia luce fidei illuſtrantur: Gẽtiles vero hominib⁹ denſiſſimis in tenebris verſantibus. Homo in luce exiſtens ſi claudat oculos nihil videt, non ſecus ac ille qui in tenebris aperit oculos. Ethnicus cæcutiens eſt ad bonũ, quia quantumvis aperiat oculos, eſt in tenebris, fide deſtitutus: *Ut bona opera ſequantur, præcedit fides, nec ulla ſunt bona opera, niſi quæ ſequuntur præcedentem fidem.* Pravus vero Chriſtianus in luce exiſtens, claudit oculos, nec eos aperit ut bene operetur. *Chriſtianũ certe profeſſio facit & vita:* Ille vero vitam ducit ſuæ profeſſioni contrariam, & depravatis ſuis moribus ſe non habere Chriſtianã fidem demonſtrat. Quo argumento falſatos Chriſtianos inſequuntur gẽtiles apud ſanctũ Juſtinũ. Aut enim, aiunt, Chriſtiani credunt quod prædicãt de judicio ultimo, de inferno, de paradiſo, & aliis profeſſionis ſuæ documentis, aut non credunt? Si credũt, ſtulteſcũt ducere vitam ſuæ fidei contrariam Si non credunt, ſunt deluſores docendo tanquam vera, quæ vera non credunt. Eadẽ ratiocinatione Saladin⁹ Ægypti Sultanus pungebat S. Ludovici fratres, alioſq; nobiles Francos captivitatẽ ſuam ægrè ferentes. Aut enim creditis Chriſtum verum Deũ & hominem paſſum & crucifixum, ut vobis patiendi præberet exemplum: aut nõ creditis. Si non creditis, immerito & imprudẽter tot maria ſulcaſtis, tot peragraſtis regiones, ut pro ejus religione mecum decertaretis. Quod ſi creditis, non debetis ægre ferre pati aliquid ad exemplum Domini veſtri qui prior paſſus eſt, & ideo paſſus, ut vos ſuo ad patiendum accenderet exemplo. Eodẽ telo jaculat D. Bern. quemvis Chriſtianum. *Credis in Chriſtum? fac Chriſti opera: ut vivat fides tua.* Quod ſi Chriſtum non imitaris, nec facis Chriſtiani opera, ſignum eſt te non habere fidem. Nec mirum ſi ſceleroſus Chriſtianus amiſſa conſcientia & animæ ſanctitate, amittat fidem & doctrinæ veritatẽ. Tert. Apol. 4. In Pſ. 45. D. Aug. in Pſ. 67. D. Aug. l. quæſt. Vet. & Nov. Teſt. q. 102. Ioinv. In Vit. S. Ludov. Serm. 24 in Cant.

Chriſtianus nũcupatur à Tertulliano, *integrator veritatis:* quia verã profitẽs fidẽ, eam debet vitæ ſanctimonia integrare. Chriſtiani ſanctitatẽ duplici viâ venatur D. Aug. via ſcilicet affirmationis, & negationis: Via negationis removet vitia & crimina à Chriſtiano: *Ille vere Chriſtianus eſt, qui furtũ non facit, qui falsũ teſtimoniũ non dicit: qui nõ mentitur, nec perjurat: qui adulteriũ non cõmittit.* Via affirmationis virtutes cum Chriſtiano cõponit: *Chriſtianus juſtitia* Apol. 46. Serm. 216 de Temp. Lib. de Vit. Chr. 6.

bonitatis,integritatis,patientiæ,innocentiæ,caſtitatis,prudentiæ,humilitatis,nomen eſt. Si ſecundum regulas D.Aug. examinetur vita Chriſtianorum hujuſce ætatis,perpauci ſunt in quibus non reperiantur vitia , quæ ſeparant à Chriſtiano,& reperiantur virtutes queis notificatur Chriſtianus. Probroſum & fallacem Chriſtianum interrogat D.Chryſoſtomus: Unde potero te deprehendere Chriſtianum? A verbo? ab habitu? à victu? à loco? à converſatione? ab opere? Non à verbo,nam Chriſtianus profert verba pietatis : tu vero non habes niſi ſermones laſciviæ,detractionis,blaſphemiæ, & impietatis. Non ab habitu,nam Chtiſtianus eſt modeſte indutus ; tu vero in luxu veſtium calendatium expendis. Non à victu, quia Chtiſtiani victus eſt ſobrius & moderatus; tu vero gulæ & ebrietati indulges. Non à loco,Chriſtianus Eccleſias ad orandum,pauperum domos ad eorum miſeriam ſublevandam,frequentat; tu vero theatrum,tabernas & lupanaria, Non ab opere,nam Chriſtianus bonis vacat operibus; tu verò totus es ſceleribus & vitiis addictus.

(Inc. 1. Matth.)

(Tert. Apol. 34.) *Chriſtiani veræ religionis homines.* Veritas cujuslibet rei in conformitate cum ſuis principiis ſita eſt. Veritas hominis in conformitate actionum ejus cũ ratione conſiſtit:veritas Chriſtiani in conformitate cum ſua diſciplina. Tunc eſt homo veræ religionis,cum ejus opera ſunt *religioſa,& fidelia,etiam ſancta jam religione.* (Tert. l. 3. adv. Marc. 20.) Quod ſi noſtra opera ſunt criminoſa, *arcemur à religionis proprietate*,ſumuſq; ethnicis deteriores. (Tert. Apol. 14.) Ex Philoſopho homo qui vitam ſuam non componit juxta regulam rationis, 1.delinquit,quia agit contra propriam naturam, quæ rationalis eſt; 2.ab homine degenerat,& ad belluæ vilitatem ſe dejicit,quia agit per paſſionem , quæ eſt principium quo movetur bellua: 3. eſt ſupplicio mulctandus,quia ſtabilitum à Deo ordinem pervertit. Chriſtianus qui ſuæ non reſpondet religioni, nec componit ſuam vitam juxta principia diſciplinæ quam profitetur, 1. male agit, quia veritati fidei contradicit: 2.à Chriſtiano degenerat,quia ethnice vivit: 3.eſt infideli deterior,quia quo majori illuſtratur lumine , eo magis eſt reus , & graviori pœnâ puniendus. Chriſtiani probè viventes duplici de cauſa ſunt ethnicis præponendi. Tum quia eorum religio eſt abſque ulla compatatione dignior : tum quia eorum vita eſt meliot. At Chriſtiani ſceleroſi ſunt gentilibus præferendi & poſtponendi. Præferendi,ratione diſciplinæ; poſtponendi, ratione vitæ. (Salv. l. 4. Gubern. Dei.) *Igitur qui meliores nos multo cunctis,quæ ſunt in mundo,gentibus judicamus; in plurimis eſſe deteriores dico; in quibuſdam meliores.Vitâ enim & peccatis ſumus deteriores;lege autem catholica ſine comparatione meliores.Injuſti ſunt Barbari, & nos hoc ſumus: infideles ſunt Barbari , & nos hoc ſumus: cupidi ſunt Barbari , et nos ſumus : impudici ſunt Barbari,& nos hoc ſumus: omnium denique improbitatum atque impuritatum pleni ſunt Barbari,& nos hoc ſumus* : & conſequenter falſò de religione gloriamur,injuſte Chriſtianum deferimus nomen: nam Chriſtianus innocuam tenetur ducere vitam,bonis vacare operibus, quibus diſcriminatur; (Tert. l. de Bapt. 8.) tum ab ethnico,tum ab hæretico.

2. Fi-

2. *Fides integra ſecura eſt de ſua ſalute.* Fides integra de ſua ſalute ſecura, tria importat, fidem, Charitatem, & bonam operationem: 1. Fidem, quę ne- [D. Aug. in Pſal. 67.] ceſſario] antecedit Charitatem, quia *nullus operatur per dilectionem niſi habeat fidem.* [D. Aug. Tract. 6. in Ioan.] 2. Charitatem quâ juſtus ab injuſto ſecernitur: *Magna eſt fides, ſed nihil prodeſt ſi non habeat charitatem.* 3. Bonam operationem: quapropter D. [Serm. 11. de Verb. Apoſt.] Auguſtinus Chriſtianos hortatur; *Nolite eſſe tanquam de fide ſecuri: adjungite fidei rectæ vitam rectam.* Recta autem vita fidei conjuncta, bene operatur; [D. Aug. l. de Fid. & Op. 21.] *Inſeparabilis quippe eſt à bona vita, fides quæ per dilectionem operatur.* Apoſtol⁹ hæc tria neceſſaria ad ſalutem oſtendit, Fratribus deſiderans fidem, charitatem & pacem. Fides eſt initium ſalutis, Charitas operans eſt medium ſalutis: Pax, conſummatio ſalutis. Quod compendioſe dicit D. Auguſtinus: [L. 50. 116. hom. 17.] *Crede, ama, regna.* Crede, quia *Catholica Fides juſtos ab injuſtis, ipſius fidei lege diſcernit.* [Lib. 3. adv duas Ep. Pelag. 5.] Ama (ſi enim credis & non amas, adhuc non diſcreviſti fidem tuam ab eis qui tremebant & dicebant: Scimus quia ſis Filii Dei vivi.) Credens autem & amans, bene operatur: *Ea quippe bona opera ſunt, quæ fiunt per dilectionem Dei.* [D. Aug. l. 50. Hom. ho. 17.] Chriſtianus Catholicus fide integra ab hæretico diſcriminatur, qui neque 1. credit; neque 2. Deum diligit: neque 3. bene vivit. 1. Non credit, quia fidem non habet, quæ compati nequit cum hæreſi illi ex adverſo oppoſita: [D. Aug in Pſ. 67.] 2. Deum non diligit, quia charitatem non habet, quæ ſupponit fidem tanquam paries tectum, & fundamentum: 3. non bene vivit, quia nequit bene operari ſine fide & charitate. *Non ſunt bona opera quæ per fidem & dilectionem non fiunt: quia alterum ſine altero, nullius virtutis fructum parit.* [D Aug l de ver. Innoc. 224.] Quam cæci & criminoſi hujus tempeſtatis hæretici, qui in bona opera oblatrant! *nec operationes neceſſarias ſibi exiſtimant, nec ulla diſciplinæ munia obſervant:* [Tert. l. 4. adv. Val. 30.] Nam ut ſeſe ab obſervatione mandatorũ Dei diſpenſent, ea impoſſibilia clamitant, & ut criminoſam ducant vitam, ſe ad malum pronos, & ad bonum inutiles prædicant, cunctaque quæ faciunt opera, probroſa & maculata fatentur. Verum quam falſo & temerariè bona damnent opera tanquam inutilia, conſtat: Si enim nullius eſſent momenti, malè *Chriſtus dignos mercede judicat operarios;* [Tert. l. 4. adv. Marc. 4.] & Deus eſſet de injuſtitia & infidelitate culpandus, ſi poſt promiſſum bene operantibus cœlum, eos debita retributione fruſtraret: in Deum autem cadere nequit infidelitas neque injuſtitia, quare cum dignos mercede operarios pronuntiaverit, eos ex juſtitia præmiabit. [Tert.] *Dignus eſt autem operarius mercede ſua, quis magis pronuntiarit quam Deus judex? quia & hoc ipſum judicare eſt, dignum facere mercede operarium: nulla retributio non ex judicatione conſiſtit.* Sicut autem Deus juſtis bonis operibus plenis promiſſam largitur fœlicitatem, ita iniquis bonis operibus vacuis, juſte beatitudinem denegat.

Bellè ad propoſitum Salvianus: *Sine operibus bonis nihil ſibi per fidei ſupercilium uſurpare debet.* [L. 4. de Gubern. Dei.] Nonne propriis coloribus Calviniſtam pingit, qui falſo de ſua fide gloriatur & bonis operibus deſtitutus, per faſtuoſum fidei fictitiæ [Tert. l. de Pud. 6.] ſupercilium catholicis arroganter inſultat, & ſolis operibus debita præmia, teme-

temerario auſu uſurpare præſumit? *Hoc eſt pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere.* Bona opera cum fide, obſequii vices reciprocant. Fides bonorum operũ eſt illex, fomes, radix, fundamentũ: bona opera ſunt fidei complementum, ejuſq; certum & indubitatũ indicium. Quare Salvianus ea vocitat *teſtes fidei, quia Chriſtianus niſi opera fecerit, fidem ſuam penitus probare non poſſit.* Certiſſimũ eſt hæreticos fide eſſe deſtitutos: verùm ſi per impoſſibile, fides compati poſſet cum hæreſi, eo ipſo quod male vivunt, divinaque indeſinenter tranſgrediuntur mandata; hoc unum ſufficeret ad oſtentandum eos fide digna ſalutis viduatos; quia fidelis ille qui Chriſtum confitetur, *& verbis* (D. Aug. Ser. 31. de Verb. Apoſt.) *opera dicendo, & factis bene vivendo.* Ille vero *qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* Hæretici fidem ſuam jactantes, duplici de cauſâ (1. Ioan. 2.) mendaces ſunt: Tum quia non habentes fidem, de fide gloriãtur: Tum quia per opera nequeunt demonſtrare ſe habere fidem: Catholici criminoſi ſemel mendaces ſunt: nã licet habeant fidem, infideliter vivunt: quibus probe congruunt verba Iſaac. (Gen.) *Vox quidẽ vox Iacob eſt, manus autem ſunt Eſau.* Nam bene credentes & malè viventes, fidem operibus negant. Ut enim ait Magnus (Hom. 29. in Evang.) Gregorius, *fidei noſtræ veritatem, in vita noſtræ conſideratione debemus agnoſcere. Tunc enim veraciter fideles ſumus, ſi quod verbis promittim⁹, operibus compleamus.* (Tert. l. de Pœn. 6.) Chriſtianus bonis operibus vacans eſt fidelis & verax. 1. Fidelis quidẽ, quia fidẽ habet: fidelis adhuc verax, quia religionis ſuæ veritatẽ demõſtrat, opere exequens ea quę fides docet. Fides docet cœlũ eſſe terminũ vię, *ſed ut eo pervenire cõtingat, elaborandũ eſt.* (Tert. l. adv. Val. 30.) Beatitndo nõ in ſtatu viæ, ſed in ſtatu patriæ dũtaxat reperitur: ſedulo virtuti ſtudendũ eſt. *Vt ſaltẽ quam de privilegio ſtatus non poſſidemus, de ſuffragio actus elaboremus.* Bene de ſuffragio actus, quia bonum opus meretur beatitudinem, & prædeſtinatum à præſcito diſcriminat.

3. Platonici volebãt hominem eſſe arborem inverſam: imò ipſemet Chriſtus per arborem bonam & malã, electum & reprobum denotat: quia illa bonos fert fruct⁹, iſta vero malos. Ex hac Salvatoris ſimilitudine, anſam deſumpſit Marcion, diſtinguendi duos Deos, veterem unũ, novũ alterũ: Unũ authorem arboris malę, nempe delicti; alterũ authorem arboris bonæ, boni ſcilicet operis. Calviniſtæ, eorumq; aſſeclæ Novatores, volunt præſcitos per malam arborem ſignificatos, à Deo abſq; ulla prævibone demeriti, eſſe poſitive reprobatos, fructu ſanguinis Chriſti fruſtratos, gratiâ ſufficienti orbatos, libertate indifferentiæ denudatos, quorum omnia inſuper opera, mala & criminoſa declarant. Tot conglobati errores, ſunt alio in loco confutandi: in præſenti D. Auguſtini & Tertulliani ſufficiat authoritas. (D. Aug. l. 2. cont. Fœlic. Manic. 4.) *Nemo enim niſi Deus facere arbores poteſt: ſed habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona: aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.* Hæc D. Auguſtini verba oſtentant in voluntate cujuſque eſſe, aut conſentire bono, aut diſſentire malo; eſſe bonam arborem & de numero electorũ, aut malã arborem & de numero reproborum. (L. de An. 21.) Nec minus fortiter loquitur Tertullianus contra Hæreticos,

ticos,qui *convertibilem negant naturam*: *quia arbor bona malos non ferat fructus: nec mala bonos. Sed nunquam diſcordabunt ſententia ſanctæ, non dabit enim arbor mala bonos fructus,ſi non inſeratur; & bona malos dabit,ſi non colatur.* Homo in peccato naſcens,eſt arbor mala, quæ nequit bonos ferre fructus, ſi ei bonum non inſeratur germen. Arbor bona eſt homo germine gratiæ inſitus, qui debet coli ut bonos ferat fructus. Quare Regius Vates hominum juſtū confert cum procera & comata arbore, foliis virentibus vernante, floribus pulchre nitente, maturis fructibus ubertim abundante: *Qualis enim apud Deum merces homini? Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt juxta exitus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet, & omnia quæcunq; faciet proſperabuntur illi.* Ex D. autem Chryſoſtomo, (hujus ligni radix eſt baptiſma, rami ſunt Apoſtoli, folia ſermones, fructus ii qui ſalvantur.) Ex Theodoreto autem, (Fructus ligni eſt recta fides, & folia ſunt mandatorum obſervatio.) Folia adornant fructus, eos à ſolis æſtu protegunt, & à temporum injuriis defenſant. Exactior mandatorum obſervatio, fidei præſtat auxilium, exhibet obſequium, & offert tutamentū. Animadvertit autem Gennadius, hoc eſſe diſcrimen inter arborem materialem inanimatam, & arborem animatam & rationalem, de qua loquitur Propheta: quod illa fert, ſed non dat fructum: Unde (non eſt dictū quod fructum ſuū ferat in tempore ſuo. Verùm, ut poſſit fructum ferre & dare in tempore ſuo, tria ei neceſſaria ſunt: unum, ut ei bonum guermen inſeratur: aiud, ut cœli luminibus, & pluviis irrigetur: tertium, ut tempore viæ operetur.

Pſ. 1.

Tert. l. 2. adv. Marc. 19.

In Cat. Græc.

Apud Corder.

Arbuſtum ſilveſtre nequit bonum ferre fructum, niſi ei inſeratur ramuſculus arboris bonæ, qui ei arboris à quo deſumptus eſt, communicat bonitatem. Homines ex Adami maſſa generati, ſunt velut arbuſtæ ſilveſtres, quę bonū nequeūt dare opus, niſi bonū inſeratur germen, quod ſuſcipiunt in baptiſmate in quo in Deo renaſcuntur. Quod ſic declarat Tertullianus: *Hæc eſt nativitas nova, dum homo naſcitur in Deo*, ad inſtar Chriſti, qui *non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt: quaſi credentes in nomine ejus deſignet, ut oſtendat eſſe ſemen illud arcanum electorum quod ſibi imbuūt.* Inſita bono germine arbor, ut valeat ferre fructus, indiget adhuc cœli luminibus, & nubiū imbribus. Homo divino illo ſemine fœcundatus, & bono inſitus germine, indiget ſuperno lumine, quo illuſtratur media fide: Nam *fides eſt in anima ut radix bona, quæ pluviam in fructu ducit.* Deinde eget *Chariſmatum roribus*, quibus irrigatur; rores autem hujuſcemodi ſunt gratiæ actuales; has autem *celeſtes pipiat imbres*, quoties ejus mens à Deo irradiatur, & voluntas movetur. Tandem arbor fert fructum in tempore ſuo, non hieme, ſed æſtate. Quod ſic declarat Tertullianus: *Tempus eſt omni rei. Aſpice omnem creaturam paulatim ad fructum promoveri. Granum eſt primo, ex grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur: deinde rami & frondes invaleſcunt, & totum arboris nomen expanditur; inde germinis tumor, & flos de germine ſolvitur, & de*

Lib. de Car. Chr. 17.

D. Aug. in Pſ. 139.

Tert l. 5. adv. Marc. 25.

Tert. lib. adv. Val. 15.

Lib. de vel. Virg. 1.

flore fructus aperitur; is quoque rudis aliquandiu & informis, paulatim ætatem ſuam dirigens, eruditur in manſuetudinem ſaporis. Belle deſcribit Tertullianus modum quo arbor producitur, & ſuum fert fructum, qui habet manſuetudinem ſaporis quando colligitur in tempore ſuo. Chriſtianus, arbor bona ſemine cœleſti fœcundata, cœleſtibus fluviis irrigata, debet ferre fructum in tem-
Tert. l. 2. adv. Marc. 23. pore ſuo. Siquidem Deus *cenſura graviſſima & providentiſſima, merita temporis cujuſque diſpenſat.* Tempus deſtinatum ad bene operandum, eſt tempus vitæ:
Ioan. 9. poſt mortem nullus poteſt mereri. *Veniet nox in qua nemo poterit operari.* Reprobi qui in tenebris inferni deliteſcunt, ſunt arbores malæ æternis incen-
Matth. 7. diis mancipatę: nam *arbor mala quæ non facit fructus bonos, excidetur & in ignē mittetur.* Horrendum illud debent metuere ſupplicium tot criminoſi Chri-
Ep. D. Iud. Apoſt. ſtiani. *Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ.* Si de numero præſcitorum
D. Paulin. Ep. 27. nolumus eſſe, *non areſcamus viventes ſucco ſalutis æternæ;* ſimus arbores bonæ, & harum *arborum fructuoſa* ferantur in tempore ſuo: tempore ſcilicet vitæ
Tert. l. 2. adv. Marc. 11. quod ad merendum à Deo ordinatum eſt. Ad quod nos hortatur Apoſtolus:
Gal. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Tempus hujuſce vitæ eſt tempus meriti & demeriti, boni vel mali fructus, damnationis vel ſalutis. Quapropter *ſata-*
2. Pet. 1. *gite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.*

CONCIO QVINTA.

Tert. l. 2. Nat. 5. *SVnt in omnibus rebus tres tituli iſti: à quo eſt, quod eſt, propter quod eſt.* Tres illæ quęſtiones de tempore agitari poſſunt: à quo ſit, quis ejus ſit author: 2. quid ſit, quænam ſit ejus natura: 3. propter quid ſit, quinam ſcilicet ſit finis ob quē conſtitutum eſt tempus. Prima quæſtio non eſt multum difficilis, conſtat ete-
Lib. 1. adv. Marc. 3. nim Deum *in æternitate conſtitutum*, ut fatur Tertullianus, eſſe temporis au-
Tert. l. 1. adv. Marc. 3. thorem. *Nec tempus habuit ante tempus, qui fecit tempus; ſicut nec initium ante initium, qui conſtituit initium.* Nam ut alior ſum ratiocinatur Tertullianus:
Lib. 5. adv. Marc. 6. *Cujus ſecula niſi Creatoris? Si enim & ſæcula temporibus ſtructa ſunt, tempora autē diebus & menſibus, & annis compinguntur, dies porro & menſes, & anni, ſolibus & lunis & ſideribus Creatoris ſignantur, in hoc ab eo poſitis.* Secunda quæſtio eſt multo difficilior. D. Auguſt. non approbat eos qui tempus in motu ſiderum con-
L. 11. Cōf. 23. ſtituunt. *Audivi à quodam homine docto, quod Solis & Lunæ ac ſiderum motus, ipſi ſunt tempora, & non anni.* Suſpicor per illum hominem doctum, D. Auguſtinum intelligere Tertullianum, quem ſuppreſſo nomine confutat. Verum nō agit Tertullianus de natura temporis: ſed tantum Scripturæ authoritate munitus aſſeverat quòd à divina bonitate *temporibus diſtinguendis & notandis ſidera & luminaria cœleſtia diſpoſita ſunt: Erunt enim, inquit, in tempora, & men-*
L. 2. adv. Marc. 3. *ſes, & annos.* Quod ſi quæramus ab ipſo D. Auguſtino quid ſit tempus, reſpō-

det;

det;ſcire quidem, ſed non valere explicare, *Quid eſt ergo tempus, ſi nemo ex me quærat, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio.* Relinquatur Philoſophis diſcutienda temporis natura. Tertia quæſtio propoſita occurrit: ad quid Deus ordinavit *concatenationes temporum*; præteritum ſcilicet, præſens & futurum, quæ ſunt tres annuli quibus temporis catena componitur. Præteritum amplius non eſt; futurum nondum eſt: præſens inſtans tantum importans, tendit ad non eſſe. Reſpondeo: Ultra finem ultimum temporis qui eſt ipſemet Deus, duo ſunt adhuc fines ſubalterni: unus generalis, ut cunctarum rerum corruptibilium menſuret durationem: ſpecialis alter, nimirum ut homo & præſertim Chriſtianus eo utatur in procuranda fœlici æternitate. Ut enim ait D. Aug. (in toto ſæculo generis primũ tempus eſt ante legẽ: ſecundũ ſub lege: tertiũ ſub gratia: quartũ adhuc reſtat, quo ad pleniſſimã pacẽ Hieruſalem cœleſtem, venturi ſumus: quo tendit quicunq; recte credit in Chriſtum.) Perfectus Chriſtianus quartum illud tempus ſibi aſſequendum proponit, & *in ultimum tempus educitur.* Verum pauci tempore bene utuntur, multo plures eo abutuntur, & fere nulli abuſum temporis reparant: idcirco hujus Concionis materia erit, temporis 1. occupatio: 2. depravatio: 3. reparatio.

L. 11. Conf. 14. — Tert. Apol. 19. — L. 83. Quæſt. Quæſt. 61. — Tert. l. de Reſur. 25.

I. PARS.

A divina bonitate, etiam ratio temporum nata eſt. Divina eſt origo temporis, producens oculos, ut eorum motu, rerum ſublunariũ duratio menſuretur: At homo delinquendo ſeſe indignum tempore præſtiterat, & divinæ juſtitiæ rigoribus ſubdiderat: Verũ divina bonitas, quę homini dederat tempus, humanata eſt, ut ingrato & ſceleroſo homini deperditũ reſtitueret tempus. Hoc miſericordiæ tempus Regiꝰ expoſtulabat Vates: *Tempus faciendi, Domine, diſſipaverunt legem tuam.* Quaſi diceret: Tempus eſt non ut juſtitia tua, Deus, puniat criminoſi protoparentis filios, qui paterno ſceleri perſonalia addentes crimina, majeſtatem tuam ſint aggreſſi & legem tranſgreſſi: ſed ut erga illos miſericordia tua ſplendeat. Quomodo Prophetam expendit D. Auguſt. *Quod ergo tempus; vel quid faciendi voluit intelligi? Illud quidem de quo paulo ante dixerat: Fac cum ſervo tuo ſecundum magnam miſericordiam tuam. Hoc faciendi tempus,* quod tunc perfecte adimpletum eſt, quando Verbum corporatũ eſt, & Chriſtus crucis mortem ſubiit ut deperditum redimeret tempus. *Tempus miſerendi ejus, quia venit tempus:* quod tempus concepit *Deus in multitudine miſericordiæ ſuæ.* Vere magna & multimoda Dei miſericordia. Magna miſericordia: 1. in longanimitate ſuſtinens peccatorem; nec puniens juxta ſcelus ſuũ: 2. in prælatione, denegans tempus Angelo rebelli, & præſtans homini inobſequenti: 3. in modo redemptionis, ſcilicet pretio ſui ſanguinis: 4. in affectu & teneritudine: Idcirco Salvator de Paſſione interdum loquitur tanquam de hora ſua: quia ardenter eam exoptabat: interdum tanquã de die deſponſationis, coronationis & lætitiæ cordis ſui: interdum tanquam de feſto & ſolemnitate ſibi propria. *Salvatoris enim fuit dies feſtus, quo paſſione ſua redemit mundum:* Verùm ad quid tanta miſericordia, tanto affectu, & tanto pretio redemit

Tert. l. 2. adv. Marc. 3. — Pſ. 118. — Pſ. 101. Pſ. 18. — D. Aug. l. Qu. Vet. & Nov. Teſt. Quæſt. 78.

D. Aug. Tract. 30. in Ioan. demit tempus? *Ille quidem pretioſum ſibi hominem pretij ipſius dignitate perdocuit.* Deinde ut homo Chriſtianus temporis attendens pretium, *ipſum video tranſiiſſe in pretium meum*, 1.ſedulo operaretur: 2.bene operaretur: 3. pro acquirenda æternitate operaretur.

Euſeb. Emiſſ. Ho. 6. de Paſch.

Otiū ſui natura non novit; hinc cenſetur ſi agat. Duplex eſt natura; alia naturans, altera naturata. Illa eſt Deus, naturæ author: hæc creatura à Deo producta: utraque de actione commendatur. *Sed Marcion principalē ſua fidei terminū Epicuri ſchola agnoſcat, Dominū inferens hebetē.* Tantū abeſt ut hebetudo Deo contingat; quin immo ſemper operatur ad intra. Pater nunquā deſiſtit à generatione Filii, nec Pater & Filius à productione Spiritus S. Ad extra ſemper operatur Deus: nam præter quod creaturas quas producit in tempore continuo conſervat, concurrit adhuc cum cauſis ſecundis in ordine naturæ; cum juſtis in ordine gratiæ; & cum beatis in ordine gloriæ. Natura naturata, vita ſive vegetante, ſive ſenſitiva, ſive rationali prædita, in actione *ſe ita dirigit, ut ſi ceſſaverit, non ſit.* Arbores ſi non vegetant, & producunt fructus, moriuntur: animalia quæ nequeunt ſe movere ab intrinſeco, vita ſunt deſtituta. Homo duplicem importat reſpectum. Unum ad Deum, cujus eſt imago: alterum ad creaturas materiales, cujus eſt dominus, & ſub hoc duplici reſpectu urgetur ad operandum. Poſtquā Deus Adamum ad imaginem & ſimilitudinem ſuā produxit; poſuit illum in paradiſo *ut operaretur.* Verbum in divinis dicitur Filius, non Spiritus ſanct⁹, quia eſt imago & ſimilitudo Patris. Hāc autem imaginem & ſimilitudinem Richardus in fœcunditate conſtituit. Nam ſimul cum Patre ſpirat tertiam in Trinitate perſonā, quæ ad intra ſterilis eſt. Homo ut digne Dei ferat imaginem & dominiū in creaturas ſuſtineat, debet operari. *Quod eſt frænū equo, id eſt opus actioque natura noſtra.* Quod ipſi gentiles nō ignorarunt: quare Alexander nomine & re Magnus dicere ſolebat, *regium eſſe laborare; ſervile, otio & luxui vacare.* Alphonſus etiam Aragoniæ Rex, quidquam operis manibus exercens, cuidam illud demiranti, & minus regium ſuggillāti, lepide reſpondit: *Numquid Deus & natura regibus fruſtra manus contulere?* Sidonius Apollinaris inducit Imperatorem Maximum deplorantem dignitatem Principis, cum ſenatoria conjunctam: quia *proſpexit pariter ire non poſſe negotium Principis, & otium Senatoris.* Inter monita & documenta virtutis quæ Ruſtico dedit D. Hieronymus; iſtud mihi præcipuum videtur: *Facito aliquid operis, ut te ſemper diabolus inveniat occupatum.* Non facile dæmonis tentationibus præbet aſſenſum, operi & negotio intentus: *Nihil eſt tam certum, quam otii vitia negotio diſcuti.* Abrahami familiam de negotio & opere commendat Origenes. *Senex currit, Sara accelerat, puer feſtinat, nullus piger invenitur in domo.* Sapiens mulierem fortem ſeu virtutis, magno ſtudio quærens, inventam de operatione laudat, & hac nota cognoſcendam prædicat: *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt.* Carolus Magnus teſte Eginhardo, filios ſuos etſi regna principes, mechanicam addiſcere voluit, filias quoq; lanificium aut linificium

Tert. l. 1. adv. Marc. 22. — Tert. l. 5. adv. Marc. 19. — Tert. l. 1. adv. Marc. 22. — Gen. 2. — D. Chryſ. ho. 17. de Diverſ. — Panorm. l. 2. de Geſt. Alphonſ. — L. 2. Ep. 13. ad Serran. — Ep. ad Ruſt. — Sen. Ep. 65 — Ho. in c. 18. Gen. — Prov. 31.

um tractare. Iſabella etiam Hiſpaniarum regina, nere, ſuere, acu pingere quatuor filias ſuas edoceri juſſit. Beatiſſima Virgo *parca erat ad loquendum, ſtudioſa ad legendum, intenta ad operandum.* D. Amb. l. 2. de Virg. D. Hieronym. ad Demetriadem ſcribens, ſic eam hortatur: *Habeto lanam ſemper in manibus, vel ſtaminis pollice fila ducito, vel ad torquenda ſubtegmina in alveolis fuſi verſentur.* Nobiles fœminę, filiæ regiæ ſtirpis, operari non erubeſcunt, ſed ſtrenue laborant, non inopiæ aut paupertatis neceſſitate, addit D. Hieronymus: *ſed propter animæ ſalutem, ne vagetur periculoſis cogitationibus mens.* Hanc operationem à cunctis generatim hominibus adultis exquiret Chriſtus in die judicii. Ut enim ait Magnus Baſilius: *Deus qui nobis vires idoneas ad laborandum ſuppeditavit, in die judicij parem quoque in laborando induſtriam repoſcet*, ut remuneret eos qui tempore ad laborem dato, bene operati ſunt.

2. Chriſtianus *porrigens manum fidei*, bene operatur, quia ut animadvertit D. Tert. l. de An. 41. Auguſtinus, *boni operis ſignum eſt manus*: quomodo intelligit Regium Prophetam de ſemetipſo aſſeverantem: (Deum exquiſivi manibus meis:) *Quomodo* Epiſt. 111. *Deus incorporabilis & inpalbabilis exquiritur niſi operibus exquiratur?* Veri Chriſtiani manibus ſuis Deum exquirunt: qui manum porrigunt fidei, fidem ſuam per bona opera integrantes. Chriſtiana religio non eſt mere ſpeculativa, ſed partim ſpeculativa, partim practica: fide, veritates à Deo revelatas contemplatur: opere vero, fide ſpeculatas veritates redigit ad praxim: *Anima bene erudita gradatim ſe ad mores vitamque optimam, non ſola fide, ſed certa ratione perducit.* D. Aug. l. 2 de Ord. 19. Hoc eſt diſcrimen inter Metapyhſicum & Mathematicum; quod ille ſola ſpeculatione contentus, experimentum non requirit: iſte vero ſuam ſcientiam experientiis demonſtrat. Sane *hic ſyllogiſmus certiſſimus, qui per opera efficitur.* D. Chryſ. Hom. 38. in 1. Cor. Idem agnoſcit Tertullianus diſcrimen inter Philoſophum Gentilem, & verum Chriſtianum: quod ille verborum, iſte vero eſt *factorum operator.* In quo Chriſtum imitatur, qui prius fecit quam docuit; plus fecit quam docuit: nam docuit tantum per tres annos, & triginta Apol. 46. tribus annis operatus eſt. Beatiſſima item Virgo toto vitæ tempore (quod plusquam ſexaginta complectitur annos) bene operata eſt: & tamen *in omni textu quatuor Evangeliorum ſi bene meminimus, nonniſi quater Maria loquens auditur:* D. Bern. Ser. ſup. Signum mag. 1. Dum Angelo prębuit aſſenſum, dicens: *Fiat:* 2. Dum ſimul cum Elizabeth divinas decantavit laudes: *Magnificat.* 3. Dum de Filio perdito ſollicita & dolens, ait: *Fili quid feciſti nobis ſic?* 4. Dum de nuptiis charitate fragrans pro conviviis filium rogavit: *Vinum non habent.* Hæc paucis dicta, ſed *ſufficiunt facta pro dictis.* Tert. l. 4. adv. Marc. 7. Nam quot actus virtutum operata eſt Deipara per longum illud ſpatium? Hæc Chriſti & Mariæ exempla nos ad bene agendum ſtimulant. Nos inquam, *qui in baptiſmo ad operandum conducti ſumus.* Orig. Tract. 10. in Matth. Nam Dominus deperditum per peccatum reſtituit tempus, & pretio ſui ſanguinis *redemit nos ab omni iniquitate, ut faceret ſibi populum acceptabilem: ſectatorem bonorum operum.* Ep. ad Tit. 2. Chriſtianus populus factus eſt Chri-

Chriſto acceptabilis per gratiam ſanctificantem quam ſuſcepit in baptiſmate ut eſſet ſectator bonorum operum. Sectator nuncupatur à ſecta; at *ſectam de auctoris appellatione notari, utique probum uſitatumque jus eſt.* Sic Academica ſecta Platonem agnoſcit auctorem, Peripatetica Ariſtotelem, Chriſtiana Chriſtum. Platonis ſectatores dicuntur Academici, Ariſtotelis ſectatores nuncupantur Peripatetici, Chriſti ſectatores vocitantur Chriſtiani. Platonis & Ariſtotelis ſectatores auctorum ſuorum diſciplinam profitentur: eodem modo Chriſtiani habent *ſectæ & nominis cenſum*, cum ſunt ſectatores bonorum operum, & ob hanc cauſam Tertullianus de Chriſtianorum diſciplina: Nonniſi *de fide operum* loquitur, quia edocti ſunt à fide ut bonis vacent operibus. Qui bene credit & bene operatur, eſt Chriſtianus integer, ſeu ut ait Tertullianus *integrator veritatis.* Qui vero bene credit & male operatur, eſt dimidiatus duntaxat Chriſtianus. Strenuus ille miles, qui coronam de floribus contextã recuſat, ſic commendatur à Tertulliano. *Inter tot fratres commilitones ſolus Chriſtianus*: quaſi ceteri tantum eſſent ſemi-Chriſtiani. Inter multos ſemi-Chriſtianos veritatis integrator. factorum operator ſolus Chriſtianus, quia pro acquirenda fœlici æternitate bene operatur.

(Tert. l. 1. ad Nat. 4. — Tert. Apol. 21. — L. 2. ad Nat 5. — Apol. 46. — Lib. de Cor. Mil 2.)

3. Providentia Dei *ævũ ita deſtinata ac diſtincta conditione conſeruit, ut prima hæc pars ab exordio rerũ quam incolimus, temporali ætate ad finem defluat: ſequens vero quam expectamus, in infinitã æternitatẽ propagetur.* Temp⁹ cũ mundo ſumpſit exordiũ, cũ mundo etiam finẽ accipiet. Finito mũdo tempus non erit amplius, ſed tunc regnabit æternitas. Ut enim dilecto Diſcipulo Angelus dixit: *Et tempus non erit amplius.* Homines qui fuerũt producti in tempore, qui in tẽpore vixerunt, qui etiã in tempore mortui ſunt; venient ad æternitatẽ. *Venturi ſumus ad æternitatem in qua non erit tempus,* ait D. Auguſtinus. Tempus hominibus conceſſum, in die judicii peribit cum ſæculo, ab æternitate nunquã peritura abſorbebitur. Ibi homines tempore deſpoliati pro ſuis meritis vel demeritis, bonam vel malam ſuſcepturi ſunt æternitatem. *Cum ergo finis qui interbiat, adfuerit, tunc reſtituetur omne humanum genus, ad expungendum quod in iſto ævo boni ſeu mali meruit, & exinde pendendum in immenſam æternitatis perpetuitatem.* In ſua productione factus eſt homo ad imaginem Dei, ut eſſet capax beatæ æternitatis. *Deus per otium delectabile produxit hominem, quia æternitati pingebat.* In baptiſmate ſuſcipit ſimul cum ſacro charactere & nomine Chriſtiano, gratiam ſanctificãtem, quæ eſt fructus paſſionis Chriſti, efficiturque *æternitatis candidatus:* & ut æternitatẽ, (cujus eſt capax ut homo, & ad quã jus habet ut Chriſtianus) conſequi valeat, debet illã mereri; mereri autẽ non poteſt niſi per bona opera, & ut bene poſſit operari datum eſt illi temp⁹. *Cum enim tempora totius ſpei fixa ſunt ſacro-ſancto ſtylo,* tempus hujus vitæ eſt tempus ſpei & ſalutis, quia eſt à Deo ordinatum ad bene operandum. Quandiu homo eſt in via, tamdiu eſt in ſtatu meriti & demeriti; eſt autem in via quandiu vivit; poſt mortem non eſt amplius in via, ſed in termino in quo nec meriti,

(Tert. Apol. 41. — Apoc. 10. — Tract. 30. in Ioan. — Tert. — D. Hil. c. 14 in Matth. — Tert. lib. adv. Iud. 2. — Tert. l. de Reſur. 22.)

mereri, nec demereri poteſt: Animæ exiſtentes ſive in inferno, ſive in purgatorio, ſive in cœlo, non ſunt amplius capaces meriti vel demeriti; quia ſunt in termino. Soli homines in ſæculo viventes, ſunt viatores, habentque tempus ad bene agendum deſtinatum: quapropter debent uti tempore ad ſalutem opportuno, & vacare bonis operibus; *donec ipſa vita transferatur à temporalitate in æternitatem.* Bona vel mala hominis opera ſunt itinera æternitatis, & quando bene vel male agit, poteſt dicere; *Pingo æternitati.* Bona opera ſunt beatæ æternitatis fœcunda, quia procedunt à gratia quę eſt ſemē gloriæ. Quo ſenſu dixit Philo Judæus: *Virtutes carent tempore*; non quidem in ſua natura, ſed in fructu; non in ſua duratione, ſed in remuneratione: nam licet ſint finitæ, & in tempore fiant, mercedem tamen æternam & nunquam finiendam merentur. Mala item opera ſunt infauſtæ æternitatis gravida, quia cum offendant infinitam Dei majeſtatem, ſunt infinitæ malitiæ, & interminabili ſupplicio punienda. Quod ſic ediſſerit D. Bernardus: (Quæ priora tranſierunt & non tranſierunt: tranſierunt à manu, ſed non à morte: quod factum eſt, factum non eſſe non poteſt: proinde etſi facere in tempore fuit, ſed feciſſe in æternū manet: non tranſibit in tempore, quod tempora trāſit.) Qualia ſunt ſemina tales ſunt fructus qui ex illis proveniunt. Qui ſeminat triticū colligit triticū, qui ſeminat zizania, zizania metit. Virtus ſeminata beatā germinat æternitatē; ſeminatū vitiū infauſtā producit æternitatē. *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniā qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionē: qui autem ſeminat in ſpiritu; de ſpiritu metet vitam æternā. Bonū autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus, non deficientes.* Nunc eſt tempus ad ſeminandum aptum; tranſacto autem tempore non erit amplius ſeminandi neque metendi locus. *Sors temporum ita volutat.* Inde concludit ſapienter Apoſtolus: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Sors temporis in manu noſtra eſt, & à momento temporis ſors æternitatis dependet. Tales erimus per totam æternitatem, quales moriemur in tempore: ſi anima noſtra ſeparatur à corpore criminoſa, in æternum cruciabitur: ſi vere gratia & virtutibus ornata, in æternum præmiabitur. *Erimus iidem qui nunc, nec alij poſt; Dei quidem cultores apud Deum ſemper, ſuperinduti ſubſtantia propria æternitatis: profani vero, & qui non integre ad Deum, in pœnam æque jugis ignis.* Duplici æternitate velut obſidemur: unam habemus ſupra caput, alteram vero ſub pedibus: unam in cœlo, alteram in inferno: unam ſalutis & beatitudinis, alteram damnationis & infœlicitatis: utraque à tempore bene vel male tranſacta dependet. Chriſtiane, *temporis labentia ſpatia dinumera, metas conſummationis expecta*: tempus vitæ tuæ breviſſimum eſt: *punctum eſt quod vivimus.* Æternitas ad quam terminatur tempus, longiſſima eſt, quia nullo unquam finietur tempore: *quod enim æternum eſt, neque finem temporis admittendo, nullum modum temporis patitur.* Hæc tamen interminabilis æternitas, à momento dependet: Virtus quæ breviſſimo durat tempore, æternam acquirit fœlicitatem: ſcelus

Tert. l. de Reſur. 60.

Lib. de Sacrif. Abel.

L. 5. de Conſid. 12.

Gal. 6.

Tert. l. 1. ad Nat. 17.

Gal. 6.

Tert. Apol. 4.

Tert. l. de Spect. 19.

Sen Ep. 49.

Tert. l. de An. 24.

quod in momento patratur, interminabilem parturit miſeriam. Utinam iſta ſerio recogitarent homines! (Durum quod cruciat æternum, fœlix quæ beat æternitas, à morte pendent; mors à vita; hæc à momento: elige, vixiſſe ſemel periiſſe ſemel æternum eſt.) Sors æternitatis erit conformis qualitati mortis: ſit mors fuerit bona, bona erit æternitas. Talis ut plurimum eſt mors qualis fuerit vita; vitam innocuam bona ſequitur mors, vitam ſceleroſam mala mors finit. Vita dependet à momento, quia temporis unicum habemus inſtans. In noſtra igitur libertate eſt bene aut male uti hoc momento; ſtudioſam vel criminoſam ducere vitam, eligere aut fœlicem aut infauſtam æternitatem. Eligamus non infauſtam, ſed fauſtam æternitatem, bene utendo tempore nobis ad bonum opus conceſſo.

II. PARS. Tert. Apol. 43. Objectabant olim Chriſtianis gentiles quod eſſent ſteriles: quibus reſpondent, eſſe quidem ſe ſteriles erga criminoſos, atque de hac ſterilitate gloriari: *Plane confitebor, quinam, ſi forte vere de ſterilitate Chriſtianorum conqueri poſſunt? Primi erunt lenones, praductores, aquarioli, tum ſicarii, mercenarij, magi: his infructuoſos eſſe magnus eſt fructus.* Ad malum ſteriles erant primates Chriſtiani, ad bonum vero fœcundi; in bonis namque operibus terebant tempus. Quantũ ab illis diſtant plures hujuſce ætatis Chriſtiani, è converſo ad malum fœcundi, & ad bonum ſteriles: qui nihili exiſtimant tempus? *Nemo æſtimat tempus, imo pene nullum pretiũ ejus eſt:* & ut merito conqueritur Philoſophus moralis, *de re omnium pretioſiſſima luditur.* Pretioſis illis momentis, eis à divina bonitate conceſſis ad æternitatem comparandam, non bene utuntur. *Quibus uſus perfecti temporis non eſt*; nam ut ſcribit Seneca ad Lucilium; *ſi volueris attendere, magna pars vitæ elabitur male agentibus: maxima nihil agentibus: tota aliud agentibus.* Depravati eorum mores, ad depravationem temporis ſeſe extendunt, totumque vitæ ſpatium tranſigunt in 1. iniquitate: 2. otioſitate: 3. mundana occupatione.

Sen. l. de Brev. Vit. c. 1.

Ep. 1.

Tert. l. de Reſur. 14. Tert. l. 4. adv. Marc. 2. 1. Chriſtianus ſuæ ſalutis zelator *in agnitione ſacramenti fruticat, & in Domini repræſentatione floreſcit atque frugeſcit.* Illud autem ſacramentum ex cujus agnitione fructum effert, eſt *religionis Chriſtianæ ſacramentum*, quæ virtutẽ profitetur, & tempus in bonis operibus inſumendum docet. Deinde ex Domini repræſentatione floreſcit atque frugeſcit: tum quia ſibi repræſentat Dominum dicentem, *Negotiamini dum venio*: tum quia repræſentat *Chriſtum ſane præ ceteris, juſtitia cultu, vitæ integritate meliorem*, & ſuo exemplo Chriſtianos ad bene vivendum allicientem: tum quia ſibi repræſentat Dominum in die judicii bene operantes abunde præmiantem, & male operatos ad inferos detrudentem. *Hæc jam quodammodo habemus per fidẽ, ſpiritu imaginante repræſentata.* Verùm quantumvis Chriſtiana religio ſuos ſectatores ad virtutem formare contendat: quantumvis Chriſtus verbo tempus ad bene operandum aptum afferat, ſuo exemplo vitæ integritatem doceat, & in judicio ſtudioſos remuneret, & operarios iniquitatis puniat: attamen *per omnia vitæ ac diſci-*

Luc. 19. Tert. l. de Præſc. Hæ. 43.

Tert. l. de Spec. 30.

Tert. l. 1. ad Nat. 10.

plinæ

p'ina corruptam, imo deletam, in pluribus Chriſtianis religionem & integritatem recognoſco. Chriſtiana diſciplina eſt *hereditaria religio* quam à prædeceſſoribus ſuis mutuati ſunt Chriſtiani: at male viventibus objici poteſt: *Ubi religio? ubi veneratio majoribus debita à vobis? Habitu, victu, inſtructu, cenſu, ipſo denique ſermone, proavis renuntiaſtis*: Venerandam religionem vult Tertullianus, & adhuc obſervandum exoptat *honorem temporu*; Honorandum eſt tempus ab auctoris dignitate: *Et utique ſi omnia per Deum facta ſunt, & tempora per ipſum facta ſunt*: Circa tempus autem ſuam Deus oſtendit potentiam, ſapientiam, & bonitatem. Potentiam, producendo tempus: *Tempus ex Deo: ex ipſo enim, & per ipsũ, & in ipſo ſunt omnia*. Sapientiã, diſponendo tempus, ipſe enim *temporũ vices ordinavit*. Bonitatem, concedendo homini tempus: Propter nos cœli moventur, Sol & Luna, dies, menſes & annos metiuntur. Tempus autẽ utile imo neceſſarium eſt homini ad trinam vitam; naturalem ſcilicet & rationalem, politicam & civilem, Chriſtianam & fidelem. 2. Honorandum eſt tempus, quia in Chriſto unitum eſt æternitate. In Chriſto trina præſertim admirãda eſt unio: Divinitatis cũ humanitate, magnitudinis cum parvitate, tẽporis cũ æternitate. 3. Honorandũ eſt tempus, quia ſanctificatũ eſt ab humanato Verbo, quod natũ eſt in tempore, vixit in tempore, mortuũ eſt in tempore; & pretio ſui ſanguinis, peccatoribus deperditũ redemit tempus. 4. Honorandũ eſt tempus, quod eſt conſecratũ à Deo, ut Chriſtianus Deũ revereatur; religionis munere fungatur; & cœlum adipiſcatur. At proh dolor! ſceleroſus Chriſtianus honoratũ tempus dehoneſtat; pretioſum tempus depretiat, utile tempus exitioſum præſtat: fitq; ſuis criminibus tẽporis furator, prophanator, & depravator. Furator, quia furatur tempus ad Dei cultũ deſtinatũ: Prophanator, quia prophanat tempus ad religionis officia conſecratũ: Depravator, quia tempus ad bene operandum conceſſum, ad male agendum inſumit.

Tert. l. de Ieiun. 15. Tert. Apol. 6. L. de Pall. D. Aug. in Pſ. 91. D. Aug. l. de Gen. ad Litter. 5. Tert. l. 2. ad Nat. 17.

Reviviſcunt hac ætate probroſa hominum peccata, quæ diebus Noë diluvium adduxerunt ſuper terram: Tunc namq; multa hominum erat malitia, & *cuncta cogitatio intenta in malum, omni tempore*. Quadruplex eſt tempus, in quo hominis cogitatio eſt mali capax: Adoleſcentia, Juventus, Virilitas, & Senectus: His quatuor ætatis temporibus humana cogitatio intenta erat in malum diebus Noë, eodem modo humana malitia viget hac tempeſtate, *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*, nimirum in adoleſcentia, in juventute, in virilitate, & in ſenectute. Tres aſſignantur temporis partes: præteritum, præſens, & futurum: Ex D. tamen Auguſtino, *nec proprie dicitur, tempora ſunt præſens, præteritum & futurum*; quia præteritum amplius non eſt, tranſiit, revocari nequit: futurum nondum eſt, incertum eſt an veniat uſque ad nos, nec ne: (præſens nihil ſtat. Quod dixi, jam non eſt: quod dicturus ſum, adhuc non eſt: quod feci, jam non eſt, quod facturus ſum, nondum eſt: quod vixi jam non eſt: quod victurus ſum nondum eſt.) Oſtentat autem D. Auguſtinus modum quo poteſt dici quod tria ſunt tempora. (Sed fortaſſe

Gen. 6. Pſ. 9. Lib. 11. Conf. 20. D. Aug. Tract. 18. in Ioan. Lib. 11. Conf. 20.

 pro-

proprie diceretur, tempora ſunt tria, præſens de præteritis: præſens de præſentibus: præſens de futuris. Sunt enim hæc in anima tria quædam, præſens de præteritis memoria, præſens de præſentibus contuitus, præſens de futuris expectatio.) Peccatoris cogitatio intenta eſt in malum tempore præterito, præſenti, & futuro. Præterito quidem; tum quia pœnitet non captaſſe occaſiones mali quas habuit: tum quia præteritam exoptat ætatem in qua deliquit, ut poſſet iterum in illa peccare: *Adoleſcentia in qua deliquimus, ſuſpiratur*: tum quia commiſſa delicta in memoriam revocat, & de eorum recordatione lætatur, *habens ſecum animi licentiam, quia omnia homini quæ non habet, imaginario fructu repræſentat*: tum quia opere alias conſummata peccata, deſiderio, affectu committit, *& temere per voluntatem expungit effectum.* Deinde humana cogitatio intenta eſt in malum tempore præſenti: quapropter impii ſic ſtulte loquuntur apud Sapientem. (Venite ergo, fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter: coronemus nos roſis antequam marceſcant, & nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra: ubique relinquamus ſigna lætitiæ: opprimamus pauperem juſtum, & non parcamus viduæ nec veterano: ſit autem fortitudo noſtra lex juſtitiæ, & non prætereat nos flos temporis.) Per florem temporis nonnulli intelligunt juventutem quæ flos ætatis poteſt dici: quod enim præcipuum eſt in quacumque re, id flos hujus rei nuncupatur. Unde dicitur flos urbis, nobilitatis, militiæ, eloquentiæ, ſapientiæ: juventus autem eſt flos ætatis: *Familiare periculi tempus æſtas: auſtro & africo ſævitia velificat*; adoleſcentes & juvenes potiſſimum adoritur dæmon, in eoſque tentationum jacula vibrat. Alii per florem temporis intelligunt propriam cujuſque temporis voluptatem; in hieme ignes, in vere flores, in æſtate viridaria, in autumno fructus: ita ut flos temporis dicatur quidquid jucundũ ac voluptuoſum ſingula ferunt tempora. Et quia *tempora cum ætate reſpondent*, impii voluptates captant cuivis ætati congruas, flores temporis colligunt in adoleſcentia, in juventute, in virilitate, & adhuc in ſenectute: *Nihil ſine ætate, & omnia tempus expectant.* Impii tamen peccant pro futuro, & priuſquam futurum ſit, præſens cogitatio eorũ ad malum intenta eſt. Cogitant namque mala quæ facturi ſunt diebus ſequẽtibus, quomodo corrumpent mulieris pudicitiam, quomodo poterunt alienum rapere, de inimicis vindictam ſumere, & alia hujuſcemodi. Miratur D. Hieronymus, cur Chriſtus Dominus in die judicii dicet reprobis: *Diſcedite à me qui operamini iniquitatem*: tunc enim non operabuntur iniquitatem, eis ſiquidem deerit delinquendi materia, & tamen non dicet Salvator (qui operati eſtis iniquitatem, ſed qui operamini, id eſt, qui uſque in præſentem horam, cum judicii tempus advenit, licèt non habeatis facultatẽ peccandi, tamen adhuc habetis affectum:) hic autem peccandi affectus ſeſe extendit ad tempus futurũ. Hoc eſt diſcrimen inter eos qui ex infirmitate, & eos qui ex malitia delinquunt; quod illi *certo tempore ſubornantur, nec alio quam ardoris*, quando

Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 6.
Tert. l. de Mon. 10.
Tert. l. de Pœn. 3.
Sap 2.
Tert. Scorp. 1.
Tert. l. 1. ad Nat. 16.
Tert. l. de vel. Virg. 1
Matth. 7.
Tert. Scorp. 1.

quando ſcilicet graviſſima eſt tentatio,& concupiſcentia maxime æſtuat: iſti vero peccant omni tempore,quia voluntatem habent peccandi in omni tẽpore,quod depravatur à male agentibus, & deperditur à nihil agentibus.

2. Chriſtianus nihil virtutis operans *hoc nomine ceſſationis & defectionis operum malignitatis affinis eſt.* Qui deſidioſe negligit opera virtutis & religionis quæ præcipit Deus,particeps eſt malignitatis ejus qui facit mala quæ prohibet Deus: quia,ut ait D. Chryſoſtomus,*nihil boni facere nihil aliud eſt quam facere aliquid mali.* Quod triplici exemplo declarat: (Si ſervum habeas non rapacem,non ebrioſum, non contumacem;ſed ſobrium,moderatum,vitii omnis expertem: idem tamen totos dies,ſi domi ſedeat otioſus, omittatque ea quæ ad munus ſuum attineant,nonne graviter vapulabit? atqui nihil maleficii commiſit; ſed ſatis maleficii eſt,munus officiumq; ſuum neglexiſſe:) Deinde prodit exemplum agricolæ. Quid agricola, qui ceteris quidem in rebus vacet culpa,ſed domi deſideat,non ſerat,non aret,non vites colat,nonne hic quoq; vapulabit? At nihil injuriæ intulit, nihil damni; verùm ceſſationem ipſam,injuriam damnumq; ducimus. (Tandem adducit exemplum manus inertis.) Atq; etiam in ipſo noſtro corpore, ſi manus ita affecta ſit,ut non linguam quidem illa præſcindat,non oculos eruat,nihil denique detrimenti afferat,ſed deſidioſa ceſſet,reliquo corpori nullo modo inſerviat;quis non iſtiuſmodi manum inutilem,& ut paraclyticam, præſcindendam potius, quam retinendam putet?) Eodem modo Chriſtianus nihil agens,ſed bona mandata omittens,quaſi male agat reus perhibetur. Quod recognoſcens Tertullianus exclamat: *Væ nobis ſi obtorpuerimus in operibus ſanctitatis atque juſtitiæ!* Multa damna affert otium. Nam 1. ad vitium allicit: 2. dæmonum tentationibus exponit: 3. tempus ad ſalutem conceſſum perdit. 1. Otium vitiorum negotium eſt,ſchola malitiæ: *Omnẽ enim malitiam docuit otium.* Quare nuncupatur à Baſilio Magno,*præceptor vitiorum*;& ab Hieronymo, malorum omnium origo. *Teneatis firmiſſime,quod omnis concupiſcentiæ & immunditiæ, atque peccati, mater eſt otioſitas.* Quapropter inter præcipua Sodomæ ſcelera quæ divinæ juſtitiæ accenderunt ignem,Ezechiel Propheta annumerat otium. Quòd autẽ otium ſit origo,ſchola & cauſa vitiorũ, hac comparatione declarat D. Chryſoſtomus. (Sicut terra non occupata ſemente aut conſitione, quamlibet herbam producet; ſic & anima quoties non habet quod agat rerum neceſſariarum,cum omnino cupiat aliquid agere,pravis actionibus ſemet tradit.) Laurentius Juſtinianus ad idem denotandum,aquæ utitur ſimilitudine. (Sicut aqua quæ caret decurſu,ac jacet in foveis,putreſcit,ac humano uſui aliena efficitur, repleturque animalibus venenatis & noxiis: ita & corpus otii tabe confectum,concupiſcentiarum carnalium parit inſaniam.) Hæ autem concupiſcentiæ ab igne inferni ſufflammantur. Nam 2. otium diaboli tentationibus deſidioſum exponit. Ideo bellè D. Thomas vocitat otium, *hamum diaboli*,quo dæmon homines piſcatur: & ob hanc cauſam nuncupatur à D. Bernardo,

Tert. l. 1. adv. Marc. 12.

Ho. 18. in Ep. ad Epheſ.

L. adv. Val. 30.

D. Chryſo. h. 14. in Gen.

Hom. 8. in Hexam.

Cap. 16.

Ho. 7. in 2. Cor.

De Grad. Perfect. c. 9.

Ser. de S. And. nardo, *omnium tentationum & cogitationum malarum colluvies, malorum omniū ſentina.* Quod exemplo navis elucidat. (Sicut per rimam ſentinæ aqua latenter intrat & excreſcit, donec navis per nautarum incuriam demergatur; ita ex otio atque ignavia, cogitationes pravę & concupiſcentiæ multiplicantur, donec navis cordis eis ſuccumbens, in peccato periclitetur.) Nullus eſt homo qui dæmonis non ſit expoſitus inſidiis; & ob hanc cauſam quotidię

Tert. l. de Orat. 8. Caſſian. Col. l. 10. poſtulamus in Oratione dominica; (Et ne nos inducas in tentationem) id eſt, *ne nos patiaris induci, ab eo utiq; qui tentat.* At ut bene animadvertit Philo Judęus, *Otiū inſidioſum eſt*; & nullus ita tentatur ac deſidioſus, *qui non laborat ab uno dæmone, ſed otioſus ab innumeris infeſtatur.* Quod videtur innuere Salvator, dicens: (Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domū meam; & veniens invenit eam vacantem; tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecū nequiores ſe, & intrantes habitant ibi.) Homo vacans & otians eſt dæmonis requies; tum quia diabolus in eo habitat, tum quia in tali habitaculo dæmon voluptuoſe deliciatur: tum maxime quia dæmon parum aut nihil laborat in tentādo otioſo, otioſitas enim pro dæmone tentatore eſt: tum quia otioſa deſidia eſt ipſo dæmone nequior, æquivalens in malitia ſeptem aliis ſpiritibus

Eccleſ. 33. nequiorib⁹, inſtigans otioſum ad omnes nequitias. Ut enim ait Sapiens: *Multam malitiā docuit otioſitas.* Sirus legit: *Multa mala fecit otium* Quod malū non docet, imo facit otioſitas; quæ ut ait Cyrillus Alexandrinus, (gignit carnis deſidiam, parit ſuperbiā accendit luxuriam, ſolvit linguam, nutrit indigentiā, & introducit rapinā?) Adeo pernitioſum eſt otium, quod 1. dæmonum tentationibus deſidioſum exponit: 2. ad omne malum inducit: 3. pretioſiſſimum tempus turpiſſime perdit. *Turpiſſima temporū jactura eſt, quæ per negligentiam*

Sen. Ep 1. ad Lucil. Sucher. *fit.* Conceſſum nobis eſt tempus tanquam medium æternitatis conſequendæ, *Parere poſſunt æternitatem vitæ dies pauci:* Otium autem jacturam facit temporis ad comparandam æternitatem deſtinati; quapropter ab otioſitate avocare nos nititur Baſilius Magnus, ne ſpem beatæ æternitatis amittamus. *Non ita-*

Ho. de Leg. Lib. Gent. *que nobis dormiendum, neque ob brevem deſidiam ſpes magna amittendæ.* Apoſtol⁹ etiam hortatur nos, ne (in vacuum gratiā Dei recipiamus.) Id eſt ne per deſi-

2. Cor. 6. D. Anſel. Pſ. 23. diam faciamus ut in nobis gratia Dei ſit otioſa & inutilis. Regius quoq; Propheta beatum illum prædicat: *qui non accepit in vano animam ſuam:* ſeu, ut habet Hebræa lectio, *qui non accepit otioſe animam ſuam:* ſcilicet ad perdendum; nam deſidioſus ſimul cum tempore perdit animam ſuam. Deſidioſos hujuſ-

Matth. 20. modi increpat Salvator: *Quid hic ſtatis tota die otioſi.* Quaſi diceret, ut explicat Hugo Cardinalis; Quid hic ſtatis mandatorum Dei obliti, carnis illecebris confracti? Tota die, ideſt tota vita otioſi, vobis nihil proficientes; pœnitentiam non agentes, in poſterum non providentes,) Quia, ut

Lib. de mod. ben. Vivend. 51. bellè ad propoſitum ait D. Bernardus, *Regnum Dei non dabitur otioſis, ſed in ſervitio Dei ſtudioſis: regnum Dei non dabitur vagantibus, ſed pro ſervitio Dei laborantibus.* Quia tamen, ut animadvertit Climacus, deſidia

eſt *mundanorum beatificatrix*, homines ſæculo addicti inſumunt tempus, aliud agendo.

3. Epicurei ſibi contradicere videntur: Nam *quietem ſumma atque unica voluptatis nomine conſecravere*: at alioſum voluptatem, in qua beatitudinem ſitam volunt, tractandis amplis negotiis conſtituunt. *Sed licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem, ampla negotia.* Verum à ſe non diſſentiunt Epicurei; quia inutilis occupatio apparet otium: Quo ſenſû dixit Attilius apud Plinium Conſulem; *Satius eſt otioſum eſſe, quam nihil agere*: qui alienû agit nihil agit, ſed operoſe otiatur & negotioſe vacat, teritque tempus *in otioſiſſimis occupationibus.* Hæc ſunt ampla negotia, in quibus mundani totum vitæ inſumunt tempus: quibus idem poteſt exprobrari quod Nahum Propheta Ninives populo: *Plures feciſti negotiationes tuas, quam ſtellæ ſint.* Has occupationes otioſas nuncupavit Plinius, & nunc eaſdem vocitat frigidas ſuo Minutio ſic ſcribens: (Si quem interroges, Hodie quid egiſti? & reſpondeat: Spôſalia, aut nuptias frequentavi: ille me ad ſignandum teſtamentum, ille in advocationẽ, ille in conſilium rogavit: tunc enim ſubit recordatio:) *Quot dies quam frigidis rebus abſumpſi!* Hujuſmodi frigidæ occupationes in quibus inſumitur temp⁹, ſunt in triplici differentia. Nonnullæ reſpiciunt fortunæ bona; aliæ Reipublicæ negotia, tertiæ animi oblectamenta: omnes ut plurimum inutiles. Primæ eripiunt hominem ſaluti: ſecundæ, hominẽ ſibi: tertiæ, hominẽ Deo. 1. Fortunę curam, ineptias appellat Philoſoph⁹ moralis: *Nunc vaca ad iſtas ineptias: ingens negotium in manibus eſt.* Ingens negotiûm eſt ſalus quam impedit nimia fortunæ ſollicitudo. Nã, ut ait D. Paulinus, *res hujus ſeculi, in cujus aut male cura, aut bene anima conditur, mens compeditur.* Fortunę bona iniquietant animã, hominem minus ad ſalutẽ aptum præſtant; tempusq; ad ſalutem conſequendam conceſſum inutile efficiunt. Nam ut obplorat gentilis Philoſophus, mûdani majorem ejus partem in ſupervacaneis erogant. (Eo magis utique indignor aliquos ex hoc tempore, quod ſufficere nec ad neceſſaria quidem poteſt, etiamſi cuſtoditum diligentiſſime fuerit, in ſupervacua majorẽ partem erogare.) Domitianus Imperator in captandis muſcis, majorem temporis inſumebat partẽ; Mundani quoq; *telas aranearum texuerunt; opera eorum opera inutilia.* Areanea in texenda tela continuo laborat, ſeſeq; eviſcerat: ad quid? ad capiendas muſcas. Non abſimiliter homines poſt fortunæ bona inhiantes, *in medio dierũ inaniũ, texuere operibus vanis araneæ telam.* Juriſconſulti vacua prædia vocitant quæ nihil fructus proferunt, ſuntq; prorſus inutilia. Mundanorũ *irrita opera & infructuoſa.* Illud enim irritũ eſt & infructuoſum, quod non conducit ad ſalutem, ſed potius avertit à ſalute; Hujuſmodi ſunt occupationes mortalium in acquirendis fortunæ bonis, quæ ſæpe ſæpius eripiunt ſalutem homini, ſicut occupationes quæ publicum & rempublicam reſpiciunt, multoties eripiunt hominem ſibi. 2. *Nemo alii naſcitur, moriturus ſibi.* Nullus prudenter totum ſe erogat aliis, nihil ſui relinquens ſibi.

Tert. l. de Pall. 5. — Tert. Apol. 34. — L. 9. Ep. 6. — Plin. — Cap. 3. — L. 1. Ep. — Ep. 49. — Ep. 11. — Ep. 45. — Iſa. 59. — D. Paulin. Ep. 10. — Tert. l. de Pat. 8. — Tert. l. de Pall. 5.

Agat

Agat aliquando ſuam cauſam qui ſemper alienas agit. Nam ut ait D. Auguſtinus, *nihil minus tuum quam tu, ſi alicujus eſt quod es.* Quod Eugenio ſummo Pontifici qui ſe totum ad Eccleſiæ regimen impendebat, objicit D. Bernardus. *En quo trahere te habent hæ occupationes maledictæ. Si tamen pergis ut cœpiſti, ita dare te totum illis, nihil tui tibi relinques.* Idipſum multis aliis poſſet exprobrari, qui nihil ſui ſibi relinquentes, totam in negotiis publicis pertranſeunt vitam: *Nemo ſe ſibi vindicat, alius in alium conſumitur.* Quotidie artifices, mercatores, cauſidici, politici, impatienter queruntur ſe obrui occupationum mole: verum impatientius adhuc ferunt vel una hora ſibi vacare. (Secreta ſtudia pati non poteſt animus ad civilia erectus, agendique cupidus, & natura inquietus; parum ſcilicet in ſe ſolatiorum habens. Ideoque detractis oblationibus, quas ipſę occupationes diſcurrentibus prębent: domum, ſolitudinem, parietes non fert, invitus aſpicit ſe ſibi relictũ.) Homo occupatiſſimus aliis vivẽs ſibi non vivit, ineptuſq; redditur ad obeũda hominis ſapientis, & pii munia. (Inter omnes convenit, nullam rem bene exerceri poſſe ab homine occupato. Nihil minus eſt hominis occupati, quam vivere:) occupatio namque illum ſibi & Deo eripit. 3. *Omnia impedimenta dimitte. & vaca bonæ menti, nemo ad illam pervenit occupatus.* Quod ſi Chriſtianos ſæculi negotiis mancipatos, ab illis occupationibus tantiſper volumus dimovere, ut Deo ſerviant, Sacramenta ſuſcipiant, Concionem audiant, Miſſæ aſſiſtant, reſpondent eſſe *opere occupatiores*, nec ad illa religionis officia habere tempus; quibus idem dicendum eſt quod quidam Zovio vectigalium exactori dixit alias D. Paulinus: *Vacat tibi ut Philoſophus ſis, non vacat ut Chriſtianus ſis.*

Tract. 9. in Ioan. — L. 1. de Conſid. ad Eug. — Sen. l. de Brev. Vit. — Sen l. 1. de Tranquil. c 2. — Sen lib. de Brev. Vit. 6. — Sen Ep. 1. ad Lucil. — Tert. l. 1. ad Nat. 19.

Omnes fere homines ſunt divitiarum parciſſimi, at proh dolor! *ſimul ad jacturam temporu ventum eſt, profuſiſſimi in eo, cujus unius honeſta avaritia eſt.* Prodigos iſtiuſmodi ſic loquentes producit D. Bernardus: (Licet confabulari, aiunt, donec prætereat hora. O donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam; ad obtinendam veniam; ad acquirendam gratiam; ad promerendam gloriam miſericordia Conditoris indulget! Donec tranſeat tempus, quo tibi divinam debueras propitiare pietatem, properare ad angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem!) In his negotiis majorem temporis partem inſumere debet Chriſtianus, & tamen totum in vanis occupationibus deperdit tempus. Quem exemplo Titi pungit D. Hieronymus. (Titus Veſpaſiani filius cum quadam nocte, ſero recordaretur in cœna, ſe nihil boni eo die feciſſe, dixit amicis: Hodie diem perdidi.) Inde concludit D. Hieronymus. *Si Titus hoc, ſine Lege, ſine Evangelio, ſine Salvatoris & Apoſtolorum doctrina, naturaliter & dixit & fecit*; quam culpandus Chriſtianus, qui Evangelii luce illuſtratus, legi divinæ ſubſtratus, à doctrina Apoſtolorum & Chriſti regulatus, perdit non diem, ſed hebdomadam: non hebdomadam, ſed menſem: non menſem, ſed annum: non annum, ſed totam vitam? *Hora*

Sen lib. de Brev. Vit. — Ser. 3. de de cuſtod. Mã. Ling. & Cord. — In cap. 6. Ep. ad Gal.

ſunt quas perdimus: puta dies eſſe, puta annos. Unuſquiſq; in memoriam revocet varias vitę ſuæ ætates, adoleſcentiam, juventutem, virilitatem, ſenectutem. Senec. l. 6. Quæſt.
Ad computationem ætatem tuam voca; & certo recogitet in quo inſumpſerit tē- Nat.
pus. Nam prætermiſſo ſomni tempore quod numerari non debet; quia *homo* Seneca. l. de brev. Vit.
dormiens nullius eſt pretij, non magis quam qui non vivit, quantum amiſit tempo- Clem.
ris in otio, quantum in ludo, quantū in oblectamento; quantum in captando Alex. l. 2. Pædag. 9.
fortunæ bono, quantum in familię ſeu reipublicæ negotio, quantum in committendo peccato, & ſi verum fateri velit, dicet: *Ego habui menſes vacuos*, quia Iob. 7.
ex tota ſua vita, Deo non dedit unum annum: ex tot annis neq; unum menſem; ex tot menſibus neque unam hebdomadam: ex tot hebdomadis neque unum diem, ex tot diebus neque unam horam, neque ſemi-horam, neq; forte quadrantem. *Impendio vitæ vitam inſtruunt, maxima portio vitæ, jactura eſt.* Seneo l. de brev. Vit.

Quæ amplius recuperari nequit: quod inſipientes non animadvertunt D. Bern. de cuſt. Man. Ling. &
Chriſtiani. *Nemo noſtrum parvi æſtimet tempus quod in verbis inſumitur otio, volat* Cord.
verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile; *nec advertit inſipiens quid amittat*, dum tempus irremediabile perdit. Variis de rerum ſuarum jactura apud ſummū Pontificem Clement. octavum conquerentibus, reſpondiſſe fertur: (eam jacturam rei graviſſimam eſſe, quę ſemel amiſſa recuperari non poteſt:) Veſtis ſciſſa reparari poteſt, domus incenſa reædificari: exercitus cęſus, novis copiis inſtaurari: civitas perdita, recuperari: at tempus recuperari nō poteſt. (Aurum & argentum ſi perdiderit homo, poterit tantumdem invenire & reponere; ſi vero tempus amiſerit, nequaquam illud unquam invenire vel acquirere poterit, neq; aliud pro eo aliquando reficere aut reſarcire. Sane futurum eſt omnino, ut horam hujuſce temporis quæramus, deſideremus uſque, nec eam habere, vel ullis precibus impetrare poſſimus.) Hanc conſiderationem expoſtulat D. Bernardus à Chriſtiano qui pretioſiſſimum vilipendit precium: (Cogita quam multi quibus ſi hæc hora ad agendam pœnitentiam concederetur, quæ tibi conceſſa eſt, quomodo per altaria & quam feſtinantes currerent: & ibi flexis genibus vel certe toto corpore in terram proſtrato, ſuſpirarent, plorarent & orarent, donec pleniſſimam peccatorum veniam à Deo conſequerentur! Tu vero comedendo, bibendo, jocando & ridendo, tempus otioſe perdis, quod tibi indulſerat Deus ad acquirendam gratiam, & ad promerendam gloriam. Cogita etiam quod animæ in inferno nunc cruciantur, ſine ſpe veniæ ac miſericordiæ.)

S. Doroth. Serm. 11.

De Inter. Do 63.

Quam pretioſum ſit tempus, inquirendum eſt 1. à Beatis qui regnant in cœlo: 2. à Juſtis, qui patiuntur in purgatorio: 3. à damnatis, qui torquentur in inferno. 1. Beati in cœlo ſunt in termino, nec amplius poſſunt mereri. Verum ſi per impoſſibile liceret eis ad viatorum ſtatum redire, quomodo impenderent tempus, quibuſnam virtutibus vacarent, quas macerationes ultro non ſuſtinerent quibus majorem valerent conſequi beatitudinis gradum? 2. Juſti qui puniuntur in purgatorio, & luunt peccatorum D. Aug. l. 1. Conf. 11.
pœnas: *caro mihi valent ſtillæ temporum*; temporis jacturam, quo poſſent:

Deo ſatisfacere, redimerent totius mundi diſpendio, vitæ damno & cruentiſſimæ cujuſq; mortis ſupplicio: 3. Damnati qui torquentur in inferno, quid nõ darent, quid non facerent, quid non ſuſtinerent pro emẽdo tempore, pro momento temporis, quo poſſent pœnitentiam agere? Darent mille mundos, millenas ultro ſuſtinerent mortes, & atrociſſima quæq; ſupplicia per milliones annorum læto animo paterentur. (Quis mente aſſequatur ut pretioſum eſt tempus? aut quis lingua caritatem ejus explicet? Norunt qui amiſerunt. Hi enim grato animo erogarent opes, honores, delicias, ac quidquid eſt voluptatis pro una horula: nam exiguo illo tempore poſſent iram & furorem divinæ juſtitiæ ſedare, Angelos exhilarare, flãmis æternis ſe eripere, & cœleſte regnum adipiſci.) Verum irrecuperabile tempus, nunquã dabitur neq; beatis ad merendum, neq; juſtis ad ſatisfaciendum, neq; damnatis ad tormentũ finiendum ſeu levandũ, ſed infœlices reprobi per totam retro æternitatẽ inferni ſuſtinebũt tormenta, & deperditi temporis memoria cruciabuntur. Tẽpus quod adeo velociter tranſit, non pertranſibit in damnatorũ memoria, & hæc recordatio plus eorum corda, quam corpora ignis torquebit. Modo æternitas ſub tempore eſt occulta. *Mundi ipſi⁹ ſpecies aque temporalis, diſpoſitioni æternitatis aulæi vice oppanſa eſt.* In inferno autẽ infœlix & miſera æternitas, quã parturivit tempus, perpetuo præſens erit intellectui præſcitorum, qui ad memoriam revocantes perditum tempus, & indeſinenter contemplantes infauſtam æternitatẽ, dolore, rabie, deſperatione tabeſcent. *In æternum neceſſe eſt ut cruciet, quod perperam te egiſſe in æternum memineris.* Chriſtiane viator, ſi damnatorum non exoptas pati ſupplicia, depravatũ & deperditũ repara tempus.

[Laur. Iuſtin. de Vit. Solit. 10.] [Tert. Apol. 8.] [D. Bern. l. de Conſid. 12.]

III. PARS. *Anni recurantur.* Si alicujus rei hominibus incumbit cura, maxime temporis: plerique tamen pretioſiſſimum tempus ſua pravitate depravant, de eoque nullam curam gerunt: *Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat; qui diem æſtimet?* Neglectum tamen tempus poteſt recuperari, deperditum quoque reparari. Philoſophia irrevocabile præteritum exiſtimat: verum quod philoſophiæ ſuperat ſapientiam, Chriſtianæ diſciplinæ non ſuperat induſtriam, quæ præteritum & perditum ſcit revocare & reparare tempus. Ad quod Chriſtianos ſtimulat Apoſtolus: *Videte quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus.* Tribus modis perditur tempus, tribus etiam modis reparatur tempus. 1. Perditur male agendo, reparatur pœnitendo. 2. Perditur nihil agendo, reparatur ſtrenue virtuti incumbendo: 3. Perditur aliud agendo, reparatur cœli & ſalutis negotia tractando.

[Tert. l. de Pall. 5.] [Sen. Ep. 1. ad Lucil.] [Ephe. 5.]

1. *Aridæ & ardentis naturæ ſacramenta* agnoſcit Tertullianus. Perſpicuum non eſt quid intelligat Afer per aridæ & ardentis naturæ ſacramenta: Verùm intelligere poſſumus tormenta quibus conſecrati ſunt reprobi tanquam arbores infructuoſæ & aridæ, quæ fructum ſuum non dederunt in tempore ſuo. Alludere namque videtur ad ficulneam infructuoſam, quam in vinea ſua plantaverat Dominus: *Ecce anni tres ſunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam,*

[Lib. 1. adv. Marc. 15.] [Luc. 13.]

ut quid etiam terram occupat? En verum reproborum ſpecimen, quibus Deus dedit tempus hujus vitæ, ut ferrent fructus, qui ob ſterilitatem ſucciſi ſunt & in ignem æternum conjecti, ubi nunquã fructum afferent. *Iam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet.* Hæc eſt maledictio quam in ficulneam infructuoſam vibrat Salvator, quæ ferit damnatos, quod ipſi queruli & dolentes fatentur. *Tranſiit meſſis, finita eſt aſtas, & nos ſalvati non ſumus.* Nullus poteſt in æſtate metere, niſi qui ſeminaverit hiberno tempore. Reprobi neque ſeminare neque metere poſſunt, quia tranſit tum ſeminandi, tum metendi tempus. *Tempus omni rei*: nunc tempus eſt ſeminandi, & ut probe ſeminare & meſſem valeamus colligere, de male actis pœnitendum eſt. De pœnitentia aſſeri poteſt idipſum quod de fide dixit D. Bernardus. *Hac eſt qua velut quoddam æternitatis exemplar, præterita ſimul & præſentia ac futura ſinu quodam vaſtiſsimo comprehendit.* Pœnitentia ſe extendit ad præteritum, ad præſens, & ad futurum. 1. Ad præteritum, quia mortificata opera ad vitam revocat. Verus pœnitens *pati exoptat ut Dei totam gratiam redimat.* Omnia bona opera à juſto facta ſunt fructus tum gratiæ, tum ſuę voluntatis; per peccatum tamen lethale mortificantur, per pœnitentiam vero reviviſcunt, quę virtutem habet reparandi, & redimendi præteritum. *Temp⁹ quippe redimimus, quando anteactam vitam, quam laſciviendo perdidimus flendo reparamus.* Pœnitentia præſens complectitur, nam peccati maculam diluit. Quapropter, ut bene animadvertit Tertullianus, Chriſtus Dominus *pœnitentiam deſtinabat, purgandis mentibus præpoſitam.* Quandiu homo eſt criminoſus, tandiu tempus in captivitate detinetur; quod vendidit ſceleroſus peccator. Servitute adeo gravatur tempus, ut fleret, ait D. Hieronymus, ſi capax eſſet ſenſus & rationis. *In manibus enim malorum, tempus coacte, & ut venditum, & ut retentum permanet, ita ut ſi ſenſus in ipſo eſſet ploraret.* Pœnitentia autem redimit tempus, à ſervitute liberat, in libertatem reſtituit, dum criminoſum à peccati captivitate eximit. *Verens & radens & foras abjiciens, quidquid error vetus inquinaſſet, quidquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet.* Tandem 3. pœnitentia futurum complectitur. & ad ipſam æternitatem ſe extendit. Homo lethaliter peccans incurrit reatum pœnæ æternæ, qui per pœnitentiam tollitur. *Hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit: hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatẽ.*

Marc. 11. Ierem. 8. Tert. l. de vel. Virg. 1 Ser. 6. in Vig. Nat. Tert. Apol. 48. D. Greg. l. 15. Mora. 18. L. de Pœn. 2. In cap. 5. Epheſ. Tert. l. de Pœn. 2. Tert. l. de Pœn. 6.

Lege civili, imo divina ſancitum eſt, ut conſtat ex Levitico: *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus; ſi non redemerit, & anni circulus fuerit revolutus, emptor poſſidebit eam, & poſteri ejus in perpetuum.* Hoc eſt myſterium, ait Origenes, denotans quod anima gratia ſanctificante donata, eſt domus Dei; homo verò lethaliter peccans domum illam diabolo vendit, venditor habet annum integrum ut eam ab emptore redimat. Hic annus eſt vitæ tempus quod à propheta Evangelico vocitatur *annus placabilis Domino*: & à Luca Evangeliſta nuncupatur *annus Domini acceptus*: ſi hoc anno non redimit domum, *emptor poſſidebit eam in perpetuum*

Cap. 25. Ho. 15. in Lev. Cap. 61. Cap. 4.

petuum. Quanta Dei bonitas qui peccatori largitur gratiam & tempus, ut animam à dœmonis tyrannide liberet! Quanta peccatoris cœcitas, qui ſervitutem diligit, nec à diaboli captivitate exire contendit! *Dedit illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua.* Chriſtiane, audi Sapientem hortantem: *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, & gemas in noviſſimis:* Tempus male agendo perditum redime per pœnitentiam; *tu tamen bono tempore uti incipias*, & tempus nihil agendo perditum, repara ſtrenue virtutibus vacando.

Apoc. 2. — Prov. 5. — Sen. Ep. 1. ad Lucil.

2. *Tota ratio judicij, perverſa adminiſtratio conditionis,* præſertim temporis, quod perverſe adminiſtravit peccator, cujus in judicio ultimo rationem expoſcet Deus. Quapropter *adducet adverſus nos tempus*, quod inſumpſimus tum male agendo, tum nihil agendo. *Qui inutiliter, tantū ac tale bonum irritum facit, judicium habet ſegnitiei:* Non ſolum reddent rationem peccatores de malo cōmiſſo ſed etiam de bono omiſſo. Quid ergo faciendū eſt? *Ad præmuniendum per nosmetipſos noviſſimorum temporum conditionem*, deperditum in otio tempus reparandum eſt, 1. per liciti vacationem: 2. per boni operationem: 3. per virtutis fervorem. 1. Perſæpe medicina ſimilia ſimilibus curat, *Sed medicum quidem miraberis etiam in illo, quod ferme pares adhibet querelas medelarum; cum quaſi de perverſo auxiliatur, per ea ſubveniens per quæ laboratur. Nam & calores caloribus amplius onerando compeſcit; & ardores, ſiti potius macerando reſtinguit: & fellis exceſſus, amaris quibuſq; potiunculis colligit; & ſanguinis fluxus, defuſa inſuper venula revocat.* Eodem modo otium otio curandum eſt; deperditum vacando tempus, vacando etiam reparandum eſt: non ſolum otiando ab illicitis quæ prohibet Deus, ſed etiam à licitis quæ permittit. Perdidiſti horas, dies, omittendo quæ tibi mandantur bona, abſtine à ludo, convivio, oblectamento, aliiſque quæ permiſſa ſunt gaudiis. *Tempus in collecto eſt, ſupereſt, ut qui matrimonia habent, tanquam non habentes agant.* Reparato per pœnitentiam & abſtinentiam, deperdito in malo & otio tempore: 2. anima *expedita de malis omnibus, ecce jam proficit*, & in bono tempus impendit. Nullus eſt dies in quo Chriſtianus non debeat bonum facere opus, *Ne frauderis à die bono, & particula diei boni te pertranſeat.* Diebus feſtis & dominicis quibus à ſervili opere vacat, operibus virtutis ſedulo laboret. Idcirco otium ſabbati nuncupat Caſſiodorus, *Otium negotioſum*, quia otiante corpore, anima bonum debet negotiari. Quare pertimeſcit D. Bernardus otium otioſum: *Cavendum, & in otio otioſum eſſe.* Otium activum deſiderat Bernardus, ne homo ceſſet in quiete & otietur in otio, ſed dum otiatur & quieſcit, negotietur & agat. Quod à Chriſtiano expoſcit ipſemet Deus. (*Quis autem veſtrum habens ſervum arantem aut paſcentem qui regreſſo de agro dicat illi ſtatim, Recumbe?*) Hunc locum expendens D. Ambroſius ait: (Sicut ergo non ſolum non dicis ſervo tuo, Recumbe, ſed exigis ab eo aliud miniſterium, & gratias ei non agis; ita neq; in te patitur Dominus unius eſſe uſum operis aut laboris: quia dum vivimus ſemper operari debemus. Ergo agnoſce te eſſe ſervū

Tert. — Apoc. — Baſ. Mag. l. 1. de Bapt. 3. — Tert. l. de Jejun. 2. — Tert. Scorp. 5. — Tert. l. 1. ad Vx. 8. — Tert. lib. adv. Val. 17. — Ecclef. 14. — Lib. de An. — L. 2. de Conſid. — Num. 7. — In c. 17. Luc.

pluſimis obſequiis defœneratū.(Hujuſmodi autem pietatis obſequia potiſſimum à Chriſtianis expoſtulat Deus diebus dominicis: *Non ideo ceſſandum eſt, ſed ſtudio pietatis, vel ultra vires audendum.* Sic deperditum in otio tempus reparatur 3.à Chriſtiano, qui fervore accenſus *in opera majora frugeſcit.* Sicut viator qui lentè inceſſit, vel aliquo in loco demoratus eſt, progreſſum geminat, ut tempus quod cunctatione perdidit, pedum velocitate recuperet: Sic Chriſtianus amiſſum in otio tempus per ſtrenuam virtutis operationem reparat. *Mihi videtur perfectio virtutis, ſi quis ſemper feſtinet, ut in bono plus habeat.* Virtutis perfectio non ſolum diuturnitate temporis, ſed ardore charitatis menſuratur. Qui fervide bonū operatur, *retinet virtute quod amiſit in tempore.* Deus quoq; non tepidum ſed fervidum operarium acceptat. *Ille tantorum munerum repromiſſor, non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, reſpuit indevotum.* Devotum, actuoſum, & fervidum operarium expoſtulat, qui deperditum in ſæculi negotio reparet tempus, vivendo Deo & cœlo.

Phil.Iud.l. de Opif. Mund. — Tert.l.ad Val.17. — Cæſare Dialog.5. — D.Bern.in Allego. Euſeb. Emiſ.ho.5. ad Monach.

3. Homines mundo addicti, *averſi ab ipſo Deo & cœlo*, in tractandis mundi negotiis tempus amittunt, quod probe reparari nequit, niſi 1. vivamus Deo: 2. iiſdem redimamus tempus, quibus illud vendidimus: 3. tantum faciamus pro cœlo quantum pro ſæculo. 1. Æquiſſimum ſane eſt, ut qui ſæculo multum vixerunt, Deo paululum vivant. *Dedimus corpori annum, demus animæ dies: impendimus nobis tempora, tempus deputemus authori, vivamus Deo paululum, qui ſæculo viximus totum*, tempuſque redimamus, 2. iiſdem rebus, quibus illud vendidimus. *Mercatum vitam exiſtima.* Ubi res venduntur & emuntur juxta earum valorem, res magni momenti magno emuntur pretio: è converſo res parvi momenti carò non conſtant. Tempus pretioſiſſimū eſt, quia procedit ab æternitate, tendit ad ęternitatē, eſtq; gravidum ęternitatis. Illud vili pretio vendiderunt mundani: *Negotiatio eſt aliquid amittere, ut majora lucreris.* Illi vero tanquam imperiti mercatores, vili pretio pretioſiſſimum vendiderunt tempus. Ut autem quis valeat redimere tempus, idem debet impendere pro quo venditum eſt, nimirum ſæculi ſtudium, mundi negotia, ut tantū inſumat in negotiando cœlo, quantum perdidit in tractando ſæculi negotio. Etenim ex D. Auguſtino, *redimere tempus, eſt etiam detrimento temporalium commodorum, ad æterna quærenda & capeſſenda ſpatia temporis comparare.* Quod hac cōparatione explicat: (Redimere tempus, hoc eſt perdere aliquid ut Deo vaces, ex eo quod perdis, pretium eſt temporis. Certe quando pro tuis neceſſitatibus procedis ad locum publicum, das nummos & emis tibi panem & vinum, aut oleum, aut lignum, aut veſtem, aut ſuppellectilem, aut quodcumq; tibi opus eſt; das, & accipis; & aliquid amittis, & aliquid accipis, hoc eſt emere. Quod habes emptum eſt; quod amittis pretium eſt. Quomodo perdis nummos, ut emas tibi panes, ſic perde nummos ut emas tibi quietem.) Quando homo vendidit tempus, aliquid dedit & aliquid accepit. Multum dedit, nempe Dei cultum, animæ curam, ſalutis negotium, cœli

Tert. Apol.40. — Chryſol. Ser.12. — Greg.Naz in Sent. — Tert. ad Mart.2. — L.50. Hb. Hom.1.

ſtudium: parum accepit, ſcilicet mundi affectum, terrę negotium. Ut autem redimat tempus & Dei cultum, ſalutis curam, & cœli acquiſitionem accipiat, debet dare ſæculi ſtudium & terræ negotium. Ut enim ait D. Hieronymus: (quando tempus in bono conſumimus, emimus illud & proprium facimus, quod malitiæ hominum venditum fuerat, ſicque dies malas in bonas vertimus, & facimus illas non præſentis ſæculi, ſed futuri.)

In c. 5. Epheſ.

Acutè diſtinguit D. Auguſtin. dies cœli à diebus terræ. (Alii ſunt dies cœli, alii ſunt dies terræ. 1. Dies terræ ſuccedentibus urgentur, præcedentibus excluduntur: dies cœli ſemper præſentes ſunt, nemo ibi expectat futurum, nemo perdit præteritum:) 2. Dies cœli ſunt boni & felices, quia nullam patiuntur miſeriam; dies terræ infœlices ſunt & mali, quia multis ſunt incommodis obnoxii. 3. Dies cœli non habent finem, quia æterni ſunt: dies terrę cito finiuntur, quia tempore menſurantur. Inde concludit D. Auguſt. (Si tanta cura ineſt hominibus ut tardius moriantur, quanta cura agendum eſt, ut nunquam moriantur? Quotidie in iſto ſæculo quæruntur dies boni & non inveniuntur, & nemo vult ſic vivere, ut illuc perveniat ubi inveniuntur,) quia non in ſæculo ſed in cœlo dies boni inveniuntur. (Contemnamus iſtam vitam vanam, & feſtinemus ad ſanctam vitam & beatam: in illam animo & mente tendamus omni vanitate diſcuſſa.) Et ut belle ait D. Paulinus: *Sicque ambiamus Dei regnum ſicut ambivimus ſæculi dignitates.* Quid autem agant & patiantur, qui ambiunt ſæculi dignitates, optime declarat Tertullianus. *Sed enim illos qui ambitus obeunt capeſſendi magiſtratus, neque pudet neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumelijs omnibus eniti in cauſa votorum ſuorum. Quas non ignobilitates veſtium affectant? quæ non atria nocturnis & crudis ſalutationibus occupant, ad omnem occurſum majoris cujuſq; perſonæ decreſcentes? Nullis convivijs celebres, nullis comeſſationibus congreges, ſed exules à libertatis & lætitiæ fœlicitate; idque totum propter unius anni volaticum gaudium.* Si ambientes terrenam & temporalem dignitatem, talia agunt & ſuſtinent, quid non operari, quid non pati debent Chriſtiani, pro conſecutione cœleſtis & æternę fœlicitatis? profecto *nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria æternitatis acquiritur.*

In Pſ 80.

Serm. 19. de Temp.

Orig. Ho. 1 in Pſ. 38.

Ep. 17.

Lib. de Pœn. 11.

D. Hier.

CONCIO SEXTA.

Tert. Apol. 46.

QVid ſimile Philoſophus & Chriſtianus; interpolator erroris, & integrator veritatis; verborum & factorum operator; rerum ædificator & deſtructor? His verbis trinum oſtentat Tertullianus diſcrimen inter Philoſophum gentilem & Chriſtianum. Nam 1. Philoſophus errorem diſſeminat, Chriſtianus veritatem præſtat: 2. Philoſophus verba tantum habet

habet: quapropter Athenas ubi maxime vigebat Philoſophia, nuncupat *Civitatem linguatam*; Philoſophos quoque *cicadas Athenienſium* vocitat: quia eis nihil inerat præter ſermonem,& vocis cantilenam: Chriſtianus vero eſt factorum operator,quia operatur ea quæ fides docet: 3. Philoſophus eſt rerum deſtructor,quia depravatis ſuis moribus doctrinam ſuam deſtruit. Chriſtianus è contra eſt rerum ædificator; quia diſciplinam quam profitetur bono auctorat exemplo. Cui probe hæc competunt D.Bernardi verba: *Beatus ille cui pulchro ſermone vita pulchrior.* Triplici autem potiſſimum ratione Chriſtianus nititur bonum præbere exemplum: propter 1.Deum: 2.ſemetipſum: 3. proximum. Lib. de An. 3. Li. de vel. Virg 10. Ephes. ss.

Non eadem voce exempla depoſco. Multimoda eſt vox quæ exempla depoſcit. Prima quæ occurrit eſt vox Dei, quæ à Chriſtiano bonum expoſtulat exemplum,ut ejus 1.mandato obtemperet: 2.majeſtatem magnificet: 3.virtuti ſe conformet. Tert. l. 1. ad Nat. 18.

1.Nam & lucere in mundo Chriſtianos oportebat ut filios lucis;lucem mundi,unũ & Deum & Dominũ colentes & nominantes. Plura ſunt quæ Chriſtianos ſtimulant lucis exempla præbere: 1.Quia Deum,qui eſt lumen mundi,agnoſcunt & venerantur: 2.Quia in baptiſmo facti ſunt filii lucis, & in manibus candelam accenſam acceperunt,ut toto vitæ decurſu virtutis operibus luceant: 3.Domini mandatũ,qui prohibet lucernã poni ſub modio.*Si lucernã tuam ſub modio abſtruſeris*,Dei voluntati adverſaris,qui præcipit: *Luceat opera veſtra bona.* 4.Quia ideo vocat nos Deus lumen mundi,ut bonis luceamus exemplis.*Quid autem nos Dominus lucem mundi vocat? quid civitati ſuper montem conſtituta comparavit,ſi non relucemus in tenebris?* Relucemus autem per bona opera: nam ut fatur Tertullianus. *hæc ſunt quæ nos luminaria mundi faciũt,bona ſcilicet noſtra.* Tert. l. adv Prax. 13. Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 13. Tert.

Fucati Chriſtiani,ne præbeant exempla virtutis,obſtrepunt ad veram pietatem exterius non requiri,ſed interius ſufficere,nec eſſe neceſſe,ut bona quæ faciunt opera,videantur ab hominibus.*Non eſt mihi neceſſarium hominibus probari: nec enim teſtimonium hominum requiro.* Multi etiam fuerũt alias & nũc ſunt probi Chriſtiani, magna pietate commendati, qui *cæco bono ſuo incedunt.* Verum aliud eſt facere bona coram hominibus ut gloria acquiratur vana, aliud eſt bona præbere virtutis exempla, ut & glorificetur Deus, & homines ad bene agendum alliciantur.Illa intentio hypocriſim ſapit,hæc pietatem redolet.*Bonum, verum & plenum, non amat tenebras*: Bonum autem verum & plenum eſt,in quo omnia conglomerantur ad ejus bonitatem neceſſaria; nimirum gratia,quæ eſt principium à quo procedit; objectum quod reſpicit, quod ex ſua natura bonum eſt, finis propter quem fit, nempe Dei honor & gloria: circumſtantiæ quibuſcum fit,quæ omnia ad ejus integritatem concurrunt.Bonum hujuſmodi *gaudet videri, & in ipſas denotationes exultat*, non ut vanam hominum captet gloriam,ſed ut Deum magnificet. Tert. Tert. l. de vel. Virg. 13. Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 13. Tert.

2. *Et in illis litteris Paulus eſt, cum monet tollere & magnificare Deum in cor-* Tert l. de Reſur. 10.

in corpore noſtro. Magnificatur autem in corpore per bona opera,quæ exterius videntur,& ad quorum productionem concurrit corpus: Deus conſiderari poteſt intra nos,ſupra nos,& circa nos. 1. Intra nos, nam cor noſtrum gratia ſanctificatum, eſt templum in quo reſidet Deus, imo corpora noſtra ſunt ſacrarium Spiritus Sancti. 2. Supra nos, tanquam prima cauſa efficiens quæ nos producit,& à qua eſſentialiter dependemus,& tanquam ultimus finis propter quem facti ſumus. 3. Circa nos, quia homines qui nos circumdant,Dei deferunt imaginem. Deus qui ſcrutator eſt cordium, bonorum operum externa requirit exempla. 1. Velut fructus gratiæ quam nobis liberaliter infudit. 2. Velut tributa honoris majeſtati ſuæ debita. 3. Tanquam ſigna externa internæ ſanctitatis,quę homines ędificent & ad eum magnificandũ excitent. Quo ſenſu Baſilius Magnus humanũ corpus *pſalterium* vocitat,quaſi ipſa corporis ſtructura inſtrumentum ſit ad concinendos Deo hymnos. Ipſę etiam corporis actiones, in quibus nihil inconcinnũ apparet, hymni ſunt ad Dei gloriã decantati; prę ſertim ſi in gratia procedant: at inter omnia opera ea quę fecit Chriſtus Dominus, Deum maxime magnificant, cujus gloriam ſemper quęſivit tum vocibus,tu m actionibus. *Detrahe voces Chriſti mei, res loquuntur*,quibus urgetur Chriſtianus,ut ſeſe ejus exemplo conformet.

In Pſ. 29.

Tert. l. 4. adv. Marc. 7.

Tert. Apol. 21.

3. *Sermonem atque rationem conſtat artificem videri univerſitatis.* Divinum Verbũ ad quod in producendis creaturis reſpexit Deus humanatur, & Chriſtianis imitandum proponitur, & ob hanc cauſam non Pater neque Spiritus ſanctus, ſed Filius duntaxat incarnatus eſt,ut qui fuerat exemplar productionis creaturarum,eſſet exemplar ad quod in agendo aſpicerent homines. *Infirmitas hominis,cui ſine exemplo laborioſum eſt & difficile quod imperat Deus,imitatione boni miniſtri ad bonam vitam facilius erigitur.* Et ut haberent homines exemplar quod imitarentur, corpus humanum aſſumpſit Deus, ſe viſibilem demonſtravit. Chriſtus eſt hominum doctor & exemplar, ad utrumq; miniſterium requiritur corpus ut eos valeat docere, eiſque virtutis exempla prębere. Officium doctoris non ſufficiebat, addendum erat exemplaris munus. *Parum eſt verbis agere,ſed exemplis agendum eſt.* Utrumque adhibuit Chriſtus, ut homines facilius ad obſervantiam mandatorum adduceret. *Solet etiam adimplere Chriſtus quod alios docet*:quod conveniens fuiſſe ad conſummandam juſtitiam ipſemet declarat Salvator: (Sine modo: ſic enim decet implere omnem juſtitiam.) Quem locum ſic elucidat D. Ambroſius. *Quæ eſt juſtitia, niſi quod alterum facere velis, prior ipſe incipias,& tuo alios horteris exemplo?* Sic conſummavit juſtitiam Dominus, prior faciens quod aliis faciendum præcipiebat, *donec doctrinam ſuam impleret,qua conſummata* ſanguinem fudit.

D. Aug. l. con. Creſ. 6.

D. Aug. in Pſ. 119.

Tert. l de Carn. Chr 7.

Matth. 21.

L. 2. in Luc.

Tert. l. de Fuga in Perſ. 8.

Binam invenio in Chriſto conſummationem. Unam ſalutis humanæ, aliam Chriſtianæ doctrinæ; unam paſſionis, actionis alteram. In cruce moriens humanam ſalutem ſua paſſione conſummavit Salvator, Chriſtianam doctrinam conſummavit Chriſtus, converſans cum hominibus,

eiſq;

eiſque præbens bene agendi exempla: Nam ut fatur D. Hilarius: *Exempli ſui auctoritate humanæ ſalutis ſacramenta conſummat.* Tria notatu digniſſima dicit Hilarius. I. Auctoritatem exempli Domini proponit. Quodvis exemplum quandam habet auctoritatem imperandi ſui imitationem. *Major eſt ejuſmodi opera quæ non effigiem profert ſed auctoritatem* : & quo dignior eſt ille qui operatur, eo ejus exemplum majori auctoritate pollet. *Ingens eſt ad virtutem ſtimulatio, clarorum virorum imaginibus uti.* Verum inter homines cujuſvis ſint dignitatis atque virtutis, & Chriſtum, *non admittitur exemplorum peræquatio.* Tanta eſt exemplorum quanta perſonarum inæqualitas, & ſicut nullus hominum ad Chriſti dignitatem accedit, ita *nullum exemplum majus eſt eo* quod præſtitit Dominus, quo humanæ ſalutis ſacramenta auctorat.

Can. 1. in Matth. — Tert. lib. de Idol. 7. — Plin lib. 1. cap. 1. — Tert. lib. de Pud. 7. — Tert lib. de Reſ. 18.

Propoſita à Chriſto exempla, ſacramenta vocitat Hilarius, alludens ad quædam legis gratiæ ſacramenta, quæ characterem indelebilẽ imprimunt in ſuſcipientium anima. Nam ut belle ad propoſitum ratiocinatur ſanctus Ephrẽ Sirus. *Opus eſt imago virtutis, ſermo autem imaginis adumbratio eſt* : *in adumbratione vero nullus character, ſed ſolum eſt characteris ac figuræ commentum.* Sermo infecta virtutis delineatio eſt : opus vero velut arguto penicillo perfectam pingit & oculis exprimit faciendæ virtutis imaginem : Delineatio & adumbratio virtutis per ſermonem facta, eſt virtutis dumtaxat commentum, nullum operandæ virtutis imprimens characterem, opus vero ſpectatorum oculis exhibitum, imprimit eis velut characterem adſimilis virtutis, *quemdam juſtitiæ characterem delineans*, ait Baſilius Seleucus. Character indelebilis in ævum perdurat, virtus quoque à bono parta exemplo, diuturnior eſt, operis impreſſa characteribus. Quod ſi opus recte factum virtutis imprimit characteres, quanto magis exemplum ipſius Chriſti, Dei ſimul & hominis, qui ſe hominibus imitandum proponit ? Nam *fecit quod monuit, oſtendit quod juſſit, appoſita eſt nobis forma cui imprimamur.* Chriſti exempla ſunt velut typus, quo ad ſimilis virtutis characteres in nobis imprimenda ſunt. Candacis reginæ Eunuchus fuit *Scriptura divina impreſſus.* Magna ſane Eunuchi illius laus ; quod ejus facta & præclara opera ſint Scripturæ ſacræ impreſſa : ſed longe major Chriſtiani gloria, quod ipſi imprimatur Chriſto. Papyrus vel charta typo impreſſa, exprimit typi characteres: Chriſtianus Chriſto impreſſus, in ſemetipſo exprimit mores Chriſti, quo nihil glorioſius poteſt dici. *Idcirco filium Moyſis ducis futuri inſtigat circuncidi Deus, ut non aſpernaretur populus, videns exemplum iſtud in ducis filio jam celebratum.* Dei Filius venit in mundum, ſeſeque cunctarum præbuit exemplar virtutum. *Non dedignetur quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus* : Maxime cum ad Chriſtianã vocatus ſit diſciplinam, ut ſe Chriſti formæ imprimat, ejuſque vitam exprimat. *Ex forma Dominica agat*, ut fatur Tertullianus: (Servator in omnibus, quicunque pietatem colere vellent, virtutis exemplar, expreſſam effigiem quamdam in ſe propoſuit; unde cunctis lineamentis illius inſpectis, ſimile pro ſe quiſque in vitam ſuam, exemplum transferret.)

De perfect. Monac. — Orat. 14. — D. Greg. ho. 14. in Evang. — Tert. libr. de Bapt. 8. — Tert libr. adv. Iud. 3. — D Aug. Tract. 58. in Ioan. — L de Idol. 18. D Baſil. de Conſtit. Monach. 5.

Quod ut ad praxim redigamus, mores noſtri, actiones omnes, nutus, geſtus, ad illos quos exercuit Salvator, ſunt conformandi. (Luceat imago ejus in confeſſione noſtra, luceat in lectione, luceat in operibus & factis, & ſi fieri poteſt, tota ejus ſpecies exprimatur in nobis: ipſe enim ſignaculum noſtrum.) Eodem modo quemlibet Chriſtianum ad Chriſti imitationem urget D. Bonaventura: (Deſcribe tibi in corde tuo mores & ſuos, quam humiliter ſe habuit inter homines: quam benignus inter diſcipulos: quam modeſtus in edendo & bibendo: quam miſericors ſuper pauperes, quibus ſe ſimilem fecerat per omnia. Quomodo nullum ſprevit vel horruit, etiamſi erat leproſus: quomodo divitibus non adulabatur: quam liber fuit à curis mundi, nec anxius pro corporis neceſſitatibus: quam verecundus in viſu: Item quam compoſitus in omnibus geſtis ſuis: quomodo ſeipſum præbuit exemplum omnis boni: ut in omnibus factis & verbis tuis ſemper ad hunc, quaſi exemplar reſpicias, incedens, ſtans, ſedens, & comedens, tacens, & loquens, ſolus & cum alio; hæc ſit ſapientia tua, & meditatio & ſtudium, ſemper aliquid de ipſo cogitare, quo provoceris ad imitandum eum, donec formetur in te Chriſtus.)

D. Amb. in c. 8. Cant.

In Formul. Novit. p. 1. c. 32.

Salvator *religioſiſſimum mundi cultũ* conſummare voluit. 1. Per verba nos inſtruens hujus obligationis. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* 2. Per Sanctorum exempla, qui *tanta probitate vixerunt, ut pars fœlicitatis ſit, noſſe quid fecerint.* In re virtutis nihil præſtabilius, quam bona bonorum exempla, quæ probitatem ſpirant & ſanctitatem imprimunt. In laudem Abrahami prædicat ſanctus Zeno: *Cujus converſatio lex fuit.* Eodem modo de aliis Sanctis philoſophatur Clemens Alexandrinus: *Quorum actiones ſunt nobis pro legibus*; quia non tam ſuadent, quam jubent virtutem. Leges ſunt equidem, exempla Sanctorum, ſed *leges exemplares, animata, rationales.* Sanctiones ſcriptæ; emortuæ leges ſunt, nec tam videntur leges quam legum cadavera, cum nihil vivide operentur: at bona exempla ſunt leges exemplares, rationales, animatæ, quæ vigorem ſpirant ad opus, quod exemplari juſſione certiſſime obtinent imitationem. Chriſtus non fuit omni tempore, nec ubique vixit, neque omnes hominum conditiones & ſtatus profeſſus eſt: quapropter loco ſui ſubſtituit exempla Sanctorum qui fuerunt omni tempore, omni loco extiterunt, & in quovis ſtatu ſancte vixerunt, Chriſtumque imitati ſunt, & eundem nobis imitandum repræſentant. (In Eccleſia iſta iſte ordo eſt: alii præcedunt, alii ſequuntur: & qui præcedunt exemplum ſe præbent ſequentibus, & qui ſequuntur imitantur præcedentes. Sed & illi qui ſe exemplum præbent ſequentibus, ſequuntur ipſum jam Chriſtum.) Ultra Sanctorum exemplum, 3. Semetipſum adhuc Chriſtus in Evangelio repræſentat: *Sed vacet hoc exemplum ut humanum, aliud de auctoritate Scripturæ ipſius arripiam.* Licet enim Chriſtus à multis annis virtutis præbuerit exempla, hæc tamen ut præſentia oculis noſtris objicit Evangelium. *Semper ante te habes quem ſequaris, Do-*

Lact. Ioan. 13.

S. Zeno Serm. de Iob.

Serm. 1. 2. Strom.

Phil lib. de Abraham.

D Aug. in Pſ. 39.

Tert. lib. adv. Herm. 31.

D Aug. l. 50. Hom. ho. 14.

minus

minus exemplum in terram poſuit cum Evangelium ibi reliquit, in Evangelio tecum eſt: & ita ſive videndo Sanctorum exempla, ſive legendo Evangelia, ſimus *aſpicientes in conſummatorem Ieſum.* Sancti Chriſti interpretes (*Paulus eſt interpres Chriſti*) ſuo exemplo nos ad Chriſti ſequelam alliciunt. Nam *fecit Chriſtus quod docuit, fecerunt Apoſtoli quod ab illo didicerunt & nobis faciendum prædicaverunt.* Evangelium Chriſti continens vitam, ad ſimilia opera nos ſtimulat. Quare S. Lucas ſuam auſpicatur hiſtoriam, ſermonem faciens de omnibus *quæ cœpit Ieſus facere & docere.* Bene ait Evangeliſta, quæ cœpit facere: quia ut acutè animadvertit D. Anſelmus, *quæ fecit inchoatio quædam fuit*, eadem deinceps Apoſtolis eorumque ſequacibus facienda relinquens. Chriſti opera fuerunt in ſeipſis perfecta & conſummata, tamen inceptio quædam ſunt, quia ea Chriſtianis imitanda reliquit. Chriſtiane non bene operans, *excidiſti ab exemplo* quod imitari debes, ſi attendas & ad Deum & ad temetipſum.

Hebr. 12. D. Amb. l. 6. de Sacram. Aug. in Pſ. 56. Act. 1. Tert. l. de Reſ. 52.

Conſideranda eſt *ſpectaculi latitudo*, de qua loqui videtur Apoſtolus aiens: *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Tribus oculorum generibus expoſiti ſunt Chriſtiani, ſcilicet Angelorum, dæmonum, & hominum. Tunc autem *ſpectacula Chriſtianorum ſancta* ſunt, cum præbent exempla virtutis, quæ 1. Angelis afferunt lætitiam: 2 dæmonibus auferunt tentandi materiam: 3. Hominibus præſtant prophetiæ efficaciam.

II. PARS. Tert. l. de Spect. 30. Tert. l. de Spect. 29.

1. *Omnis autem hominis paraturam aliqua utique poteſtas divinæ voluntatis miniſtra modulatur.* Cuivis homini dedit Deus cuſtodem Angelum, qui ſalutis ejus curam gereret. Quando autem Chriſtianus cujus gerit cuſtodiam, virtutis præbet exempla, maxime lætatur Angelus: Tum quia pædagogus gaudet de bonis diſcipuli moribus; Angelus autem cuſtos, eſt hominis pædagogus: Tum quia per bona opera homo ad Angelorum aſſurgit ruinas; lætantur autem Angeli dum eorum ruinæ replentur: Tum quia Angeli nihil magis zelant, quam Dei cultum: virtutis autem exemplum, ut ſupra dixi ex Lactantio, eſt religioſus Dei cultus. Tum quia lætatur Angelus dum homo ſibi commiſſus dæmonis non ſuccumbit tentationi; bonum autem præbens exemplum, non præſtat diabolo tentandi materiam.

Tert. l. de An. 37.

2. *Spiritus nequam ab ipſa etiam janua nativitatis animas aucupabundus.* Adeò gravatè fert diabolus, quod homines ſint per baptiſmum ab ejus ſervitute liberati, ut omnem captet occaſionem, qua adultos iterum ſuæ ſubdat tyrannidi. Verum ſicut ſumit anſam tentandi eos qui male agunt, ita qui bona faciunt opera, tollunt tentandi materiam: *Nihil enim adverſus regulam exempli licebit intelligi.* Interius hominis non cognoſcit dæmon; vel quia, ut vult Angelicus Doctor, ſecreta cordis effugiunt aciem intellectûs angelici: vel, ut docet Doctor Subtilis, quia prima cauſa ſuum eis concurſum denegat: ex exteriori autem interius venatur dæmon, ex malis operibus conſcientiam criminoſam arguit; & ex bonis operibus animi innocentiam colligit. Quare Chriſtianus oculis diaboli

Tert. l. de An. 35. Tert. l. de Reſ. 52.

Tert. lib. de vel. Virg. 16. Tert. lib. 2. de Cult. fœm. 13.

expoſitus, *timebit adverſarium, illius lividum ingenium*; virtutis præbebit exempla, quibus dæmoni ſui notitiam eripiat, *ut malitia ad eum acceſſum non habeat*, & ſic ab ejus tentatione liberabitur.

Tert. lib. de Spect. 30. in Pſ. 11.

3. *At enim ſuperſunt alia ſpectacula:* nam Chriſtianus oculis hominum virtutem oſtentare tenetur. Chriſtiani eandem profitentes religionem ſeſe mutuo ad bonum debent juvare. In quo Chriſtianæ diſciplinæ utilitatem agnoſcit D. Chryſoſtomus. *Non parva res eſt fratrum ſocietas & adhortatio.* Fideles non ſolum ſibi, ſed etiam aliis debent proficere; non ſolum verbis eos adhortando, ſed adhuc exemplis ad virtutem ſtimulando. *Vitam piorum non ſolum ſibi, ſed etiam aliis eſſe utilem decet: ut quod apud eos agi non poteſt verbis, obtineatur exemplis.* In uno & eodem homine eſt Chriſtianus interior & exterior: interior ſoli Deo patet, quia *Deus conſpector eſt cordis*: exterior autem oculis hominum objicitur: Ille in gratia & ſanctitate conſiſtit, iſte bonis exemplis denotatur, ex quibus Chriſtianum interiorem homines conjectant: *Facies occultorum ea quæ apparent.* Idcirco D. Chryſoſt. aſſeverat externos corporis motus eſſe *quoſdam intimi animi præcones & formas, quaſdam atque expreſſas interioris mentis imagines, quæ omnium oculis ſubjicerentur.* Ex corporis ſtatu motuque interiorem animi motum infert adhuc Tert. quia *rector animus facile communicat ſpiritus invecta, cum habitaculo ſuo.* Habitaculum vocat corpus, cum quo animus communicat invecta ſpiritus, hoc eſt ea quæ à ſpiritu in animam importantur, & quæ per geſtum & actiones invenit foras, & in hominum lucem immittit. Ipſe autem geſtus motuſque corporis, totus ex modeſtiæ legibus compoſitus, eſt tacita quædam admonitio, & potens ad virtutem incitamentum; habens, ut fatur Tertullianus, velut prophetiæ efficaciam. *Propriè enim Apoſtoli Spiritum ſanctum habent, qui plane habent in operibus prophetiæ efficaciam:* Prophetiæ efficacia certiſſimum rei vaticinatæ eventum præſtat. Eſt in bonis operibus prophetiæ efficacia ob velut certitudinem operis, ad quod bonum inducit exemplum. Nam ſicut prophetia divinam omnipotentiam obligat ad exequendum quod prædixit Propheta: ſic bonum exemplum divinam miſericordiam quaſi adſtringit, ad exequendum bonum ad quod inducit, & quod Chriſtianus proximo præbet.

D. Aug. Ser 7. de Epiph. Tert. lib. 2 de Cult. Fœ. 13. Tert. lib. de An. 18 In c. 3. Iſa. L. de Pat. 13. Lib. de Exh. Caſt. 4.

III. PARS. Tert. l. 4. adv. Marc. 19.

Lucernas ardentes habere debemus, id eſt mentes à fide accenſas, & operibus veritatis relucentes. Proximi quos bono exemplo debemus illuſtrare & accendere, ſunt in triplici differentia. Alii extranei, ideſt non Chriſtiani, ſive Idololatræ, ſive Turcæ, ſive Judæi, ſive Hæretici: Alii domeſtici, ſed improbi, ut Chriſtiani crimino ſi: Tertii domeſtici, ſed probi, ut Chriſtiani probi. His omnibus lucere virtutis exemplo debet Chriſtianus: ut 1. extraneos erudiat: 2. pravos Chriſtianos confundat: 3. bonos Chriſtianos in bono fulciat.

Tert. l. de Pall. 5.

1. *Verùm etſi eloquium quieſcat aut infantia ſubductum, aut verecundia retentum, nam & elinguis philoſophia vita contenta eſt, ipſe habitus ſonat. Sic denique auditur Philoſophus dum videtur.* Tot Tertulliani ſententias explanandas prætereo, aſſeverans proborum exempla majorem

habere vim ad perſuadendum, quam concinnati quicunque ſermones. *Efficacius vita quam lingua teſtimonium eſt: habent opera linguam ſuam, habent facundiam ſuam, etiam tacente lingua.* Quantumvis doctus ſit qui verbo docet diſciplinas, *melius docemur facto quam voce.* Cujus optimam ſubminiſtrat D. Ambroſius rationem. (Bene facere prima doctrina eſt, ceſſantibus enim verbis, hoc ipſum docet hominem opus optimum, dum videtur; quod etſi voce aures non excitet, virtute tamen corda compungit. Quis enim bonum factum videns non gaudeat, non miretur, non imitetur, ac velut tacito magiſtro utens, ejus exemplo non doceatur?) D. Chryſoſtomus bonum virtutis exemplum componit cum tuba, quæ ingenti clangore non ſolum aures, ſed etiam animos pulſat: & cum luce quæ tum corporis tum mentis perſtringit oculos. *Omni tuba documenta ſunt operum clariora: vitaque munda ipſa eſt luce fulgentior.* Quod nec ipſum Varronem Gentilem latuit, cujus ſolemne eſt iſtud effatum, *Evidentiſſimum docendi genus eſt ſubjectio exemplorum.* Nihil ad convincendum validius. Nam ut bellè ait D. Chryſoſtomus, *hæc eſt ratiocinatio cui contradici non poteſt, quæ fit per facta.* Ratiocinationi quæ fit per verba poteſt contradici, & ſi non omnes, multi tamen, imo plurimi, de ejus virtute dubitant: at ratiocinationi quæ fit per facta, nemo poteſt contradicere, nec de ejus veritate dubitare: Inde concludit D. Ambroſius: *Dictis igitur facta præcedant; quia ſine factis dicta nihil proſunt.*

D.Cypr. l. de pug. Mart. D. Amb. Ser. 76.

In c. 5. Matth.

Ho. 1. in 1. Cor.

In Cap. 5. Matth.

Tria ſunt doctrinæ Chriſtianæ teſtimonia, quæ ejus veritatem certo demonſtrant. 1. Miracula quæ vires naturæ creatæ ſuperant, ſuntque ſigilla quædam divinæ omnipotentiæ; quæ cum nequeat fallere nec falli, non poteſt eſſe teſtis falſitatis. 2. Martyrium, nemo enim compos rationis vitam ponit, mortemque ſubit niſi pro defenſanda veritate. 3. Bona virtutis exempla, quæ religionis tum veritatem, tum bonitatem teſtantur. Tribus illis teſtimoniis veritas Chriſtianæ diſciplinæ fulcitur. Apoſtoli eam 1. miraculis comprobarunt. Conſtat etenim *illos maxime doctrina ſua fidem confirmaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, debiles reformaſſe, futura ſignificaſſe, ut merito Apoſtoli crederentur.* Eam 2. Martyres ſuo ſanguine, & diſpendio vitæ propugnarunt. *Sancti Martyres etſi voce taceant, factorum exemplo nos edocent; etſi lingua ſileant Martyres, paſſione perſuadent.* Tandem 3. Virtutis exemplo veritatem Chriſtianam docent probi Chriſtiani, *quos vidiſſe erudiri eſt.* Horum vitam innocuam ad fidem perſuadendam miraculis etiam validiorem exiſtimat D. Chryſoſtomus; nam bonis ſuis moribus, & convincunt extraneos, & malos confundunt Chriſtianos.

Tert. l. de Præſ. Hær. 44.

D. Ambr. Ser. 76.

Ennod. pag. 445. Ho. 7. in Ioann.

2. *Quis non æmulum ſuum cum videt patitur? quis oculis in eum poteſt, in quem mentibus non poteſt?* Mali Chriſtiani, bonorum exempla, nec mentibus, nec oculis, pati poſſunt. Non mentibus, quia ab illis convincuntur. Non oculis, quia adhuc ab eis confunduntur. Quod ſi ex ſententia cujuſdam gentilis imagines emortuæ magnatum & heroum, non imitantes eorum fortitudinem, de puſillanimitate arguunt: *exprobrantibus* quoti-

Tert. l. de Pall. 5.

Plin. l. 35. c. 2.

S. Baſil. Ep. 1. *quotidie ſpectatores imbelles*; quanto magis bonorum Chriſtianorum exempla, *tanquam ſimulacra quadam animata propoſita vitæ*, improbos arguunt Chriſtianos? Dux exercitus, ut ſuos milites ad ſtrenue decertandum ſtimulet, proponit eis tum propriam, tum commilitonum magnanimitatem, ut eos confundat, ſi ducis & commilitonum non imitantur virtutem: Eodem modo Chriſtus dux noſter ſemetipſum proponit exemplar, ut ſceleroſos ſuo confundat exemplo. Tert. l. de Pall. 5. *De occurſu meo vitia ſuffundo.* Deinde oculis eorum objicit bonorum probitatem, ut rubore eos afficiat. *Grande pallii beneficium eſt, ſub cujus recogitatu improbi mores vel erubeſcunt.* Quod Pallio tribuit Tertullianus, hoc conferamus virtuti; *ſub cujus recogitatu improbi mores vel erubeſcunt.* Quot virtutes ad praxim redigunt probi Chriſtiani, tot ſunt partes quæ improbos accuſant, tot teſtes quæ adverſus eos in judicio ferent teſtimonium. Nam ut ait D. Auguſtinus; *tot judicibus inops aſtabo, quot me præceſſerunt in opere bono; tot convincar teſtibus quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla.* Quapropter boni Chriſtiani debent virtutis præbere exempla, non ſolū *ut malis exēplo & teſtimonio ſint*; Tert. l. 2. de Cul. Fœ. 11. ſed etiam ut bonos ad virtutis incrementum accendant.

Tert. ibid. 3. Ad quod eos hortatur ipſemet Salvator, lucem mundi nuncupans. *Quid autem nos Dominus lucem mundi vocat, ſi non relucemus in tenebris, & extamus inter demerſos?* Apol. 16. De Chriſtiana diſciplina tanquam *de religione Solis* fatur Tertullianus: Tert. Apol. 21. tum quia Chriſtum juſtitiæ ſolem auctorē recognoſcit, qui ideo nuncupatur *hujus gratiæ diſciplinaque illuminator*: Tert. l. de Orat. 10. tum quia Chriſtiani velut ſoles, virtutis exemplo lucere debent. Apol. 16. *Poſt Solis receptum* lucis debent radiis ſplendeſcere, eademq; præſtare munia in religione, quæ præſtat ſol materialis in univerſo. Tert. l. de An. 8. Sol autem tria animantibus ſubminiſtat. 1. Eos illuminat; quare *diem ſolis* vocitat Tertullianus: Tert. l. 2. ad Nat. 5. 2. accendit & inflammat; *ſi quidem Sol ignis*: 3. eos velut fax ducit, quia *diei de ſuo cumulat.* Tert. l. de Reſ. 47. Chriſtiani bonis operibus hæc tria aliis Chriſtianis ſuppeditant: 1. eos illuminant ſuo exemplo; quod *ipſius ſolis radio putem ſcriptum, ita claret.* L. 1. Ep. 1. 2. Eos ad virtutem accendunt & inflammant; quomodo iſtud Davidicum intelligit Iſidorus Peluſiota: *Carbones ſuccenſi ſunt ab eo; hoc eſt ſancti viri à Deo.* Ut autē carbo ignitus & accenſus carbones extinctos accendit, ita Sancti Dei amore incenſi ſuo exēplo alios ignis charitate inflammant. Quod in ſemetipſo expertus eſt D. Aug. *Exempla ſervorum tuorum congeſta in ſinum cogitationis noſtræ, urebant & abſumebant gravem torporem.* Tert. lib. 2. ad Cult. Fœ. 13. Tandem 3. eis ad bene vivendum facem præſtant. *Probum veſtrum coram hominibus appareat*, ut eis viæ & vitæ ſitis ductores. In Ep. ad Phi- lip. Quare Theophylactus eos confert ſpeculæ ſupra montes, rupes vel turres poſitæ ad demonſtrandum iter navigantibus.

Tert. l. de vel Virg. 3. Verum ſi bonum exemplum extraneos erudit, pravos confundit, & bonos ad perfectionem accendit, malum è contra exemplum, ad vitium inducit. Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 2. *Scandalum non bonæ rei, ſed malæ exemplum eſt, ædificans ad delictum.* Plures ſunt tamen hac ætate, qui pravo ſuo exemplo *Spiritum ſcandalo permovent* & depravatis ſuis moribus, 1. dæmonum malitiæ patrocinan-

cinantur. Etenim *dæmones quærunt organa, per quæ ſcandala operentur.* 2. Contra dilectionem quam debent proximo, eum ſcandalizant. *Adverſum filium matris tuæ ponebas ſcandalum*, & ſuo pravo exemplo ad peccandum alliciunt, *& peribit infirmus in tua ſcientia*; quantumvis utrumque prohibeat Apoſtolus, *ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.* 3. Seſe divinæ maledictioni ſubjiciunt. *Væ mundo à ſcandalis*, beatitudine privant, & damnationi exponunt. (Nemo ſibi vivit, & nemo ſibi moritur; & ideo omnis homo, quantiſcumque exemplum ſanctæ converſationis præbuerit, cum tantis & pro tantis ad præmia æterna perveniet, & è contrario quod exemplum malæ vitæ & perverſæ actionis oſtenderit, quantiſcumque ſuis malis moribus ad iniqua opera provocaverit, cum tantis & pro tantis æterna ſupplicia ſuſtinebit.) Chriſtiane noli dare ſcandalum, ſi æternam vis vitare damnationem, bona præbe exempla ſi æternam vis acquirere beatitudinem.

Origen in Pſ. 49.
1. Cor. 8.
Rom, 14.
Matth 18.
D. Aug. in Comm. Ser. Ser. 33.

CHRISTUS.

SCHOLIUM.

Chriſtus 1. *Naſcitur:* 2. *Circumciditur:* 3. *Rex agnoſcitur;* 4. *Crucifigitur:* 5. *De ſepulchro egreditur:* 6. *In cœlum aſſumitur.*

CONCIO PRIMA.

[Tert. Apol. 21.] ISTE *Dei radius, ut utero ſemper prædicabatur, delapſus in virginem quandam, & in utero ejus caro figuratus, naſcitur:* Admiranda prorſus divina corporatio ob multa miracula in illa contenta, quæ mentis humanæ ſuperant aciem. Nam 1. Verbum æternum humanatum eſt in tempore, abſque vera & intrinſeca Deitatis mutatione: Mutatio etenim nequit fieri niſi per deperditionem, vel per acquiſitionem perfectionis. [Tert. lib. adv. Prax. 27.] Omne quod mutatur *deſinit eſſe quod fuerat, & incipit eſſe quod non erat. Deus autem nequit deſinere eſſe, neque aliud poteſt eſſe.* In incarnatione autem Verbum aſſumpſit humanitatem, *permanente tamen Verbo in ſua natura incommutabiliter.* [D. Aug. Ep. 102. ad Evod.] 2. Tres divinæ perſonæ una & eadem potentia & actione produxerunt Incarnationis myſterium, & quamvis unam & eamdem habeant eſſentiam, & ſint inſeparabiles ad invicem, [Tert. lib. adv. Prax. 9.] *inſeparatos ab alterutro Patrem, & Filium, & Spiritum teſtor;* attamen ſolus Filius humanam aſſumpſit naturam. Quod docet Tertullianus adverſus Praxeam, alioſque hæreticos Patripaſſianos nuncupatos, [Tert. lib. adv. Prax. 1.] aſſeverantes *ipſum Patrem deſcendiſſe in Virginem, ipſum ex ea natum, ipſum paſſum, denique ipſum Ieſum Chriſtum.* Quomodo autem ſolus Filius potuerit incarnari ſine Patre & Spiritu ſancto, familiari [Serm. 5. de Temp.] comparatione declarat D. Auguſtinus. (Citharam reſpice, ut muſicum melos ſonis dulcibus reddat, tria pariter adeſſe videntur, ars, manus, & chorda: & tamen unus ſonus auditur, ars dictat, manus tangit, reſonat chorda. Tria pariter operantur, ſed ſola chorda perſonat, quod auditur: nec manus nec ars ſonum reddunt, ſed cum chorda pariter operantur. Sonum

ſola

ſola chorda excutit, carnem ſolus Chriſtus accepit. Operatio in tribus conſtat: ſed quomodo pertinet ad ſolam chordam ſoni redditio, ſic pertinet ad ſolum Chriſtianum carnis humanæ ſuſceptio. 3. Duæ naturæ infinitæ ad invicem diſtantes eadem hypoſtaſi ſubſiſtunt, & uniuntur in perſona Verbi, atque ex hac unione conſtituitur Chriſtus *homo Deo miſtus*. 4. Unio Tert. hypoſtatica eſt inſeparabilis: & quamvis triduo mortis Chriſti anima ejus Apol. 21. exiterit ſeparata à corpore, tamen Verbum divinum tum animæ tum corpori remanſit unitum; juxta iſtud effatum receptum à Theologis & mutuatum à D. Damaſceno, (quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.) 5. Duæ naturæ, divina ſcilicet & humana, in perſona Verbi uniuntur abſque ulla confuſione: Nam ut ait Tertullianus, hæreticos qui in Chriſto duas confundebant naturas, feriens: *Videmus duplicem ſtatum non confuſum ſed conjunctum; in* L. adv. Prax. 27. *una perſona Deum & hominem Ieſum*. 6. Utraque natura in Chriſto perſonaliter unita, conſervat perfectiones & qualitates ſibi proprias. *Ita utriuſque ſub* Tert. l. de Carn. Chr. 5. *ſtantiæ cenſus, hominem & Deum exhibuit: hinc natum, inde non natum: hinc carneum, inde ſpiritalem: hinc infirmum, inde præfortem: hinc viventem, inde morientem. Quæ proprietas conditionum, divina & humana, æque utique natura utriuſque veritate diſpuncta eſt.* 7. Ratione unionis hypoſtaticæ eſt inter naturam divinam & humanam, communicatio idiomatum, in Chriſto: ſiquidem quæ Deo ſunt propria, homini tribuuntur, & è converſo quæ ad hominem pertinent, tribuuntur Deo. *Miſcente in ſemetipſo hominem & Deum: in virtutibus Deum, in puſillitatibus hominem: ut tantum homini conferat quantum detrahit Deo.* Quan Tert. l. 2. adv. tum verò detrahat Deo, ex Chriſti nativitate evidentiſſime conſtat, in qua 1. Marc. 27. Deus magnus dejicitur: 2. Deus dives pauper efficitur: 3. Deus impaſſibilis, doloribus & paſſionibus ſubjicitur.

Aſſeverat meritò Tertullianus, *Deum nec ignorari potuiſſe ratione magnitu-* I. PARS. *dinis*. Deus nequit ignorari, quia ejus exiſtentiam ratio cunctis hominibus e- Lib. 1. adv. videnter demonſtrat, & fides Chriſtianos infallibiliter docet: Utraque ejus Marc. 27. adhuc magnitudinem teſtatur. Quare Vates Regius Dei conſummat elogiũ, prædicans illum magnum: *Magnus Dominus & laudabilis nimis*: & ideo mul- Pſ. 47. tum laudabilis, quia magnus. Alexander Macedo & Pompejus Romanus, vocitati ſunt Magni: Verum immerito: nam *Pompejus Magnus ſolo ſuo theatro minor*; & quantumvis prophana gentilitas laudet *de ſublimitate Alexandrum*, Tert. l. de Tertullianus ſapienter exiſtimat illum *Magnum Regem gloria minorem*: & ita Spect. 10. Tert. nec Pompejus nec Alexander vere poſſunt magni prædicari, cum ille theatro Apol. 11. ſuo, iſte ſua gloria minor ſit. Deus ſolus de magnitudine eſt commendandus: L. de Pall. 4. quia eſt ipſamet infinita magnitudo in abſtracto, quam ſecundum totam perfectionis latitudinem continet. *Magnitudo Deus dicitur*, quæ cum ſit toti Trinitati communis, Filius etiam eſt magnus. *Videns parvulum, cogita ma-* Tert. l. 2. adv. *gnum*: Et ſi parvitas ei competat ratione humanitatis, magnitudo illi com- Marc. 2. petit ratione divinitatis; at res omni admiratione digna: Deus ille magnus D. Bern. Ser. 1. de dejicitur, 1. infra Deum: 2. infra Angelum: 3. infra hominem. Adv.

[Tert. l. adv Prax. 7.] 1. *Filius in effigie Dei conſtitutus, non rapinam exiſtimavit eſſe ſe æqualem Deo.* Qui celſitudinem occupat ſibi indebitam, hujus eſt raptor: qui vero magnitudinem ſibi propriam poſſideret, hujus non eſt furator nec uſurpator. Chriſtus in forma Dei conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt pariari Patri æterno, [Tert. l. 5. adv. Marc. 20.] quia habet eandem cum Patre divinitatem: in Incarnatione tamen *exhauſit ſemetipſum, formam ſervi accipiens* 1. Ante Incarnationem erat æqualis Patri, [Tert. l. adv Prax. 9.] poſt Incarnationem eſt minor Patre, *ſicut ipſe profitetur, quia Pater major me eſt.* 2. Ante Incarnationē erat independens à Patre, quia ab illo procedebat, non tanquam effectus à cauſa, quod dependentiam importat, ſed ut Verbum genitum à principio generante, quod nullam ſonat dependentiam: at poſt [Tert. l. de Pat. 3. Pſ. 115.] Incarnationem, in qua *naſci ſe Deus in utero patitur Virginis,* ab illo eſſentialiter dependet, ſeq; ejus ſervum humiliter profitetur: *Ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ.* 3. Ante incarnationem erat *ſplendor gloriæ*: at poſt Incarnationem inglorioſus apparet: [Tert. l. 3. adv. Marc. 17.] *Si inglorius, ſi ignobilis, ſi inhonorabilis, meus eſt Chriſtus, talis enim habitu & aſpectu annuntiabatur.* 4. Ante Incarnationem major erat Angelis; at poſt Incarnationem [Tert. l. adv Prax 9.] *minoratus canitur in Pſalmo modicum quid citra Angelos:* humanam etenim aſſumens naturam infra Angelos dejicitur.

[Tert. l. de Teſt. An. 2. Tert. l. adv Iud. 9. Tert. l. de Cor. Mil. 14. To. 1 Tract. de Angel. Conc. 4. D. Bern. Ser. 4. de Adv.] 2. *Deum prædicantes, ſub quo univerſa.* Angeli quoque inter creaturas primates Deo ſubjiciunt: credentes autem Chriſtum *in humilitate conditionis humanæ conſtitutum,* ipſum quoque Angelis inferiorem confiteri debemus, qui eſt *minoratus à Patre modicum quid citra Angelos.* Aliorſum fusè demonſtratum eſt, in quibus homo Chriſtus ſit inferior Angelis: Nunc ſufficiat dicere quod *Angeli ſtupent videntes infra ſe, quem ſuper ſe ſemper adorant.* Quod ſi Chriſtus *minoratus modicum citra Angelos,* ſupernos ſpiritus in admirationem rapit, quanto magis ſtupent, conſiderantes eum infra homines dejectum?

[Tert. l. adv Iud. 14. D. Hilar. ho. 2.] 3. Chriſtus nuncupatur *rex regum ob ſublimitatem magnitudinis, & ſubjectionem cæterorum graduum.* Verum dignitatem regiam ſub ſervili occultavit conditione; nam *venit in mundum, non depoſita, ſed ſepoſita majeſtate*: Tantum abeſt ut imperium in alios exerceret, quin aliis ſemper obſequutus eſt. Ha- [Tert. l. de Car. Chr. 1 Tert. l. de Pat. 3.] buit etenim *moleſtos ſemper Cæſaris cenſus*, & in ſtabulo Bethleemitico naſcitur, ut Auguſti obtemperaret imperio, *Natus adoleſcere ſuſtinet, & adultus non geſtit agnoſci:* incognitus inter homines converſatur quaſi *nullificamen populi:* [Tert. l. 3. adv. Marc. 17.] dum cognoſcitur, ſibi debitos rejicit honores, & infra Joannem ſe dejicit à quo baptizantur: *Et à ſervo ſuo tingitur*: infra diſcipulos quibus lavat pedes: [Tert. Tert. l. de Car. Chr. 4 Tert. l. adv Iud. 14. Tert.] *Aquam ipſe lavandis diſcipulorum pedibus miniſtravit;* tandem infra cunctos homines, in quorum conſpectu *omni ſe humilitate dejecit.* Cæteri homines propriam habent perſonalitatem, hac caret Chriſtus *deficiens circa filios hominum,* & fortaſſe ob hanc cauſam *vermem ſe pronunciat & non hominem, ignominiam hominis & abjectionem populi.*

[Tert. l. de Idol. 18.] Multiplici autem de cauſa *ille Dominus in humilitate & ignobilitate inceſſit*: Nam 1, non eſt inventus illi locus in diverſorio, ut nos ille paremus hoſpiti-

um.

am. *Ad hoc enim Deus hominem ſuſcepit in ſe, ut nos Deum ſuſciperemus in nobis.* D. Aug. Ser. 13. de Nat. Do. Dei Filius in ſinu Patris ab æterno reſidet, in ſinu Matris habitat in tempore, & adhuc in ſinu noſtro ſuſcipi deſiderat: 2. Humiliter pro nobis voluit naſci, ut in illo glorioſe renaſcamur: *Ad illum pertinet propter nos naſci, ad nos pertinet in illo renaſci:* D Aug. Ser. 16. de Nat. Dom. in Chriſto autem renaſcimur per baptiſma, in quo cœleſtem habemus nativitatem. *Novè naſci debeat novæ nativitatis dedicator:* Tert. l. de Car. Chr. 17. 3. Ut ſua dejectione jacentem hominem ſublevaret, *Exaltavit ſe homo & cecidit: humiliavit ſe Deus, & erexit.* 4. Ut ſua humilitate, humilem ſublimaret hominem. *Deus puſillus inventus eſt, ut homo maximus fieret.* D. Aug l. 1 de ſymb. 5. Tert. l. 2. adv. Marc. 17. Nam & Chriſti humanitas ad unionem hypoſtaticam elevata eſt, & Maria divinæ maternitatis honore donata eſt: cæteri etiam cum verbo humanato habent affinitatem. *Excelſus humiliatus: quo fructu? ut ejus humilitate ſublevemur, ejus minoritate magnificemur.* D. Bern. Ser. 3. in Cant. 5. Ut nos divinitatis ſuæ faceret participes, *Deus homo factus eſt, ut homo fieret Deus:* D. Aug. Ser. de Diverſ. quod in incarnatione adimpletum eſt, ubi homo factus eſt Deus per unionem humanitatis cum divinitate in perſona Verbi. Sed adhuc, ut ait D. Auguſtinus, *ille æqualis Patri in forma Dei, in forma ſervi factus eſt nobis ſimilis: reformavit nos ad ſimilitudinem Dei: unicus Filius Dei multos filios hominum facit filios Dei.* Ser. 52. D. Aug. Ser. 16. de Nat. Dom. Verùm maxime dejicitur Dei Filius; ut 1 dæmonis ſuperbiam detriumphet: 2. hominis ſuperbiam ſanet; 3. ſanati hominis ſuperbiam condemnet.

Superbia eſt perverſa celſitudinis appetitus. D. Aug. l. 14. Civ. 5. Hoc appetitu æſtuans Lucifer perverſè celſitudinem concupivit, & quia, ut ait D. Auguſtinus, *ſuperbiam ſequitur invidia tanquam filia pediſſequa;* Lib. de S. Virgint. c. 31. Dæmon invidens homini, eum ad ſuperbiam ſufflammavit & ſuperbia inflatum detriumphavit. *Magna miſeria homo ſuperbus; ſed major miſericordia humilis Deus;* D. Aug. l. de Catec. Rud. 4. qui humanatur ſeſeque dejicit. *Deus tanquam ſuæ contumeliæ propulſator, velut adverſus ſuperbiam ſuſcepit ſingulare certamen: tanquam dicat, Meus iſte adverſarius eſt qui me laceſſit: mihi debetur iſta congreſſio.* D. Ambr. in Pſ. 118. Semel & iterum divino Verbo contumeliam irrogavit ſuperbus dæmon, in cœlo dum ei adorationem debitam recuſavit: in terra, dum hominem ad ſui imaginem & ſimilitudinem formatum, aſtutia & malitia proſtravit. Ut contumelioſum dæmonem debellaret Dei Filius, *contumelioſus ſibi eſt,* & ſua humilitate tumentem de ſua victoria diabolum detriumphavit: *Superbia captivatoris, redemptoris humilitate deſtruitur,* Tert. l. de Pat. 3. & adhuc 2. humana ſuperbia ſanatur. *Totum Dei penes nos dedecus, ſacramentum eſt humanæ ſalutis.* D. Aug. l. 2. de Pec. Orig. 40. Contraria contrariis curantur. Chriſti humilitas *ſummum medicamentum, quo ſuperbiæ noſtræ ſanaretur tumor.* Tert. l. 2. adv. Marc. 27. Animadvertit Hugo Victorinus quod (cum Roma victrix ſuper regna omnia ſuperbo faſtu caput extuliſſet, tunc ergo dominante ſuperbia humilis venit, ut de ſua humilitate celſitudinem mundi deſtrueret;) D. Aug. l. 8 de Trin. 5. Et ut ait D. Auguſtinus: *Superbiam ſic odit Deus, ut contra hanc unam ſe humiliaverit Altiſſimus,* Lib. 4. de Vâ mūd 4 & ſua humilitate tumidam hominum damnavit ſuperbiam. Lib. de S. Virg. init. 40. Chriſtiane *vel hoc te commonefaciat. omnes hujus ſeculi poteſtates & dignitates,* Tert. l. de Idol. 18.

tates,non ſolum alienas,ſed & inimicas Dei eſſe: idcirco tanquam inimicas à Chriſtiano alienas,& diaboli proprias,ſuâ condemnavit humilitate. Nam ut ratiocinatur ibidem Tertullianus: *Si poteſtatis jus quoque nullum ne in ſuos quidem exercuit,quibus ſordido miniſterio functus eſt,ſi regem denique fieri,conſcius ſui regni, refugit;pleniſſime dedit formam ſuis dirigendo omni faſtigio & ſuggeſtu tam dignitatis,quam poteſtatis. In poteſtate autem,dignitate,gloria & majeſtate veniſſet in mundum Chriſtus Dominus,niſi gloriam ſaculi alienam & ſibi & ſuis judicaſſet. Igitur quam noluit rejecit,quam rejecit damnavit, quam damnavit in pompa diaboli deputavit. Non enim damnaſſet niſi non ſuas alterius autem eſſe non poſſent, niſi diaboli,qua Dei non ſunt.* (Tert. l. de Idol. 18.)

Chriſtianus à ſuperbia debet eſſe alienus: tum quia ſuperbia eſt diabolica; diabolo autem in baptiſmate renuntiavit; *Diaboli pompam ejeraſti*: tum quia eſt aliena à Chriſtiano; *Nobis autem nullum gloria ſtudium eſt; quia gloria elationis ingenium eſt; porro exaltatio non congruit profeſſoribus humilitatis ex praſcriptis Dei*: tum quia à Chriſto damnata: *Deus humilis eſt, deſinat homo eſſe ſuperbus.* Verùm quantumvis ſuperbia ſit diabolica, quantumvis à Chriſtiano aliena,quantumvis Chriſti humilitate damnata; attamen proh dolor! *per ſuperbiam factum eſt & fit, ut Chriſti humilitas vileſcat iis qui hujus ſaculi diligunt excellentiam.* (Tert. l. de Idol. 8. Tert. l. 1. de Cult. Fœ. 3. D. Aug. in Pſ. 128. D. Aug. in Pſ. 71.)

Nonnulli humilitatem erubeſcunt; alii eam velut indignam aſpernantur; tertii velut ſibi contrariam averſantur. Verum immerito: nam 1. Chriſtiano non eſt erubeſcenda humilitas, quam naſcens, vivens & moriens Chriſtus non erubuit. *Salvus ſum ſi non confundar de Domino meo: Qui mei,inquit,confuſus fuerit,confundar & ego ejus. Alias non invenio materias confuſionis; qua me per contemptum ruboris probent bene impudentem,& fœliciter ſtultum.* Natus eſt Dei Filius in præſepio, dejecit ſe infra homines. Tandem *crucifixus eſt Dei Filius, non pudet, quia pudendum eſt.* Licet enim tot humilitatis acta erubeſcenda videantur hominibus ſæculo addictis, non tamen Chriſtianis, qui Dominum imitari non cenſent erubeſcendum: (Quid ſuperbis homo? Deus humilis propter te factus eſt; puderet te fortaſſe imitari humilem hominem, ſaltem imitare humilem Deum.) Nec te 2. indignum exiſtimes quo Deus ſe indignum non judicavit. Humilitatem Deo indignam clamitent impii, *quodcumque Deo indignum, mihi expedit*: (Cujus humilitas, nulli aſpernanda divitum, nulli erubeſcenda nobilium, nec enim in tantum provehi poteſt quilibet fœlicitatis humanæ faſtigium: ut exiſtimet ſibi pudendum quod manens Deus in forma Dei, Deo non eſt arbitratus indignum.) Tandem 3. qui in Chriſto etiam humilitatem averſantur,ſimiles ſunt Marcioni, quem ſic inſequitur Tertullianus: *Quid enim indignius Deo? quid magis erubeſcendum,naſci,an mori, carnem geſtare, an crucem? circumcidi,an ſuffigi? educari,an ſepeliri? in praſepe deponi, an in monumento recondi? Sapientior eris,ſi nec iſta credideris; ſed non eris ſapiens, niſi ſtultus in ſæculo fueris* (Tert. l. de Car. Chr. 5. Tert. D. Aug. Tract. 25. in Ioan. Tert. l. de Car. Chr. 5. D. Leo. Ser. 2. de Reſur. Lib. de Car. Chr. 5.)

fueris, Dei ſtulta credendo. Hæc tela in Marcionem vibrata feriunt illum Chriſtianum, qui ne ſuperbiam deponat, humilem Chriſti nativitatem, vitam & mortem aſſervatur. Nam expoſtulo à te an Chriſti credas nativitatem necne? Si non credis, *non es Chriſtianus, non credendo quod creditum Chriſtianos facit.* Si credis, *parce unicæ ſpei totius orbis, Quid deſtruis neceſſarium dedecus fidei?* Quid averſaris humilem Chriſti nativitatem, quæ eſt ſalutis tuæ fundamentum? quid impudentiſſime de te præſumis, credens Deum pro tanta dejectione inclinatum? (Quid enim magis indignum; quid deteſtandum amplius; quid gravius puniendum, quam ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra apponat magnificare ſe homo ſuper terram? Intolerabilis impudentia eſt, ut ubi ſeſe exinanivit majeſtas, vermiculus infletur, & tumeſcat.) Tert. l. de Car. Chr. 2 Tert. l. de Car. Chr. 5 D. Bern. Ser. 1. de Nat.

Chriſtus ut ſuos dejiceret diſcipulos, ſtatuit parvulum in medio eorum, & ut tumentem Chriſtianorum deponat ſuperbiam, ſemetipſum parvulum ſtatuit in medio eorum: *Ecce parvulus in medio ſtatuitur, id eſt, Chriſtus, ſtudeamus effici ſicut parvulus iſte, diſcamus ab ipſo quia humilis eſt.* Chriſtiane ut diſcas humilitatem, non te ad publicanos & peccatores mitto, ſed ad Regem cœli te mitto; ſed ad eum qui dominatur Angelis immortalibus, ſed ad eum qui cuncta de nihilo produxit; ſed ad eum qui in forma Dei eſt æqualis Patri; ſed ad eum *quem certe humilem charitas, non humilitas fecit:* ſed ad eum qui exinanitus eſt, ut te ad humilitatem ſuo provocaret exemplo. *Credimus pro nobis Deum hominem factum, ad humilitatis exemplum.* Sibi conſentiens D. Auguſtinus concionantem inducit Chriſtum. (Video te bone Jeſu, oculis fidei tanquam in concione generis humani clamantem, & dicentem, Venite ad me, & diſcite à me. (Quid ut diſcamus? non mundum fabricare, non cuncta viſibilia & inviſibilia creare, non in ipſo mundo miracula facere, & mortuos ſuſcitare; ſed quia humilis ſum corde. *Huccine redacti ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, abſconditi in te, ut hoc pro magno diſcamus quoniã humilis es?* D. Bern. ho. 1. ſup. Miſſus eſt. D. Aug. l. de S. Virgit. 37. D. Aug. l. 8 Tract. 5. Lib. de Virginit. 35. D. Aug. Ser. 10 de Verb. Dõ.

Cœleſtis ille Concionator & Doctor, toto vitæ decurſu docuit & prædicavit humilitatem, ſed potiſſimum naſcens Chriſtianos ad humilitatem erudit, *Omnis hujus nativitatis ſchola, humilitatis eſt officina.* Omnes naſcentis Dei circumſtantiæ humilitatem ejus annuntiant, & homines ad deponendam arrogantiam ſtimulant: *Si enim Deus & quidem ſublimior tanta humilitate faſtigium majeſtatis ſuæ ſtravit;* nonne tumentem hominem dejicit & condemnat? Quem ſic increpat D. Bernardus (Erubeſce ſuperbire cinis, Deus ſe humiliat, & tu exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominare geſtiens hominibus tuo te præponis auctori? quoties hominibus præeſſe deſideras, toties Deum præire contendis. Si hominis, ô homo, dedignaris imitari exemplum, non erit tibi indignum ſequi auctorem tuum,) qui eſt magnus & dejicitur, ut tuam condemnet ſuperbiam, eſt dives & pauper efficitur, ut tuam confundat curioſitatem & opulentiam. D. Aug. Ser. 18. de Nat. Tert. l. 2. adv. Marc. 27. Ser. 1. Sup. Miſſus eſt.

II. PARS.

Deus in omnia ſufficit; quia eſt plenus, dives, abundans & omnimodam Tert. l. de Pæ. 3.

Tert. l. de Reſur. 8. ex ſemetipſo poſſidet opulentiam. Homines cujuſvis ſint conditionis, ſunt in *penuria mundi*, indigentque elementis, mixtis, ſideribus, arboribus, animantibus, hominibus, ſupernis ſpiritibus. Reges quoque qui inter homines ſupremum dignitatis obtinent gradum, indigent conſiliariis, ad regni gubernationem; ſubditorum vectigalibus, ad regiæ majeſtatis ſuſtentationem; militibus, ad vitæ conſervationem; exercitibus ad imperii propugnationem. Tert. Apol. 11. Deus ſolus nullius indiget auxilio. *Indignum ut magnus ille Deus alicujus opera indigeret*; Ideoq; Regius Vates ex illa non indigentia, Divinitatis agnoſcit veritatem. Pſ. 15. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Noſtra non indiget ſapientia, quia eſt ſumme ſapiens: non indiget noſtra potentia, quia eſt omnipotens: non indiget noſtris divitiis, quia infinite dives eſt: nec indiget noſtro ſervitio, quia antequam Angeli, homines, cœlum & Tert. l. adv Prax. 5. terra, aliæq; creaturæ eſſent, ſibi ſufficiens erat. *Ante omnia enim Deus erat ſolus ipſe ſibi, & mundus, & locus, & omnia.* Verùm ſi ad præſepe fidei injiciamus oculos, videbimus Deum illum divitem, abundantem, ſibi ſufficientem *in illa* Tert. l. de Pat. 11. *penuria mundi.* Tale myſterium nonniſi cum ſtupore contemplatur D. Augu- Ser. 15. de Temp. ſtinus. (O mira & inexquiſita compago! nova & inaudita commiſtio! Incorporeus carne veſtitur, numeratur in ſæculo qui eſt ante ſæcula, qui immenſus eſt loco bene capitur; divites conſtituens, pauper efficitur;) & Chriſtus ex- Act. 17. trema egeſtate premitur, Dixit alias Paulus: *Deus non eſt indigens aliquo*, quia Lib adv. Herm. 11. ut elucidat Tertullianus, *non decebat Deum alicujus eguiſſe.* Verùm pace ſancti Apoſtoli & tanti Doctoris venia, Deus nullius indigens humanatus eſt, ut Ser. 3. de Annunc. omnibus egeret. Quare D. Bernardus Deiparam ſic alloquitur: *In te ſola Deus & Dei Filius incarnatus eſt, rex dives & prædives exinanitus; ſed quo fructu?* Ut 1. ſuo exemplo paupertatem commendaret: 2. ſua paupertate homines ditaret: 3. ſua egeſtate, vanam mundi opulentiam condemnaret.

Tert. l. 2. ad Nat. 14 5. Alia eſt *fraudatoria mendicitas*; alia eſt *altiſſima paupertas.* Fraudatoria mendicitas ſpecie tenus talis eſt: incautos defraudat, & poſt terrena bona ſemper anhelat: Altiſſima paupertas èContra eſt vera, virtute fulcitur, boni præbet exemplum, & conducit ad cœlum. Non fraudatoria, ſed vera fuit D. Aug. Ser. 11. de Temp. Chriſti paupertas, quam oſtentavit 1. in incarnatione, in qua *Sermo carneſcit*: & humana quam aſſumpſit natura, propria perſonalitate privatur: 2. In Nativitate, in qua cæteris hominibus conformatus, naſcitur nudus & cunctis Tert. l. 1. adv. Marc. 27. deſpoliatus fortunæ bonis. Conſtat etenim *Deum in figura & reliquo ordine humanæ conditionis diverſatum, conformaſſe ſemetipſum humanitati.* 3. In Cir- Tert l adv Iud. 14. cumciſione, ubi *ignobilitatis argumenta* demonſtrat & apparet in ſimilitudinē carnis peccati: peccatum autem eſt egeſtas maxima. 4. In Præſentatione, duas offerens columbas, quo pretio redimebantur pauperes. 5. Toto vitę decurſu: nam mendicus fuit, nec habuit ubi reclinaret caput, ſed *peregrinabun-* Baſil. Sel. Orat. 36. *dus advenit, è virgineo emicans thalamo.* 6. In morte, nam in Calvario etiam tunica denudatus crucifigitur. 7. Poſt mortem: nam in alieno ſepelitur ſepul-

pulchro. 8. In Euchariſtiæ ſacramento, ubi corpus ejus loco non circumſcribitur. Tanta, tamque multiplex Chriſti inopia, divitiarum contemptum & paupertatis amorem ingenerat. *Nec major ad pecuniæ contemptum exhortatio ſubjacet, quam quod ipſe Dominus in nullis divitijs invenitur.* Tert. l. de Pat. 7.

Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Beatus qui Chriſti in præſepio naſcentis ſerio recogitat paupertatem, quæ eſt ſignum ab Angelis demonſtratum ad illum cognoſcendum: (Hoc vobis ſignum, invenietis infantem pannis involutum.) Filii principum, purpura, byſſo, auro, argento induti & ornati dignoſcuntur, Dei vero Filius, *cujus eſt & orbis qui regnatur, & homo ipſe qui regnat*, cognoſci voluit, non purpuræ & auri pretioſitate, ſed vilis panniculi paupertate. (Statim ut uterus maternus Chriſtū effudit, viliſſimis circundatur panni: pannis ſiquidē induitur ille pro nobis, qui cum crearet omnia, terras luce perfudit, cœlum ſideribus adornavit, & ignea ſolem claritate veſtivit. Chriſtus Dominus terram floribus exornavit, cœlum ſideribus illuſtravit; & ut paupertatem commendaret ſe viliſſimis induit pannis. (Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole:) Magnum ſane miraculum mulier de terra ad cœlum ſublimata, & pretioſiſſima Solis chalmide contecta, ſed longe majus miraculum, Deus qui terram veſtit floribus, arbores frondibus, pecora velleribus, aves pennis, orbes fulgoribus, de cœlo ad terram provolutus, & viliſſimis pannis indutus. (Notandum ſolertius quod ſignū nati Salvatoris datur infans, non tyrio exceptus oſtro, ſed pannis ſqualentibus involutus, non in ornatis auro ſtratoriis, ſed in præſepib⁹ inveniend⁹.) Hoc enim ſigno cognoſcitur, & ab aliis hominibus diſcriminatur.

Pſ. 40. Luc. 2. Tert. Apol. 13. D. Max. hom. 2 de Nat. Apoc. 12. V. Bed.

Chriſtus Dominus voluit naſci in ſtabulo, & pannis involvi viliſſimis, ut paupertatem doceret exemplo. (Cœpit ab ea hora, qua mundo apparere voluit, prius facere quam docere altiſſimam paupertatē, rerum omnium abdicationem, ut ei non eſſent panni niſi viles, non ſuæ, ſed alienæ ædes, amicorum, non conſanguineorum, non conducti ſtabuli determinati hoſpitis, ſed loci vagi, atque communis; ut non crederetur natus alicui prius, ſed communis omnibus factus, ſive divitibus, ſive pauperibus. Nam ut ait Theodoretus, *Dei filius cum paupertate veniens, & in præſepi jacens ad ſemetipſum trahit & divites & pauperes.* Divites ne ſperent in incerto divitiarum ſuarum, pauperes, ne de paupertate ſua querantur: divites, ne pauperes deſpiciant: nam *felices egenos Dominus appellat*; pauperes, ne in ſua paupertate deficiant, ſed expoſtulent cum fiducia auxilium Dei *pauperes & egenos foventis*: divites & pauperes ſimul, ut eos ſua paupertate ditet.

Sim. Caſſ. l. 1. Cap. 6. Hom. de Nat. Tert. l. de Idol. 12. Tert. l. 5. adv. Marc. 3.

2. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.* Deus in ſua divinitate ditiſſimus, in noſtra carne fit pauperrimus: *Cum eſſet in deitate ſua dives, noſtra fit pauper in carne.* Sed ad quid aſſumpſit carnem? Ut nos ditaret. Magnam invenio proportionem & convenientiam inter ignem & Chriſtum. Ignis eſt nobilior ceteris elementis, pau-

2. Cor. 8. Chryſol. Ser. 156.

perior etiam: terra etenim diteſcit metallis, mare margaritis, aër avibus, ſolus ignis in ſua ſphæra nihil habet. Verum quantumvis ignis ſit pauper, attamen virtutem habet ditandi, transmutando metalla. [Iſa 41.] Chriſtus electus eſt *de camino paupertatis*, quia inter homines pauperior. ſua tamen paupertate nos ditat. [Greg. Naz. Orat. I. de Paſcha.] *Pauper factus eſt Chriſtus, ut nos illius paupertate diteſcamus.*

Annon Apoſtolus congruentius dixiſſet, ut illius divitiis vos divites eſſetis? Nemo dat quod non habet: qui caret divitiis, quomodo conferre poteſt divitias? Verum quod non capit terrena ſapientia, divina perfectiſſime operatur. Dei filius ut nobis celeſtes conferret divitias, terrenam aſſumpſit paupertatem. [L. 2. in Luc] Nam ut ait D. Ambroſius: *Meum ergo paupertas illius patrimonium eſt.* Patrimonium eſt vel hæreditas, vel ſaltem legatum à parentibus datum. [D. Amb.] Chriſti paupertas noſtrum matrimonium eſt: *Maluit ſibi egere, ut omnibus abundaret.* Nam ut ratiocinatur D. Auguſtinus: (Si ille paupertatem vitaret, nos paupertate non careremus; pauper autem ille factus eſt cum dives eſſet, ut illius paupertate ditaremur.) [Ser. 11. de Verb. Apoſt.] Inde concludit D. Auguſtinus: *Divitiæ illius quid nos factura ſunt, ſi ejus paupertas nos divites facit?* Chriſtus in cœlo dives, in terra pauper, in cœlo ſua opulentia ditat comprehenſores, in terra ſua paupertate ditat viatores. Divinæ aliæ ſunt cœleſtes, aliæ terreſtres: illæ dona gratiæ complectuntur: iſtæ in fortunæ bonis conſiſtunt: illæ ſunt veræ, quibus ditantur juſti, quantumvis fortunæ bonis ſint depauperati: [V. Bed.] *Omnes boni fideles, ſunt divites.* Iſtæ ſunt fallaces, quibus mundani locupletantur, qui ſunt vere pauperes etiamſi divites appareant. Veris divitiis ditat nos Chriſtus ſua paupertate, ut nos ſua opulentia ditet in cœlo. Nam ut addit D. Ambroſius, *Ille in terris ut tu ſis in cœlis; ille locum in diverſorio non habebat, ut tu plures haberes in cæleſtibus manſiones.* [Tert. l. de Pat. 7.] Fallaces divitias contemnendas ſuo exemplo nos docet Salvator: quas *nobis appetere minime opus eſt, quia nec Dominus appetivit.* Homines ſæculo dediti celeſtes deſpiciunt divitias, & poſt terrenas inhiantes, inopia laborant. Veri Chriſtiani terræ divitias contemnunt, & divitiis abundant: [D. Hil. in Pſ. 118.] *cum Domino, opum contemptus opulentia eſt:* ſuntque, ut poſt Apoſtolum ait D. Auguſt. [2. Cor. 6. Ser. 26. de Verb. Apoſt.] (tanquã nihil habentes & omnia poſſidentes. Quid hac paupertate ditius? Aurum & argentum non habeo: qui aurum non habet quid habet? Fidem habet, virtutem habet: Videamus quid amplius coruſcet virtus an aurum.) Virtus ſane longe auro nobilior & ditior, auro eſt præponenda: [D. Auguſt. Ser. 4. de Nat.] (Plus ergo gaudeat dives hujus ſæculi, quia Chriſtianus eſt, quam quia dives eſt.) Inter divites alii ſunt divites hujus ſæculi, alii divites non hujus mundi. Illi terrenas habent divitias, & ſpiritualibus carent: iſti terrenis orbantur divitiis & ſpiritualibus ditantur: [D. Aug.] (Unde intelligere debemus ex alia paupertate pauperem, & ex aliis divitiis divitem: altius enim divites in corde, divites pleni fortitudine, optimi pietate, abundantes charitate; ſecure ſunt divites. Sunt autem qui ſe divites clamant cum ſint pauperes. Quid ergo quæritis divitias, quæ oculis humanis & carnis blandiuntur? Lucet aurum,

aurum,ſed plus lucet fides; intus eſto plenus ubi divitias tuas vides omnes, quas non tollit inimicus. Deinde pauperem fortunæ bonis alloquitur D. Auguſtinus:(Quiſquis de paupertate conquereris,quare ſolam attendis paupertatem tuam, & diſpicis interiorem ſubſtantiam? Ibi enim te oportet ſpiritualibus divitiis abundare: ſi pauper es inopia terrenæ facultatis,eſto dives abundantia charitatis. Non poſſides villam,poſſide ſapientiam: non tibi eſt nummus in ſacculo,ſit Deus in animo: Eſto nitidus paupertate mentis, quia multo melius eſt,quam ſi pretioſis ſplendeas indumentis. Non habes delicioſos cibos quibus corpus paſcitur. ſint tibi boni mores quibus anima ſaginatur. Noli ergo pro magno quærere divitias quæ hic remanebunt: Spirituales divitias ſi habueris,pauper numquam eris: imo ſi talis fueris ut corporeas divitias reſpuas, & ſpirituales inquiras, in eo vere dives eris, quia pauper laudabilis eris.) Tandem poſtquam D. Auguſtinus divitem & pauperem hujus ſæculi ſeorſim eſt alloquutus,ad eoſdem ſimul ſermonem dirigit: *Audite me, ô pauperes, quid non habetis ſi Deum habetis? audite me divites, quid habetis ſi Deum non habetis;* Neſcitis quod Chriſtus in Evangelio *ſemper pauperes juſtificat,divites prædamnat*, quorum curioſitatem & opulentiam nativitatis ſuæ paupertate condemnat? Ser. de Dedic. Eccl. 5. Serm. 3. de S. Cypr. Tert. l. de Pat. 7.

3. *Nobis appetere minime opus eſt, quia nec Dominus appetivit*; gloriam ſcilicet,opulentiam & abundantiam. Alii infantes non eligunt quando naſcantur,nec ubi naſcantur,abſque prævia eorum cognitione enaſcuntur hyberno vel æſtivo tempore: in opulentia aut egeſtate juxta diſpoſitionem & conditionem parentum à quibus generantur; qui natos filios purpura & byſſo induunt ſi ſunt divites; vel pannis involvunt ſi ſunt pauperes: Chriſtus vero *ſuo judicio naſcitur*, elegit namque & tempus ſuæ nativitatis,& locum in quo natus eſt, & ſtatum & conditionem ſecundum quam natus eſt: habuit enim in ſua libertate eligere aut nativitatem glorioſam, divitem & abundantem, aut deſpectam,humilem,& inopem. Si dignitatem,nobilitatem,poteſtatem ſuam conſideraſſet,glorioſe,pompatice,opulenter natus fuiſſet: *Quis enim magis iis uſus fuiſſet quam Dei filius? Quales & quanti eum faſces producerent? Qualis purpura de humeris ejus floreret? quale aurum de capite radiaret?* Attamen has non elegit magnitudinis,& dignitatis pompas,ſed paupertatis & humilitatis argumenta elegit. Siquidem pro throno regali habuit præſepium, pro culcitris fœnum, pro igne, bovis & aſini halitum; pro periſtromatis aranearum tela,pro odoramentis pecorum excrementa; pro purpura viles panniculos, pro equitatu bovem & aſinum, pro palatio ſtabulum anguſtum, pro procerũ turba Joſephum & Mariam.(Intrat Virgo regia pauperis hoſpitii incompoſitas anguſtias, intrat domicilium paleis & animalium ſtercore ſordidatum, domunculamq; vento & frigori perviam gratanter inhabitat. Non ibi ſella, non lectus,non menſa, non ignis,non denique alia ſupellex, præter humile præſepium,paſcendis animalibus aptum.) Tanta Chriſti naſcentis paupertas Tert ibid S. Zeno Tert. l. de Idol. 18. S. Tho. à Vill. Nov. Conc. 2. de Nat.

Ser. de Nat. in admirationem trahit D. Cyprianum, qui his verbis ſuum declarat ſtuporem. (Non miror ſtabilitatem terræ, non volubile firmamentum; non miror Lunæ defectum & incrementum: non Solem ſemper integrum, & laborem ejus perpetuum: non miror temporum viciſſitudines, in quibus quæ mortua videbantur, reviviſcunt: Miror Deum hominem, miror Deum in utero Virginis, miror omnipotentem in cunabulis. In cæteris quædam rationes ſatisfaciunt, hic ſolus me complectitur ſtupor.) Hæc ſunt ſtupenda, quæ Chriſti

Petr. Dam. Ser. 6. de Nat. nativitatem conſequuntur. Etenim *hodie Deus pendet ab uberibus, ponitur in præſepe, ligatur in cunis, pannis involvitur, & laxatis faſciolis fœlices manus, & ſancta brachia per cunarum parvitatem expandit.*

S. Max. hom. 1. de Nat. At cur Deus qui ſua immenſitate replet cœlum & terram, naſcitur in ſtabulo? Cur Deus qui eſt omnium rerum Dominus, in alieno ponitur præſepio? Cur Deus qui lucem habitat inacceſſibilem, viliſſimis induitur pannis? *Quid*

S. Bern. Ser. 5. de Nat. *ergo ſtabulum elegit? Plane ut reprobet gloriam mundi, & damnet ſæculi vanitatem.* Chriſtus Dominus naſcitur in præſepio, ut mundanam confundat vanitatem; contemptibilis & pauper apparet, ut ſuperfluam ſæculi condemnet gloriam in domibus, ſupellectilibus & veſtibus. (Erubeſcat igitur terrena

Petr. Da. ibid. ſuperbia, & arrogantia redempti hominis, ubi coruſcat humilitas Redem-

D. Bern. Ser. 5. de Nat. ptoris.) Erubeſcant tot viri & mulieres *ſplendidas veſtes habentes, ſuperbas domos ædificantes,* raras ſupellectiles quærentes. *In his omnibus mundi judicium arguitur, ſubvertitur, confunditur.* Nam 1. Chriſtus naſcitur *domicilio incertus, nam*

Tert. l. de Idol. 18. *filius, inquit, hominis non habet ubi caput collocet:* (Filius hominis non habet ubi

D. Aug. caput reclinet, & tu ampla palatia, & ingentes porticus metiris?) & homo

Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 1. nullius momenti ſemper eſt ſollicitus *de ipſa domus ſua gloria.* Nec minori vanitate laborat faſtuoſa mulier: *Nam quanto dives aliqua eſt matrona nomine in-*

Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 8. *flata, tanto capaciorem domum oneribus ſuis requirit, ut campum in quo ambitio decurrat.* 2. Chriſtus Dominus *faſtidium opulentiæ præminiſtravit per abjectionem*

Tert. l. de Pat. 7. *divitiarum;* præſertim in ſuppellectilibus. Nam in nativitate *ſordido miniſterio functus eſt.* Etenim (veniens Dei filius non in ſpatioſis domibus, auratis laquea-

Tert. l. de Idol. 18. ribus:) Homuncio vero tumidus ſupellectilem pretioſam requirit, ſtromata

S. Max. hom. 2. de Nat. byſſino & auro intexta, vaſa lutea, vitrea, argentea, aurea, uniones, marga-

Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 5. ritas, aliaque hujuſcemodi tanto cariora quanto rariora: *Hæc omnia de raritate, & peregrinitate ſola, gratiam poſſident.* 3. Chriſtus in Ægyptum fugiens aſi-

Tert. l. de Cor. Mil. 12. no defertur, & aſello adhuc ſedens triumphat: *Dominus tuus ubi ſecundum ſcripturam Ieruſalem ingredi voluit, nec aſinum habuit privatum. Iſti in curribus, & iſti in equis.* Neque equis tantum incedunt aut curribus trahuntur, ſed adhuc ſellis & lecticis ab hominibus delatis deferuntur, & filiæ genere illuſtres non

Tert. l. 2. ad Ux. 8. nubunt, *niſi maritum petant idoneum exhibendæ ſellæ, & mulabus, & cinerarijs pe-*

Tert. l. de Idol. 18. *regrinæ proceritatis.* 4. Chriſtus Dominus naſcitur *veſtitu incultus; neque enim dixiſſet, Ecce qui teneris veſtiuntur, in domibus Regum ſunt:* & hac tempeſtate non ſolum qui in domibus Regum ſunt, ornate veſtiuntur; ſed etiam quævis fœ-

D. Chryſ. hom. 8. mina etiam nulliꝰ dignitatis, ſplendidiſſime ornatur: (ornamenta aurea circũ-

fert, & flavos crines auro compoſitos) habet. Cui probe competunt verba Tertulliani: *Propter tuum meritum, ideſt, mortem, etiam filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente eſt, ſuper pelliceas tuas tunicas.* 5. Chriſtus Dominus apparet *vultu & aſpectu inglorius*: & mulieres tumidæ fuco ſe expingunt: Attamen *in Deum delinquunt, quæ cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt.* Omnem illam ſuperfluam, opulentam & curioſam vanitatem, ſua paupertate, ſua vilitate, ſuis pannis damnat naſcens Salvator: *Nondum loquitur lingua, & quæcumque de eo ſunt, clamant, prædicant, evangelizant.* Anguſtum ſtabulum clamat adverſus ampla & ſpatioſa palatia; araneæ tela prędicant adverſus raram, curioſam & variam ſuppellectilem, viles panni evangelizant adverſus cultum, ornatum & fucum. *Ipſa quoque infantilia membra non ſilent*, ſed clamant adverſus vanas mundi delicias. Siquidem Deus impaſſibilis doloribus ſubjicitur, ut condemnet hominum voluptatem.

Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 1. — Tert. l. de Idol. 18. — Tert. l. 2. de Cult. Fœ 5. — D Bern. Ser. 3. de Nat. — D. Bern. Ser. 3. de Nat.

Chriſtiani Chriſtum profitentes *agnoſcunt hominem Deo miſtum*, utriuſque naturæ divinæ & humanæ proprietates habentem. *Hinc infirmum, inde præfortem: hinc morientem, inde viventem.* Ille autem Deus fortis, in ſtabulo infirmus habetur: Deus ille impaſſibilis, in præſepio patitur: Nam *etiam paſſiones humanas & lachrymas* aſſumpſit: ut ſuis paſſionibus & doloribus, 1. delicatulum mortalium argueret mollitiem; 2. humanam oblectamenti confunderet ſollicitudinem: 3. veneream carnis damnaret voluptatem.

III. PARS — Tert. l. de Car. Chr. 15. — Tert. l de Car. Chr. 5 — Ter. l. adv. Prax. 16.

1. *Virtus duritiâ extruitur, mollitia vero deſtruitur.* Ita contraria eſt mollitia virtuti, ut omnes generatim Chriſtianas deſtruat virtutes. Nam ſublata fide quæ cunctarum baſis eſt virtutum, omnes virtutes corruunt, mollitiâ autem fidei virtus effœminatur. Quapropter *diſcutiendæ ſunt deliciæ, quarum mollitiâ & fluxu, fidei virtus effœminari poteſt.* Nobis autem ſubminiſtrat Tertullianus modum quo diſcutiendæ ſunt deliciæ, quæ virtutem effœminant: *Meditemur duriora, & non ſentiemus*: ſcilicet duriora quæ tolerat Chriſtus in præſepio. Plinius ſui Trajani virtutem & fortitudinem cunctis ſpectandam proponit: (Veniet temp⁹ quo poſteri viſere, viſendū tradere minoribus ſuis geſtient, qui ſudores tuos hauſerit camp⁹, quæ ſomnū ſaxa prætexerint, quod deniq; tectum magn⁹ hoſpes compleveris.) Quanto à fortiori conſiderand⁹ eſt Chriſtus, qui in ſua nativitate ſuſtinet *diverſoria anguſta, & ſordidos pannos, & dura præſepia?* Qui Chriſti naſcentis dolores & incōmoda ſerio recogitant, duritia virtutem ædificant. Evangeliſta teſte, Maria conſervabat omnia verba quæ proferebat Salvator *conferens in corde ſuo.* Beatiſſima Virgo divinū Verbū ſemel utero cōcepit, divina ejus verba & facta multoties corde concepit, conferens præſepiū paleas, crucē, mortem, ignominiā, opprobria, cum Dei magnitudine, beatitudine, gloria, majeſtate. Deiparam imitemur, conſervemus verba Chriſti naſcentis, *qui nondum verbo loquitur, & quæcunq; de eo ſunt clamant.* Stabulum in quo naſcitur magna ex parte diſcoopertum, durum præſepium in quo jacet, frigus quod hiberno & nocturno tempore tolerat; nihil habens

Ter. l adv Marc. 3. — Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 15. — Tert. l. de Car. Chr. 8 — D. Bern. Ser. 3. de Nat.

Bed Chr. Or. 9. in Luc.

bens præter faſcias quo operiatur. (Præter faſcias nulla præterea re opertus eſt, cum alii etiam nonadmodum divites, habeant aliqua alia, quibus infantes operiunt.) Fœtor quem ex excrementis pecorum odoratur, multaque alia quæ patitur, clamant: conſervemus hujuſmodi voces, & mente conferamus ignitum Dei amorem cum gelu noſtro, ardentiſſimam ejus charitatem cum tepiditate noſtra: humilitatem cum ſuperbia; honoris contemptum cum ambitione: paupertatem cum opulentia & cupiditate; incommoda cum mollitie; dolores cum deliciis noſtris. Conferamus & erubeſcamus, dicentes: Deus obediens hominibus, & ego inobſequens Deo: Deus infra homines dejectus, & ego ſupra homines ſuperbe exaltatus; Deus inopia & egeſtate oppreſſus, & ego divitiis & facultatibus abundans: Deus vilibus panniculis indutus, & ego purpura, byſſo, argento, & auro ſplendide ornatus; Deus in præſepio ſupra paleas proſtratus, & ego in molli pluma, in culcitris & ſericis recumbens: Deus frigore in antro tremebundus, & ego in cella prope ignem ſedens, ab omni temporis injuria illæſus; Deus præ dolore, & triſtitia gemens, & ego præ gaudio ridens.

Tert. l. ad Mar. I.

Tertullianus ut Chriſtianos à mollitie avocet, & ad duriora quæque tolleranda ſtimulet, proponit eis incommoda quæ tum in bello, tum in pace ſuſtinent milites. *Nemo miles ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilionibus expeditis & ſubſtrictis, ubi omnis duritia & inbonitas, & inſuavitas conſiſtit. Etiam in pace, labore & incommodis bellum pati jam ediſcunt: in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtitudinem denſando. Sudore omnia conſtant, ne corpora atque animi expaveſcant: de umbra ad Solem, de ſole ad cœlum, de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum.* Propoſitis autem incommodis & laboribus quibus obnoxii ſunt milites qui pro mortalibus militant, Chriſtianos Dei vivi milites ad laborem & duritiam urget. *Vocati ſumus ad militiam Dei vivi, jam tunc cum in ſacramenti verba reſpondimus. Proinde vos benedicti, quodcumque hoc durum eſt, ad exercitationem animæ & corporis deputate.* Utinam adeo ſtrenue laborarent milites Dei vivi, ac milites hominis mortalis: Milites pro homine militantes in pace & bello, innumera incommoda ſuſtinent, neq; injurias temporum timent; plures tamen Chriſtiani, militiæ Dei vivi addicti, æſtatis ardores, frigoris rigores expaveſcunt; & ne aut imbres, aut nivem, aut Solis æſtum patiantur, Concionem non audiunt, Miſſæ non aſſiſtunt, Eccleſiam non frequentant, à cunctis pietatis operibus, & religionis officiis ſe diſpenſant: nec ducis Chriſti incommoda conſiderant, qui jacens in præſepio cunctis elementorum injuriis expoſitus, eorum arguit mollitiem.

Ser. II.

Ex Petro Damiano *Chriſtus in præſepio reclinatus, legem martyrij præfigebat:* Humanatus Deus frigori expoſitus, ſuper durum lignum recumbens, inter bruta animalia lachrymas fundens, jam ferre incipiebat martyrii paſſiones atque dolores. In cruce martyrium conſummavit Salvator, quod in ſtabu-

lo inchoaverat. *Orans cum ſudore ſanguineo Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſignificabat de toto corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, emanaturas Martyrum paſsiones*: & in præſepio quoque gemens, ejulans, variaq; incommoda tolerans, Chriſtianis legem martyrii præfigit, eoſque ad martyrium accendit. Duplex eſt martyrium: unum ſanguine purpuratum, morteque conſummatum; aliud incruentum, ſed doloribus & incommodis plenum. Illud honorat martyrium quod Chriſtus conſummavit in Calvario; iſtud honorat martyrium, quod inchoavit Chriſtus in præſepio. De utroque fatur D. Auguſtinus. De martyrio cruento ſic ait: (Purpurata eſt univerſa terra ſanguine Martyrum, floret cœlum coronis Martyrum, ornatæ ſunt Eccleſiæ memoriis Martyrum, inſignita ſunt tempora natalitiis Martyrum, crebreſcunt ſanitates meritis Martyrum.) De martyrio adhuc incruento loquitur aiens: *Tota vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundum Evangelium vivat, crux eſt atque martyrium.* In quo autem martyrium illud incruentum conſiſtat, optime declarat: (Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, juſtitiam cuſtodire, cupiditatem contemnere, ſuperbiam hu miliare, magna pars eſt martyrii.) Chriſtiani olim duobus modis ſeſe ad martyrium cruentum præparabant. Primò, repudio voluptatum ſæculi: *ſunt qui exiſtimant Chriſtianos, expeditum mortis genus, ad hanc obſtinationem, abdicatione voluptatum erudiri.* Secundò, duritia, labore, dolore, vitæ incommodis: quod fidelibus in carceribus pro religione detentis repræſentat Tertullianus. *Itaq; epiſtates veſter Chriſtus Ieſus, qui vos ſpiritu unxit, & ad hoc ſcamna produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem retractationem, à liberiore conditione ſeponere, ut vires corroborarentur in vobis.* Inde colligit delicioſos Chriſtianos eſſe parum ad martyrium idoneos. *Cæterum neſcio an manus ſpatalio circundari ſolita, in duritiam catenæ ſtupeſcere ſuſtineat; Neſcio an crus periſcelio latatum in nervum ſe patiatur arctari. Timeo cervicem ne margaritarum & ſmaragdorum laqueis occupata, locum ſpathæ non det.* Spathalium eſt muliebre ornamentum, quod deliciari ſignificat, periſcelio autem crura & tibiæ exornantur. Chriſtiani his deliciis & ornatibus aſſueti, non erant ad martyrium cruentum idonei; ad quod abdicatio mollitiei, & duritiæ exercitatio conducebat. Eodem modo martyrium incruentum quod Chriſtianiſmum redolet, ſuſtinent, non delicias ſectantes, ſed religionis onera fortiter portantes. Ut enim ratiocinatur D. Auguſtinus; (non martyrium ſola effuſio ſanguinis conſummat, nec ſola dat palmam exuſtio illa flammarum. Pervenitur non ſolum occaſu, ſed etiam contemptu carnis ad coronam. Abſque injuria Sanctorum defunctorum in perſecutionibus dicere liceat, carnem afflixiſſe, libidinem ſuperaſſe, de mundo triumphaſſe, pars magna martyrii eſt. (Imitatur namque martyrium Chriſti incruentum, qui incommodis quæ in præſepio patitur, humanam mollitiem arguit, & anxiam oblectamenti ſollicitudinem confundit.

2. *Philoſophi quidam in voluptate gaudent, in ea avocantur, in ea etiam gloriantur.* Pungit Epicureos qui vitæ felicitatem in voluptate conſtituebant, nec aliud

D. Aug. l. de Ver. Innoc. 68.

Ser. 10. in Pſ. 118.

D. Auguſt. Ser. 32. de Sanct.

Ser. 250. de Temp.

Tert. l. de Spect. 1.

L. ad Mart. 3.

Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 13.

Ser. 46. de Sanct.

Tert. l. de Spect. 28.

aliud ſummum bonum exiſtimabat. Chriſtiani à cœlo edocti, ſæculi voluptatem non deſiderant: Tũ ut ab ethnicis diſcriminentur qui in hac vita lætantur, & poſt mortem triſtantur: Chriſtiani è contra lugent in ſæculo & lætantur in cœlo. *Vicibus diſpoſita res eſt; nunc illi lætantur, nos conflictamur. Sæculum, inquit, gaudebit, vos triſtes eritis. Lugeamus ergo dum ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoq; pariter lugeamus.* Tum maxime ut Chriſtum naſcentem imitemur, qui non ſolum in præſepio, ſed etiam in vita ſua ſæpiſſime lachrymas fudit. *Chriſtũ perſæpe fleviſſe legimus, riſiſſe numquam.* At cur in ſtabulo vagit Salvator? 1. ut peccatorum noſtrorum maculas ſuis lachrymis lavet: *Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lachrimæ illæ delicta laverunt.* Ut Chriſtianos à vanis mundi voluptatibus avocet, quapropter Chriſti nativitas belle nuncupatur à D. Cypriano, *Iugulatrix voluptatum:* 3. ut delicatum confundat Chriſtianum, qui poſt ſæculi inhiat voluptates. *Delicatus es, Chriſtiane, ſi in ſæculo voluptatem concupiſcis.*

Salv. l. 6. de Provid. D. Amb. l. 2. in Luc. Ser. de Stel & Mag. Tert. l. de Spect. 28. Tert. l. de Mag.

Verum quantumvis ſuis lachrimis Salvator mundans confundat lætitias, multi tamen Chriſtiani poſt vanas illas voluptates anhelant. *Tu mihi metas & ſcenas, & pulverem & arenam ſuſpiras:* totum namq; temp⁹ inſumunt in ludis, teſſeris, chartis luſoriis, theatris, choreis, conviviis, aliiſq; corporalibus oblectamentis. *Poſtquam à veris in paradiſo deliciis excidimus, ſpurias delicias nobis ipſis excogitamus.* Filiæ diſſolutæ nomine hos redarguit Jeremias Propheta; *Vſquequo deliciis diſſolveris filia vaga?* Quaſi dicat; ut expendit Hugo Cardinalis: *Ideo jam non debes ſolvi deliciis, ex quo Chriſtum vides incarnatum*, & in ſtabulo ejulantem, vagientem & lachrimantem. Verus Chriſtianus triſte illud attente ſpectaculum conſiderans, omne mundi deſpicit oblectamentum: nam *quæ major voluptas quam faſtidium ipſius voluptatis?* indignum judicans captare delicias, dum Chriſtus vagit & lachrymas fundit, ſectari voluptates, dum Deus humanatus dolores patitur. (Arca Dei, & Iſrael & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & ſervi Domini mei, ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar domũ meam, ut comedam & bibam & dormiam cum uxore mea? Per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.) Exemplum Uriæ condemnat tot delicatos Chriſtianos, qui falſo putant *delectamentis exigere ſpatium hoc.* Urias ex conſideratione arcæ, & commilitum & ducis exercitus, licitas recuſat delicias, & ipſi proſpiciunt beatiſſimam Virginem, veram Dei arcam in antro ſupra fœnum jacentem, Verbũ humanatũ in præſepio repoſitũ præ dolore vagiens, nec ab illicitis & venereis abſtinent voluptatibus, quas ſuis Chriſt⁹ lachrymis condẽnat.

Tert. ibid. D. Baſil. ho. 11 in Hexa. Tert. l. de Spect. 29. L. 2. Reg. 11 Tert. l. de Spect. 29.

3. *Vbi ſermo Dei deſcendit in carnem, & Sermo caro factus eſt, exinde caro quæcunque in Chriſto reliquas ſordes priſtinas ſolvit, alia jam res eſt.* Poſt incarnationis myſterium Chriſtianus ſedulo vacare pudicitiæ tenetur: Caro quæ cum Deo inivit affinitatem, puritatis divinæ debet eſſe particeps. Nam ut ait D. Auguſtinus; *Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis: Reddite vicem, efficiamini ſpiritus,*

Tert. l. de Pud. 6. Ep. 110. ad Honorat.

ritus, & habitate in illo, qui caro factus eſt & habitavit in nobis. Per caſtitatem autem homo fit ſpiritualis, & ad dignitatem Angelorum aſſurgit. De Chriſto in præſepio jacente, ait Spõſa ſacra: *Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam.* Cant. 5.
Lilia puritatem denotant, myrrha amaritudinem ſignificat; Infantis illius labia ſunt lilia, quia de Matre Virgine natus, & ipſe virgineo pudore decoratus, caſtitatem à Chriſtianis expoſtulat: Hujuſmodi autem lilia myrrham diſtillant: nam quia virginea pueruli hujus puritas, præ frigore lachrymatur. Tum quia ſua triſtitia, dolore & ſanguine venereas delet hominum maculas, & ut eorum tollat fœditates, apparet ſqualidus: *Species ejus inhonorata*: Et ut Ter. l. adv.
ait D. Bernardus, *pro filijs hominum turpatur*; Tum quia nos vult amaritudi- Iud 14.
nis & myrrhæ ſuæ conſortes, ut carnis poſſimus debellare petulantiam. (bo- Ser. 28. in Cant.
na myrrha, quæ carnalem petulantiam reprimit & fluxos motus laſcivere Gilbert.
non ſinit, & carnem non eſſe carnalem compellere nititur.) Mira myrrhæ vir- Ser. 15. in Cant.
tus, caro mortificationis efficacia dediſcit carnalitatem, & in carnem ſpiritualem & angelificatam quaſi refingitur: Tum maxime vagiens Chriſtus lilia cum myrrha miſcet, quia ſuis lachrymis defflet tot hominum fœditatem.
Haud facile has purulentias civitatis quis eliciet & exſuperabit, niſi Sermo palliatus. Tert. l. de Pall. fi.
Sermo divinus eſt habitu inventus ut homo & carne indutus, ut à mundo humanas exſuppuraret ſpurcitias. Quia tamen multi adhuc Chriſtiani *impudicum negotium* habent, quod ſuis vagitibus & lachrymis obplorat Salvator; Tert. l. 4. adv.
Chriſtum nuncupat Tertullian⁹, *verum diſceptatorem & elimatorem humanarum macularum.* Marc. 34. Li. 4. adv. Marc. 35.
Has maculas ſuis fletibus cœpit lavare in præſepio, & ſuo ſanguine mundavit in cruce: & impudici Chriſtiani, Chriſtum, & lachrymarum, & effuſi ſanguinis fructu defraudãt: (Suntq; rei mortis Chriſti, non ſicut Balduin.
auctores vel factores, vel miniſtri mortis Chriſti, ſed ſicut mortis contempto- apud Tileman. in c.
res, qui ſacramentum diſpenſationis in ſe evacuant; conſilium Altiſſimi irri- 1. Philipp.
tantes, qui cœleſti benedictione & ineffabili gloria indignos ſe faciunt, qui in deliciis agentes myſterium crucis irrident, qui Filium Dei conculcant, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducunt, in quo ſanctificati ſunt: & ſpiritui gratiæ contumeliam faciunt. (Quot crimina impudici condenſant, quantam crudelitatem exercent erga Chriſtum? Crudeles in Chriſtum morientẽ cujus ſanguinem conculcant & inutilem reddunt: crudeles in Chriſtum naſcentem, cujus lachrymas contemnunt: ſimiles Ariano illi imperatori, qui ut refert D. Hieronymus ſupra ſtabulum, in quo natus eſt Chriſtus erexit Adonidis ſtatuam: *Ut in ſpecu ubi Chriſtus parvulus vagijſſet, Veneris amaſius plangeretur.* Ep. ad Paulin.
Ea eſt impudicorum temeritas, qui Venerem venerantur ipſo die nativitatis Chriſti: Quibus idem dici poteſt quod D. Hieronymus cuidam Diacono; qui in Bethleem patrarat adulterium: *O infeliciſſime mortalium! tu non times, ne de præſepio vagiat infans?* Tantum abeſt ut probroſi Chriſtiani vagientem pertimeſcant Infantem, quin imo Herodis ſævitiam imitantes, natum Dominum interficere moliuntur; imo de facto & in ſeipſis & in ſcortis interimunt, ipſis Turcis & Ottomanis crudeliores.

Buſbequius. Solimanus tyrannidis ſuæ firmare imperium deſiderans, timens ne frater eum aliquando de ſolio deturbaret: Pruſam miſit Eunuchum ſuum, ut Bajazethem occideret, ſimulq; cum eo parvulum ejus filium trucidaret, qui cum eſſet tenerioris animi, Janitzario commiſit facinus perimendi infantuli; Janitzarius ad cunas puerulı accedens ejuſque collo laqueum aptans, infantulus ſuaviſſime arridens, barbarum ita emollivit, ut à cæde abſtinuerit. Impudicus Janitzario & Turca inhumanior, à cæde non abſtinet, ſed ſuis venereis voluptatibus, ejulantem Chriſtum in cunis interimit.

Gen. 37. Ruben ut germanos à Joſephi nece dimoveret, dicebat illis: *Nolite peccare in puerum, frater enim & caro noſtra eſt.* Superbe, noli peccare in puerum qui ſemetipſum exinanivit ut tuam ſuperbiam ſanaret, & ſæculi vanitatem damnaret. Avare, noli peccare in puerum, qui depauperatus eſt, ut mundanam damnaret opulentiam. Impudice, noli peccare in puerum, qui fundit lachrymas, ut veneream carnis condemnet voluptatem: Criminoſe Chriſtiane, noli peccare in puerum, qui tui amore humanatur, in præſepio naſcitur, faſciis

Sen. Ep. 84 ligatur, & dolores patitur: *Relinque divitias, aut periculum poſſidentium aut onus: relinque ſæculi voluptates, molliunt & enervant: relinque ambitum, tumida res eſt, vana, ventoſa, nullum habet terminum.* Intuere Dei magnitudinem humilitate dejectam, & erubeſce tuam arrogantiam: proſpice Dei opulentiam pannis viliſſimis depauperatam, & erubeſce tuam pompam: ſpecta Deum impaſſibilem præ dolore vagientem, & erubeſce tuam mollitiem, vide Deum humanatum tibi naſcentem, in cunis repoſitum: *Filium qui tibi natus eſt ſuſcipe fide, ſpe magna venerare, amplexare charitate.*

D. Bern. Ser. 2. de Nat.

CONCIO SECUNDA.

Tert. l. de Ref. 4. Dominatio, ſanctitas & immortalitas Deo competunt. Dominatio, quia omnium creaturarum auctor. *Merito Dominus, quia auctor; merito auctor, quia Deus:* Sanctitas, *quæ propria ejus natura eſt.* Tandem immortalitas quæ ad illum eſſentialiter pertinet. *Imperium ſummæ dominationis* quod habet Deus ſuper omnia quæ de nihilo produxit, obſequium ab ejus majeſtate removet. Sanctitas, quæ ei competit eſſentialiter, eum à peccato infinite arcet; & immortalitas quam ſibi peculiariter vendicat, eum à paſſione & morte immunem præbet. At in circumciſione, 1. Supremus ille Dominus obſequitur: 2. Deus ille ſanctus, tanquam criminoſus conſpicitur: 3. Deus ille immortalis & impaſſibilis, paſſioni & dolori exponitur.

Tert. l. de Mon. 3. Tert. Apol. 24.

1. PARS Tert. l adv Prax. 11. Tert. Apol. 11. *Adeo ſemper filius erat in Dei & Regis & Domini nomine.* Chriſto etiam in præſepio vagienti hujuſmodi nomina conveniunt: Quare Salvatore in ſtabulo nato *Auguſtus imperij formator ne Dominum quidem dici ſe volebat; & hoc enim Dei eſt cognomen.* At in circunciſione ſupremus ille Dominus obſequitur, obedientia 1. libertate; 2. charitate, 3. humilitate commendata. 1. In

1. In lege Moyſis ordinata maſculis fuerat Circumciſio: Tum *quaſi in ſalutis medelam*; in remedium ſcilicet peccati originalis: nam ut ait D. Auguſtinus: *Circumciſio fuit illius temporis ſacramentum, quod ſignificabat noſtri temporis baptiſmum*: quapropter ut animadvertit Hipponenſis Antiſtes, (non ſine cauſa data eſt, & in eo membro juſſa fieri, per quod procreatur natura mortalium: Tum in ſignum quo Dei populus ab infidelibus deſtingueretur. *Circumciſionem in ſignum populo Iſraël* aſſeverant doctores, & ita circunciſio parvulis neceſſaria erat neceſſitate præcepti & neceſſitate medii. Neceſſitate præcepti: nam *Abraham acceperat circunciſionem, quæ eſſet in ſignum temporis illius*. Neceſſitate medii, quia *Circumciſio purgat hominem*. Chriſtus autem non erat legi Circunciſionis obnoxius: Tum quia Circunciſio inſtituta dumtaxat fuerat pro parvulis, qui via communi ab hominibus generantur: Chriſtus autem non de viro, ſed de Spiritu ſancto conceptus eſt: *Vacabat enim viri ſemen, apud habentem Dei ſemen*; & ſicut ab æterno à ſolo Patre generatur, ita in tempore *ex Matre Virgine, quia non ex patre homine*. Tum quia Circumciſio inſtituta fuerat in remedium peccati originalis: Chriſtus nullius peccati labe erat maculatus: *Soli enim Dei filio ſervabatur ſine delicto permanere*. Tum quia Chriſtus non egebat circunciſionis ſtigmate ut ab aliis diſcriminaretur, quia erat unctione divinitatis conſecratus, & ſacro Verbi charactere ſigillatus. Ideoq; Circunciſio illi neceſſaria non erat; nec neceſſitate medii, nec neceſſitate præcepti: ſed in ejus erat libertate recipere aut non recipere Circunciſionē. Hoc eſt diſcrimen inter ſuaſum & juſſū: *quod ſuaſum de conſilio veniat, & volūtati proponatur: juſſū autem de poteſtate deſcendat, & neceſſitati obligetur: illic libertas, hic contumacia delinquere videatur*. Circūciſio autē neq; juſſa, neq; ſuaſa erat Chriſto, ſed ab illo voluntarie & libere acceptata ut legi obſequeretur: in quo ejus obedientia mirum in modum ſplendet. Quamvis Chriſtus libere ſit mortuus, *oblatus eſt quia ipſe voluit*; tamen acceperat à Patre præceptum moriendi: & Theologia multum laborat in componenda libera Chriſti voluntate cum neceſſitate moriendi, ſibi à mandato paterno impoſita: aut nullum acceperat de circumciſione præceptum. Magna fuit profecto obedientia Chriſti morientis in cruce, ut Patris adimpleret præceptum, ſed longe major liberè ſuſcipientis circumciſionem à qua erat exemptus, & cujus nullum ei impoſitum fuerat præceptum. Obedientia ejuſmodi multum libertate & charitate commendatur.

Ter.l.adv. Iud 2. — Li. de An. 1.1 — D. Aug. Tract.30. in Ioan. — Ter.l.adv. Iud. 2. — Ter.l adv Iud. 3. — Ter.l. adv Iud. 5. — Tert. l. de Car. Chr. 17. — Tert. l. 4 adv. Marc. 10. — Tert. l. de Præſc. Hæ. 3. — Tert. l. 2 ad Ux. 2.

2. *Certe Chriſtus dilexit hominem: propter eum deſcendit*. Magnus profecto Dei amor in humanatione Verbi, *ut ſcias amoris fuiſſe quod plenitudo effuſa eſt*. Major adhuc amor in morte Chriſti: *Quæ eſt enim charitas, niſi qua & ſe pro nobis obtulit, & ſuo ſanguine nos redemit?* Sed maximus in Circumciſione: tum quia impatientia amantis, amoris denotat vehementiam. *Naſci ſe Deus in utero Virginis patitur & expectat*. Ut quid autem in utero Virginis patitur Chriſtus? quid adeo impatienter expectat, niſi tempus quo poſt nativitatem ſuam ſuſci-

Tert. l de Car. Ch. 4 — D. Bern. Ser. 64 in Cant. — D. Ambr. l.1. de Spi. S. 12. — Tert. l. de Pat. 3.

ſuſcipere valeat circuncisionem? Tum quia amor eò eſt major quo liberalior; eo liberalior quo liberior. In Circunciſione amor Chriſti eſt liberior; nam in cruce ex præcepto fudit ſanguinem Chriſtus, in Circunciſione vero gratuitò abſque ullius mandati obligatione: Tum quia, ut addit D. Bernardus, *Amor dignationis neſcius.* Licèt autem Chriſtus in præſepio & in cruce multum ſit dejectus, tamen in circunciſione

Tert. l de Car. Ch. 4 — 3. *Omni ſe humilitate dejecit.* In aliis myſteriis dejicitur Chriſtus, verum
Arnold. Carnot. — ejus etiam gloria coruſcat, *viciſſim humilitas & ſublimitas quibuſdam revolutionibus inter ſe partiuntur negotium.* Naſcitur in præſepio, at ſtatim adeſt *angelica*
Tert. l. de Car. Chr. 1 — *multitudo Dominum noctibus honorans:* Magi ab Oriente veniunt, *Infantiam*
Ter. l. adv Iud 9. — *Chriſti recentem auro & thure munerantes:* Stella apparet in cœlo, ut ad locum
Chryſol. Ser 157. — ubi eſt ſol juſtitiæ, adoraturos conducat reges: *Vidimus ſtellam, non legiſeram, ſed ſigniferam, ferentem non dierum ordinem, ſed noctium lumen.* Chriſtus velut
Tert. l. de Mon. 8. — pauper repræſentatur in templo: verum Anna vidua & ſenex Simeon, palam & publicè ejus magnalia prædicant. *At ubi infans templo exhibetur, quis illum in manus ſuſcipit? quis in ſpiritu primus agnoſcit? Vir juſtus & cautus: Vel ne dignius mox Chriſtus à fœmina prædicaretur vetere vidua, quæ & templo dedita ſatis in*
Tert. ibid. — *ſemetipſa portendebat, quales ſpirituali templo, ideſt Eccleſiæ debeant adhærere.* In Baptiſmo ſub manu Joannis dejicitur Chriſtus. *At quis corpus Domini dignius*
Tert. l. de Bapt 8. — *initiaret? qualis & concepit illud & peperit:* deinde Spiritus ſanctus Chriſti ſanctitatem demonſtrat, *Columbæ figura delapſus in Dominum.* In transfiguratione
Ter. l adv Prax. — de exceſſu paſſionis cum Moyſe & Elia loquitur Chriſtus: *itaque nec tunc nubes muta fuit, ſed vox ſolita de cœlo, & Patris novum teſtimonium ſuper Filio.* In
Tert. Apol. 21. — Calvario moritur Chriſtus, verùm dum efflat animam, *eodem momento, dies medium orbem ſignante ſole ſubducta eſt.* Mortuus Chriſtus præ inopia in alieno tumulatur monumento, at ejus reſurrectio & gloria corporis pluribus mi-
Tert. ibid. — raculis comprobatur: *Sed ecce die tertia concuſſa repente terra, & mole revoluta quæ obſtruxerat ſepulchrum, & cuſtodia pavore diſjecta, nullis apparentibus diſcipulis, nihil in ſepulchro repertum, præterquam exuviæ ſepulchri.* In ſola Circunciſione eſt pura humilitas abſq; ulla mixtura gloriæ & majeſtatis. Quando circunciditur Dominus, neque terra concutitur, neque Sol obtenebratur, neque homines benedicunt Deum, neque Angeli ejus magnalia prædicant, neque nova ſtella apparet in cœlo, neque Spiritus ſanctus ſub aliqua ſpecie viſibili conſpicitur: neque vox Patris auditur, neque aliquod patratur miraculum, quod Chriſti Domini teſtetur dignitatem. In Circumciſione Joannis plura fiunt miracula: Elizabeth ab Spiritu ſancto Joannis didicit nomen: Zacharias mutus loquitur & prophetat, & cuncti de puero clamitant quod magnus erit coram Domino: Nihil tale reperitur in circunciſione Domini, cuncta humilitatem ſolam redoleant, & ut belle ait D. Bernardus: Dei filius *in incarnatione minoratus eſt ab Angelis: in Circumciſione multo minus, quia non ſolum habet formam hominis, ſed & formam peccatoris*, Inde namque ſuam conſummavit humi-

humilitatem, quod inſinuare videtur Evangeliſta dicens: (Poſtquã conſommati ſunt dies octo ut circuncideretur puer.) Belle ad propoſitum D. Bonaventura: *Recte dicuntur dies iſti conſummati propter perfectionem humilitatis.*

Luc. 2.

Multiplici autem de cauſa libere & humiliter obſequutus eſt Dominus legi Circunciſionis. 1. Ut oſtenderet ſuæ veritatem carnis, & confunderet Marcionem alioſque hæreticos, qui Chriſti carnem phantaſticam tantum exiſtimabant. Hunc errorem multis inſequitur Tertullianus; præſertim libro de carne Chriſti. *Plane nativitas à Gabriele annunciatur: quid illi cum Angelo Creatoris? & in Virginis uterum conceptus inducitur: quid illi cum Eſaia Propheta creatoris? Odit moras, qui ſubito Chriſtum de cœlis deferebat. Aufer hinc, inquit, moleſtos ſemper Cæſaris cenſus, & diverſoria anguſta, & ſordidos pannos, & dura præſepia. Videret Angelica multitudo Dominum ſuum noctibus honorans. Servent potius pecora paſtores: & Magi ne fatigentur de longinquo, donet illis aurum ſuum. Melior ſit & Herodes, ne Hieremias glorietur: Sed nec circuncidatur infans, ne doleat; nec ad templum deferatur, ne parentes ſuos oneret ſumptu oblationis: nec in manus tradatur Simeoni, ne ſenex moriturus exinde contriſtetur. Taceat & anus illa, ne faſcinet puerum. His opinor conſiliis, tot originalia inſtrumenta Chriſti delere Marcion auſus eſt, ne caro ejus probaretur.* Circumcidi voluit Chriſtus ut demonſtraret corpus ſuum non eſſe materiæ cœleſtis, ut falſò docuit Valentinus. Etenim ſi fuiſſet cœleſte, neque circuncidi, neque fundere ſanguinem, neque potuiſſet pati. Adverſus hunc hæreticum ſic ratiocinatur Tertullianus: *Quid dicis cœleſtem carnem, quam unde cœleſtem intelligas, non habes? quid terrenam negas, quam unde terrenam agnoſcas, habes? Eſuriit ſub diabolo, ſitiit ſub Samaritide, lachrymatus eſt ſuper Lazarum, trepidavit ad mortem, ſanguinem fudit poſtremo. Hæc ſunt opinor ſigna cœleſtia. Sed quomodo contemni & pati poſſet, ſi quid in alia carne de cœleſti generoſitate radiaret?* 3. Circumcidi voluit Chriſtus ut hoc carnis ſignaculo ſe Abrahæ & Davidis filium comprobaret. 4. Ut ſuam nativitatem occultaret diabolo. 5. Ut Judæis ſcandalizandi tolleret occaſionem. 6. Ut (merito ſuæ circumciſionis fideles ſuos à duritia præcepti illius exoneraret, & ipſam circunciſionem in baptiſmũ dulciter commutaret.) 7. Medicinam in ſe noſter ſuſcepit princeps, ut in nos redundaret ſalus; & ut ait Origenes: *Caput pro membris accepit curationem.* 8. Ut Circumciſioni finem imponeret: *Voluit legem cum honore ſepelire.* 9. Ut oſtenderet patrum circunciſionem utilem à Deo datam & inſtitutam fuiſſe: 10. Ut nos doceret circuncidendas eſſe tum corporis tum animæ facultates: *Nos ſumus circunciſio omnium ſpiritalis & carnalis; nam & in ſpiritu & in carne ſæculo circumcidimur.* Circuncidenda eſt memoria ab imaginibus vitiorum, circuncidendus intellectus à cogitationibus vanis, voluntas à pravis affectionibus; oculus à laſcivis aſpectibus, lingua à detractionis & impietatis ſermonibus; Chriſtus enim *præfert circumciſionem cordis, præputiationi.* 1. ut legem honoraret; *Magis ſtruens quam deſtruens ſubſtantiam Legis & Prophetarum.*

D. Epiph. Hær. 50.
Tert. l. de Car. Ch. 2
D. Epiph. ibid.
L. de Car. Chr. 9.
D. Aug. l. qu. Vet. & Nov. Teſt. q. 21.
S. Leo Ser. 2. de Nat.
D. Hier.
Dion. Carth.
Ho 4. in Luc.
D. Amb.
Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 10.
Tert. l. 5. adv.
Marc. 18.
Ser. de Circ.
Tert. l. 4. adv. Marc 7.

Tert. l. de Poen 4. Chriſti obedientia Chriſtianos ad obſequendum ſtimulat: & quia *obſequii*
ratio in ſimilitudine animorum conſtituta eſt? modum quo obſequutus eſt Chri-
D. Bern. Ho. 2. ſup. Miſſ. ſtus debent imitari: Chriſtus perfecte fuit ſubditus. Quis? Quibus? Quis?
Deus cui Angeli ſubditi ſunt, cui Principatus & Poteſtates obediunt. At quibus ob-
Tert. l. de Orat. 4. ſequutus eſt? Quibus? Æterno Patri: *Sic enim ipſe pronuntiavit non ſuam, ſed*
Patris facere ſe voluntatem. Quibus? Joſepho & Mariæ. Inde Chriſtianum al-
loquitur Bernardus: (Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris:
ſive Filii benigniſſimam dignationem, ſive Matris excellentiſſimam digni-
tatem. Utrimque ſtupor, utrimque miraculum.) Quibus? Auguſto Romanæ
Chryſol. Ser. 175. Reipublicæ tyranno, & imperii uſurpatori & pagano. *Edicto Cæſaris & paga-*
ni, Dominus obtemperaturus advenit. D. Vincentius Ferrarienſis naſcentis Chri-
Tert. l. ad Pat. 4. ſti admirans obſequium, obedientiam *parvulorum infantiam* vocitat: & me-
Tert. l. de Orat. 9. ritò, quia *obſequij diſciplina morigera ſubjectio eſt.* 2. Chriſtus libere & ſpontaneè
obſequutus eſt, quia *oblatio obſequii in voluntate.* Apoſtoli, Magiſtri & Domi-
ni exemplum imitantes, (ſubmiſſa mentis judiciique cervice, obedientiæ ju-
gum ſubiere, alacrique animo in pericula, in judicia, in contumelias proceſ-
ſere.) Chriſtus obſequium charitate formavit, & charitatem obediendi de-
Tert. l. de Pat. 11. ſiderio & impatientia demonſtravit: *Nemo ſubjicere ſeſe poteſt ſine prima pa-*
Lact. l. 2. Inſt. 27. *tientia ſubjectionis ejus.* Obedientiæ promptitudinem oſtentant Angeli, qui-
in Reg. Monach. 10. bus *unum ſolumque officium eſt, ſervire nutibus Dei.* Eamdem refert D. Hierony-
mus, de Monachis in Ægypto demorantibus. (Subditi antea conabantur
juſſa implere, quam forent emiſſa, & quibuſdam quodammodo indiciis nite-
bantur prophetare de voluntate mandantis.) 4, Chriſtus obedientia ſua hu-
Caſſian. l. 5 Inſt. 8. militatem conſummavit, etenim obedientia eſt *via quædam compendioſa ad*
conſummatam perfectionem: Humilis autem obedientia ad perfectionem du-
Theophylact. in c. 13. Ioan. cit, quia ad Deum ducit. (Conſidera quod humiliari ac obedire opus eſt ejus,
qui à Deo egreſſus, & ad Deum vadit: Superbire autem & inobedientem eſ-
ſe, opus eſt ejus qui à dæmone venit, & ad dæmones vadit.) Chriſtus in ſua o-
bedientia Legem voluit honorare & Patriarcharum & Prophetarum imi-
tari exempla, qui fuerunt circumciſi. Ex D. Irenæo, hæc legis & majorum
veneratio, nota eſt Chriſtianorum: *Revereri præſtantiores atque majores, chri-*
ſtianum eſt. Quo indicio Chriſtianos à Romanis Gentilibus diſcriminat Ter-
tullianus, quibus exprobrat venerationis defectum erga leges & majores.
Nunc religioſiſſimi legum cultores reſpondeant velim de ſua fide, & honore, & obſe-
quio erga majorum conſulta. 6. Chriſtus obedientiam ſuam conſummavit, ob-
D. Paulin. Ep. 1. ſequens legi, cui non erat obnoxius, ut opera ſupererogationis ſuo auctoraret
exemplo, & conſilia adhuc Evangelica commendaret; quæ quis ſequitur
D. Bern. Ser. 2. in Convers. S. Pauli. non ex præcepto, ſed ex libero voluntatis arbitrio. *Conſilium enim dat non præ-*
ceptum, qui non dicit: Eſto perfectus; ſed, Si vis eſſe perfectus: quia libertas volunta-
tis, quæ cum bona eſt ſupra legem eſt, non cogitur, ſed ſuadetur, & ipſa ſibi lex eſt.

Verum *quam pauci inveniuntur in hac perfecta obedientiæ forma!* Chriſtus
Domi-

Dominus ſuis etiam obſequitur ſubditis, & nos nolumus obſequi Deo, nec
agnoſcere *principem mundi, perfecta potentia & majeſtatis.* Chriſtus puræ legi Tert.
Circumciſionis ſe ſubjicit, & nos leviſſimum legis Chriſti jugum ferre nolu- Apol. 2.
mus. Chriſtus ſponte, prompte, alacri animo, ſuſcepit Circumciſionem, &
nos tepidè, lentè, & quaſi coactè divina obſervamus præcepta. Chriſtus à
Circunciſione exemptus, Circumciſionis legi obſequutus eſt, & nos obtem-
perare nolumus divinis mandatis, ad quorum obſervantiam obligamur, &
niſi obſervamus periclitamur. Nam ſicut Deus remunerat obſequentes, ita pu- Tert. l. 2. ad Vx. 2.
nit inobedientes. *Sola obedientia tenet palmam: ſola inobedientia invenit pœ-* D. Aug. in Pſ. 71.
nam: quam merito luent qui dedignantur imitari Chriſtum, qui obſequen-
do legi Circumciſionis ſanctitatem ſuam ſub umbra peccati obnubilat, &
quantumvis ſit ſanctus, ut ſceleroſus conſpicitur.

Solus enim Deus ſine peccato: & ſolus homo ſine peccato Chriſtus, quia & Deus II. PARS. Tert. l. de
Chriſtus: Deus eſt abſolute impeccabilis, utpote eſſentialiter ſanctus: Sancti- An. 41.
tas & peccatum magis ad invicem opponuntur quam lux & tenebræ, quam
calor & frigus in ſummo, quam forma ejuſque privatio: Forma compati ne-
quit cum ſua privatione: duo contraria in ſummo nequeunt reperiri in eodẽ
ſubjecto; lux non poteſt ſociari cum tenebris, neque Dei ſanctitas cum ma-
litia peccati. *Quoniam cum Deum grande quid boni conſtet eſſe: utique bono non-* Tert. l. de Pat. 5.
niſi malum diſpliceret: quod inter contraria ſibi nulla amicitia eſt. Tantopere re-
pugnat Deo peccatum, ut quamvis Verbum in incarnatione aſſumpſerit hu-
militatem, paupertatem, dolorem, ignominiã; ipſam denique mortem, pec-
catum tamen non aſſumpſit. Verùm quantumvis ſanctus ſit Chriſtus, in Cir-
cumciſione 1. ejus ſanctitas ſub ſpecie peccati occultatur: 2. Chriſtus pecca-
toris ſignaculo notatur: 3. velut peccator exiſtimatur.

1. *Quis vere ſanctus quam Dei Filius,* qui nunquam fuit peccato maculatus? Tert. l. de Car. Ch. 15
Et dum aſſeverat Apoſtolus *in ſimilitudine carnis peccati fuiſſe Chriſtum;* acute
Animadvertit Tertullianus quod Pauli ſententia duplicem poteſt habere
ſenſum: 1. quod Chriſtus *ſimilitudinem carnis acceperit, quaſi imaginem corpo-* Tert. l. de Car. Chr.
ris, & non veritatem; & hic ſenſus eſt hæreticus & ſapit errorem Marcionis & 16.
aliorum hæreticorum, qui carnem Chriſti non veram, ſed apparentem tan-
tum & phantaſticam volunt: 2. Apoſtolus *ſimilitudinem peccatricis carnis vult
intelligi: quod ipſa non peccatrix caro Chriſti, ejus fuit par, cujus erat peccatum, ge-
nere non vitio Adæ.* Et hic ſenſus eſt catholicus; quia licèt Chriſtus ſumpſerit
carnem de Adamo, non tamen Adami culpam. Nam *ſecundum Apoſtoli aucto-
ritatem, evacuavit peccatum in carne.* Et ne ex hac auctoritate ſumant anſam Tert.
hæretici negandi veritatem carnis in Chriſto: *Defendimus autem, non carnem
peccati evacuatam eſſe in Chriſto, ſed peccatum carnis; non materiam, ſed naturam,
nec ſubſtantiam, ſed culpam.* Verùm etſi Chriſtus verè non aſſumpſerit pecca-
tum, etſi à carne quam ſibi univit hypoſtaticè, Adę peccatum & culpam eva-
cuaverit: etſi ſit perfectè ſanctus, ejus tamen ſanctitas in circumciſione ſub

[D. Bern. de Circunc] ſpecie peccati occultatur: *Qui nō ſolū formā hominis, ſed formā habet peccatoris.*

[Tert. l. 5. adv. Marc. 20.] Trina conſiderari poteſt in Chriſto forma: Prima eſt forma Dei: *in effigie enim Dei conſtitutus, non rapinam æſtimavit pariari Deo:* Secunda forma hominis, [Tert. ibid.] quia divinum Verbum *exhauſit ſemetipſum accepta effigie ſervi.* Tertia, forma peccatoris, quam ut dixi ex D. Bernardo præ ſe fert in Circunciſione. Chriſtus vere habet Dei formam, quia Verbum de ſubſtantia Patris generatum, [Ter l. adv Prax. 7.] & per quod omnia creata ſunt, nequit *carere ſubſtantia, quod de tanta ſubſtantia proceſſit, & tantas ſubſtantias fecit.* Verè etiam hâbet formam hominis, [Tert l de Car. Ch. 5] quia *Chriſtus homo & filius hominis; aut cur Homo Chriſtus & filius hominis, ſi nihil hominis, & nihil de homine?* [Tert. l. de Car. Chr. 16.] Formam autem peccatoris non verè, ſed tantum apparenter & ſpecie tenus habet: *Noſtrum enim induens carnem, ſuam fecit: ſuam faciens, non peccatricem eam fecit.* Chriſtus in forma Dei eſt eſſentialiter ſanctus, quia unam & eamdem cum Patre & Spiritu ſancto habet ſanctitatem eſſentialem: Chriſtus in forma hominis eſt etiam ſanctus, *ſuper quem* [Tert. l. de Cor. Mil. 15] *tota divini Spiritus gratia requievit.* In Circunciſione tamen Chriſtus *nec formā* [Tert. l. de Car. Chr. 15.] *habuit, nec ſpeciem:* quia non oſtentavit ſanctitatem quam habet in forma Dei & in forma hominis: *ſed forma ejus ignobilis*, quia ſub forma peccatoris ſan- [Tert. ibid.] ctitatis occultatur forma; & adhuc Chriſtus peccatoris ſtigmate notatur.

2. Dei Filius potuit aſſumere humanam carnem ex Adami maſſa non oriundam: Verum, ut ratiocinatur Tertullianus: [Li. de Car. Chr. 16.] *Neq; ad propoſitum Chriſti faceret evacuantis peccatum carnis, non in ea carne evacuare illud, in quo erat natura peccati, neq; ad gloriam: quid enim magnum, ſi in carne meliore, & alterius, id eſt non peccatricis naturæ, nævum peccati redemit?* Chriſti igitur innocens caro fuit ex Adami maſſa, licèt nòn ex ejus fuerit corruptione, & quamvis non [Tert. l. 1. de Cul Fœ 1.] contraxerit *ignominiam primi delicti:* in Circunciſione tamen *contumelioſus ſibi eſt;* quia ſuſcepit ſignum quo denotantur qui originale contraxerunt deli- [Tert. l. de Pat. 8.] ctum. Siquidem (Circunciſio carnis lege præcepta eſt, quia non poſſet melius ſignificari, tolli originale peccatum.) [D. Aug. l. de Ver. Innoc. 298.] Circunciſio ad tollendum originale peccatum inſtituta, ſupponebat peccatum originale, & denotabat eos qui accipiebant ſignaculum, originalem contraxiſſe culpam. Hoc notaculo ſignatus fuit innocuus Chriſtus: & ut ait Bernardus: *infigitur enim quodam cauterio latronis:* & ſicut latro cui in fronte vel ſupra humeros regium inuritur ſtigma, toto vitæ decurſu defert criminis inſigne & ignominiæ notam, ſic Chriſtus per totam æternitatem habebit in corpore notaculum quo primævæ culpæ ſignificabatur purgatio. Virgo quædam à piratis capta væniit, empta à lenone, & proſtituta venientes ad ſe deprecabatur ne ei caſtitatem eriperent, pro cujus conſervatione facultates eis abunde largiebatur. Accedit miles, quem cum exorare non poſſet, cum eo pugnavit & interfecit: accuſata, abſoluta & remiſſa ad ſuos eſt. Petit ſacerdotium: petitioni nonannuens [Sen. lib 1. Cont. 2.] Porcius Cato adverſus puellam ſic fatur: (Sacerdos noſtra adhuc in lupanari viveret, niſi hominem occidiſſet; inter barbaros quid paſſa ſit neſcio

ſcio; quid pati potuerit ſcio. Deducta es in lupanar, accepiſti locum, pretium conſtitutum eſt, titulus inſcriptus eſt, hactenus in te inquiri poteſt. Nemo, inquit, mihi virginitatem eripuit; ſed omnes quaſi erepturi venerunt, ſed omnes quaſi eripuiſſent, receſſerunt.) Chriſtus quamtumvis ſanctus, acceſſit ad Circuncifionem quaſi criminoſus, receſſit ab ea quaſi originali delicto purgatus: manet adhuc ſtigma quo notatur tanquam peccator, & ab hominibus ut criminoſus exiſtimatur.

3. Si unquam Chriſtus fuit *vultu & aſpectu inglorius*; maxime in circuncifione: nam ut criminoſus exiſtimabatur ab hominibus. *Mediocritas humana facti ſolum judicat, quia voluntatis latebris par non eſt*: Idcirco Judæi credentes ex una parte quod circuncifio inſtituta fuerat à Deo in remedium peccati originalis, & ſcientes aliunde quod Chriſtus fuerat circumciſus, recte colligebant eum fuiſſe originali delicto obnoxium: nam remedium non datur niſi propter morbum. Chriſtus accepit originalis culpæ remedium, & ut ait D. Bernardus, *alligaturam non refugit vulneris*: quapropter ut ægrotans à Judæis exiſtimabatur, quibus præbuerat materiam ſuſpicandi eſſe morbidũ: adeo *contumelioſus ſibi fuit* Chriſtus, ſuſcipiens circuncifionem in detrimentum honoris & famæ. Verùm *quodcumque Deo indignum, mihi expedit*: nam in opinione hominum gratia & ſanctitate evacuatur Chriſtus, ut nos gratia & ſanctitate repleat. Tert. l. de Idol. 18. Tert. l. de Pœn. 3. Tert. l. de Pat. 3. Tert. l. de Car. Ch. 5.

In iſto opere duo ſunt: modus & fructus; modus quidem Dei exinanitio: fructus vero, noſtri de illo repletio. In Chriſto ſunt velut tres exinanitionis gradus: Primus, quo ſe exinanivit uſque ad nihilum, ſcilicet uſque ad creaturam quæ eſt nihilum, quia de nihilo producta, ſuam redolet originem: Secundus, quo ſe exinanivit uſque ad hominem, qui ratione animæ tenet ultimũ gradum inter creaturas ſpiritales, & ratione corporis, eſt cunctis animantibus miſerabilior: Tertius, quo circuncifionis ſuſcepit ſignaculum, formamque habens peccatoris, *ne aſpectu quidem honeſtus* conſpicitur, & ſi Pater æternus poſſet ignorare ſuum filium, ſub illa ſpecie criminoſa eum non agnoſceret, ait D. Bernardus. Sed ad quid ſeſe ita exinanivit? Reſpondet D. Ambroſius: *Nos Adæ ruina omnino vacuavit, ſi ſe ille exinanivit ut nos impleret.* Natura horret vacuum & ne illud patiatur, elementa contra propriam naturam movẽtur; ignis deſcendit deorſum, terra aſcendit furſũ, & cunctæ generatim creaturæ impetu non ſibi proprio & naturali feruntur. Criminoſus Adam per peccatum fuerat gratia & ſanctitate evacuatus, cunctæ creaturæ tale vacuũ replere non poterant: & quia *Chriſtus eſt tota plenitudine divinitatis infuſus*, ſol° Chriſtus criminoſi hominis vacuum potuit implere: & ob hanc cauſam dilectus diſcipulus in primo Evangelii capitulo prædicat Chriſtũ plenũ gratię. D. Bern. Ser. 2. in Circ. Tert. l. de Iud. 4. In Ps. 109. Chryſol. Ser. 75.

Chriſtus poteſt conſiderari vel ut homo Deus, vel ut Dei Filius, vel ut caput Eccleſiæ, ſive militantis in terra, ſive triumphantis in cœlo; vel ut Redemptor hominum. Sub primo reſpectu reſpicit unionem hypoſtaticam ex qua reſultat compoſitum illud ineffabile naturæ divinæ & humanæ

in eadē Perſona Verbi. Sub ſecundo reſpectu reſpicit Patrem æternum, cujus eſt Filius naturalis, non ſolum ut Deus, ſed etiam ut homo: Sub tertio reſpectu reſpicit cunctos homines & Angelos qui ſunt membra corporis Eccleſiæ: Sub quarto reſpectu cunctos reſpicit peccatores, pro quibus in Circuncisione ſeſe exinanivit & in ſpecie peccatoris apparuit: Sub quovis autē reſpectu eſt plenus gratia. Ut Homo-Deus eſt plenus gratia ſubſtantiali unionis, quæ cum ſit in Chriſto principium meriti, eam non meruit, ſed à divina libertate gratis accepit: Ut Dei Filius eſt plenus gratia ſumma, quæ dicitur gratia ſingularitatis, quia abſq; ulla menſura eam accepit, eſtq; tanta ut major nequeat dari. Ut caput Eccleſiæ eſt plenus gratia univerſali, de qua omnes homines & Angeli ſuam acceperunt ſanctitatem & gloriam. Ut redemptor hominum eſt plenus gratia medicinali, qua replet vacuum, quod in eorum anima Adami præſtiterat culpa.

In homine ſceleroſo eſt plenitudo & vacuitas. Plenitudo peccati, vacuitas gratiæ. Plenitudo peccati: nam intellectus vanitate plen⁹ eſt, *Inſaniæ plenas vigilias habentes plena ſunt dolo*: oculi *omni iniquitate*: cor diſſimulatione plenū; *interiora ejus*; volūtas plena *pleni adulterij & inceſſabilis delicti*; os *maledictione plenum eſt*; lingua *plena veneno mortifero*: manus *plenæ ſanguine*, non ſolū cęde, ſed etiā rapina & furto. Vitioſa ejuſmodi plenitudo evacuanda eſt; nam ideo Chriſtus plenus gratia in Circūciſione *exhauſit ſemetipſum* apparens in ſpecie

Tert. l. 5. adv. Marc. 20. & forma peccatoris: ut cor & corpus peccatoris *à peccatis ſit vacuū*. Anima noſtra aſſimilatur tabellis, in quibus delendum eſt priuſquā de novo aliquid ſcribatur. Primus homo peccādo & ſe & ſuos poſteros vēdiderat: *Venditi eſtis iniquitatibus veſtris*; venditionem ab Adamo factam propriis ſceleribus firmavimus. *Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus poſterioribus peccatis.* Venditionis illius initus eſt contractus & ſcriptus in anima cujuslibet peccatoris. *Adverſus nos chirographa peccatorum ſcripta ſunt: quia ut Propheta dicit, peccatis noſtris venundati ſumus: pretium namque animæ ſuæ unuſquiſque conſequitur, cum concupiſcentiam ſatisfecerit.* Chriſtus ut venditos redimeret homines peccatores, peccatoris aſſumpſit formam, quod innuit Apoſtolus aiens: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit:* initum reſcindit contractum, *delens quod adverſum nos Chirographum decrevit, quod erat contrarium nobis, ipſum tulit de medio*, ſolvens omne debitum ad quod adſtricti eramus, & protoparentis & privato chirographo, in quo ardentem amorem & magnam demonſtravit liberalitatem. *Quid homini negare potuit, qui totum quod erat hominis, etiam peccatum, ſuſcepit, & mortem?* Nam & formam habet peccatoris in Circunciſione, & ſanguinem fundit, ut vacuas hominum animas repleat gratia, eiſque largiatur vitam & immortalitatem.

D. Baſil. Ep. de Vit. Sol. 2. Eſa. 50. D. Chryſoſt. ho. 1. ad Neoph. D. Cypr. in Symb. Apoſt. 2. Cor. 5. Coloſſ. 2. Chryſol. Ser. 70.

III. PARS Ter. l. adv Prax. 15. Apoſtolus *de Patre ſupra dixerat: Regi ſæculorum immortali, ſoli Deo; ut & contrariam ipſi Filio adſcriberemus mortalitatem.* Chriſtus eſt Deus & homo. Ut Deus, eſt eſſentialiter immortalis, & im̄ortalitas eſt illi cum Patre & Spiritu

ritu ſancto communis: Angeli animæque rationales ſunt immortales etiam ab intrinſeco, quia ſunt ſpirituales, & carent materia prima, quæ eſt principium corruptionis: Verum neq; Angeli, neq; animæ rationales ſunt immortales per eſſentiam: ſicut enim habent à Deo ſuam naturam ſpiritualem, ita & immortalem illi propriam, & licet nequeant deſtrui à creaturis, à Deo tamen potentia abſoluta poſſunt annihilari. *Solus Deus de incorruptibilitatis proprietate fœlix*; quia eſt prima cauſa, ens à ſe & per eſſentiam: ille tamen Deus immortalis *indutus eſt carnis paßibilis & mortalis indignitate*: ſtatim ac natus eſt in ſtabulo, incepit pati, & quaſi parum foret ſuſtinuiſſe frigus, nuditatem, præſepii incommoda, cunctaſq; hyemis injurias, quæ præ dolore ab ejus oculis traxerunt lachrymas, voluit adhuc circumcidi; ut fundendo ſanguinem, majorem adhuc dolorem perſentiret: & ob hanc cauſam non ex Gentilibus, ſed ex Judæis quos ingratos & ſibi infenſiſſimos præſciebat, naſci voluit, ut ſuſcipere poſſet Circuncifionem, cui non Gentiles ſed Judæi lege divina obnoxii erant. *Ideo Chriſtus naſcitur in Iudæa & non in Gentibus: quia gentilitas carebat Circunciſione, & ideo in Iudæa oſtentat gloriam, in primordio nativitatis ſuæ, in effuſione ſanguinis.* Circuncidi autem voluit Salvator, non ſolum ut ſuam oſtentaret obedientiam, obſequendo legi cui non erat obnoxius, neque adhuc ut ſuam conſummaret humilitatem, occultando ſanctitatem ſub ſpecie peccatoris; ſed ſuam adhuc demonſtravit charitatem ſubveniendo ſceleroſo homini: ideoque *etiam paßiones humanas, & ſitim, & eſuriem, & lachrymas & ipſam nativitatem, ipſamque mortem erat ſubiturus*. Et licet ſua paſſione hominum conſummaverit redemptionem, illam tamen in Circumciſione inchoavit, fundendo ſanguinem; ut 1. hominis ſceleroſi maculas mundaret: 2. hominem mortuum ad vitam revocaret: 3. hominem mortalem immortalitate donaret.

Tert. l. 4. adv. Marc. 15. Ter. l. adv. Iud. 14.

D. Irenæi l. 3. c. 7.

Ter. l. adv Prax. 16.

1. *Vt hominem geſtaret Chriſtus, ſalus hominis fuit cauſa; ſcilicet ad reſtituendũ quod perierat: homo perierat, hominem reſtitui oportebat.* Homo peccando & Deum offenderat, & magnum ſibi damnum attulerat, neque injuriæ Deo factæ ſatisfacere, neque damnum ſibi illatum reparare poterat. Tanta eſt injuria per peccatum Deo facta; ut nulla actio puri hominis, nec etiam mors, poſſit eam digne compenſare; quia malum infinitum, nonniſi bono infinito poteſt ad æqualitatem compenſari: Omne autem bonum puri hominis eſt finitum, peccatum verò eſt infinitum objective, ſubjective, propagative: Objective, ex parte Dei qui offenditur: Subjective, ex parte peccantis, quem privat infinito bono, nempe poſſeſſione Dei: Propagative, quia natura per peccatum originale corrupta hominibus ſincategorematice infinitis communicatur (ſola Deipara excepta) quia in illis eſt *caro peccatrix de peccatorio cenſu*. Naſcentes filii iræ nec Deo ſatisfacere, nec ſibi poſſunt ſubvenire: (Frater non redimit, redimet homo) Addit D. Baſilius: *Non homo ſolus, ſed homo Deus*, cujus actiones & paſſiones theandricæ, ſunt infiniti valoris, Deo ex rigore

Tert. l. de Car. Ch. 13

Tert l. de Car. Ch. 16

gore ſatisfaciunt,& homini abunde ſubveniunt.Et ut hæc duo præſtaret Dei Filius,eſt humanatus,circumciſus,& in cruce mortuus. 1.Humanatus: *In homine Deus natus eſt,carne antiqui ſeminis ſuſcepta, ſine ſemine antiquo, ut illam novo ſemine,ideſt ſpiritualiter reformaret,excluſis antiquitatis ſordibus expiatam.*

Tert l. de Car.Ch.17

Tertulliano arridet D.Auguſtinus. *Peccavit homo & factus eſt reus: natus eſt homo Deus,ut liberaretur reus:* Qui eſt 2. pro ſceleroſo homine circumciſus. Chriſtus *legem & Prophetas adimplens,*Circuncisionem accepit,in qua in corpore inſtitutum ad delendum peccatum originale ſignaculum ſuſcipiens; *adeo nec humanæ honeſtatis corpus fuit*; ſaltem coram hominibus, in quorum judicio fama hujus periclitata eſt. Ab omni peccato fuit immunis Salvator: *propterea quippe totum hominem ſine peccato ſuſcepit,ut totum quo conſtat homo,à peccatorum peſte ſanaret.*Et quamvis Circunciſio nec ad eſſentiam, neque ad hominis integritatem pertineat,quia tamen ex gente Judæa erat oriundus, & converſabatur inter Judæos,voluit circuncidi,tum (propter communitatis & uniformitatis commendationem;) tum quia *in Chriſto ſit delicti carnalis expoliatio quam ſignificat Circunciſio.* Tandem 3.*Chriſtus mori miſſus*, ut hominem criminoſum à peccato redimeret. Nam ut ratiocinatur D. Auguſtinus, (principalis cauſa ob quam Dei Filius factus eſt filius hominis, hæc eſt, ut ſecundum hominem omnia patiendo pro nobis, à peccatorum nos vinculis liberaret.) Dei Filius fuerat innocens occaſio lapſus tum Angeli tum hominis, uterque divinam ambierat ſimilitudinem quæ ad Filium ſpecialiter pertinet,eo quod ex vi ſuæ proceſſionis, ſit ſimilis principio à quo generatur. Pater injuriam Filio factam vindicavit, criminoſos damnans Angelos; & ne cunctos perderet homines qui in ſceleroſo protoparente eũ offenderant,voluit eos redimere Filius,ut qui fuerat inſons occaſio originalis culpæ,eſſet vera cauſa reparationis humanæ. Quare D.Bernardus Filium ſic loquentem inducit: (Propter me perdidit multos Angelos; propter me perdidit homines univerſos, propter me tempeſtas orta eſt; tollite me & mittite me in mare, per me recipiat Pater, quos quodammodo propter me amiſiſſe videtur.) Quam admiranda eſt Patris ſapientia qui voluit ut Filius qui homines creaverat,eoſdem recrearet. *Nam ideo Deus noſter, Filium ſuum miſit ad hominem liberandum,ut ipſe liberator eſſet,qui fuerat creator.*Quam admirabilis Filii bonitas, qui ad liberandum hominem humanatus eſt! *Cum Chriſtus non alia ex cauſa deſcenderit, quam peccatorum liberandorum.* Dei Filius fuerat offenſus ab homine, & humanari voluit, ut qui fuerat offenſus, eſſet etiam ſatisfactor, & lueret in ſemetipſo pœnam, quam homo offenſor merebatur. Dei Filius ab homine offenſus, erat hominis judex; at in incarnatione *de judice convertitur in reum*; pronuntians adverſus ſemetipſum ſententiam,quam ſuſtinere debebat homo reus: *& ne peccatores perderet, in ſe ſententiam ſuam judex retorſit,ut amaſſe ſe peccatores proderet magis ſolvendo debitum, quam donando.* Incepit ſolvere hujuſmodi debitum per Circunciſionem, quam vocitat D. Auguſtinus *ſummum ſacramentum, quo*

Ser. 9. de Nat. — Tert l. de Car.Ch.7. — Tert. l. de Car.Ch.9 — D. Aug. l. 10.Civ.17 — Dion. Carth. — D. Aug. Ep.89. ad Hilar. — Tert. l. de Car.Ch.6. — Serm. 4. de Nat. — Serm. 1. de Adv. — D. Aug. Serm. 13. de Nat. — Tert. l. de Idol. 5. — Chryſol. Ser. 29. — L. 1 de Trin. 5.

peccati vinculum ſolvitur, quia in illa ſanguinem fudit, quo æterno Patri pro homine criminoſo ſatisfaceret, & hominis rei debitum ſolveret.

Chriſtus in cruce myſterium redemptionis humanæ conſummavit, pleniſſime pro nobis Deo ſatisfecit, & totale debitum ſolvit. Verùm licet in paſſione totum pretium perſolverit, in Circunciſione tamen redemptionis noſtræ arrham dedit, & ſacratiſſimum nomen Jeſu accepit; quia erat Salvator hominum, quorum ſalutem conſummaturus erat in cruce. Evangeliſta Chriſti paſſionem referrens ſibi contradicere videtur. Nam poſtquam prodivit Pilatum dicentem: *Non invenio in eo cauſam:* ſtatim addit; *Poſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam.* Quænam autem eſt illa cauſa mortis Chriſti? *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*; quia erat Iesus & Salvator, debebat mori, ut ſacro-ſanctum illud impleret nomen, quod ei impoſitum fuit in Circunciſione, ubi Salvatoris inchoavit officium fundens primas ſanguinis guttulas. Deus in veteri lege frugum primitias exoptabat, hominum & animantium primogenitos. Chriſtus ut Patri pro hominibus ſatisfaciat, offert illi primitias ſui ſanguinis. O quam acceptabilis fuit ſacratiſſimus ille ſanguis, quem de corde ſuo lachrymatus eſt Salvator. Chriſtus Dominus fudit ſanguinem, tum in ara crucis, tum in præſepio Bethleemitico; in cruce per manus impias ſicariorum, in præſepio per ſanctiſsimas Deiparæ manus: in cruce Deus ſummè Chriſti paſſione glorificatus eſt; ſed ſumme etiam offenſus Judæorum injuſtitia & crudelitate: in præſepio Deus nullo modo offenditur, ſed perfectiſſimè honoratur per Circunciſionem Jeſu, qui miniſterio Deiparæ primas ſanguinis fundit guttulas & offert æterno Patri pro hominum ſalute. Nam ut belle ait Gregorius Nazianzenus, *Chriſtus propter Adamum, Bethleem propter Edem, præſepe propter paradiſum.* Siquidē conſummandam in cruce redemptionem in præſepio inchoat, & ſuſcipiendo Circunciſionem, nobis ſanguinis ſui fructum applicat. Nam ut ait D. Auguſtinus: *Non ob aliud credendum eſt antiquis patribus hoc divinitus fuiſſe præceptum, ut octavo die circuncìderent parvulum, niſi ad ſignificandam regenerationem quæ fit in Chriſto,* per meritum ſanguinis Salvatoris in Circunciſione effuſi, qui virtutem habet & dimittendi peccata, & conferendi gratiam. Quapropter baptiſmus nuncupatur à Tertulliano: *Candidatus remiſſionis & ſanctificationis in Chriſto Ieſu:* quia in illo nobis applicatur ſanguis Chriſti, qui candidat animas; tum quia illas mundat à peccati maculis; tum quia illas gratia dealbat; tum quia illas innocentiæ puritate candidat. Hoc pretioſo ſanguine candidati Martyres, qui proprio fuerunt ſanguine purpurati: *Hi ſunt qui veniunt ex illa preſſura, & laverunt veſtimentum ſuum, & candidaverunt ipſum in ſanguine agni.* Effuſus aliorum ſanguis non dealbat, ſed cruentat; at Chriſti ſanguis candidat quos ſanctificat: *Qualis rubor cui dealbandus certus effectus!* Et quia vita in ſanguine, Chriſtus ſanguinem qui eſt vitæ principium fundit in Circunciſione, ut hominem per peccatum mortuum, ad vitam revocet.

Matth. 27 · Orat. 1. · D. Aug. l. 6. cont. Iulian. 8. · L. de Bapt. 10. · Tert. Scorp. 12. · Gilbert.

2. *Noviſſimus Adam de carne, in Spiritum vivificantem à Deo prolatus eſt.* Sæpe repetita placebunt, Chriſtus non erat circunciſioni obno- Tert. l. de Car. Chr. 17.

Chryſol. Ser. 175. xius, quæ ad tollendum originale peccatum fuerat inſtituta: Chriſtus autem originalem non contraxit culpam; *Talis non eſt de ſemine, ſed de virginitate conceptus; quando in tali germine cœleſtis partus eſt, non humanus*; Ideo D. Bernardus Ser. de Circunc. Chriſto de ſua à peccato immunitate congratulatur: (Quod non feceris peccatum, ætas ipſa manifeſtat; quod non contraxeris, mihi fortiter probat Patris divinitas, & Matris integritas. Eſt tibi Pater ab æterno, ſed Deus: eſt tibi Mater in tempore, ſed Virgo: nec parere potuit incorruptio corruptelam.) Ser. 1. de Nat. Quia tamen, ut addit D. Bernardus, *duo ſunt hoſtes, peccatum & mors, utrumque debellaturus advenit*; utrumque debellavit in Circunciſione. Debellavit peccatum, deferendo formam peccatoris: debellavit mortem fundendo primũ ſuum ſanguinem & graviſſimum ſuſtinendo dolorem. Tormentum quod in tenerrima illa ætate patiebantur parvuli tantum erat, ut multi in ſuſcipienda Circunciſione morerentur; & Chriſt⁹ cujus complexio erat delicatiſſima abſque dubio fuiſſet mortuus, niſi miraculosè ei vita fuiſſet conſervata, ut poſſet ſuo nomini reſpondere moriendo in cruce, ut mortuum peccato Tert. Scorp. 5. hominem ad vitam revocaret. *Homo ſibimetipſi periculum mortis attraxit: acceperat à Domino ſuo ſatis utilem diſciplinam ſecundum legem vivendi, ut omnia quidem ederet, ab una ſolummodo arbuſcula temperaret. Audijt ille quem maluit, edit inlicitum, & tranſgreſſione ſaturatus in mortem cruditavit*; & ſuos poſteros quibus communicavit peccatum, morti etiam mancipavit. Quare mortuam per Adami peccatum ejus poſteritatem volens ad vitam revocare Chriſtus, Tert. l. adv Iud. 14. fuit *homo in plaga* per ſuſceptionem Circunciſionis: & inivit pactum mori- D. Aug. l. de Nat. & Grat. 17. endi tum ut nos à morte liberaret: *hoc eſt pretium noſtrum, quo nos à morte redimeret*; tum ut vitam nobis conferret. Utrumque eloquenter declarat Chry- Ser. 156. ſologus: (Cum naſcitur Jeſus, oritur origo rerum, generatur largitor generis, naſcitur auctor naturæ, ut repararet naturam, genus redderet, originem revocaret. Adam primus homo, origo generationis, naturæ bonum, libertatem generis, & germinis vitam ſic perdidit dum deliquit, ut malum naturæ, ſervitutem generis, germen mortis, ſucceſſio lamentanda portaret: Hinc eſt quod Chriſtus naſcendo naturam reddidit, tulit moriendo mortem, vitam revocat dum reſurgit.) Primus homo factus fuerat filius Dei & creatus in animam vivam: peccando autem factus eſt diaboli ſervus & animæ vitam D. Aug. Ser. 17. de D verſ. ſimul cum gratia perdidit. Filius Dei ſuſcipit formam ſervi ut captivum hominem a diaboli tyrannide liberet, atque amiſſam reddat libertatem. D. Aug. Ser. 11. de Nat. (Humiliavit ſemetipſum formam ſervi accipiens: in hac forma deſcendit, in hac forma fortiter dimicavit,) adverſus diabolum qui captivum detinebat hominem, D. Aug. l. 13. Civ. 18 quem liberavit à ſervitute, & ad vitam revocavit: *Sed ideo ille venit naſci, ut nos iterum viveremus.*

Tert. l. de Pall. 2. Eodem modo voluit Deus reparare parvum mundum quo creaverat univerſum. Creans mundum Deus illum ex contrariis compoſuit; *quippe mundus ex diverſis ſubſtantijs officijsque conſpirat.* Via adhuc contrariorum mundum

con-

conſervare voluit, *qui & diverſitatibus corporatus, & vicibus temperatus*, aquam oppoſuit igni ut incendia imbribus extingueret; ſiccitatem humiditate, frigus calore temperavit, noctis tenebras diei luce fugavit, venenis antidota ſubminiſtravit, & animantium mortem, aliorum nativitate reparandam reſtituit: *Diverſa in unum; ex demutatione diverſa ſunt. Denique diverſitatis diſcordiam ſœderant.* Eumdem fere ordinem in reparatione microcoſmi ſervavit Deus. Delegationem ſancti Angeli oppoſuit tentationi dæmonis; humilem Mariæ aſſenſum arroganti & temerario Evæ deſiderio; obſequiũ Chriſti, inobedientiæ Adami; hortum Gethſemani, ubi Dominus fuit triſtis uſque ad mortem, paradiſo voluptatis, in quo deliciabatur Adam; lignũ crucis arbori ſcientiæ boni & mali; coronam ſpineam ambitioſo protoparentis capiti; velamen quo teguntur oculi Salvatoris, inordinatis Adami aſpectibus: fellis & aceti amaritudinem pomi vetiti ſuavitati; manus Chriſti affixas cruci, Adami manibus ad pomum colligendum expanſis: totum deniq; innocuũ Redemptorem toti ſceleroſo homini; *Deus imaginem & ſimilitudinem ſuam à diabolo captam æmula operatione recuperavit. In virginem adhuc Evam irrepſerat verbum ædificatorium mortis: in Virginem æque introducendum erat Verbum ædificatorium vitæ: ut quod per hujuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redigeretur in ſalutem. Inde prodeundum fuit Chriſto ad ſalutem hominis, quo homo jam damnatus intraverat.*

Tert. ibid.

Tert. l. de Car. Ch. 17

Tot ſuppliciorum genera ſuſtinuit Salvator *ut deſtruatur corpus peccati*. Corpus peccati eſt tota peccatorum maſſa, quæ eſt quaſi unum corpus veteris hominis cujus membra ſunt, ſuperbia, avaritia, ira, invidia, luxuria, deſidia, gula, aliaq; crimina quæ monſtrum illud abominabile componunt. Ut totaliter deſtrui poſſet ſceleroſum illud corpus malitia dæmonis conflatum; fuit corpus totum innocuum miniſterio ſancti Spiritus formatum. Hoc autem innocens corpus, eſt corpus Chriſti, quod ingrediens mundum offert æterno Patri, ad deſtruendum probroſum illud peccati corpus. *Corpus autem aptaſti mihi.* In criminoſo illo corpore nulla eſt pars quæ non ſit corrupta; in innocuo iſto corpore nulla eſt pars quæ non ſit munda: oportet ut omnes partes corporis innocui deſtruant partes corporis criminoſi, ut ſuperbia humilitate deſtruatur, avaritia liberalitate; ira mititate, odium charitate, luxuria caſtitate, gula ſobrietate; vitium virtute, peccatum ſanctitate, mors immortalitate.

Tert. l. de Car. Ch. 17

3. *Veni, inquit, animam ſalvam facere*: & ut alíorſum ait, *ut vitam habeant & abundantius habeant.* Homo peccando trinam incurrerat mortem: 1. animæ, quæ ſeparata fuerat à gratia, quæ eſt principium vitæ ſpiritualis: 2. mortem corporis, quod condemnatum fuit redire in terram, de qua fuerat productum: 3. mortem æternam tum animæ, tum corporis, quæ eſt pœna lethalii peccato debita. Chriſtus autem mortale ſuſcepit corpus, ut nobis conferret immortalitatem; *trahens de homine mortalitatem, non iniquitatem.* Potuit quidem aſſumere corpus immortale, ſed mortale ſuſcepit; 1. Ut mortuum

Tert. l. de Car. Ch. 12

D. Aug. Tract. 36. in Ioan.

decca-

D. Aug. Ser. 20. de Nat.
D. Aug. Ser. 19. de Nat.
Euſeb. Emiſſ. Hom. 6. de Paſch.
D. Aug. Ser. 22 de Diverſ.

peccato hominem ſuſcitaret ad vitam: *Mortalis venit, ut mortuum quæreret moriendo.* 2. Ut homines gratia vivificati Chriſto vivant, qui ſua morte contulit eis animæ vitam: (Debet vita humana in ſe deficere, in Chriſto proficere, ut qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt. 3. Ut nobis vitam immortalem conferat. *Suſcepit mala noſtra ut nobis conferret bona ſua.* Quænam ſunt mala noſtra? dolor, infirmitas, mortalitas. Hæc omnia in incarnatione ſuſcepit Dei Filius, & in Circunciſione ſuſtinet, ut nobis tum animæ tum corporis mereatur ſuo ſanguine immortalitatem. *Natalis eſt hodie Salvatoris, in quo immortalitas quæ per peccatum perierat, mortalibus reddita eſt.* Dei filius venit in mundum, ut mercatoris fungeretur officio. Mercatores ſuas merces commutant cum alienis, eas tamen non commutant, niſi ex commutatione captent utilitatem. Chriſtus è contra mercando non ſibi proficit; nam viles à nobis accipit merces & largitur nobis pretioſiſſimas.

D. Au. Ser 9. de Nat.
D. Bern.

Mercatus eſt à nobis, quod hic abundat, naſci & mori, reſurgere & in æternum vivere non hic erat: invenit hic viles merces terrenas, & terreſtribus attulit peregrinas & cœleſtes. Pro terra dedit nobis cœlum, pro miſeria beatitudinem, pro mortalitate immortalitatē, pro paſſione impaſſibilitatē, & pro morte vitam ſempiternam. (Quid hæc omnia diligenter conſideranda faciant, niſi ut conſiderantis animum ab omni opere pravo vindicatum, ad ſe trahant?) Chriſtianus ſeriò recogitans dolorem quem pro ſua ſalute patitur Salvator, ſanguinem quem fundit, ut peccatorum ſuorum maculas lavet, peccati horrorem concipit, quo ſanctiſſimus Dei Filius in ſpecie apparuit peccatoris, & tenerrimus puerulus Jeſus tanta paſſus eſt tormenta.

D. Aug. Ser. 9. de Nat.
2. Cor. 6.
Iſa. 49.

Quando peccatum quodcunque delectat aut ſubrepit, ſit nobis in memoria, quod jam deleta ſunt peccata noſtra: non perdamus pretium ſanguinis Chriſti, nec maculemus ſtolam animæ per iniquitatem; neque Chriſtum fruſtremus fructu Nativitatis, Circunciſionis, Paſſionis & mortis: *Adjuvantes exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Maxima omnium gratiarum eſt effuſio ſanguinis Chriſti. Illi in vanum tantam recipiunt gratiam, qui adhuc peccato ſerviunt & ſuis ſcelerib⁹ inutilem reddunt Chriſti nativitatem, vitam & mortem. De quo ipſemet conqueritur Salvator: *In vacuum laboravi, vane & ſine cauſa conſumpti fortitudinem meam.* In vanum magnitudinem meam dejeci, ut tumentem dejicerem hominū ſuperbiam, cum adhuc ſuperbia & vanitate tumeſcant: In vanū pauperiē aſſumpſi, ut confunderē vanam mundi opulentiā, cum adhuc poſt curioſitatem & pompā anhelent: In vanum ſuſtinui tot incōmoda & fudi lachrymas, ut eorum damnarem laſciviam, cum adhuc immerſi jaceant in cœno impudicitiæ: In vanum Circunciſionis legem obſervavi, ut mea obedientia eos ad obſequendum Deo allicerem, cum divina mandata non ſervent: In vanum ſtigma ſervi ſuſcepi, ut eos à diaboli liberarem ſervitute, cum ſint adhuc dæmonis mancipia: In vanum ſub ſpecie peccatoris apparui, ut eorum mundarem maculas, cum ſint adhuc contaminati: In vanum fudi ſanguinem, ut eis conferrem gratiam, vitam & immortalitatem, cum nul-

lum fructum reportent de doloribus & paſſionibus meis.

Hæ ſunt querelæ Chriſti naſcentis, lachrymantis, vagientis & ſanguinem
fundentis: qui aliquando adverſus peccatores rugiet ut leo, & apparebit tā-
quam judex ut condemnet criminoſos Chriſtianos, qui de ejus paſſione ni-
hil profecerunt: Tunc *damnabit veros reos, qui factus eſt falſus reus.* Sanguis ipſe
qui de illius corpuſculo manavit, feret teſtimonium contra ſceleroſos. *Chriſti
ſanguis quaſi tuba exaltat vocem ſuam, & ſi vocem ejus tu non audis, audit ille de
cujus latere manavit: quomodò namque proprium non audit, qui Abel ſanguinem* D. Aug: Ser. 64. de
audiebat? Chriſti ſanguis duplicem profert vocem: patrocinantis & ac- Verb. Dom.
cuſantis. Accuſantis adverſus peccatores; patrocinantis in gratiam juſtorum: D. Bern.
(Cauſa præcipua cur poſtes agni ſanguine rubricarentur, erat ex parte Chri- Ep. 7.
ſti, quia ſignificabatur, quod per ſanguinem Chriſti, qui erat Agnus imma-
culatus, liberaremur à morte & à diabolo, qui eſt vere Angelus extermina- Abul. qu.
tor.) Sit anima noſtra purpurata ſanguine Chriſti, ſit corpus noſtrum rubri- 17. in cap. 16. Matth.
catum ſanguine Chriſti, & ipſe ſanguis erit noſter non accuſator, ſed patron9:
erit Chriſtus non judex, ſed Salvator, qui nobis vitam largietur immortalē.

CONCIO TERTIA.

AD *noſtram ſuſpenſionem pertinet regni Dominici repræſentatio.* Scilicet ad
ſolos ſpectat Chriſtianos Chriſti diſtinguere & ſeparare regnum, *ſuſpen-* Tert. l. de
ſa enuntiatione; quod tunc fit quando aſſeveratur veritas, falſitate ſeparata. Orat. 5. Tert. l. de
Nonnulli Chriſtum præciſe ut hominem conſtituunt regem Judæorum ra- Orat. 4.
tione generationis maternæ, cui de jure ſolium David competebat. Verum Armachā. l. 4. de qu.
ſi poteſtatis jus quoque nullum, ne in ſuos quidem exercuit; cùm incertum ſit an Armen. c. 15.
Maria Virgo deſcenderit recta linea de David per Salomonem, jure hæredi- Tert. l. de
tario Judæorum regnum neque Mariæ neq; Chriſto præciſe ut homini com Idol. 18.
petebat: Alii volunt adveniente Chriſto cunctos reges terræ uſu & etiā do-
minio regni fuiſſe privatos: ſed falsò; quapropter D. Auguſtinus acute anim-
advertit Chriſtum pronuntiantem: *Meum regnum non eſt de hoc mundo, tacitè
dixiſſe ad omnes reges terræ: Nolite timere, non impedio dominationem veſtram.* Tract. 115.
Struenda eſt quidem regia Chriſti dignitas, ſed non eſt deſtruenda regum tē- in Ioan.
poralium dominatio. *Chriſtianus Imperatorem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe
eſt ut eum diligat, & revereatur, & honoret, & ſalvum velit*; excluſo autem erro- Tert. l. ad
re Chriſtus *homo Deo mixtus* credendus eſt rex: 1. Verus: 2. Magnus: 3. Bene Scapul. 1. Tert.
ficus. At proh dolor: 1. Rex ille verus non agnoſcitur: 2. Rex ille magnus Apol. 21.
deſpicitur: 3. Rex ille beneficus perſequitur.

De Chriſto eſt Matheſis hodie; quæ *ſtellam Chriſti obſervat* & *prædicat*:
nam ut ante dixerat Tertullianus; *ſed Magi & Aſtrologi ab Oriente vene-* I. PARS.
runt: primi ſtellarum interpretes natum Chriſtum annuntiaverunt. Hos Tert. l. de
autem reges aſſeverat Scriptura. Inde exclamat D. Auguſtinus; *Currant* Idol. 9. In Pſ. 47.
reges

reges poſt regem, agnoſcant reges regem. Et meritò reges illi Chriſtum regem prædicant; cui de jure regia competebat dignitas. Inter reges nonnulli regnum à parentibus hæreditarunt; ut Rex noſter, qui à Ludovico decimo-tertio Franciæ hæreditavit imperium; quidam per electionem obtinuerunt, quomodo hoc anno Joannes Sobieski electus eſt Rex Poloniæ: alii bello ſibi compararunt; ſic Alexander Macedo, Dario debellato in Perſarum ſolium aſcendit. His autem tribus modis Chriſtus eſt verus Rex, regnumque poſſidet, jure 1. generationis: 2. electionis: 3. acquiſitionis.

Tert. l. adv Valent. 19. 1. Chriſtum credimus regem *jure paternæ hæreditatis hæredē.* Bina eſt Chriſti hæreditas: una materna, paterna altera: A Matre dependentiam & ſervitutem hæreditario jure mutuatur: à Patre vero dominationem & imperiū accepit. Idcirco *& ſervus vocatur & Dominus: propter nos ſervus, ſed in veritate divinæ ſubſtantiæ, Deus de Deo, Princeps ex Principe, æqualis ex æquali: neq; enim degenerem genuit, in quo ſeipſe complacere memoravit.* Chriſtus verus eſt rex, quia eſt à Patre rege, qui nequivit eum generare quin ei regiam contulerit dignitatem. Cæteri principes reges minime naſcuntur, ſed naſcendo fiunt regni capaces. Saporis mater adhuc gravida, voluit ſuum ſupra ventrem coronam apponi, ut intelligerent ſubditi ſe in utero deferre regem: verum immerito. Quomodo enim filius in utero reginæ coangustatus poterat eſſe rex, qui certo non erat naſciturus? Solus Chriſtus eſt rex natus; non naſcitur ut fiat rex, quia eſt rex non ſolum ab æterno generatus à Patre, ſed etiam in primo inſtanti maternę conceptionis, in quo eſt Filius Dei naturalis & imperii paterni hæres. *Statim tibi promiſſio Patris accurrit in Pſalmis? Filius meus es tu, ego hodie genui te: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Quod probe ſcientes Magi divinitus illuſtrati, non dicunt; Ubi eſt rex? quaſi poſt nativitatem dumtaxat fuerit factus rex, more aliorum qui reges non naſcuntur, ſed naſcendo habent tantum *caput diademati deſtinatum*; ſed abſolute dicunt: Ubi eſt qui natus eſt rex? ut innuant Chriſtum & jam ante temporalem nativitatem eſſe regem: naſciq; non ut accipiat diadema; ſed cum diademate, quod defert in capite jure hæreditariæ generationis, & jure divinæ electionis.

D. Ambr. in Pſ. 21.

Tert. l. adv Iud. 11.

Tert. l. de Cor. Mil. 15.

Ter. l. de Idol. 18. 2. Chriſtus Dominus *Regem fieri, conſcius ſui regni refugit*: Virtute miraculorum moti Judæi Chriſtum regem facere voluerunt; verum ipſe *conſcius regni ſui refugit*: Reges terræ electione populorum facti ſunt reges, & quamvis multi hæreditario jure à ſuis progenitoribus regnum accipiant, ipſi tamē prædeceſſores nonniſi aliorū ſuffragio reges effecti ſunt. Dum populus Chriſtum regem eligere nititur, fugit & latet Salvator: quia *erat quidem rex, non talis qualis fit ab hominibus, ſed talis ut homines faceret reges*, & dum Domino ingrediente Jeruſalem ingens populi multitudo alta voce eum regem Iſraël prædicat, ipſe regni ſui conſcius, nulla profert verba acceptationis vel gratitudinis. Sed quid fuit Domino regem eſſe Iſrael? quid magnum fuit regi ſæculorum regem fieri hominum? Non enim Rex Iſraël Chriſtus ad

D. Aug. Tract. 4. in Ioan.

D. Aug. Tract. 51. in Ioan.

exigen-

exigendum tributum, vel ferro exercitum armandum, hoſtes viſibiliter debellandos: ſed rex Iſraël quod mentes regat, quod in æternum conſulat, quod in regnum cœlorum, credentes, ſperantes, amanteſque traducat.) *Dei ergo Filius æqualis Patri; Verbum per quod facta ſunt omnia; quod rex Iſraël eſſe voluit, dignatio eſt, non promotio: miſerationis indicium, non poteſtatis argumentum.* Regia dignitas & poteſtas fuerat illi collata à tribus perſonis divinis, eadem voluntate ad extra agentibus, ut ex ipſius declaratione conſtat. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Matth. ult.

Electiones hominum ſæpe ſæpius ignorantiâ, paſſione, & contentione devenuſtantur. 1. Ignorantia, quia fiunt ab electoribus ignaris qui non norunt vitia nec virtutes ejus quem eligunt; ſed *cæcitate in ſuffragium impingunt.* 2. Paſſione, nam amor vel odium ut plurimum, non juſtitia & virtus in hujuſmodi electionibus præſidet, in quibus dignioribus contemptis indigni præferuntur. *Prælatio alterius ſine alterius contumelia non poteſt procedere, quia nec electio ſine reprobratione.* Tandem 3. talis electio non fit ut plurimum niſi cum *regni contentione:* nam ubi ſunt plures candidati, vel conſanguinitate, vel amicitia, vel donis, vel promiſſis, ad ſe multos alliciunt, & interdum vi uſurpant regnum quod nunquam ex electorum obtinuiſſent ſuffragio. Nullus ex his defectibus reperitur in electione quâ Chriſtus conſtitutus eſt rex. Non ignorantia, quæ in Deum cadere nequit; non paſſio, cujus Deus eſt incapax: non contentio, quia abſque ullo competitore conſtitutus eſt rex ab eo qui *Regna diſpenſat.* Tert. Apol. 3. Tert. ibid. Tert. l. de Spect. c.

Divinam hanc electionem mirum in modum declarant *Orientales illi Magi infantiam Chriſti recentem auro & thure munerantes.* Non didicerant Magi Chriſtum ex regia Herodis ſtirpe oriundum: neque à populo Judaico in regem aſſumptum: nihil inveniunt quod regiam ſapiat dignitatem: & tamen ubi eſt natus Rex poſtulant: inventum Chriſtum in ſtabulo jacentem velut regem agnoſcunt & munerant: & in urbe Hieroſolymitana Romanis ſubdita regem prædicant, eodem tempore quo promulgatum fuerat decretum ne quis Deus aut rex diceretur abſque Senatus auctoritate. Et ob hanc cauſam turbatus eſt Herodes & timuit. (Non ſolum propter ſe timuit Herodes, ſed propter iram Romanorum. Decreverant enim Romani, ne quis rex, vel Deus, ſine eorum conſilio diceretur.) Attamen non obſtante inhibitione Senatus, non obſtante Herodis conturbatione, non obſtante ſtabuli & pannorum vilitate, deſuper illuſtrati, Chriſtumque non ab hominibus ſed à Deo electum ſcientes, regem audacter prædicant, eique offerunt myrrham, velut auſpicium paſſionis & mortis quâ ſibi regnum erat acquiſiturus. Tert. l. 1. ad Nat. 17. Tert. l. adv. Iud. 9. Gloſſ. in c. 2. Matth.

3. *Omne regnum vel imperium, bellis quæritur, & bellis ampliatur,* ut patet ex Aſſyriorum, Medorum, Græcorum, Romanorum, Turcarum, immo ipſiuſmet Chriſti imperio, de quo vaticinatus fuerat Eſaias Propheta: *Quoniam priuſquam cognoſcat infans vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damaſci &* Tert. l. 2. ad Nat. 17. Tert. lib. adv. Iud. 9.

ci & ſpolia Samariæ adverſus regem Aſsyriorum. Ut autem animadvertit Tertullianus,hoc Eſaiæ vaticinium figuratè & allegoricè eſt intelligendum. *Ante eſt enim inſpicias ætatis demonſtrationem, an virum jam Chriſtum exhibere iſta ætas poſsit: Scilicet vagitu ad arma eſſet convocaturus infans, & ſignum belli non tuba,ſed crepitacillo daturus; nec ex equo, vel de muro, ſed de nutricis & gerulæ ſuæ dorſo ſive collo,hoſtem deſtinaturus,atq; ita Damaſcum & Samariam,pro mammis ſubacturus. Enimvero ſi nuſquam hoc natura concedit, ante militare quam virum facere, ſequitur ut figuratè pronuntiatum videatur.* Hujus autem figuræ veritas adimpleta eſt,dum Magi ſunt Chriſti imperio ſubſtrati. *Servate modum ætatis,& quærite ſenſum prædicationis,& tam intelligitur prophetia, quam renuntietur expuncta*, ut ex explanatione verborum Prophetæ demonſtratur. *Maneant enim Orientales illi Magi,in infantia Chriſtum recentem auro & thure munerantes: & acceperit infans virtutem Damaſci ſine prælio & armis: Nam omnibus notum eſt,orientis virtutem,id eſt vim & vires,auro & odoribus pollere ſolitam. De illo autem tunc auri munere etiam David: Et dabitur illi ex auro Arabiæ. Et rurſus; Reges Arabum & Saba munera afferent illi. Nam & Magos reges fere habuit oriens,& Damaſcus Arabiæ retro deputabatur antequam tranſcripta eſſet in Sirophœnicem,ex diſtinctione Siriarum; cujus tunc virtutem accepit, accipiendo inſignia ejus,aurum ſcilicet & odores.Spolia autem Samariæ ipſos Magos,qui cum illum cognoviſſent,& muneribus honoraſſent,& genu poſito adoraſſent quaſi Deum & regem,ſub teſtimonio indicis & ducis ſtellæ ſpolia ſunt facti Samariæ, ideſt idololatriæ, credentes videlicet in Chriſtum. Idololatriam enim Samariæ nomine notavit, ut ignominioſa ob idololatriam,quâ deſciverat tunc à Deo ſub rege Hieroboam. Adverſus autem regem Aſſyriorum, adverſus Herodem intellige, cui utique adverſati ſunt Magi tunc,non renuntiando de Chriſto quem intercipere quærebat.* Vides Prophetæ vaticinium belle explanatum & plene adimpletum in adoratione Magorum,quorum ſpolia tulit Chriſtus,dum eos ab idololatria avocavit,à diaboli tyrannide liberavit, & ſuo imperio ſubdidit. Magos autem Samaritanos appellat, ut eorum denotet idololatriam: *Nec hoc novum Scripturis divinis, figuratè uti tranſlatione nominum, ex comparatione criminum. Sic & Ægyptus nonnunquam totus orbis intelligitur ſuperſtitionis & maledictionis elogio; ſic & Babylon apud Ioannem noſtrum,Romanæ urbis figura eſt, proinde & magnæ,& regno ſuperbæ, & Sanctorum debellatricis. Hoc itaque modo Magos quoque Samaritanorum appellatione titulavit,& deſpoliatos,quod habuerant, ut diximus, idololatriam.* Hanc victoriam reportavit Chriſtus *adverſus regem Aſſyriorum, adverſus diabolum,qui ad hoc ſe regnare putat,ſi Sanctos à religione Dei deturbat.*

Tert. l. 3. adv. Marc. 13.

Tert. lib. adv. Iud. 9.

Tert. ibid.

Hercules adhuc in pannis, ſuffocavit ſerpentem: & Chriſtus in cunabulis dæmonem debellavit,& hæc victoria eſt tanto glorioſior, quanto fortior adverſarius ejus, quanto ditiores ſunt prædæ quas de manu ejus tulit, quanto nobiliores ſunt Magi quos dæmoni eripuit, & ditionis ſuæ fecit, quanto pretioſiora ſunt munera quæ Chriſto obtulerunt Reges. *Nam & thus illud, & myrrham*

myrrham, & aurum ideo infanti tunc Domino obtulerunt, quaſi clauſulam ſacriſicationis & gloria ſacularis, quam Chriſtus erat adempturus. Diabolus orbem mendacio divinitatis repleverat, ſibi templa. ſacrificia & munera arrogaverat; Magi idololatriç dediti & dæmonibus munera offerre aſſueti, à tenebris ad lucem veritatis vocati, munera dæmoni denegantes, Chriſto offerentes, clauſulam idololatriæ denotant, & religionis Chriſtianæ initium fœlici auſpicio præſagiunt. Idol. 9.

Animadvertit autem Chryſologus, quod Magi dicendo: Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? *non interrogant, ſed inſultant, quando ſcientes interrogant, neſcientes non ignorant, ſed negligentes arguunt, increpant deſides, malos produnt, contumaces verberant, ſervum Domino non occurriſſe cauſantur.* Judæos interrogant Magi, & ſciſcitantur ab eis, Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum; non ut ab hominibus ediſcant, quod fuerant edocti divinitus. *Nam quid ab hominibus quærant, qui per Deum noverant quod quærebant? ut quid illis ad hoc humanæ demonſtrationis officium, quibus ad hoc cœli ſidera ſerviebant? quo illis lucerna templi, quibus cœli ſidus mirabile perlucebat?* Quærunt Magi ubi natus eſt rex Judæorum, non ut inſtruantur à Judæis, ſed ut Judæos arguant, increpent, confundant. Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? *hoc eſt dicere: Cur rex Iudæorum in præſepi jacet, & non decumbit in templo? cur non fulget in purpura, ſed ſqualet in pannis? cur latet in ſpecu, & manifeſtus in ſanctuario non habetur? Acceperunt jumenta in præſepe, quem in domo ſua recipere vos ſpreviſtis.* Hæc Judæis ſua interrogatione exprobrant Magi; & merito. Nam videntes adimpleta omnia quę de Meſſia vaticinati ſunt Prophetæ, natum Meſſiam noluerunt agnoſcere; *& ſui eum non receperunt.* Verùm quem Judæi non agnoverunt, Magi adoraverunt, & ſua pietate Judæorum condemnarunt impietatem: *Plus cœleſte de Magis, quam ſtella ſignum eſt; quod Iudæi regem, quod legis authorem Magus ſcit, neſcit Iudæus; Chaldæa defert, non defert Iudæa: Heroſolyma averſatur & refugit, Syria ſequitur & adorat.* Neq; vero ſolos Judæos arguunt Magi, ſed plures etiam ſceleroſos Chriſtianos, qui Chriſtũ regem non agnoſcunt; eum recipere recuſant. *Non eſt in vetus ei locus in diverſorio*, ejuſdem reſpuunt imperium, dicentes cum Judæis: *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Non vult ſuperbus ſupra ſe regnare Chriſtũ, neq; avarus, neque libidinoſus, neq; alius peccator, & quod eſt deflendum magis, non agnoſcentes verum regem Chriſtum, dæmonis tyrannidi ſeſe ſubjiciunt. Ser. 156. Ioan. 1. Chryſol. ibid. Luc 19.

Fuere aliàs reges qui ultro juri hæreditario quod habebant ad regnum renuntiarunt, ut illud ex ſubditorum ſuffragio obtinerent: prætulerunt populorum electionem hæreditati quam à progenitoribus acceperant, malentes tenere diadema de ſufflammata plebis electione quam de naturæ beneficio & nobilitate ſanguinis. Chriſtus eſt verus rex: tum quia filius naturalis regis & legitimus imperii paterni hæres: tum quia electus à tribus divinæ Trinitatis perſonis: tum quia propria virtute & merito ſolium regium aſſequutus: & quaſi tot tituli quibus ei regia competit Plut. in Alex.

 dignitas,

dignitas,non ſufficiant,vel adhuc eligi à ſuis ſubditis & de manu eorum mutuari ſceptrum : *In tuo arbitrio Deus poſuit cui pares locum, Chriſto an diabolo; cum paraveris, qui poſſidebit ipſe imperabit.* Sceleroſus tamen Chriſtianus rejecto Chriſto, diabolum in regem agnoſcit, Judæo longe ſceleroſior; tum quia majori luce illuſtratus : tum quia plurimis & maximis beneficiis obligatus : tum quia Judæus Chriſto denegavit obſequium, ut Cæſari obſequeretur : *Aperte Iudæi regem Chriſtum recuſaverunt, & regem Cæſarem delegerunt.* Sceleroſus vero Chriſtianus ut diabolo obtemperet : *Non ergo illi qui dixerunt ſe habere regem Cæſarem peccaverunt, ſed quia Regem Chriſtum habere noluerunt.* Criminoſus vero Chriſtianus peccat & dum Chriſtum non vult habere Regem, & dum diabolum in regem eligit. Quam horrendum ſit geminatum illud crimen, oſtentat Magus, qui *depoſito errore, ſequitur, currit, pervenit, invenit, gaudet, procidit, adorat* Chriſtum natum, qui ut verus Rex eſt agnoſcendus, & ut Rex magnus honorandus.

D. Aug. l. 50 ho. ho. 16. D. Aug. in Pſ. 55. D. Aug. Chryſol. Ser. 156.

II. PARS. Tert. l. ad Scapul. 2. D Aug. in Pſ. 55.

Colimus Imperatorem, ut hominem à Deo ſecundum, & quidquid eſt, à Deo conſequutum, & ſolo Deo minorem. Sic enim omnibus major eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt. Quid amplius dici poteſt in honorem hominis ad regiam dignitatem ſublimati? Verum ſi terrenus rex tali fulget honore, qualis quæſo gloria Chriſti cœleſtis regis, cujus imperio cuncti reges terreni ſubſtrantur? *Eſt quidem & Cæſar rex homo hominibus ad humana : ſed alius eſt rex ad divina : Alius rex ad vitam temporalem, alius ad æternam: Alius rex terrenus, alius rex cœleſtis : rex terrenus ſub lege cœleſti, rex cœleſtis ſuper omnia.* Magnitudo regis ex trino capite deſumenda eſt: 1. ex magnitudine imperii cui præeſt : 2. ex magnitudine ſubditorum ejus: 3. ex magnitudine perfectionũ & virtutum quibus ſplendet. His tribus modis captanda eſt magnitudo regis Chriſti, 1. ex imperii magnitudine : 2. ex ſubditorum magnitudine: 3. ex perfectionum ejus magnitudine.

Tert. l. 1. adv. Marc. 4.

1. *Si reges minutalibus, ut ita dixerim, regnis conferantur in examinationem, qua conſtet quis eorum præcellat in ſubſtantijs & viribus regni.* Belle terrena regna minutalia nuncupat; ſive attendatur eorum amplitudo quæ locis arctatur, ſive attendatur duratio regum qui illa poſſident, quorum imperium incipit cum eorum vita, & cum morte finit. Chriſti vero imperium nec loco arctatur, nec tempore terminatur. Non arctatur loco; nam *dominabitur à mari ad mare, & à flumine uſque ad terminos terræ. Hoc ſoli datum eſt Chriſto.* Non limatur tempore, quia ad ſolum Chriſtum pertinet *novum regnum quod non corrumpatur*; quod ex magnitudine ſubditorũ ejus multũ adhuc commendatur.

Tert. l. 5. adv. Marc. 9. Tert. l. adv. Iud. 6. Tert. l. 1. adv. Marc. 4. Tert. l. 5. adv. Marc. 9.

2. *Alterius formæ reges*: Chriſtus eſt alterius formæ à terrenis regibus: Hi enim 1. ſuper corpora, non ſuper ſubditorũ animas imperium exercent: Chriſtus vero etiam ſubditorum animabus dominatur, 2. hi non dominantur Angelis, Chriſto vero omnes cœleſtes ſpiritus ſubjectantur: 3 reges aliis non dominantur regibus : Nullus eſt autem rex qui Chriſti non ſubdatur imperio.

Ado-

Adorabunt illum omnes reges ; quem omnes, niſi Chriſtum? Quapropter D. Auguſtinus ſic eos alloquitur. (Conſtituto rege Chriſto, nolite triſtes eſſe, reges terræ, quaſi bonum veſtrum vobis ablatum ſit; ſed intelligite potius & erudimini. Id enim vobis expedit, ut ſub illo ſitis à quo intellectus & eruditio vobis datur: & hoc vobis expedit ut non temere dominemini, ſed Domino omnium cum timore ſerviatis, & exultetis in beatitudine certiſſima & ſinecriſſima, cauti & circunſpecti, ne ab ea per ſuperbiam decidatis.) Omnes homines Chriſti imperio ſubditi ſunt, & ſupremo illi Regi ſervire tenentur. Verùm, ut bene animadvertit D. Auguſt. aliter obligantur ut homines, aliter ut reges. *Aliter enim ſervit quia homo eſt: aliter etiam quia rex eſt. Quia homo eſt, ſervit vivendo fideliter: quia vero etiam rex eſt, ſervit leges juſta præcipientes, & contraria prohibentes, convenienti vigore ſacinendo,* Chriſtus eſt *Princeps Regum terræ*, habetque ſcriptum in femore ſuo; ſcilicet in humanitate ſua: *Rex regum & Dominus dominantium:* Chriſtus eſt princeps regum terræ, qui dominantur in terra ſubditis terrenis: vel qui regunt terram, nimirum carnem quam ſpiritûs ſubjiciunt imperio. Quo ſenſu quemvis Chriſtianum alloquitur D. Auguſtin. *Eſt terra quam portas; rege eam , & eris rex terræ.* Chriſtus eſt adhuc rex regũ, vel qui ſuas frænant concupiſcentias: Nam ut animadvertit D. Auguſtinus; (dicuntur reges à regendo; & quid magis quam carnis concupiſcentias, ne regnet peccatum in eorum mortali corpore, ad obediendũ deſideriis ejus?) Vel rex regum puniens reges terrenos qui probe non regunt populos ſibi ſubditos. *Rex à regendo dicitur, non autem regit qui non corrigit: adhoc enim eſt rex noſter rectorum rex.* Vel tandem Chriſtus nuncupatur rex regum, quia cunctos alios reges in magnitudine longe ſuperat: & ut loquar cum Tertulliano, *Rex regum ob ſummitatem magnitudinis* quam ſibi vendicat: tum ob magnitudinem imperii quod poſſidet: tum ob magnitudinem perfectionum, quibus ſplendet.

In Pſ. 21 — Epiſt. 50. ad Boniſac Comit. — Apoc. 1. — Apoc. 19. — Gloſſ. — In Pſ. 75. — In Pſ. 75. — D. Aug. in Pſ. 44. — L. 1. adv. Marc. 4.

3. Si rex terrenus *per Deum tantum eſt:* quantus à fortiori eſt Chriſtus, qui eſt rex tanti regis, & magis adhuc commendatur perfectionibus? Ut rex ſit vere magnus, tribus præſertim virtutibus fulgere debet, 1. ratiocinatione & ſapientia: 2. bonitate & clementia: 3. æquitate & juſtitia. 1. Ratiocinatione & ſapientia; idcirco corona quæ eſt inſigne regum ponitur ſupra caput, quod eſt ſedes rationis & ſapientiæ: 2. Bonitate & clementia, & ob hanc cauſam rex pater populi nuncupatur: etenim *appellatio iſta & pietatis & poteſtatis eſt.* 3. Æquitate & juſtitia, quia eſt *legum tutor*; debetque invigilare ut in ſuo regno divinæ leges ſerventur. (In hoc enim reges, ſicut eis diviniꝰ præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum reges ſunt, ſi in regno ſuo bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanã ſocietatem, verum etiam quæ ad divinam religionem.) Inter reges Francos tres fuere his virtutibus coruſcantes; Carolus Quintus ſapientiâ; idcirco Sapiens nuncupatus: Ludovicus Duodecimus bonitate & clementia: quare pater populi eſt vocitatus, & Ludovi-

Tert. Apol 36. — Tert. 1. de Orat. 2. — Tert. Apol. 3. — D. Aug. l. 3. cont. Creſcen. c. 51.

doviciis Decimus-tertius, juſtitia; & ob hanc cauſam Juſtus eſt cognominatus.
Ep. 61. ad Dulcit. Et merito, quia à ſua curia impudicitiam, iniquitatem, & impietatẽ fugavit.
Ut autem ait D. Auguſtinus, *pertinet ad religioſos reges terra, non ſolum adulte-*
Tert. Apol. 1. *ria, vel homicidia, vel hujuſmodi alia flagitia, ſeu facinora, verum etiam ſacrilegia,*
Tert. Apol. 1. *ſeveritate congrua, cohibere.* Hæc autem & alia ſcelera & ſuo exemplo, & *etiã*
juſtitia ipſius auctoritate condemnavit Ludovicus Decimus tertius, *divinis le-*
gibus in ſuo regno dominantibus. Tres hæ virtutes in Chriſto regum rege, mirũ
in modũ coruſcant. 1. In illo namq; ſunt abſconditi ſcientiæ & ſapientiæ the-
ſauri; & ratio à primo conceptionis ſuæ inſtanti lucis ſuæ ſpargit radios. Alii
reges quandiu ſunt in cunabulis, nequeunt per ſe regere alios, quia ſunt inca-
paces uſus & exercitii rationis: At Chriſtus cui ratio & ſapientia competunt,
utriuſque miniſterio etiam in pannis perfectiſſime fungitur. Quod vaticina-
Jerem. 23. tus fuerat propheta: *Regnabit rex & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtiti-*
am in terra. 2. Juſtitia ſeu æquitas eſt ſecunda virtus, qua commendatur rex
Eſa. 33. noſter. *Dominus rex noſter, Dominus legifer noſter.* Leges autem ejus ſunt leges
juſtitiæ: ſapienti autem illi regi & legislatori virgam juſtitiæ tribuit Regius
Vates, qua ut expendit D. Hilarius, velut Paſtor vigilans, ſuos ſubditos regit.
Pſ. 44. *Virga directionis, virga regni tui.* Tandem 3. bonitas ita eſt regis noſtri propria,
Lib. 2. adv. Marc. 11. ut eum de ſola bonitatę cenſendum velit Marcion: verùm falſò. Nam ut pro-
funde ratiocinatur Tertullianus: *Iuſtitia nec ſpecies ſolummodo, ſed tutela repu-*
tanda eſt bonitatis: quia bonitas niſi juſtitia regatur ut juſta ſit, non erit bonitas ſi in-
juſta ſit: nihil enim bonum quod injuſtũ. Chriſti bonitas non eſt iners & ſtupens,
ut vult hæreticus, ſed bonitas ſapiens & juſta: Verum *prior bonitas Dei ſecun-*
dum naturam, ſeveritas poſterior ſecundum cauſam: illa ingenita, hac accidens: illa
propria, hac accommodata: illa edita, hac adhibita: nec natura enim inoperatam de-
buit continuiſſe bonitatem, nec cauſa diſſimulatam evaſiſſe ſeveritatem. Quanto
majoribus perfectionibus fulget rex Chriſtus, tanto majori reverentia eſt à
ſuis ſubditis colendus: cui præſtare tenentur honorem, amorem & timorem:
Honor debetur ſapientiæ ejus, amor bonitati, & timor juſtitiæ: Si hæc tria
terrenis regibus præſtantur, quanto à fortiori terræ cœlorumqúe regi.

Tert. Apol. 28. Immerito Gentiles inſequebantur Chriſtianos tanquam regiæ majeſtatis
reos. *Ventum eſt igitur ad ſecundum titulum læſæ auguſtioris majeſtatis.* A tali ca-
Apol. 33. lumnia ſeſe vendicant Chriſtiani apud Tertullianum, ubi *de religione atque*
pietate Chriſtiana in Imperatorem fuſe agitur. Quadruplici autem de cauſa gen-
tiles perſequebantur Chriſtianos velut læſæ regię majeſtatis reos: 1. Quia Im-
peratores tanquam Deos non colebant: 2. quia per genios eorum non jura-
bant: 3. quia ſolemnia eorum non celebrabant: 4. quia eorum idola non ad-
orabant. Quam immerito hæc à Chriſtianis ſciſcitarentur gentiles, belle oſtẽ-
tat Tertullianus, & 1. probat Imperatorem neque eſſe Deum, neque ut Deum
Apol. 31. debere coli. *Temperans majeſtatem Cæſaris infra Deum, magis illum commendo Deo,*
cui ſoli ſubjicio: ſubjicio autem cui non ad æquo. Non enim Deum imperatorem di-
cam,

eam, vel quia mentiri neſcio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipſe ſe Deum volet dici. Si homo ſit, intereſt homini, Deo cedere. Satis habet appellari imperatorem: hominem ſe eſſe etiam triumphans in illo ſublimiſſimo curru admonetur. Suggeritur enim ei à tergo, Reſpice poſt te, hominem te memento, & utique hoc magis gaudet, tanta ſe gloria coruſcare, ut illi admonitio conditionis ſua ſit neceſſaria. Minor erat ſi tunc Deus diceretur, quia non vere diceretur: major eſt qui revocatur ne ſe Deum exiſtimet. 2. Demonſtrat genios imperatorum eſſe dæmones, per quos jurare Chriſtiani non debent. *Sed & juramus, ſicut non per genios Caſarum, ita per ſalutem eorum, qua eſt auguſtior omnibus geniis. Neſcitis genios dæmonas dici, & inde diminutiva voce dæmonia? Nos judicium Dei ſuſpicimus in imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id eis ſcimus eſſe, quod Deus voluit, ideoque & ſalvum volumus eſſe, quod Deus voluit, & pro magno juramento id habemus. Cæterum dæmonas, ideſt genios, abjurare conſuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus.* 3. Declarat ſcelera & probra quibus Cæſarum ſolemnia celebrantur, adverſari ſanctitati Chriſtianæ diſciplinæ. *Chriſtiani vere religionis homines, ſolemnia imperatorum, conſcientia potius quam laſcivia celebrant. Grande videlicet officium: foros & toros in publicum educere; vicatim epulari, civitatem taberna habitu aboleſacere, vino lutum cogere, catervatim curſitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Haccine ſolemnes dies principum decent, qua alios dies non decent? Qui obſervant diſciplinam de Cæſaris reſpectu, hi eam propter Cæſarem deſerent? & malorum morum licentia pietas erit? occaſio luxuria religio deputabitur? O nos merito damnandos! cur enim vota & gaudia Cæſarum caſti, & ſobrii, & probi expungimus? Cur die læto non laureis poſtes obumbramus, nec lucernis diem infringimus? Honeſta res eſt ſolemnitate publica exigente induere domui tua habitum alicujus novi lupanaris?* 4. Chriſtianos ab idololatria alienos prædicat: *Provocati ad ſacrificandum obſtruimus gradum pro fide conſcientia noſtra, qua certi ſumus, ad quos iſta perveniant officia, ſub imaginum proſtitutione, & humanorum nominum conſecratione.* Dæmonibus ſub idolis deliteſcentibus, vel ſceleroſis hominibus per imagines repræſentatis, ſacrificare recuſabant Chriſtiani: neque ad hunc impietatis cultum imperatoribus obtemperabant. *Igitur quod attinet ad honores regum vel imperatorum, ſatis præſcriptum habemus, in omni obſequio eſſe nos oportere, ſecundum Apoſtoli præceptum, ſubditos magiſtratibus, & principibus & poteſtatibus; ſed intra limites diſciplinæ, quouſque ab idololatria ſeparemur.* Quando autem ad idololatriam, impietatem vel iniquitatem inducere nos vult imperator, tunc ei obſequendum non eſt. Deus enim eſt regi præferendus, cui potius quam imperatori eſt obediendum. Oſtendunt autem Paulus & Petrus quomodo regibus ſit obtemperandum. *Dehinc & exequitur quomodo velit te ſubjici poteſtatibus, reddere jubens, cui tributum tributum; cui vectigal vectigal; ideſt qua ſunt Cæſaris Cæſari; & qua Dei Deo; ſolius autem Dei homo.* Allata auctoritate

Apol. 32. Apol. 35. Apol. 35. Tert. l. de Idolat. Tert. Scorp. 14.

ritate D. Pauli imo & Chriſti, D. Petri ſententiam prodit. *Condixerat ſcilicet Petrus, regem quidem honorandum; ut tamen tunc rex honoretur, cum ſuis rebus inſiſtit, cùm à divinis honoribus longe eſt*: cum autem ſibi honores arrogat divinos, honor Deo debitus etiã cum diſcrimine vitæ eſt propugnandus. Quod
L. de Idol. 15. exemplo trium puerorum & Danielis oſtentat Tertullianus. *Propterea enim & illud exemplum trium fratrum præcucurrit, qui alias obſequentes erga regem Nabuchodonoſor, honorem imaginis ejus conſtantiſſime reſpuerunt, probantes idololatriam eſſe quidquid humani honoris modum, ad inſtar divinæ ſublimitatis extollit. Sic & Daniel cætera Dario ſubnixus, tandiu fuit in officio, quandiu à periculo diſciplina vacaret. Nam id ne ſubiret, non magis leones regios timuit, quam illi regios ignes.*

Secluſa autem idololatria, impietate & iniquitate, quas imperare Chriſtianis nequit imperator, eum omni honore & officio proſequuntur. Unde
Tert. Apol. 31. ſic fantur. *Quem neceſſe eſt ſuſpiciamus, ut eum quem Dominus noſter elegit. Et merito dixerim, noſter eſt magis Cæſar, à noſtro Deo conſtitutus.* Pro quo ante De-
Tert. Apoc. 31. um preces fundimus. *Sed etiam nominatim atque manifeſte. Orate, inquit, pro regibus, & pro principibus, & poteſtatibus, ut omnia tranquilla ſint vobis. Cum enim concutitur imperium, concuſſis etiam ceteris membris ejus; utique & nos, licet extranei à turbis, in aliquo loco caſus invenimur.* Salutem autem imperatorum poſtulabant, non ab idolis quæ eam præſtare non poterant, ſed à Deo vivo in
Tert. Apol. 30. cujus erat poteſtate. *Nos enim pro ſalute imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipſi imperatores proprium ſibi præter cæteros malunt. Sciunt quis illis dederit imperium. Sciunt quà homines, quis & animam: ſentiunt eum eſſe Deum ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi poſt quem primi, cum ſuper homines, qui utique vivunt. Recogitant quouſque vires imperij ſui valeant, & ita Deum intelligunt: adverſus quem valere non poſſunt, per eum valere ſe cognoſcunt.* Quid autem pro Imperatore expoſtulent à Deo, ſic enumerat: *Oramus pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt*: cui ſe habere honorem, amorem, timorem, obſequium, palam profitentur. Rationes autem refert ex Apoſtolo Tertullianus, quæ Chriſtianos obligant, ut regibus obſe-
Scorp. 15. quantur, eoſque honorent & metuant. *Plane monet Romanos omnibus poteſtatibus ſubjici, quia non eſt poteſtas niſi à Deo; quia non ſine cauſa gladium geſtet, & quia miniſterium ſit Dei: ſed & ultrix, inquit, in iram ei qui male fecerit. Nam & præmiſerat: Principes enim non ſunt timori bono operi, ſed malo. Vis autem non timere poteſtatem? fac bonum, & laudem ab eo referes: Dei ergo tibi mini-*
Tert. Scorp. 15. *ſtra eſt in bonum: ſi vero malum facias, time*: Vides Chriſtiane, principibus & regibus debitum ex mente Apoſtoli obſequium. *Ita jubet te ſubjici poteſtatibus, ſed in provocatione bene vivendi, etiam ſub illarum reſpectu, quaſi adjutricum juſtitiæ, quaſi miniſtrarum divini judicii, hic & jam de nocentibus prædicantis.*

Quantum

Quantum ab illo obſequio alieni fuerint hæretici hujuſce ætatis, conſtat ex aperta eorum rebellione, captis munitiſſimis regni arcibus, congregatis exercitibus, prœliis adverſus regios duces initis, quibus probè conveniunt ea quæ Romanis exprobrat Tertullianus. *Velim fidem veſtram demonſtrare, ne forte & iſtic deteriores Chriſtianis deprehendantur, qui nos nolunt Romanos haberi, ſed hoſtes Principum Romanorum. Ipſos Quirites, ipſam vernaculam ſeptem collium plebem convenio; an alicui Cæſari ſuo parcat illa lingua Romana. Teſtis eſt Tiberis, & ſchola beſtiarum. Iam ſi pectoribus ad translucendam quamdam ſpecularem materiam natura obduxiſſet, cujus non præcordia inſculpta apparerent novi ac novi Cæſaris cœnam congiario dividundo præſidentis? etiam illa hora qua acclamant: De noſtris annis tibi Iupiter augeat annos. Plane cæteri ordines pro auctoritate religioſi, ex fide. Nihil hoſticum de ipſo ſenatu, de equite, de caſtris, de palatiis ſpirat. Vnde Caſſij, & Nigri, & Albini? unde qui inter duas laurus obſident Cæſarem? unde qui faucibus ejus exprimendis palæſtricam exercent? unde qui armati palatium irrumpunt omnibus ſigerijs atque parthenijs audaciores?* Hæc omnia Calviniſtis & Lutheranis abſque ulla veritatis jactura poſſunt aptari, à veris Chriſtianis longè diſtantibus, qui imperatoribus etiam paganis obſequebātur. Nam ut refert D. Auguſtin. (aliquando poteſtates bonæ ſunt & timent Deum, aliquando non timent Deū. Julianus extitit infidelis Imperator, nonne extitit apoſtata, iniquus, idololatra? Milites Chriſtiani ſervierunt imperatori infideli. Ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illū qui in cœlo erat: quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat: Producite aciem, ite contra illā gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum, etiam Domino temporali.) Primiceri Chriſtiani obſequebantur propter Dominum, etiam imperatori infideli, & Calviniſtæ regibus fidelibus & Chriſtianis denegarunt obſequium, ipſum Deum in ſuis imaginibus inhonorantes, Qua ratione David Saülem, poſtquam Deus ab eo receſſit, Chriſtum Domini vocat, & honorem defert ei? (Non neſcius David Divinam eſſe traditionem in officio ordinis regalis, idcirco Saül in eadem adhuc traditione poſitum honorificat, ne Deo injuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decrevit: Dei enim imaginem habet rex: quandiu ergo in ea traditione eſt, honorandus eſt, ſi non propter ſe, vel propter ordinem.) Franciſcus Secundus, Carolus nonus, Henricus tertius, Ludovicus decimus-tertius honorandi erant propter proprium meritum, tanquam reges Chriſtiani, Catholici & pietate præditi; propter ordinem regalem ad quem fuerant ſublimati, propter Dei quam deferebant imaginem: Calviniſtæ nihil horum attendentes, Dei inhonorarunt imaginem, regalem contempſerunt ordinem, regibus legitimis fuerunt inobſequentes, & adverſus pios & benemeritos principes acerrime pugnaverunt.

Apol. 35.

In Pſ. 24.

D. Aug. l. 1. Quæſt. Vet. & Nov. Teſt. Quæſt. 35.

Verum prætermiſſis hæreticis terrenis regibus ſemper infenſis, Chriſtianos recogitemus, qui Chriſto regi neque honorem, neque amorem, neque timorem præſtant. Non honorem, quia per prævaricationem legis eum inhonorant. Deberent *enim illi obſequium ſubſignare; ut honorem Deo habuiſſe videantur.* Non amorem: etenim ſi eum diligerent, honorarent & metuerent. *At quomodo diliges, niſi timeas non diligere?* Non timorem, ſimiles Marcioni qui Deum nullo modo timendum prædicat: Hunc Hæreſiarcham merito confutat Tertullianus: *Stulte, quem Dominum appellas, negas timendum, cum hoc nomē poteſtatis ſit, etiam timendæ!* Nonne eadem laborant ſtultitia inſipientes illi Chriſtiani, qui Chriſtum credentes regem regum, plus terrenum regem quam ipſum honorant? Quod exprobrat aliàs Romanis Tertullianus: *Siquidem majori formidine, & callidiore timiditate, Cæſarem obſervatis, quam ipſum de olimpo Iovem. Ideo & in iſto irreligioſi erga deos veſtros deprehendimini, cum plus timoris humano dominio dicatis: citius denique apud vos per omnes deos quam per unicum genium Cæſaris pejeratur.* Si gentiles Romani irreligioſitatis arguuntur, magis honorantes & timentes Cæſarum quam Deorum dominationem, quanto magis irreligioſi Chriſtiani qui non auderent regem contemnere, & Chriſtum diſpiciunt, qui non auderent de rege male loqui, & Chriſtum blaſphemant; qui regis obſequuntur legibus, & Chriſti tranſgrediuntur mandata, qui regiam timent poteſtatem, & Chriſti Domini juſtitiam non metuunt? (Et maxime reges & nobiles, quibus non facile dicitur: Quid feciſti? potentes autem mundi, reges, nobiles, niſi Deum timeant, quid timebunt?) nam *fortitudines regum diſrumpam.*

Tert. l. 1. adv. Marc. 17. Tert. Tert. Apol. 28. D. Aug. in Pſ. 149. Tert. 4. adv Iud. 6.

Chriſto multimoda ratione honorem debent homines: 1. Ut Deo, cui latriæ debetur cultus: 2. Ut benefico Redemptori, qui homines edocuit, & pretioſiſſimi ſanguinis effuſione redemit: 3. Ut vero & magno regi, qui legitimam in illos habet dominationem: 3. Ut ſupremo omnium judici. *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Quaſi tot tituli ſupra numerati ſummā reverentiam inſufficienter impetrent ab hominibus, æternus Pater Chriſtum omnium conſtituit judicem, ut vel ſic homines illum ſicut dignum eſt honorarent. Idcirco ſapientiſſimo Magiſtro, Redemptori munifico, Chriſto Domino, Dei Filio, additur judicis titulus, ut omnes illum honorificent: quaſi ratio judicis plus homines ad honorem exhibendum exhibeat, quam cæteri tituli. (Quia benefaciendo non placuit eis, nec attraxerat, ut ſe honorarent ſicut dignum erat, dicit quod Pater omne judicium dedit Filio, ut vel timor judicii illis perſuadeat, quo ipſum honore proſequantur.)

Ioan. 5. Theophy. loc.

Ultra judicium particulare, in quo judicatur anima ſtatim ac ſeparata eſt à corpore, dabitur univerſale judicium; at inter plures rationes, quæ illud expoſtulant, præcipua mihi videtur, ut Chriſtus ab hominibus inhonoratus, debitum ſibi accipiat honorem: Quod Apoſtolus innuere videtur: *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti; ſcriptum eſt enim, Vivo ego dicit Dominus, quoniam*

Rom. 14.

mihi flectetur omne genu. Cuncti Angeli qui ſunt in cœlo, dœmones univerſi qui torquentur in inferno & omnes generatim homines qui fuerunt, ſunt & futuri ſunt, ad univerſale congregabuntur judicium, ut Chriſto omne genu flectatur, eiq; debitum pręſtet honorem. Tunc potentes terræ qui eum contempſerunt, ante majeſtaté illius cervicem deprimentt, eritq; *omnis gloria ſerviens illi.* Tunc cognoſcetur Dominus judicia faciens, & regiam oſtentabit majeſtatem, ut ii qui eum neq; agnoſcere neq; honorare voluerunt, arguantur, confundantur & cogantur illi exhibere obſequiũ & reverentiam tanquã vero regi & ſupremo omnium Domino. *Hic erit dies magnus Domini & illuſtris venientis de cœlis Filij hominis.* Sceleroſi & impii qui regnum ejus fictitium exiſtimarunt, cognoſcent, ſed tardè, quod *data eſt illi regia poteſtas: poteſtas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.* Pii vero & probi Chriſtiani ſcientes quod Chriſtus eſt in ultimo judicio triũphaturus, quotidie in oratione dominica expoſtulant ut quàm celeriter dies ille adveniat illuſtris, in quo Domin⁹ apparebit cum gloria & majeſtate regia: *Immò, quàm celeriter veniat Domine regnum tuum, votum Chriſtianorum, confuſio nationum, exultatio Angelorum.* Non erit æqua ſors electorum & præſcitorum. Qui Chriſto regi denegarunt obſequium & reverentiam, confundentur; qui vero ei honorem & amorem præſtiterunt, exultabunt, recipientque præmium ęternum de manu magni illius Regis, qui erga illos maxime ſeſe beneficũ demonſtrabit.

Tert. l. 4. adv. Marc. 39.

Tert.

Tert.

Tert. l. de Orat. 5.

Regis Chriſti *civilis, non tyrannica dominatio eſt.* Magnum eſt diſcrimen inter tyrannum & verum regem. Tyrann⁹ etenim ſibi ſubditos, 1. à ſuo convictu & familiaritate excludit; 2. averſatur & odit; 3. depauperat & opprimit: Rex verus è contra, erga ſubditos demonſtrat familiaritatem, charitatem & magnanimitatem. Chriſtus rex verus, magnus & beneficus, commendatur 1. familiaritate: 2. charitate. 3. magnanimitate.

III. PARS. Tert. Apol. 2.

1. Boni Principes ſeſe ſubditis familiares demonſtrant. Alexander Magnus *vicerat Medicam veſtem, victus eſt medica veſte:* nam ut Perſis quos ſuo ſubdiderat imperio, ſuam oſtentaret benevolentiam, Perſarum more indui voluit: Chriſtus rex regum, & bonorum principum exemplar, eſt habitu inventus ut homo: non diademate coronatus, non purpurâ indutus, non auro fulgidus, non magno comitatu ſtipatus, ſed *ſordido miniſterio functus*, quo familiarior hominibus appareret, & ut eos majori proſequeretur charitate, munus pontificium cum dignitate regia conjunxit.

Tert. l. de Pall. 1.

Tert. l. de Idol. 18.

2. *Regibus quidem etiam Sacerdotia adſcripta ſunt, ſacrique apparatus.* Utrumque munus ſacerdotale & regale, in Melchiſedech adunatum certo ſcimus. Rex Salem fuit figura Chriſti Domini, qui eſt *ſacrificiorum æternorum antiſtes, regni æterni æternus dominator.* Titus tanto amore diligebat Romanos, & viciſſim amabatur à Romanis, ut deliciæ populi fuerit nuncupatus. Benignus ille princeps, ut ſibi eriperet auctoritatem damnandi ad mortem, etiam ſceleroſos, in ſummum pontificem eligi voluit,

Tert. l. 1. ad Nat. 10.

Tert. l. adv Iud. 6.

luit, cui fas non erat ferendi leges mortis: Chriſtus ſacrificiorum æternorum antiſtes, longe majori charitate pollens, criminoſis largitur veniam, eoſque bonis, favoribus & gratiis cumulat.

Tert. l. de Pat. 12. 3. *Dilectio magnanimis eſt, benefica eſt, nec ſua requirit, omnia ſuſtinet, omnia tolerat, ipſam etiam mortem, dum alteri proſit:* Admirabilis prorſus Codri Athenienſium regis magnanimitas, qui ultro ſe devovit morti, ut ſua morte ſubditis victoriam compararet: Nec minus ſtupenda Chriſti Domini magnanimis dilectio, qui crudelem & ignominioſam elegit mortem, ut ſuis ſubditis compararet regnum. Tert. l. 3. adv. Marc. 19. *Age nunc ſi legiſti penes David, Dominus regnavit à ligno, expecto quid intelligas, niſi forte lignarium aliquem regem ſignificari Iudæorũ, & non Chriſtum, qui exinde à paſſione ligni, ſuperata morte regnavit.* Chriſtus fuit Rex à primo inſtanti ſuæ conceptionis, ſed non regnavit toto vitæ decurſu; per paſſionem autem regnavit: Tum quia mortis deſtruxit imperium: Tert. *Etſi enim mors ab Adam regnavit uſque ad Chriſtum, cur Chriſtus non regnaſſe dicatur à ligno, ex quo crucis ligno mortuus, regnum mortis excluſit?* Tum quia ſuâ paſſione Chriſtus regni ſui obtinuit manifeſtationem, meruitque ut ejus regia dignitas ab hominibus, dæmonibus & ſupernis ſpiritibus agnoſceretur & veneraretur. Tert. *Quis omnino regum inſigne poteſtatis ſuæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut manu ſceptrum, aut aliquam propria veſtis notam? ſed ſolus novus rex novorum ævorum Chriſtus Ieſus, nova gloria & poteſtatem & ſublimitatem ſuam humero extulit, crucem ſcilicet, ut ſecundum ſuperiorem prophetiam, exinde Dominus regnaret à ligno.* Tum quia natus & paſſus eſt Chriſtus Dominus, ut ſuos ſubditos ditet, ſublimet, beatificet. Tert. *Proinde & Eſaias: Quoniam, inquit, puer natus eſt nobis, & datus eſt nobis filius: Quid novi ſi non de filio Dei dicit? cujus imperium factum eſt ſuper humerum ipſius?*

Tert. l. de Car. Chr. 1. Reges terræ ut plurimum ſuos ſubditos depauperant, infamant, & infœlicitant. 1. Depauperant: *Aufer hinc moleſtos ſemper Cæſaris cenſus.* Moleſtum Tert. Apol. 13. à mole dicitur: etenim tributa ſarcinæ ſunt moleſtiſſimæ, quæ ſuo pondere aggravant populos. 2: Infamant: *ſed enim agri tributo onuſti viliores: hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora; nam hæc ſunt notæ captivitatis* tributa, & conſumunt ſubditorum ſubſtantiam, corrumpunt honores, gloriam devenuſtant, imminuunt libertatem, quam infamant ſervitutis ſtigmate. 3. Infœlicitant: nam eis quidem adimunt terrenas facultates, nequeunt cœleſtes Tert. Apol. 30. largiri gazas: *Cœlum debellet imperator; cœlum captivum triumpho ſuo invehat: cœlo mittat excubias: cœlo vectigalia imponat, non poteſt; ideo magnus eſt, quia cœlo minor eſt, illius enim eſt ipſe, cujus & cœlum eſt, & omnis creatura.*

Tert. l. de Cor. Mil. 15. Chriſtus Rex beneficus 1. ſubditos non onerat ſed ſublevat; non eſt ſubjecti populi onus, ſed oneris levamen; ideo regium inſigne humero præfert. quia ſuper humeros populorum onera portat tanquam ſubditorum bajulus, quos 2. notâ captivitatis non infamat, ſed regia dignitate honorat. *Nam & nos reges Deo & Patri ſuo fecit Ieſus Chriſtus:* & quia gratia quæ juſtis regiam confert

confert dignitatem, confert eis etiam jus ad gloriam. Chriſtus 3. in cœlo ſubditos ſui viſione beatificat; *Regem cum claritate videbitis.* Tert. l. adv Iud. 18.

Quantumvis beneficentiâ & magnificentia ſit commendatus Chriſtus, regem tamen illum magnum & beneficum perſecutus eſt Herodes, qui Chriſtum in cunalibus perimere deſiderans, tot innocentes crudeliter occidit: perſecuti ſunt reges ethnici, qui eum gratis & ſine cauſa perſecuti ſunt: quia ut fuſe oſtendit D. Auguſtinus, tributa ſolvere juſſit, regum præcepit obedientiam, & pro eis orare mandavit: *Ceſſaverunt reges mali, & facti ſunt Chriſtiani.* Non ceſſavit Chriſti perſecutio, quem ſceleroſi Chriſtiani Herode crudeliores in ſemetipſis interimunt. *Regnum Dei intra vos eſt*: quandiu homo gratia decoratur, eſt Dei regnum & Deus in illo reſidet, in illo regnat: quando autem peccat mortaliter, ſuum Deo eripit regnum, eum de ſuo ſolio deturbat. Studeamus comparare gratiam, vel comparatam conſervare, ut in nobis regnet Deus: nam *regnum Dei eſt juſtitia in Spiritu ſancto.* Chriſtus regnat in cœlo & in terra; in cœlo ſuper Beatos, in terra ſuper juſtos: Ut poſſimus in cœlo cum Chriſto regnare, neceſſe eſt ut in nobis regnet Chriſtus dum ſumus in terra. Agnoſcamus igitur ejus imperium, dicentes: *Princeps Dei es apud nos*: tantum regem veneremur, ejuſque obtemperemus mandatis: *Dominare noſtri, quia liberaſti nos*: ſimus grati erga beneficum regem, & in gratitudinis monumentum ore promamus: *Tui ſumus, ô David.* Tandem deprecemur regem ut cœleſtis regni nos faciat participes: *Cum regnum Dei, quod ut adveniat oramus, optamus maturius regnare.*

Ser. 31. in Pſ. 118. D. Auguſt. in Pſ. 34. — Luc. 17. — Rom. 4. — Gen. 23. — Iudith. 8. — L. 1. Par. 12 — Tert. l. de Orat. 5.

CONCIO QVARTA.

E*T utique Sacramentum paſſionis ipſius figurari in prædicationibus oportuerat, quantoque incredibile, tanto magis ſcandalum futurum ſi nude prædicaretur: quantoque magnificum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus gratiam Dei quæreret.* Verùm, licèt cuncta quæ paſſus eſt Chriſtus, vaticinati ſint Prophetæ; licèt ejus paſſio multis fuerit obumbrata figuris, quæ in Chriſto adimpletæ conſpiciuntur; Judæi tamen adventum Meſſiæ negant, & venturum adhuc ſperant. Sed immeritò, *quoniam Chriſtus eſt ſignaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia quæ retro erant de eo nuntiata*: Marcion autem Chriſti confitens adventum, veram ei denegavit carnem, & phantaſma prędicavit. *Deſinat nunc hæreticus à Iudæo, aſpis (quod ajunt) à vipera mutuari venenum: evomat jam proprij ingenij virus, phantaſma vindicans Chriſtum*, ejus quoque paſſionem negans: Nam, ut profunde ratiocinatur Tertullianus: *ſi mendacium deprehenditur Chriſti caro: ſequitur ut & omnia quæ per carnẽ Chriſti geſta ſunt, mendacio geſta ſint. Sic nec paſſiones Chriſti, ejus fidem merebuntur.*

Ter. l. adv Iud. 10. — Tert. l. adv Iud. 11. — Tert. l. 3. adv. Marc. 8.

Nihil enim paſſus eſt, qui non vere eſt paſſus: vere autem pati phantaſma non potuit, Everſum eſt igitur totum Dei opus, totum Chriſtiani nominis & pondus & fructus, mors Chriſti negatur: quam tam impreſsè Apoſtolus demandat, ut ique veram, ſummum eam fundamentum Evangelij conſtituens, & ſalutis noſtra, & prædicationis ſue. Sacratiſſimum illud Chriſtiani nominis pondus ferre non valent impii; fructum paſſionis Chriſti dedignantur; Evangelii, humanę ſalutis, & Apoſtolicæ prędicationis fundamentum evertere moliuntur. Heraclitus quidam apud Clementem Alexandrinum, conſpiciens Ægyptios adorantes Oſirim, mortemq; ejus amare flentes, dixit eis: Si creditis Deum, nolite flere tanquã mortalem; ſi flere vultis ut mortalem, Deum nolite credere: Eodem modo ratiocinantur impii hujuſce ætatis: ſi Chriſtus vere eſſet Deus, non potuiſſet mori, & ſi de facto mortuus eſt, Deus non debet exiſtimari. *Obmuteſcat, obmuteſcat iſta blaſphemia: ſufficiat Chriſtum filium Dei mortuum dici, & hoc, quia ita ſcriptum eſt.* Chriſti paſſio negari nequit, niſi Scripturæ ſacræ negetur auctoritas: Scripturæ autem nequit à ſapientibus negari auctoritas; cujus veritas certis credibilitatis innititur fundamentis: *Nam & Apoſtolus non ſine onere pronuntians Chriſtum mortuum adjecit, ſecundùm Scripturas; ut duritiam pronuntiationis Scripturarum auctoritate molliret, & ſcandalum auditori everteret.* Fulcita autem Chriſti morte Scripturæ auctoritate, optime declarat Tertullianus, quomodo Chriſtus potuit mori. *Quamquam enim duæ ſubſtantiæ cenſeantur in Chriſto Ieſu, divina & humana; conſtet autem immortalem eſſe divinam ſicut mortalem quæ humana ſit, apparet, quatenus eum mortuum dicat: id eſt quia carnem & hominem & filium hominis, non qua ſpiritum & ſermonem & Dei filium.* Chriſtus eſt Deus & homo. *Itaque idem Deus & idem homo; in natura Dei æqualis Patri; in natura hominis factus mortalis in nobis, de nobis, & pro nobis.* Si Chriſtus fuiſſet duntaxat Deus & non homo, neque mori neque pati potuiſſet: quia immortalitas & impaſſibilitas Deo eſſentialiter competunt: At quia ſimul eſt Deus & homo, paſſus eſt tormenta in natura hominis, quæ in natura Dei tolerare non poterat. *In ſua natura pati nihil poterat, quia Deus erat Verbum: ut autem pati pro nobis poſſet, Verbum caro factum eſt:* quarę impii qui de morte Chriſti dubitant, veteri & novo Teſtamento contradicunt; præcipuũ chriſtianæ religionis fundamentum evertunt; Deiq; bonitatem & amorem graviſſime offendunt. *Quid repudias dignationem Domini? Dignationis eſt quod ſuſcepit corpus; dignationis eſt quod ſuſcepit infirmitates meas; quas utique natura Dei ſentire non poterat.* Aliàs fusè demonſtrata eſt conſummatio divinæ charitatis quæ eminet in paſſione Chriſti: Ne actum agamus, in præſenti trina, eaque ſceleroſa oſtentanda eſt conſummatio: 1. perfidiæ & ingratitudinis: 2. malitiæ & iniquitatis: 3. ſævitiæ & crudelitatis.

Adhort. ad Gent.

Tert. l. adv Prax. 28.

Tert. l. adv Prax. 29.

D. Aug. l. 2. cont. Manich. 10.

D. Auguſt. ibid.

D. Amb. l. 4. in c. 4. Luc.

Tert. prædic. Tom. 1 Tract. de Amor. Dei in homines. Conc. 6. 1. PARS

Merito conqueritur Salvator: *Retribuebant mihi mala pro nobis.* Beneficiis cunctos Judæos cumulaverat Chriſtus, ſed præſertim Judam Iſcariotem, quẽ in

Tert. l. ad Jud. 10.

in ſuum diſcipulum elegerat, Malchum cui amputatam auriculam reddiderat, & populum Judaicum, quem docuerat, in deſerto miraculoſe nutrierat, & à languoribus & morbis ſanaverat: at in his omnibus reperitur ingratitudinis conſummatio. 1. in Juda, qui ſuum tradit Magiſtrum: 2. in Malcho qui ſuum vapulat medicum: 3. in populo qui ignominia & dolore afficit benefactorem ſuum.

1. *Cum & diabolus adverſabatur ei auctor Iudæ proditoris.* Non quidem auctor naturæ ſed inſtigator culpæ. Ad quadruplex crimen Judam induxit diabolus. Ad avaritiam, ingratitudinem, perfidiam, & crudelitatem. Ad avaritiam: nam *triginta argenteis appretiatus eſt à traditore.* Judas avaritia æſtuans paciſcitur cum ſcribis & proPhariſæis, à quibus traditione triginta argenteos accepit. Imprudens & imperitus mercator, vendens tam vili pretio pretioſiſſimum Chriſti ſanguinem, in quo conſummatam oſtentat ingratitudinem. Fuerat enim à Salvatore Apoſtolorum numero adſcriptus, ſacerdotali charactere inſignitus, dominico corpore cibatus, poteſtate patrādi miracula donatus. Verùm tot beneficiorum immemor, ſuum tradit Magiſtrum. Si ab extraneo venundatus fuiſſet Dominus, non adeò ſceleroſa fuiſſet ingratitudo; ſed à domeſtico, ſed à diſcipulo, cum quo converſabatur & convivebat! Tanta eſt hujuſmodi ingratitudo ut de ea conqueratur ipſemet Chriſtus: *Qui mecum panem edit, levabit in me plantam:* Tanto criminoſior quod ſub ſymbolo pacis, fidelitatis & honoris, ſuam occultat perfidiam. *O ſignum ſacrilegum! ô placidum fugiendum, ubi ab oſculo incipitur bellum, & per pacis indicium, pacis rumpitur ſacramentum!* Chriſti traditio & venditio, per Joſephum à fratribus venundatum fuerat figurata. *Ioſeph & ipſe Chriſtum figuravit, vel hoc ſolo quod perſecutionem à fratribus paſſus eſt, & venundatus eſt in Ægyptum ob Dei gratiam: ſicut & Chriſtus à Iudæis carnalibus fratribus venundatus, à Iuda cum traditur.* Quantò major eſt Chriſtus Joſepho, tantò major eſt Judæ perfidia. Deinde Joſephi fratres non ſunt ejus ſanguine cruentati, at Judas de proditione & crudelitate culpatur; nam per ſicariorum manus Domini ſanguinem fudit: quē ideo ſic pungit D. Auguſt. *Officio ſanguinem fundis; pro pignore amoris vulnus infligis, pacis argumento mortem immittis: ſervus dominum tradis; diſcipulus magiſtrum prodis.* Chriſtus Judæ prǫviderat avaritiam, traditionem, perfidiam, ſævitiam, ipſi manifeſtarat, aliis occultarat, & infenſiſſimum illum inimicum ſecum patiebatur. *Ingratos curavit, inſidiatoribus ceſſit, parum hoc, ſi non etiam proditorem ſuum ſecum habuit, nec conſtanter denotavit.* Quot ſunt qui Judæ proditionem imitantur? quot ſimoniaci, quot uſurarii, quot injuſti judices, quot falſi teſtes, quod ſceleroſi Chriſtiani, qui pro modico lucello Chriſtum venditant? *Multi hodie ſcelus Iudæ exhorrent, nec tamen cavent.*

Tert. l. adv Iud. 14.
Tert. l. de Reſur. 20.
Tert. l. 4. adv.
Marc. 40.
D. Auguſt. Ser. 117 de Temp.
Tert. l. adv Iud. 11.
Tert. l. de Pat. 2.
V. Beda.

2. *Ille cui legiones Angelorum, ſi voluiſſet, uno dicto de cœlis affuiſſent, ne unius quidem diſcentis gladium ultorem probavit.* Petrus ægre ferens quod ſatellites qui cum Juda proditore venerant, injicerent manus in

Tert. l. de Pat. 3.

nus in

nus in Jeſum, evaginans gladium, unius aurem amputavit; tantum abeſt ut Chriſtus Petri approbarit audaciam, quin immo, ut fatur Tertullianus, *patientia Domini in Malcho vulnerata eſt*, qui volens demonſtrare ſe eſſe non vindictæ & animadverſionis, ſed charitatis & miſericordiæ Magiſtrum, *ſanitatis reſtitutione ei quam non ipſe vexaverat, ſatisfecit per patientiam miſericordiæ matrem.* Popilius quidam plebis tribunus de ſcelere accuſatus, à Cicerone defenſatus, & tanti oratoris eloquentiâ à judicibus abſolutus, erga ſuum patronum adeo extitit ingratus, ut vitæ ſuæ defenſorem & conſervatorem occiderit, volens placere Marco Antonio, eloquentiæ Romanæ principis hoſti infenſiſſimo. Poſtquam milites in horto Gethſemani comprehenderunt & ligaverunt Jeſum, duxerunt illum ad Annam Pontificem, qui Chriſtum ſtatim interrogat de doctrina & diſcipulis ejus. Huic interrogationi modeſtè & humiliter reſpondet Salvator. Malchus Annæ ſervus videns ſuum dominum ex Chriſti reſponſione confuſum, immemor beneficii à Chriſto accepti, pro inſolentia & ingratitudine diabolica, coram omnibus dedit ei alapam. *Exhorreſcat cœlum, contremiſcat terra de Chriſti patientia, & ſervorum impudentia.* Dubium non eſt quin æternus Pater tantam vindicaſſet temeritatem, niſi Agnus ille innocens ſuam mitigaſſet iram, eique ſuum obtuliſſet ſanguinem, quo faciliùs tanti facinoris veniam impetraret: *Grande miraculũ fratres, ſtuporis pleniſſimum, cernere Chriſti Regis ac Domini noſtri manſuetudinem!* Angeli qui percuſſerunt alias Ægyptiorum primogenitos, ut de eorum erga Iſraëlitas ſævitia vindictam ſumerent: qui Heliodorum uſque ad ſanguinem verberaverunt, eo quod Hieroſolymitanum profanaſſet templum: qui tot millia militum exercitus regis Aſſyriorum enecarunt, ut ducis punirent blaſphemias, Malchi caſtigaſſent inſolentiam, niſi Dei impediſſet primogenitus, & ſtupor immobiles eos reddidiſſet. *Expaverunt Angeli omnes, cùm daret miniſter iniquitatis alapam Domino majeſtatis.*

Tert. l. de Pat. 3. — Valer. Max l. 5. c. 3. — D. Chryſoſt. Hom. 82. — S. Ephrem Serm. 1. de Paſſion. — S. Ephrem

Quo plus conculcatur & conteritur crocus, eò ſuaviorem exhalat odorẽ majoremque præ ſe fert decorem & virtutem. Inter herbas mirificas horti Sponſæ reperitur crocus; per crocum D. Anſelmus æternam intelligit Sapientiam; Philo vero Carpathius virum patientem denotari exiſtimat. Utrumque Chriſto competit; qui eſt Sapientia genita, & admirandam prorſus demonſtravit in horto Gethſemani patientiam, dum Judas proditor oſculatus eſt eum; in domo Annæ, ubi ſervus inſolens dedit ei alapam; in domo Caiphę, ubi impius ille Pontifex, tanquam blaſphematorem reum mortis pronuntiavit; ubi adhuc furorem tumultuantis plebis expertus eſt.

Plin. l. 21. c. 6. — Cant. 4.

2. De Meſſia fuerant vaticinati Prophetæ; *Tunc infirmi curabuntur, & oculi cæcorum videbunt, & aures ſurdorum audient, & claudus ſaliet velut cervus, & mutorum lingua ſolventur, & cætera quæ operatum Chriſtum nec nos diffitemini.* Nam experientia comprobatur, & inimicorum ſuorum teſtimonio conſtat; *Cum verbo dæmonia de hominibus excuteret; cæcos reluminaret; leproſos purga-*

Tert. l. adv Iud. 9. — Tert. Apol. 21.

mortuos denique verbo redderet vitæ; tot miracula in favorem Judæorum patrata, ei plebis æſtimationem, reverentiam & amorem conciliarant. Quæ ferre non valentes Scribæ & Phariſæi, conſilium inierunt apud Caipham ſummum Pontificem, & *dixites pro morte ejus.* Sicut Judam triginta argenteis corruperant ut proderet Dominum, ita falſos remunerant teſtes ut adverſus eum teſtimonium ferrent. Verùm cum inter ſe diſſentirent, Caïphas interrogat Chriſtum an ſit Dei filius: non prius verum ab ejus ore audivit reſpōſum, quin ſurgens de ſolio exclamavit voce magna, blaſphemavit, non amplius egemus teſtibus, reus eſt mortis & ut multitudinem concitaret adverſus Chriſtum, tanquam blaſphematorem, ſcidit veſtimenta ſua. *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit; delaturam civitatis, & collectionem populi, & calumniam mendacem, ſuper mortem omnia graviora.* Quatuor timenda declamat Eccleſiaſticus, & tria tantum dinumerat; quartum vero quod ſilentio præterit, eſt abſque dubio malitia prætextu zeli velata; qualis fuit Caiphæ perverſitas. Hæc quatuor adverſus Chriſtum coadunantur, collegium Scribarum & Phariſæorum, falſa teſtium depoſitio, palliata Dei zelo Caiphæ perverſitas, furens populi commotio: *Nam tumultuatæ ſunt gentes* ad vocem iniqui Pontificis & beneficiorum Chriſti memoriam oblitterantes: *Ut ipſe nihil lenitatis prætermiſit, ſic illi nihil contumeliæ, nihil impietatis, ſed tam verbis quam factis explere furorem ſuum conati ſunt.*

Tert. l. adv Iud. 9. — Eccleſ. 26. — Tert. l. de Reſ. 20. — D. Chryſoſt. hom. 85. in Matth.

Sex tormentorum genera apud Caipham à tumultuante plebe, paſſus eſt Chriſtus: 1. Vellitur ei barba: *Nefas eſt barbam vellere, quæ eſt hominis pulchritudo ingenita & ingenua.* 2. In faciem ejus expuitur: *Quid enim his contumeliis poteſt exæquari? In faciem illam quam Sol in cruce videns radios occultavit, ſpuere?* 3. Sputis alapas adjiciunt: *In palmis vero atque ſputis ad conſummandam hominis humilitatem, univerſa in eum contumeliarum genera exercebantur.* 4. Ejus velant oculos, ſplendorem eorum ferre non valentes. 5. Pugnis humeros & caput percutiunt: *Colaphis tuber eſt totum caput.* 6. Percutientes dicunt: Prophetiza quis eſt qui te percuſſit? *Quaſi quemdam, & nullius rei hominem deludentes.* Tot opprobria, contumelias & percuſſiones *intelligitur paſſus Dominus uſque mane,* cum admiranda prorſus & ineffabili patientia. *Taceo quod figitur, in hoc enim venerat: Nunquid tamen ſubeundæ morti, etiam contumeliis opus fuerat? ſed ſaginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat.* Adeo atroces injurias & tantam patientiam *mirabantur Angeli, videntes undique Dei Filium attritum, deſpectum, agitatum, illuſum.* Ut autem D. conſulit Chryſoſtomus: *hæc in cordibus noſtris ſcribamus*: horreamus Judæorum ingratitudinem, admiremur Chriſti patientiam, meditemur improperium quod pro nobis tulit Salvator; hæc tamen non recogitant ſceleroſi Chriſtiani, Chriſtum triſtitia afficientes, quia de ejus paſſione nullum fructum percipiunt, Judæorum æmulantes ingratitudinem & iniquitatem, quæ in atrio Pilati conſummatur.

Clem. Alex. l. 3. Pædag 3. — D. Chryſoſt hom. 86. in Matth. — D. Hilar. V. Beda. — Clem. Alex. — D. Chryſoſt. ibid. — D. Aug. l. 3 de Conſ. Evangel. l. ſt. 6. — Tert. l. de Pat. 3. — Laur. Iuſt. l. de Triumph. Agō. Chr. c. 14.

II. PARS.

Quia revincebantur magiſtri primoreſque Iudæorum, ira exaſperabantur, maxime

Tert. Apol. 21.

xime quod ad eum ingens multitudo deſtlueret, ut poſtremo oblatum Pontio Pilato Siriam tunc ex parte Romana procuranti, violentia ſuffragiorum, in crucem dedi ſibi extorſerint. Inchoata in horto Gethſemani, in domibus Annæ & Caiphæ, Judæorum malitia & iniquitas, in curia Herodis, & prætorio Pilati ſuam accepit conſummationem. Nam obtenta, aſtutia, minis & violentia ab iniquo judice, ſententia mortis adverſus Chriſtum, antequam eum crucifigerent, plurimis ſunt eum tormentis perſecuti: *Aſt terunt reges terra, Herodes & Archontes congregati ſunt in unum, Anna & Caiphas, adverſus Chriſtum, qui tanquam ovis ad jugulationem deductus eſt, & tanquã agnus ante tondentem, ſcilicet Herodẽ, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum.* Tædioſum foret ſingula quæ pertulit Salvator ſigillatim referre: Taceo Phariſæorũ, Sacerdotũ & Pontificũ malitiã, qui *offerebãt Ieſum duriſſimis nexibus vinctũ, & clamoribus prædamnatũ, ut inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus abſolvere.* Prætereo Herodis perverſitatem, qui Chriſtum inſanum cenſuit, ut ſtultum candida veſte induit, exercitus riſui expoſuit; nam ut ait Theophylactus, *Herodes congerit deriſiones & opprobria in Chriſtum:* Sileo iniquitatem Pilati, qui timens ne Judæi eum ut Cæſaris inimicum deferrent, contra ſuam ſcientiam & conſcientiam adverſus Chriſtum tulit ſententiam: Verum, ut animadvertit Paſchaſius, *lavit quidem manus, ſed culpam non lavat, quia judex non cedere debet timori, nec ullis adverſantium impulſionibus ut ſanguinem condemnaret innocentem, quem prædixerat juſtum.* His multiſque aliis prætermiſſis, conſummationem malitiæ & iniquitatis Judæorum agnoſce Chriſtiane, 1. in Barabbæ prælatione: 2. Chriſti flagellatione: 3. Domini coronatione.

Tert. l. de Reſ. 10.

S. Leo. Ser. 1. de Paſſ.

Luc. 23.

1. *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nunciavit.* Pilatum Chriſtianum vocitat Tertullianus, nempe Chriſti defenſorem, ejuſque innocentiæ propugnatorem: ſciens enim Pilatus ex doctrina, fama, vita, miraculis, Chriſtum eſſe innocentiſſimum, aliunde cognoſcens ex Phariſæorum, ſacerdotum, Pontificum geſtu, vultu, clamore, ſollicitatione, eorum in Chriſtum invidiam, animadverſionem, furorem, ſerio voluit Chriſtum liberare: quare 1. propoſitis principum & pontificum accuſationibus, aperte teſtatus eſt, *Ego nullam in eo invenio cauſam:* 2. miſſo ad Herodem Chriſto, & ad ſe reverſo, tam ſuo quam Herodis teſtimonio Dominum innocentem pronuntiavit: 3. proponit Jeſum cum Barabba pro certo habens Judæos potius liberaturos Jeſum quam Barabbam; & ut advertit Hugo Cardinalis, *magis flagitioſum proponit eis ut eum petere erubeſcant;* erat enim Barabbas (Seditioſus, latro inſignis, famoſus in protervitate, & multis homicidiis inquinatus.) Jeſus vero erat cœleſtis Doctor, omnium benefactor, donorum largitor. Iniqua certe comparatio, qua confertur innocentiſſimus cum ſceleratiſſimo, pacificus cum ſeditioſo, auctor vitæ cum homicida, Dei filius cum diaboli filio, Jeſus Sanctiſſimus cum Barabba perditiſſimo: ſed longe multo iniquior electio; *Nam & Barabbas quidem nocentiſſimus*

Tert. Apol. 21.

Luc. 23.

D. Chryſoſt.

Tert. l. 4. adv. Marc. 42.

ſimus, vita ut bonus donatur: Chriſtus vero juſtiſſimus, ut homicida morti expoſtulatur. Quid non poteſt invidia, odium, malitia? invidiâ Principes & Pontifices tabeſcentes, odio æſtuantes, malitia cæcutientes præferunt ſeditioſum pacifico, latronem bonorum largitori, homicidam auctori vitæ, ſceleroſum innocuo, Barabam Jeſu, diaboli filium Dei filio. *Principes autem ſacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis, ut peterent Barabbam, Ieſum vero perderent.* Chriſtus pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes; Barabbas vero, ſanguinem fudit, cives interfecit, ſeniores & pontifices, ſanguinis & necis Chriſti avidi, ob morum ſimilitudinem (petiverunt, ait Theophylactus, virum homicidam dari ſibi.) Qui poſt Salvatoris anhelebant mortem, quid aliud peterent niſi hominem aliorum interfectorem? Ad hoc enim eos trahebat iniquitatis conformitas Ex D. autem Ambroſio (Barrabas patris filius latine dicitur. Illi ergo quibus dicitur; Vos ex patre diabolo eſtis, vero Dei filio, patris ſui filium antichriſtum prælaturi eſſe producuntur:) Hæc Barrabæ electio, & Chriſti repudium, præfigurant Antichriſtum, Chriſto repudiato, à Judæis in fine mundi eligendum. Matth. 27. Act. 10. In c. 23. Luc. In c. 23. Luc.

Nullus eſt Chriſtianorum qui Judæorum non damnet perverſitatem, qui eos non judicet æterna morte mulctandos, in pœnam tam pravæ electionis, & tamen ſceleroſi Chriſtiani Judæorum inſtar Chriſtū ſuis vitiis poſtponunt, & poſtponendo deſpiciunt: *qui de pluribus ſuſcipit aliquem, eum quem non ſuſcipit, deſpexit.* Nonne ſuperbus honores Chriſto præponit, avarus divitias, libidinoſus venereas voluptates & quivis peccator ea quæ inordinato amore proſequitur? Proh dolor! *Solus in comparatione omnium Deus vilis eſt.* Propoſiti ſunt Judæis Chriſtus & Barabbas, Dei filius & diaboli filius, & elegerunt Barabbam Chriſto neglecto, quaſi diaboli filius melior eſſet Dei filio. Proponuntur quotidie criminoſis chriſtianis Deus & diabolus, impius tamen chriſtianus: *nonne, quod dicere quoque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem proferendum eſt, diabolum Domino præponit? comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiaſſe, eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit.* Barabbam Chriſto meliorem pronunciarunt Judæi, & diabolum Deo meliorem exiſtimant pravi Chriſtiani: Judæi Barabbā præ Chriſto eligendo, Chriſtum offenderunt, contumelia affecerunt, & reprobaverunt: Eodē modo ſceleroſi Chriſtiani diabolū Deo præferendo, in Deū contumelioſi ſunt, neq; eū offendere verētur; *Prælatio alterius ſine alterius contumelia non poteſt procedere, quia nec electio ſine reprobatione:* Sic Chriſtū probaverunt Judæi, conſummando ſuam iniquitatem, tum in Barabbæ prælatione, tum in Chriſti flagellatione. Ter. l. 1. ad Nat. 10. Salv. l. 6. de guber. Dei. Tert. l. de Pœn. 5. Tert. Apol. 13.

2. *Nam quæ hodie apud Lacedæmonas, ſolemnitas maxima eſt flagellatio, non latet: in quo ſacro ante aram nobiles quique adoleſcentes flagellis affliguntur aſtantibus parentibus & propinquis, & uti perſeverent adhortantibus, majore quidem titulo, ſi anima potius ceſſerit plagis, quam corpus.* Ab hac flagellatione multum diſtat Chriſti flagellatio. 1, Apud Lacedæmones Tert. l. ad Mart. 4.

mones ex flagellatione dignoſcebatur nobilitas, & flagellatur Chriſtus ut
Tert. l. 4. adv. Marc. 21. vilis & *nullificamen populi* appareat: 2 Apud Lacedæmones flagellabantur
nobiles ut inde gloriam & honorem compararent: Chriſtus verò flagellatur
Tert. ut *ignominia hominũ* habeatur. 3. Nobiles Lacedæmones flagellabantur in
conſpectu parentum, qui eos ad tale fortitudinis experimentum, ſuis ſermo-
Ter. l. adv Ind 13. nibus ſtimulabant: Chriſtus flagellatur coram infenſiſſimis ſuis hoſtibus, qui
Tert. l. 4. adv. *ob impietatem eum diſſ xerunt.* 4. Lacedæmones toto corpore non erant nu-
Mar. 21. dati, Chriſt⁹ vero *vermis & non homo* toto nudatur corpore, ut majori afficia-
S. Brigitt. l. 1. Revel. 10. tur pudore: *Sicut natus eſt ſic ſtabat, & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ.* 5.
Lacedæmones non erant ligati, Chriſtus vero manibus circa dorſum ligatur,
& D. Hieronymus teſtatur ſe vidiſſe columnam ſanguine Domini cruentatã:
In Epitaphio. S. Paulæ c. 4 *ad quam dicitur vinctus & cruentatus.* 6. Lacedæmones flagris tantũ verbera-
bantur, Chriſtus verò, ut meditatur D. Vincentius Ferrerius, flagellatus fuit
tum ſpinis & vepribus acutiſſimis; tum chordis cum ſtimulis ferreis; tum
catenis ferreis cum uncis ferreis: 7 Lacedæmones flagellabantur à ſuis ami-
cis qui in eos non ſæviebant; Chriſtus à ſatellibus inimicis qui à Judæis mune-
Ser. 10 In Cant. rabantur, ut crudelius eum percuterent; quare D. Bernardus *opprobria Chriſti
& flagella, in fornace avaritiæ conflata* exiſtimat. 8. Lacedæmones ab uno dun-
In ejus Vita Par. 6. taxat eoque mitiſſimo flagellabantur, Chriſtus vero ut in extaſi beata Mag-
dalena de Pazzi didicit, à ſexaginta ferocientibus militibus & ſatellitibus
flagellatus eſt: Quod innuere videtur ipſemet Salvator per os Regii Vatis:
Pſ. 140. *Congregata ſunt ſuper me multa flagella peccatorũ*: D. Hieronymus vertit: *Colle-
cti ſunt adverſum me multi percutientes*: Alii legunt, *Multi flagellatores*: Altera
vero lectio habet, *Multi dolore affligentes.* 9. Lacedæmones certo flagellorum
numero verberabantur: at Chriſtus abſq; numero flagellatur. (Congregata
ſunt ſuper me flagella.) ſeu ut expendit Ruffin⁹, *Multiplicata & adunata ſunt
ſuper me flagella.* Vulnera vulnerib⁹, plagæ plagis, flagella flagellis, ita multi-
D. Bruno. plicabantur, ut omnem modum & numerum excederent; *Per hoc quod ponit,
Congregata ſunt flagella, diverſitatem & multitudinem flagellorum innuit: multi-
moda namque multitudine* flagellatus eſt. Vincentius Ferrerius quinque mille
ictus dinumerat: D. Bonaventura quinque mille ſexcentos ſexaginta ſex: D.
Bernardus, ſex mille & ſex: Landulphus, quindecim mille quadringentos &
ſex: de quo nihil certi aſſeri poteſt. Quantus verò fuerit numerus, colligi po-
Pſ. 72. teſt tum ex verbis Chriſti aſſeverantis: *Fui flagellatus tota die*; non ratione
temporis, ſed conſiderato verberum numero, qui tantus eſt ut potuerit in-
tegrum implere diem: tum maxime ex numero peccatorum pro quibus fla-
Deut. 25. gellatus eſt. *Pro menſura delicti erit & plagarum modus.* Hominum peccata ſunt
fere infinita numero; infinitæ fere numero fuerunt Salvatoris plagæ. 10. La-
Tert. l. de Reſ. 10. cedæmones ſupra humeros tantum verberabantur: Chriſtus vero *dorſum ſu-
D Hier. in c. 27. Matth. um ponens ad flagella & maxillas ad palmas, & faciem non avertens à ſputaminum
jaculis*; toto adhuc corpore eſt laceratus: Etenim *illud ſacratiſſimum cor-*

pus

pus, pectusq́; flagella ſecuerunt: & ut ipſemet conqueritur Salvator, *ſupra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Al a verſio habet, *araverunt aratores, & produxerunt ſulcum ſuum.* Et ſicut dum aratur, terra (Pſ. 118.) quæ latebat detegitur: ſic de Chriſto vaticinatus fuerat Propheta: *Tabeſcet caro ejus & oſſa quæ tecta fuerant nudabuntur.* (Iob. 31.) Nec mirum; nam arantes illi ſuper Chriſti corpus ſatellites, *vulnera vulneribus, plagis plagis recentibus addunt, hinc livor tumens, hinc ſanguis erumpens.* (Laur. Iuſt. de Triũph. Agon Chr c. 14.) Tot plagis vulneratus eſt, ut in corpore nihil appareret præter vulnus; ut aſſeverat ipſemet patiens Salvator: *Concidit me vulnere ſuper vulnus*: (Iob. 16.) ſeu ut alia habet lectio, *ita me vulneravit, ut continuum vulnus ſit.* Vulneratum, contuſum, cruentatum Dominum cum ſtupore & dolore contemplatur D. Bernardus: *Videte nunc opera Domini, qui poſuit prodigia ſuper terram; Flagellis caſus eſt, hinc guttæ ſanguinis decurrentis ſuper terram.* (Ser. 4. de Paſſ.) Neque guttulæ tantum ſanguinis, ſed rivuli etiam decurrunt. Quod ſi quæramus à Chriſto: *Quare rubra veſtimenta tua; & indumenta ſicut de foro torculari pleno conculcato?* (Tert. l. 4. adv. Marc. 40.) reſpondet per os Prophetæ, quia à flagellantibus dilacerata eſt ſua caro, *Spiritus enim propheticus velut jam contemplabundus Dominum ad paſſionem venientem, carne ſcilicet veſtitum, ut in ea paſſum, cruentum habitum carnis in veſtimentorum rubore deſignat conculcatæ & expreſſæ vi paſſionis tanquam de foro torcularis, quia exinde quaſi cruentati homines de vini rubore deſcendant.* Pilatus Jeſum flagellandum tradiderat Judæis non quaſi ſceleroſum, ſed ut eorum furori aliquatenus ſatisfaceret, & Chriſtum innocuum & flagellatum à morte liberaret. (Hoc Pilatus non ad aliud feciſſe credendus eſt, niſi ut ejus injuriis Judæi ſatiati ſufficere ſibi exiſtimarent, & uſque ad mortem ſævire deſiſterent.) (D. Aug. in Pſ. 63.) Verum Judicis propoſitum fefellit Judæorum crudelitas, qui Chriſti ſanguine haud ſatiati, nova adinveniunt tormenta: Nam *deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur.* (Tert. l. de Pat. 3.)

Chriſtus *à Prophetis prædicabatur omnem humilitatem, & patientiam, & tranquillitatem exhibiturus.* (Tert. l. adv. Iud. 9.) In prætorio autem Pilati *omnem juſtitiam & humilitatem exhibuit*: nam dolorem, ignominiam & deriſum ſuſtinuit. Hæc omnia præfatus fuerat Eſaias: *Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum, deſpectum & noviſſimum virorum.* (Tert. l. adv Iud. 10.) Quæ verba cum ſum̃am quam paſſus eſt Dominus in flagellatione denotent ignominiam, expendendã ſunt, *Vidimus eum & non erat aſpectus*: Symmachus legit: *Non erat ei forma, non dignitas*: Tertullianus vero habet: *& vidimus eum & non habebat ſpeciem neque decorem.* (Lib. adv. Iud. 14.) Addit Propheta: *Deſpectum & noviſſimum virorum*; Arabicus habet; *Viliſſimum ex hominibus*: Tertullianus legit: *Species ejus inhonorata, deficiens citra filios hominum*: ſeu, ut vult D. Auguſtinus, *deficiens præ omnibus hominibus*: (L. 18. Civ. 29.) Radix vero Hebraica continet, *Contemptum, ſeu contemptibilem, ceſſationem, ſeu ultimum terminum virorum.* Tanta eſt humilitate dejectus in flagellatione Chriſtus, tanta ignominia affectus; & ut ait Tertullianus, *omni inhoneſtate* (Lib. adv. Iud. 14.)

proſtratus,ut ei non ſit ſpecies,forma,decor dignitas,ſed abjectio,deſitio, ceſſatio virorum,ideſt ſuper cunctos homines noviſſimus,abjectiſſimus,viliſſimus: etenim ad ultimum abjectionis, humilitatis, vilitatis, ac ignominiæ punctum, terminum ac finem pervenit; ultra quem nullus poteſt attingere, Hunc virorum noviſſimum, virum dolorum, quaſi leproſum præ vulnerum multitudine exuentes milites, chlamide coccinea circundederunt, congregaverunt ad eum univerſam cohortem (ſpectaculum univerſale fecerunt de Filio Dei, ut ab omnibus derideretur;) & ut ait D. Chryſoſtomus, *Voluptatem ex contumeliis capiebant*; tanquam diem feſtum cum gaudio & exultatione agentes. Sic adimpletum eſt Jeremiæ vaticinium: *Factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannaverunt me*; quod in perſona Chriſti ante fuerat vaticinatus Regius propheta: *Omnes videntes me deriſerunt me*: D.Auguſtin. legit: *Omnes qui conſpuebant me*; nam & Chriſtum ſubſannaverunt,& in faciem ejus conſpuerunt, & irriſorie regem Judæorum ſalutaverunt, veſte purpurea induerunt, & ut ſuam conſummarent malitiam & iniquitatem, capiti ejus coronam ſpineam impoſuerunt. *Quare,oro te,Chriſtus Ieſus ſertum pro utroque ſexu ſubiit? ex ſpinis opinor & tribulis in figuram delictorum, quam nobis protulit terra carnis,abſtulit autem virtus crucis,omnem aculeum mortis in dominici capitis tolerantia obtundens: Certe præter figuram,contumelia in promptu eſt, & turpitudo & dedecoratio, & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini tempora,& fœdaverunt & lancinaverunt.*

Albertus Magnus. Hom. 8?. in Matth. Cap. 20. Pſ. 21. Tert. l. de Cor. mil. 14.

3. Chriſtus *corona ſpinea in capite ejus circundata*,arundinem habens in dextera,univerſæ multitudinis ludibrio & riſui exponitur. Animadvertit autem Tertullianus,quòd ſpinea Chriſti corona *Romanorum militum commentum fuit*. Hoc namque ſupplicii genus adinvenientes abſque ullo mandato & ordine Pilati, ſed ut ait D.Chryſoſtomus, *pecunia à Iudæis allecti omnia audebant*. Quare Chriſtum ſpinis coronaverunt *ad Iudæorum gratiam*, addit D. Chryſoſtom. quos hujus tormenti auctores exiſtimat Tertullianus,*Domui Iſrael fecerat ſpinas,ex quibus Chriſtum coronaverat*; quia pecunia ſibi milites addixerant, qui divitiis Judæorum allecti, ut eis placerent,& ſe dignos mercede demonſtrarent,humanitatis obliti,omnia crudelitatis genera excogitabant,ut majori Dominum dolore & contumelia afficerent. Utrumq; in coronatione paſſus eſt tormentum: tam graves etenim fuerunt quos ex ſpinea corona perſenſit dolores,quod ut meditatur Laurentius Juſtinianus,(debuit mori tanto dolore transfixus,ſe tamen ſervavit ad vitam, ut his etiam graviora perferret.) Adeo adhuc Chriſto ignominioſa fuit ſpinea corona,ut eam Tertullianus *impietatis contumelioſa coronam* vocitet: hęc tormentorum,dolorum & ignominiarū genera; *quæ quidē omnia ipſe perpeſſus,non pro aliquo ſuo actu malo paſſus eſt.*

Ter. l. adv Iud. 13. L. de Cor. Mil. 10. Hom. 83. in Ioan. L. adv. Iud. 13. L. de Tri. pop. Ago. Chr. 14. L. de Cor. Mil. 10. Ter. l. adv Iud. 10.

Quod probe ſciens Pilatus,flagellatum,cruentatum,coronatum Judæis oſtendit; clamans alta voce: *Ecce homo*. 1. Vocat eum hominem, quia ut homo præ tormentis,ſputamentis,& plagis non erat agnoſcendus. *Homo eſt & quis*

quis agnoſcet eum? 2. Ecce homo, & *homo in plaga poſitus*, & tot vulneribus at- Ter. l. adv Iud. 14.
tritus, quod veſtram explere debuerunt inhumanitatem. 3. Ecce homo inno- Ter. l. adv
cens, *quia ſcelus non fecit, nec dolus in ore ejus inventus eſt.* Ad innocentiam ejus Iud. 9.
attendite. 4. Ecce homo qui admiranda prorſus patientia tot ſuppliciorum Tert. l. adv Iud. 10.
pertulit genera: *Cum traditur, cum adducitur ut pecus ad victimam, ſic enim non* Tert. l. de Pat. 3.
magis aperit os, quam agnus ſub tundentis poteſtate. In tanta patientia virtutem
ejus recognoſcite. 5. Ecce homo, quem veſtra malitia, veſtra iniquitate per- Ter. l. adv
ſequimini: *Et facinoribus, inquit, populi mei perductus eſt in mortem.* Nolite am- Iud 10.
plius in tanta perſeverare perverſitate. 6. Ecce homo, *quem à Iuda redemiſtis.* Tert. l. de Spect. 10.
Horrete nefandum veſtrum commercium. 7. Ecce homo, qui eſt verus Dei
filius, qui aliquando de veſtris ſceleribus ſumet vindictam: *Iuro vobis, peccato-* Tert. l. de Idol. 4.
res, quod in diem ſanguinis, perditionis juſtitia parata eſt. 8. Ecce homo, qui vo- Tert. l. adv
luit contumeliis affici, verberibus laniari, ſpinis coronari, *ut livore ejus ſanare-* Marc. 21.
mur, ut dedecore ejus ſalus noſtra cõſtaret. 9. Ecce homo, qui eſt rex veſter, ſed tu- Euthym.
mulo potꝰ quã ſolio indiget, cum in eo mors cum vita pugnet. (Homo dixit
præ compaſſione, ut & ipſi compaſſione moverentur.) Pilatus Judæis oſten-
dit Chriſtum vulneribus repletum, multis injuriis affectum, ludibrioſa veſte
indutum, contumelioſa corona redimitum, ut ſi ejus nollent conſiderare di-
vinitatem, dignitatem, ſanctitatem, virtutem, innocentiam, humanitatem,
ſaltem ex miſerando ejus aſpectu, ad compaſſionem, pietatem, & miſericor-
diam flecterentur. *Egreditur ad eos Ieſus portans ſpineam coronam, & purpure-* D. Aug.
um veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio. Si regi invidetis, jam Tract. 116.
parcite, quia dejectum videtis: Flagellatus eſt, ſpinis coronatus: ludibrioſa veſte ami- in Ioan.
ctus eſt: amaris conviciis illuſus eſt, fervet ignominia, frigeſcit invidia: ſed non frigeſcit,
inardeſcit potius, & increſcit nequitia. Pilatus Chriſtum tam inhumane verbe-
ratum, tam crudelibus plagis percuſſum exhibuit, ut miſerando ejus intuitu
Judæorum mitigaret furorem, *ut ſatiata iniquitas de innocentis injuriis ulterius* S. Leo. Ser. 10. de Paſſ.
non ſaviret: ſed pertinax malita propriis creſcebat augmentis. Nam plebs revo-
cans ad memoriam Chriſti doctrinam, miracula, virtutum exempla, benefi-
cia, compaſſione movebatur: quod intuentes Scribæ, Phariſæi, Sacerdotes,
Pontifices fecerunt: *non juſtitiam, ſed clamorem quo ad crucem eum extorſerunt* Ter. l. adv.
& ſua vociferatione, ad poſtulandam Chriſti mortem, populum induxerunt: Iud. 13.
Quod probe animadvertit Cyrillus Alexandrinus: (Viderunt ipſũ Pontifices L. 12. in
& Miniſtri: clamaverunt, crucifige, crucifige eum: nam cũ multitudo aliquo- Ioan. 57.
modo his factis ſuberubeſceret, recordati forſan miraculorũ illius, ipſi primũ
clamant & vulgus incedunt;) & ſuo clamore ut Jeſum condemnet, Judicem
compellunt: Quod figuratũ vult Tertullian. in hirco maledictionis, qui *circũ-* Lib. adv.
datus coccino, maledictus, & conſputatus, & convulſus, & compunctus, à populo ex- Iud. 14.
tra civitatem ejiciebatur in perditionem, manifeſtis notatus inſignibus Chriſti
paſſionis, qui coccinea circumdatus veſte, & conſputatus & omnibus contumeliis affe-
ctus,

III. PARS. *ctus, extra civitatem crucifixus eſt*, conſummatione ſævitiæ & crudelitatis.

Tert. l. adv. Iud. 11. *Iſaac cum à patre hoſtia duceretur & lignum ipſi ſibi portaret, Chriſti exitum* Tert. l. adv Iud. 13. *jam tunc denotabat, in victimam conceſſi à Patre, lignum paſſionis ſuæ bajulantis*, cum hoc tamen diſcrimine, quod *Iſaac cum ligno reſervatus eſt, ariete oblato in vepre cornibus hærente: & Chriſtus ſuis temporibus lignum humeris ſuis portavit, inhærens cornibus crucis.* Ut autem animadvertit Tertullianus, *non pro meritis* L. adv. Iud. 10. *ſuis in id genus mortis expoſitus eſt*; ſed à militia & iniquitate Judæorum, qui conſummatione ſævitiæ & crudelitatis innocentiſſimum Dominum, ſummque amantiſſimum benefactorem mulctarunt ſupplicio, 1. infami & ignominioſo: 2. ſævo & violento: 3. univerſali & generico.

Tert. l. de Car. Chr. 9. 1. Quam ignominioſum fuerit Chriſti ſupplicium, *ipſæ paſſiones, ipſæq; contumeliæ loquuntur.* Multa ad ejus ignominiam concurrebant: 1. Crucis mors Cap. 2. quæ turpiſſima à Sapiente nuncupatur: *Morte turpiſſima condemnemus eum.* Et merito dicitur turpiſſima, quia erat mancipiorum & ſervorum pœna, quorũ Act. 5. Tert. l. 1. conditio eſt viliſſima: deinde qui tam infami mulctabantur ſupplicio, maleadv. dicti à Deo habebantur: *Maledictus qui pendet in ligno.* Christus autem *male-* Marc. 11. Tert. l. 4. *dictum in ſe creatoris admiſit ligno ſuſpenſus* 2. Suſpenditur inter duos latrones, adv. ut ex eorum conſortio dedecoraretur, tanquam latronum dux & anteſigna- Marc. 42. Sim. Caſſ. nus. *ſed & duo ſceleſti circumfiguntur illi, ut inter iniquos ſcilicet deputaretur.* 3. l. 13. Suis exuitur veſtibus, *ut nuditas eſſet ad opprobrium.* Ad Chriſti nuditatem ex- Tert l. adv Iud. 13. pavit cœlum: *Expavit cœlum ſuper iſto; & quomodo & quando expavit? Indubita-* Tert. l. de Car. Chr. 9. *te quando paſſus eſt Chriſtus.* 4. Locus ubi paſſus eſt Dominus, ejus augeſcit ignominiam: Nam *ignobili aſpectu* ſuſpenditur in Calvario, ubi criminoſiſſi- Tert. l. adv Iud. 11. mi quique ſuorum ſcelerum luebant pœnas. 5. Tempus paſſionis Chriſti ad ejus conducit ignominiam: Nam *à populo tam inſigniter crucifixus eſt*; tempore quo celebrabatur Paſcha, & quo undiq; Judæi Jeroſolymã conveniebant, ut ejus paſſio plurimis innoteſceret, qui eũ deridebãt. *Omnes qui ſpectabãt me,* Tert. l. 4. adv. Marc. 42. *naſo irridebant me, locuti ſunt labiis, & capita moverunt.* 6. Patitur coram infenſiſſimis ſuis hoſtibus; *expoſitus contumeliis & Iudæorũ ludibriis*, qui eũ adhuc la- D. Cypr. Tert. l. de Spect. 30. ceſsũt injuriis & improperiis. *Hic eſt ille fabri aut quæſtuariæ filius, Sabbati deſtructor, Samarites, & dæmoniũ habens.* Quantus vero fuerit eorũ numerus qui eum irridebant, calumniabantur, blaſphemabant, declarat ipſemet Salvator. *Cir-* Tert. l. 4. adv. Marc. 42. *cundederunt me canes, ſynagoga maleficorum circumvallavit me*: Sic loquitur Chriſtus apud Regium Vatem, *Conſilium malignantium obſedit me*: D Hie- Pſal. 21. ronymus legit, *Conſilium peſſimorum.* Ab illa malignantium & peſſimorum ſynagoga ita illuſus & injuriis affectus Dominus, ut paſſionem ejus *illuſionis* Tract. 117. in Ioan. *pompam* vocitet D. Hieronymus; D. vero Auguſtinus nuncupet *grande ludibrium.* Tale ac tantum eſt Chriſti opprobrium, ut ab hominibus nequeat concipi, & à ſolo Deo perfecte cognoſcatur. Quare ſic æternum Pſal. 68. alloquitur Patrem, *tu ſcis improperium meum & confuſionem meam.* Quaſi dicat, ait Incognitus, (Tu ſcis quantum ex parte mea, quantum ex parte

parte mèa quantum ex parte Judæorum.) Quantum ex parte mea, nam *tota die verecundia mea contra me eſt confuſio faciei meæ cooperuit me.* Quantum ex parte Judæorum, qui poſt injurias, irriſiones, blaſphemias *in Dominum deſævierunt* quem ſupplicio crudeli & violento mulctârunt.

Tert. l. de Spect. 30.

2. *Si adhuc quæres dominicæ crucis prædicationem: ſatis jam tibi poterit facere 21. Pſalmus totam Christi continens paſſionem: Foderunt, inquit, manus meas & pedes, quæ propria eſt atrocitas crucis.* Adeo crudelis & violenta eſt crucis paſſio ut eam atrocitatem in abſtracto vocitet Tertullianus ad denotandum ultimum doloris gradum. Quantumvis omnia ſuppliciorum genera afferant dolorem, non tamen æqualem infligunt: quædam ſunt ſupplicia diuturna, parum doloris afferentia, ut venenum lentũ, quod inſenſibiliter & pedetentim conſumit vitam, & adducit mortem. Quædam è contra magnum dolorem afferunt, ſed cito finiuntur, ut ignes, quorum pœnam ſummam appellat Tertullianus, *ſummam ignium pœnam.* Sed alia ſunt, ſimul diuturna & violenta; ut crux, quæ *non ſubita dolorum concuſſione* adimit vitam, ſed diu cruciat, & adhuc violenter & crudeliter cruciat: ideoque à cruciatu dicitur; quia *illa morte pejus nihil fuit interno minta genera mortium.* Cuncti ſane qui crucifigebantur, multis affligebantur doloribus: Chriſtus tamen præ aliis majores ſuſtinuit dolores: Tum quia corporis complexio, in qua tactus magis viget, erat in Chriſto melior & delicatior: tum quia interior animi apprehenſio, ex qua vis doloris maxime pendet, erat in Chriſto major: tum quia plura jam eaq; graviſſima ſuſtinuerat tormenta: fuerat enim *arundine & colaphis diverberatus, ſputamentis dedecoratus*, flagellis dilaniatus, ſpinis coronatus, ab inimicis circundatus paſſuſque *capitum irridentium nutus*: tum quia expertus eſt *omne carnificis ingenium in tormentis*; à Judæis *deputatus inter iniquos, perfoſſus, & manus, & pedes*: Læſio autem manuum & pedum non fit niſi maximo cũ dolore, propter concurſum nervorum, muſculorum, venarum, arteriarum. Vates Regius in perſona Chriſti ait: *Foderunt manus meas & pedes meos.* Verſio Chaldaica in Bibliis regiis habet: *Mordentes manus meas & pedes meos.* Nebienſis addit: *Velut leones.* Tanta crudelitate ac furore ſæviebant in Chriſtũ, ut non ſolum flagellis, catenis ferreis, ſpinis, clavis uterentur, ſed etiam velut ſævi leones præ rabie dentes in eum impingebant mordentes, & dilaniantes, *Foderunt manus meas & pedes meos*: hoc eſt, fodendo fecerunt foſſas; quod vulnerum indicat violentiam & magnitudinem. Et quamvis ex transfixione & extenſione manuum & pedum, Chriſti oſſa non ſint confracta, ruptæ ſunt tamen venæ, arteriæ, ſecati nervi, & muſculi, & oſſa inter ſe ita avulſa, & diviſa ut potuerint dinumerari. *Exterminaverunt manus meas & pedes, dinumeraverunt omnia oſſa mea. Manus autem & pedes, non exterminantur niſi ejus qui à ligno ſuſpenditur*: Ut tamen expendit Incognitus, ex hac violenta corporis dominici extenſione aperiebantur oſſium juncturæ, quia Chriſtus fuit crucifixus nudus, & ſic ad litteram poterant ejus oſſa dinumerari.

Tert. l. adv Iud. 9.
L. ad Mart. 4.
Tert. l. 4. adv. Marc. 21.
D. Aug. Tract. 36. in Ioan.
Tert. l. de Spect. 30.
Tert. l. de Reſ. 20.
Tert. l. ad Mart. 4.
Tert. l. de Reſur. 20.
Tert. l. 4. adv. Marc. 42.
Ter. l. adv Iud. 11.

T. adv. Iud. 11. In transfixione pedum & manuum Salvatoris. Judæorum ſævitiam agnoſcit Tertullianus: *Nervos ejus ſuffigendo clavis deſævierunt.* Qui Chriſti adhuc con-
L. adv. Marc. 4. templatur *Crucem excelſam*: nam licèt fuerit crucifixus cruce humi jacente; cum autem elevata eſt crux, concuſſa ſunt omnia ejus oſſa, ſummuſque ei illatus eſt dolor: neque Chriſti pedes fuerunt innixi ſupra tabulam, quia ſuſpē-
Matth. 8. ſus remanſit in cruce; nullum aliud præter clavos habens ſuſtentaculum. Dixit alias Salvator, *Filius hominis non habet ubi reclinet caput ſuum*: at in cruce non habet ubi minimam corporis reclinet partem, Etenim ſi vult reclinare caput, ſpinæ crudeliter pungunt; ſi manus, non ſinunt clavi ſæve vulnerantes; ſi ſcapulas, lignum crucis rigidum & aſperum eos dilaniat; ſi pedes, clavi transfixi eos dilacerant. Et quaſi tot inhumanitatis indicia non ſuffice-
Tert. l. de Spect. 30. rent ad explendam eorum rabiem, Chriſtus Dominus eſt *felle & aceto potatus.* Morientibus dabatur bonum vinum, velut ultimum vitæ oblectamentum: hoc ſolatium denegant Salvatori; nam (pro juvante & jucundo potu
Cyril. Alex. l. 12. in Ioan. 15. nocentem & acerbum obtulerunt, & humanitatē qua moveri videbantur, in impietatē convertunt.) De quo conqueritur ſitiens, & felle potatus Do-
Tert. l. 4. adv. Marc. 21. min⁹: *Ipſi autē contemplati ſunt & viderunt me, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Poſt hæc nonne meritò ait Chriſtus: *O vos omnes qui tranſitis per viā, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Seu, ut expendit D. Bonavent. *Dolor meus ſuper dolorem,* tum ob ſupplicii acerbitatē, tum ob pœnarum generalitatē.

Tert. l. 4. adv. Marc. 42. 3. *Atque exinde omne ſcriptum ſuæ paſſionis implevit.* Ceatum eſt Chriſtum non ſuſtinuiſſe omnia tormentorum genera; quia nec fuit decollatus, nec igne crematus, ſed ideo dicitur paſſus ſupplicium univerſale & genericum: 1. quia fere paſſus eſt à cunctis hominum ordinibus, nobilibus, ſacerdotibus, judicibus, doctoribus, militibus, populis. *Aſtiterunt reges terræ*
Tert. ibid. *& archontes congregati ſunt in unum, adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus: Nationes, Romani qui cum Pilato fuerunt; populi, tribus Iſrael: reges, in Herode: archontes in ſummis Pontificibus.* 2. Quia ad Chriſtum cruciandum plura ſævitiæ inſtrumenta coadunata ſunt: nimirum proditiones, perfidiæ, oſcula, funes, alapæ, ſputamenta, velamina, flagella, ſpinæ, clavi, crux, acetum, lancea:
Tert. l. de Bapt. 10. nam *cum vulneratur, aqua de latere prorumpit, ſcit lancea militis.* 3. Quia pa-
Tert. l. 4. adv. Marc. 42. titur in cunctis, nempe, in veſtibus; nam *veſtitum plane ejus militibus diviſum, partim ſorte conceſſum.* In honore & fama, nam omnimoda infamia & ignominia dedecoratus eſt. In diſcipulis, ex quibus Judas eum tradidit, Petrus negavit, & ceteri fugerunt. In Matre, cujus animam doloris gladius pertranſivit. In moribus, nam exiſtimatus eſt peccator & ſceleroſus. In pietate & religione, quia habitus eſt ut Samarites & blaſphemator. In perſona, nam ut Dei filius non eſt agnitus. 4. Quia in cunctis corporis ſenſibus & partibus paſſus eſt: In viſu, conſpiciens tot inhumanos ſatellites; in auditu audiens tot irriſionès contumelias, injurias, blaſphemias: in ordinatu, exhelans fœtores qui erant in Calvario: in guſtu. guſtans fel & acetum; in tactu, nam cunctæ corporis partes fuerunt acerrimo do-

lore cruciatæ. Caput fuit ſpinis coronatum, facies ſputamentis dehoneſtata & alapis cæſa: manus & pedes clavis transfixi: cor lancea apertum, & totum corpus flagellis dilaceratum; verum tanta cum violentia, ut à planta pedis, uſque ad verticem non ſit in eo ſanitas. Tantam Judæorum inhumanitatem Cœlum *horruit plurimum nimis, & ſol media nocte tenebricavit; & quādo horruit nimis niſi in paſſione Chriſti, cum terra quoque contremuit, & velum tēpli ſciſſum eſt, & monumenta dirupta ſunt?* Verum ad quid horruit cœlum, contenebratus eſt ſol, contremuit terra, diſrupta ſunt monumenta? Ut Judæorum arguant ingratitudinem, confundant iniquitatem, damnent crudelitatem, & Chriſtianos alliciant ad gratiarum actionem, dilectionem & compaſſionem. Gratiarum actio Chriſti debetur beneficiis, dilectio dominicæ charitatis monumentis, compaſſio tantis quæ paſſus eſt tormentis. Tert. l. de Iud. 13.

Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei Filius? adhoc enim venerat, ut ipſe à delicto purus & per omnia ſanctus pro peccatoribus obiret. Chriſtus innocuus nullo erat ſupplicio mulctandus; homo ſceleroſus è contra æterna erat pœna puniendus. Ut peccatorem liberaret Chriſtus innocens mortem ſubiit, & ut ait Doctor Angelicus; (Chriſtus per paſſionem ſuam non ſolum hominem à peccato liberavit, ſed etiam gratiam juſtificantem, & gloriam ei promeruit.) Quantò majus eſt hoc Chriſti beneficium, tantò major debet eſſe hominis gratitudo: ſuam autem gratitudinem nequit demonſtrare niſi odiendo & fugiendo peccatum, pro quo tot & tam acerba Chriſtus paſſus eſt tormenta: Quia, ut addit D. Thomas, (per hoc eſt homini inducta major neceſſitas ſe immunem à peccato conſervandi, qui ſe ſanguine Chriſti redemptum cogitat à peccato) Marcus Antonius, ut populi Romani concitaret iram adverſas Julii Cæſaris peremptores, oſtendit eis veſtem illius viginti quinq; pugionum ictibus transfixam & tanti imperatoris ſanguine cruentam: & Apoſtolus Chriſtianorum oculis objicit non Chriſti veſtem, ſed ipſum Chriſtum non viginti duntaxat plagis, ſed innumeris fere vulneribus dilaniatum, & tot contumeliis & opprobriis dedecoratum. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem*: Inſpecta & conſiderata paſſione Chriſti, Chriſtianus peccatum averſari & deteſtari tenetur, *ne tali pretio videatur indignus.* Chriſtus Dominus mortuus eſt pro cunctis hominū peccatis, præteritis, præſentibus, & futuris: Apoſtolus tamen aſſeverat Dei filium datum à Patre in propitiationem ac remiſſionem propter præterita delicta: *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ propter remiſſionem præcedentium delictorū.* Apoſtolus de præcedentibus tantum delictis mentionem facit, præſentia & futura omittit; quia inſpecta Chriſti morte, recogitato pretioſiſſimo pro delictis exhibito pretio, attente meditata tanta ſanguinis effuſione, acerbiſſima Chriſti paſſione non eſt amplius peccandum. Hoc argumento utitur Tertullianus ut Chriſtianā mulierem à fuco & luxu veſtium dimoveat. *Propter tuum meritum, id eſt mor-*

Tert. l. de Pud. 12.

1. P. Q. 46. A. 1.

Heb. 12.

D Ambr. l. 3. de Virg.

Rom. 3.

Lib. 1. de Cult. Fœ.

mortem, etiam Filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente eſt ſuperpelliceas tuas tunicas? Superbe, propter tuam vanitatem mortuus eſt Dei Filius, & tu adhuc ſuperbia tumes? Impudice, propter tuam luxuriam mortuus eſt Dei filius, & tu adhuc libidini vacas? Avare, propter inſatiabilem tuam cupiditatem mortuus eſt Dei filius, & tu adhuc avaritia æſtuas? Præcepit olim Deus Ezechieli Prophetæ ut transgreſſoribus legis oſtenderet templum, ejuſque partes, ut ad aſpectum ſancti hujus loci confunderentur, & pudore afficerentur: *Chriſtus eſt verum Dei templum:* utinam ad ſacratiſſimum illud templum aſpicerent Chriſtiani, in Chriſti corpore ſuorum viderent condemnationem criminum. In corona ſpinea qua pungitur caput, condemnationem ſuperbiæ & vanitatis: In probroſo velamine quod tegit oculos, condemnationem impudicorum aſpectuum: in ſputamentis quibus devenuſtatur facies, condemnationem fuci rubri & fuliginis: in aceto ſeu felle quo potatur, condemnationem gulæ & ebrietatis: in funibus quibus ligantur brachia, & clavis quibus tranſfiguntur manus, condemnationem injuſtitię, concuſſionis, uſurpationis & latrocinii: in plagis quibus tota dilaniatur caro, condemnationẽ impudicitiæ & venereæ voluptatis, in lancea qua vulneratur cor, condemnationem amoris inordinati & criminoſi. De Iſraël fatur Tertullianus. *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ.* Hujuſmodi eſt ſceleroſus Chriſtianus, adeo habet *oculos deficientes, ut non videat* Chriſtum pro ſuis peccatis patibulatum. Singulis annis Eccleſia Domini repræſentat paſſionem, ut Chriſtiani oculis fidei tale intuentes ſpectaculum, peccati concipiant horrorem. Qui poſt hanc repræſentationem adhuc peccat, *neſcio an ex fide credat: Deum cruci fixum.* Qui credit, peccatum odit, & odiendo ſuam Chriſto gratitudinem & dilectionem oſtendit.

Cap. 45.

Tert. l. adv Iud. 13.

L. adv. Iud. 11.

Tert. l. 2. adv. Marc. 17.

Certè Chriſtus dilexit hominem, propter eum deſcendit, propter eum prædicavit: propter eum omni ſe humilitate dejecit uſque ad mortem, & mortem crucis. Suſtinendo mortem crucis ſuum conſummavit amorem Chriſtus: quod audacter prædicat Apoſtolus: *Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Si Chriſtus pro juſtis & bene merentibus mortuus fuiſſet, magnam ſane oſtentaſſet charitatem, ſed longe majorem demonſtrat moriendo pro peccatorib⁹ & indignis. Tantam charitatem admiratur merito D. Auguſtinus. *Quo Nate Dei, tua flagravit charitas? quo tua proceſſit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attingit amor?* Chriſtiane poſt talem ac tantum Chriſti amorem: *Vide jam quid de Domino tuo ſentias; vide quibus brachijs vicariæ charitatis redamandus & amplexandus ſit.* Plura ſunt, ait D. Auguſtinus, quæ me urgent ad Chriſtum amandum: tum ejus amabilitas, quæ infinito digna eſt amore; tum ardens ejus charitas quæ multis beneficiis me allicit; tum ejus auctoritas quæ amorem ſui ſub ſpe mercedis & metu pœnæ præcipit. Ultra hæc motiva amoris, creaturarum me ſtimulat clamor, quæ *undique mihi dicunt ut te amem, nec ceſſant dicere*

Tert. l. de Car. Chr. 4

Rom. 5.

Lib de Medit. c. 5.

D. Bern. Ser. 1. poſt Epiph.

Lib. 10. Conf. 6.

dicere omnibus. In præſenti clamorem audio non creatúrarum ſed plagarum ipſiuſmet Chriſti: *Singulæ plagæ vel percuſſiones grandem habuerunt vocem.* Cuncta Salvatoris vulnera vehementer clamant, & corda noſtra ad eum diligendum concitant: *Clamant ſputa, clavi, lancea, irriſiones, & verbera, ut ipſe toto corde totiſque viribus diligatur, qui pro dilectione noſtra talia ac tanta pati dignatus eſt.* Quod ſi ex D. Auguſtino qui creaturarum voces non audiunt Dei amorem prædicantium, ſunt inexcuſabiles, quantò à fortiori inexcuſabiles ſunt, qui vulnerum Chriſti clamorem non audiunt? *Lazarus jacebat ad januam divitis, ulceribus plenus,* quod ampliſſima Dei providentia factum Chryſologo videtur: *ut in admonendo divite tot eſſent pauperis ora, quot vulnera:* Si quot erant in paupere Lazaro vulnera, tot erant ora quæ vociferabantur & à divite pietatem erga mendicum expoſtulabant: nonne quot ſunt in Domino plagæ, tot ſunt ora, quæ amorem in Chriſtianis efflagitant? Plagas ſuſtinebat Lazarus, non ex divitis cauſa, ſed ex complexione naturæ, vel ex morbo, qui caſu acciderat. Vulnera non ex complexione naturæ, nec ex morbo habet Chriſtus, ſed ex amore noſtri libenter carnem aſſumpſit ut noſtram operaretur ſalutem, & ita abſque ulla comparatione magis urgent corda noſtra ad amorem, quam vulnera Lazari ſollicitent divitem ad commiſerationem: *Clamat clavus, clamat vulnus, quod in Chriſto ſit Deus mundum reconcilians ſibi.* Culpatur dives quod non audierit plagarum Lazari vocem, quanto à fortiori magis culpabiles ſunt ingrati & ſceleroſi Chriſtiani, qui vulnerum Chriſti non audiunt clamorem, neque amore ſufflammantur, neque compaſſione moventur ipſis elementis inſenſibiliores, quæ ut ait S. Leo, plagarum Chriſti vocem audierunt; *crucis clavos omnia ſimul elementa ſenſerunt,* & præ compaſſione commota ſunt.

Rupert. l. 13. in Ioan.

Laur. Iuſt. Ser. de Paſſ Dom.

Luc. 6.

Ser. 121.

S. Bern. Ser de Paſſ.

Ser. 6. de Paſſ.

Contenebratus orbis defuncto Domino lugubre fecit officium: Nam Sol contenebratus eſt, terra contremuit, petræ diſruptæ ſunt: *Vt poſſint ipſa quoque lapidea ſcindere corda, & pectus omne licet ferreum emollire ſufficiant.* Compaſſio hominem decet, qui mentitur hominis mores, niſi humanitatem erga miſeros demonſtret: *Siquidem fletum natura ipſa ſuppeditat, ut compatiamur.* Qui nulla moventur compaſſione, belluinam, non humanam ſapiunt naturam: Nam ut addit Theophylactus, *abſq; compaſſione & lachrymis eſſet beſtiarum eſt.* Verùm ſi ullum fuit unquam compaſſionis ſpectaculum, maxime Chriſtus in cruce patibulatus, cujus paſſionem legens Eunuchus Æthiops amariſſime flevit. (Eunuchus ille qui venerat adorare in Hieruſalem, & revertebatur legens Iſaiam Prophetam Actor. 8. foris ſtabat: locus enim Scripturæ quem legebat, ſic erat: Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet, profecto plorans ad monumentum ſtabat, quia paſſioni ejus, quem neſciebat, legendo condolebat.) Ethnicus Chriſto morienti compatitur, quantò magis compati debet Chriſtianus? Ethnicus neſciēs & ignorans condolet, quanto magis tenetur condolere Chriſtianus, qui ſcit & certo cognoſcit Chriſtum pro ſua redemptione paſſum & mortuum? Eunuchus

Tert. l. de Iejun. 10. D Bon.

Theophy-lact.

Rupert. l. 14. in Ioan

ex ſola lectione fundit lachrymas, quanto à fortiori flere debet Chriſtianus, qui oculis fidei videt Chriſtum cruci affixum? *Aſpicient ad me quem confixerunt ſuſpendentes in ligno, & plangent quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt, ut doleri ſolet in morte primogeniti.* Magnum ſentit dolorem frater in morte fratris; major dolor ſponſæ in morte ſponſi: maxim⁹ dolor matris in morte primogeniti. Chriſtus eſt frater noſter, compatiamur: eſt ſponſus noſter, doleamus: eſt noſter primogenitus, lugeamus. D. Bernardus majora adhuc ſubminiſtrat incentiva doloris: *Cogita ut conſervatorem, cogita ut benefactorem, cogita ut redemptorem, & per omnia dole:* cogita ut creatorem, cogita ut Dei filium qui pro humana ſalute humanari & crucifigi voluit: & in corde tuo ſenti dolores quos ipſe paſſus eſt in corpore: *fiat in cordibus quod geſtum eſt in corpore.* Amici Job videntes eum in ſterquilinio ſedentem, diſruptis veſtibus, pulvere ſparſo; *exclamantes ploraverunt, ſciſſiſque veſtibus, ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum, & ſederunt cum eo.* Veri amici bonæ vel malæ amicorum fortunæ ſunt participes, cum illis gaudent, cum illis triſtantur, illiſq; in omnibus conformantur. Amici Job ſe veros demonſtrarunt amicos, eadem quę faciebat, & ipſi facientes, unde ſic fantur apud Origenem: *Quæ feciſti ô Iob, facimus, & quæ geſſiſti gerimus, veſtimenta noſtra ſcindimus, terram ſuper capita noſtra ſpargimus, & utinam ceteros dolores tuos tecum dividere poſſimus.* Perfecti Chriſtiani, veri Chriſti amici, ſuam dividunt cum eo paſſionem, ſentientes in ſemetipſis per compaſſionem cruciatus quæ pertulit Dominus. Ad quod eos hortatur Apoſtolus: *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu, qui factus eſt obediens uſque ad mortem crucis.* Sic Chriſti paſſionem perſenſit beatiſſima Virgo; nam ut aſſeverat Laurentius Juſtinianus: *Totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis ſui.* Utinam in cordibus veſtris crucifixus ſit Dominus, eique vere poſſitis dicere idipſum quod Hildebertus amico, qui hiberno tempore fuerat Romam profectus: *Tecum fui Romæ, tecum ſum nivium perpeſſus injurias, tecum montes vel lubricos glacie, vel ſcopulis exaſperatos aſcendi, univerſa tecum pertuli; quæ dolui cum perferres.* Domine Jeſu tecum fuimus in cunctis locis in quibus paſſus es dolores vel injurias, tecum triſtitia afflicti in horto Gethſemani: tecum alapa cæſi in domo Annæ, tecum apud Caipham conttumeliis afflicti, tecum in curia Herodis illuſi, tecum in prætorio Pilat catenis ferreis flagellati, & ſpinis coronati; tecum in Calvario crucifixi & felle potati, ibique tecum mortui, mortui peccatis, mortui nobiſmetipſis, ut tibi vivamus in tempore & in æternitate.

Zachar. 12. | Tract. de Paſſ. | S. Leo ſer. 15. de Paſſ. | Iob. 2. | Lib. 3. | Philip. 2. | L. de Incend. Ev. Amor. c. 4 | Ep. 3.

CON-

CONCIO QVINTA.

CHriſtus reſurrexit in exemplum. In nativitate, in vita, in morte & in reſurrectione Chriſtus eſt exemplar nobis propoſitum. Ut enim ait D. Auguſtinus (quidquid geſtum eſt in cruce Chriſti, in ſepultura, in reſurrectione, ita geſtum eſt, ut iis rebus non tantum myſticè dictis, ſed etiam geſtis configuraretur vita Chriſtianorum, quæ hic geritur. Nam propter ejus crucem dictum eſt: Qui Jeſu Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis: propter ſepulturam: Conſepulti ſumus cum Chriſto per baptiſmum in mortem: propter reſurrectionem, Ut quemadmodum Chriſtus reſurrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos per novitatem vitæ amblemus. (In Chriſti autem reſurrectione tria nobis conſideranda & imitanda occurrunt; nam Chriſtus eſt 1. vere à morte ſuſcitatus: 2. reſurgendo in melius immutatus: 3. poſt reſurrectionẽ nunquã amplius morti mancipatus.

Tert. l. de Car. Chr. 5.
In Enchir. cap. 53.

1. *Apoſtolus ſummam Evangelij & fidei in dominicæ mortis & reſurrectionis demandatione concluſit, ut & ſpei noſtræ regulam inde deduceret, unde conſtaret.* Plura ſunt quæ Chriſti reſurrectionem demonſtrant: æterni Patris pollicitatio, qui ſe ſuſcitaturum Filium promiſerat: adimpleta prophetarum vaticinatio: aperta Evangelii declaratio: unanimis pluriũ teſtium quibus apparuit Chriſtus, depoſitio: Apoſtolorum, per univerſum orbem miraculis confirmata prædicatio: Angelorum, qui aſſeverant Chriſtum reſurrexiſſe, apparitio. *Reſurrectione autem Chriſti non conſiſtente aufertur & mortuorum reſurrectio: atque ita inanis eſt fides noſtra; inanis & prædicatio Apoſtolorum; inveniuntur etiam falſi teſtes Dei, quod teſtimonium dixerunt, quaſi reſuſcitaverit Chriſtum quem non reſuſcitaverit, & ſumus adhuc in delictis.* Eſt autem de fide certum, Chriſtum ſua paſſione abundanter nobis meruiſſe delictorum remiſſionem: verax eſſe teſtimonium eorum qui Chriſtum ſe vidiſſe viventem teſtati ſunt, Apoſtolorum prædicationem non eſſe vanam, neque Angelorum apparitionem deluſoriam, neque fidem inanem, & conſequenter ne tot ſequantur abſurda, Chriſtum vere eſſe reſuſcitatum, cujus reſurrectio probatur adhuc ex 1. terræ concuſſione: 2. lapidis monumenti revolutione: 3. militum cuſtodientium ſepulchrum disjectione.

L. de Reſ. 48.
Tert. l. 5. adv. Marc. 8.

1. *Sed ecce die tertia concuſſa repente terra.* Concuſſa eſt terra in paſſione & in reſurrectione Chriſti, ſed diverſa ratione: In paſſione Domini *terra mota eſt*; vel ut ſuo motu Chriſti teſtetur divinitatem: vel tanquam de creatoris ſui nece dolens & contremiſcens: vel ut divinam erga Judæos iram demonſtret: vel quia dominico reſperſa cruore, idololatriæ ſordes excutit & à ſe abjicit: vel quia ſe ad ſuſcipiendum corpus dominicum, indignam fatetur. In reſurrectione etiam Domini *terra motus factus eſt*

Tert. Apol. 21. Matth. 27. Thophylact. Euthym. D. Damaſc. D. Hilar l. 2 de Trin. Matth. 28

eſt magnus, & adeo magnus ut cuncta concuteret, & terræ everſionem funditus
Pſ. 69. minaretur. Factus eſt autem terræ motus, vel ad denotandam dominationem
D Chryſoſt. In Pſ. 2. Chriſti, qui ſua potentiá totum concutit orbem: vel quia de Chriſti reſurrectione gaudens & lætans velut ſubſiliit, ſicut in ejus morte præ horrore & do-
Cap. 31. in Matt. lore contremuit; *Dominus regnavit, exultet terra:* vel ut ſuam erga Chriſti cor-
Tert. pus demonſtret reverentiam; *Depoſitum cum tremore reddit*, quod cum hono-
Apol. 21. re ſuſceperat: vel ut vult D. Hilarius, dolens tam cito pretioſo illo privari
Matth. 28. corpore.

2. Probatur adhuc Chriſti reſurrectio, *mole revoluta quæ obſtruxerat ſepul-*
Chryſol. Ser. 74. *chrum.* Acutè poſt Evangeliſtam ponit Tertullianus mole revoluta, (Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum.) *Non dicit volvit, ſed revolvit lapidem. qui advolutus probavit mortem, & revolutus extitit reſurrectionis aſſertor.* Revolvit lapidem Angelus, non ut Chriſtus tunc reſurgens exiret de ſepulchro. jam antea ſepulchro clauſo ſurrexerat, ſicut clauſo virginis utero natus eſt, ſed ut mulieribus ad
D. Hier. Ep. ad Hedib. Q. 7. ſepulchrum pateret aditus. (Non putemus Angelum idcirco veniſſe, ut aperiret ſepulchrum Chriſto Domino reſurgenti, ſed poſtquam Dominus reſurrexit, indicaſſe quid factum eſt, & ſepulchrum vacuum revolutione lapidum
Ser. 75. oſtendiſſe.) Quod eloquenter declarat Chryſologus: *Revolvit lapidem, non ut egredienti Domino præberet aditum; ſed ut Dominum mundi jam reſurrexiſſe monſtraret, conſervis ad credendum daret fidem, non ad reſurgendum Domino præſtaret*
Chryſol. *auxilium.* Sedebat autem Angelus ſupra lapidem monumenti. *Sedebat ad docendam reſurrectionem, non ad laſſitudinem, ſolvendam. Cæleſtis natura ignorat laſſitudinem, neſcit laborem: ſed factus eſt lapis vas Angelicæ ſeſſionis, doctrinæ cœleſtis cathedra, ſchola vitæ; quia à Judæis ad mortis januam,*
Ser. 74. *ad cineris ſervitium, ad triſte ſilentium fuerat conſtitutus.* Idipſum breviter jam dixerat Chryſologus: *Sedebat cui nulla inerat laſſitudo, ut fidei doctor, ut re-*
Ser. 74. *ſurrectionis magiſter*, quam evolvendo lapidem, homines docuerat. Inde lapidem illũ prædicat Chryſologus. *Beatus lapis qui Chriſtum & revelare meruit & velare: Beatus qui non minus corda aperit quam ſepulchrum: beatus qui dat re-*
Tert. *ſurrectionis fidem, fideiq; reſurrectionem, qui divinam carnem reſurrexiſſe teſtatur.*

Apol. 21. 3. Ipſi quoque milites cuſtodes ſepulchri, reſurrectionis dominicæ verita-
Euthym. tem prędicant. *Cuſtodia pavore disjecta, nullis apparentibus diſcipulis, nihil in ſepulchro repertum eſt, præterquam exuviæ ſepulchri.* Milites ad ſepulchri cuſtodiam deputati, (timore terræ motus erecti, & horrore ejus, qui lapidem revolverat, conſternati, fugerunt. & hæc Judæis nuntiarunt, ac teſtes ipſi facti
Hom. 3. de Paſch. ſunt veritatis.) In quo divinam providentiam miratur meritò D. Maximus: *Nam hoc procuravit divina providentia, ut reſurrectionis dominicæ, non ſolum Angeli, non ſolum diſcipuli, ſed quod amplius eſt, teſtimonium perhiberent inimici.* Ad obſignandum & cuſtodiendum ſepulchrum, tanta prudentia uſi ſunt Judæi, quod nulla humana ſapientia potuerit eos decipere, neque creata potentia

Chriſti

Recordati ſumus quod ſeductor ille adhuc vivens dixerit; Poſt tres dies reſurgam: Matth. 2.
Quibus noluit 2. Romanos milites dare Pilatus, ſed ſuis uti conceſſit: *Habetis*
cuſtodiam, ite, cuſtodite ſicut ſcitis Obtenta autem cuſtodiendi licentia: 3. *illi ab-*
euntes munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus. Supra tumulum,
grandem, gravem nec facile mobilem poſuerunt lapidem, quem urbis ſigna-
culo ſigillarunt. Addit Nicephorus quod duo hujus lapidis perforarunt ex- Lib. 1. c.
trema, & annulis ferreis cum aliis alligarunt lapidibus, & quaſi hæc minime 30.
ſufficerent; cohortem militum deſtinarunt, ut ſic opertum, ſigillatum, & an-
nullatum ſedulo cuſtodirent ſepulchrum. Verùm *quo diligentius cuſtodierunt* S. Max.
tumulū, eò cōſtat illū manifeſtius ſurrexiſſe: quo plures appoſuere cuſtodes, eo plures ibid.
teſtes reliquere. Nec valet Judæorum calumnia; nam *primores quorum inter-* Tert.
erat & ſcelus divulgare, & populum vectigalem & famularem ſibi à fide revocare, Apol. 21.
ſubreptum à diſcipulis jactitaverunt. Quod autem calumniantur Judæi dormi- D. Aug.
entibus cuſtodibus Chriſti diſcipulos magiſtri corpus fuiſſe furatos, pulchre Ser. de
confutat D. Auguſtinus. *Si dormiebant, unde ſcire potuerunt quis illum tulerit de* Paſſion.
ſepulchro? ſi vigilabant, cur auferri permiſerunt? D. Chry-
ſoſt. hom.
90 in
Verùm omiſſa Judæorum malitia qui vel *inviti operam navarunt veritati:* Matth.
Apoſtolus *ſub exemplo dominicæ reſurrectionis* vult animarum reſurrectionem Tert. l. de
conformari. Et ut ait Tertullianus, *idonee occurrere in auſpicia reſurrectionis.* Reſ. 40.
Quod mors & ſurrectio ſunt corpori, hoc idem animæ præſtant peccatum & L. de An.
vera pœnitentia: Peccatum eſt mors animæ, quia eam gratia quæ eſt princi- 17.
pium vitæ ſupernaturalis, privat, anima ſceleroſa eſt mortua, & *in corpore*
tanquam in aliquo ſepulchro jacet: Pœnitentia eſt animæ reſurrectio, quia eā à Theodor.
peccati morte ſuſcitat, & ad gratiam & ſanctitatem revocat: *Quid tu anima?*
mortua eras, amiſeras vitam. Adi Patrem per Filium, ſurge, recipe vitam quam non D. Aug.
habes in te. Vivificat te pater & Filius, & agitur prima reſurrectio, quando reſur- Tract. 15.
ges ad participandam vitam. Ut autem datur aurum verum & ementitum, u- in Ioan.
niones bonæ & deluſoriæ, ita datur pœnitentia vera & pœnitentia falſa. Pæ-
nitentia vera illa eſt in qua terra tremuit, cor eſt dolore peccati concuſſum;
in qua lapis revolutus eſt & ſepulchrum apertum: in qua fugantur milites
cuſtodes ſepulchri, ideſt tolluntur pravi habitus, vitantur peccati occaſio-
nes. Tunc autem pœnitentia falſa eſt, vel in qua cor non eſt dolore concuſ-
ſum, vel lapis obſtinationis non eſt revolutus, vel non relinquuntur pravi ha-
bitus; vel non vitantur peccandi occaſiones: *Illuſor & non pœnitens cenſendus* D. Iſid.
eſt qui id facit, aut facere cogitat, cujus dolorem præ ſe fert. Unuſquiſque ſerio
conſcientiam ſuam examinet, & videat ſi dum acceſſit ad tribunal pœniten-
tiæ, tremuit terra, ſi tumulus apertus eſt, & ſuſcitatus eſt mortuus, ſi pravos
reliquit habitus. Si terra non tremuit, ſi cor non eſt dolore concuſſum, ſi la-
pis obſtinationis eſt advolutus, ſi jacet in ſepulchro, reſurrectio eſt apparens
dumtaxat & non vera, ſimilis reſurrectioni Samuelis cujus corpus erat phan-
taſticum tantùm, ex aëre ſcilicet compactum.

Sole oriente planetæ Saturni, Jovis, Martis, Veneris, & Mercurii diſparet; occidente vero Sole apparent. Quando Sol juſtitiæ oritur in anima pœnitentis, hujuſmodi planetæ diſparent; inveteratæ animadverſiones per Saturnum denotatę, ſuperbiæ & ambitiones per Jovem ſignificatæ: appetitus vindictæ, per Matrem figurati: impuræ voluptates per Venerem repræſentatæ; rapinæ, concuſſiones, latrocinia per Mercuriũ obumbrata. Quod ſi adhuc hujuſmodi planetæ apparent, ſi cor animadverſione ſufflammatur, caput tumeſcit ſuperbia, voluntas ultionem exoptat, manus injuſtitia & furto plenæ ſunt, concupiſcentia venereas quærit voluptates, evidentiſſimũ ſignũ eſt quod Sol juſtitię non eſt ortus in illo peccatore. Nam *ubi emendatio nulla, pœnitentia neceſſario vana, quia caret fructu ſuo*. Eſt vana, quia caret veritate: etenim eſt fucata tantum: Vana adhuc, quia caret fructu ſuo. Fructus veræ pœnitentiæ eſt peccati remiſſio, & collatio gratiæ ſanctificantis; pœnitentia fallax, apparẽs, & vana, neutrũ præſtat, quia nec remittit peccatũ, nec largitur gratiam. Qui Paſchatis præſertim tempore, ſpecie tenus coram hominibus, & non coram Deo pœnitent, Judæ aſſimilantur, cujus nomen ſignificat confeſſionem: *Iudas enim vocatur confeſſio*. Proditor ille 1. de peccato doluit *pœnitentia ductus*: 2. peccatum confeſſus eſt, *Peccavi tradens ſanguinem juſtum*. 3. Proditionis ſuæ reſtituit pretium: *Retulit triginta argenteos*; & tamen damnatus eſt & pœnitentia ejus vana fuit, quia nec doluit ex amore Dei, neque in ejus miſericordia ſperavit: Quanto à fortiori vana eſt pœnitentia eorum, qui accedunt ad tribunal perfunctorie abſque ullo dolore peccati, & propoſito non peccandi: qui peccata ſua reticent, vel ex defectu examinis, vel ex timore aut pudore: qui ablata vel injuſte retenta aliena bona non reſtituunt: qui occaſiones peccandi non fugiunt: qui pravos habitus non derelinquũt, nec ullum emendationis ſignum oſtendunt? etenim pœnitentia eſt *argumentum emendationis*. Hoc argumento pœnitentiæ veritas demonſtratur.

Tert. l. de Pœnit. 2. — Cyrill. Hieroſol. Catec. 2. — Tert. l. de Pœnit. 2.

Utinam vere dici poſſet de ſingulis Chriſtianis qui paſchale receperunt ſacramentũ, idipſum quod in laudem Joſiæ regis prædicat Scriptura: *Nec enim factũ eſt phaſe tale in diebus Iudicum qui judicaverant Iſrael, & regum Iuda, ſicut in decimo octavo anno Ioſiæ*. Verùm quid magni fecit Joſias, quod tale ac tantũ ab Spiritu ſancto meruerit encomium? *Sed & pithones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ erant in terra Iuda & Ieruſalẽ, abſtulit Ioſias, ut ſtatueret verba legis*: Idem agere deberent Chriſtiani, *ut Paſchale ſacramentum ipſa in ſe habeat vita credentiũ; quod feſto honoratur, moribus comprobetur*. Scilicet ad inſtar Joſiæ tollere idola quæ in cordibus venerantur, delere tot vitiorum figuras quæ fœdant animam, mundare conſcientiam ab immũditiis & abominationibus delictorum, reſtituere verba legis, deperditam recuperare innocentiam, divina obſervare mandata, bonis vacare operibus, ducere vitam fidei & religioni conformem. *Sed intereſt cui quis aut moriatur, aut vivat; quia eſt mors quæ cauſa eſt vivẽdi, & eſt vita quæ cauſa eſt moriẽdi*. Quod patet tum in peccatore tum in juſto. Uterq; eſt vivens & mortuus; peccator

L. 4. Reg. 23. — D. Leo Ser. 1. de Reſur. — D. Leo.

eſt vivens mundo, vivens carni, vivens paſſionibus, vivẽs peccatis, ſed mortuꝰ eſt Deo, mortuus cœlo, mortuus gratiæ, mortuus virtuti, cui probe competunt hæc verba: *Nomen habes quod vivas & mortuus es.* Juſtus è contra eſt mortuus & vivens. Mortuus ſibi, mundo, carni, peccato; vivens vero Deo, gratiæ, virtuti. Inde concludit ſanctus Leo: *Moriendum ergo eſt diabolo, & vivendum Deo, deficiendum iniquitati, ut in juſtitia reſurgatur:* Sic enim animæ reſurrectio imitabitur Chriſti reſurrectionem, qui vere reſuſcitatus eſt & reſurgendo in melius immutatus. Apoc. 3.

Chriſtus duplici habitu delineatur. Primo ſordidis indutus eſt, ideſt carnis paſſibilis & mortalis indignitate: dehinc ſpoliatus priſtinas ſordes, exornatus podere & mitra & citari munda, quoniam gloriam & honorem adeptus demonſtratur. His verbis optime declarat Tertullianus, qualis fuerat forma Chriſti ante reſurrectionem, & qualis ſit poſt reſurrectionem. Ante reſurrectionem forma ejus erat 1. demiſſa & humilis: 2 ignominioſa & infamis: 3. paſſibilis & mortalis. Poſt reſurrectionem vero forma ejus eſt 1. magnifica & ſublimis: 2. glorioſa & honorabilis: 3. impaſſibilis & immortalis: Chriſtꝰ reſurgendo in melius immutatus eſt; nã tranſiit 1. ab humili & demiſſa ſervi forma ad Dei ſublimitatẽ: 2. ab infami & ignominioſa forma tranſiit ad gloriam & honorem: 3. à paſſibili & mortali forma tranſiit ad impaſſibilitatem & immortalitatẽ. II. PARS. Tert. l. adv. Iud. 10.

1. Chriſtus Dominus *omnem humilitatem exhibuit.* Hanc Domini humilitatem varie denotant Patres. D. Hieronymus humilem prædicat Chriſtum, eo quod divinitatis occultavit majeſtatem, *divinitatis majeſtas latebat:* D. Ambr. Chriſti humilitatem in otio divinæ potentiæ recognoſcit: *Exinanivit ſemetipſum, hoc eſt poteſtatẽ ſuam ab omni opere retraxit, ut humiliatus otioſa virtute, infirmari videretur.* D. Chryſoſt. Dei exinanitionem in forma ſervi ſitam exiſtimat: *Totius Dominus naturæ ſervi formam intravit, ut totius ſervitutis injurias ſuſtineret.* Tanta eſt Chriſti humilitas, ut à Deo exiſſe Bernardo videatur: *talem ſe hominibus probavit quod poſſet ligari, colaphizari, flagellari, conſpui, & ad ultimũ occidi: hoc eſt quod dicitur Ioan. 14. à Deo exivit.* Exivit à Deo, quia exivit à ſeipſo, exivit à magnificẽtia, exivit à magnitudine, exivit à Deitate: In reſurrectione autem Chriſti humilitas tranſit in ſublimitatem; nam 1. majeſtas quæ latebat manifeſtatur, 2. potentia quæ otiabatur operatur, & 3. ſervi forma in Dei formã commutatur. Majeſtas manifeſtatur; nã ut animadvertit D. Bernardus, Chriſtus beatiſſimæ Virgini apparuit *in forma glorioſa.* Hãc Chriſti ſuſcitati majeſtatem pulchre declarat Abbas Joachim; (Quia tanta præeminet claritate, tanta majeſtatis gloria præfulget, ut ſicut in eo aliquãdo divinitatis ſuæ gloriam occultabat humanitas; ita nunc humanitatis ejus abjectio exinanita à majeſtatis gloria, & ab ſplendore ſummæ lucis abſorpta eſſe videatur:) Quod ſi cum tanta claritate & majeſtate non ſe manifeſtavit diſcipulis: hoc factum eſt, ait D. Auguſt. ne eis mortem aut cœcitatem afferret; *Clarificata carne ſurrexit Chriſtus, ſed noluit in ea clarificatione apparere diſcipulis, quia non poſſent oculis talem claritatem perſpicere.* 2. Divina poten- Ter. l. adv. Iud. 10. In c. 21. Matth. Phil. 2. Hom. 6. de Paſſion. Ser. 2. in Cœn. Dñ. Ser. de Reſur. In Apoc. L. 65 Quæ: Quæſt. 14.

T. adv. Iud. 11. In transfixion: pedum & manuum Salvatoris. Judæorum ſævitiam agnoſcit Tertullianus: *Nervos ejus ſuffigendo clavis deſævierunt.* Qui Chriſti adhuc con-
L. adv. Marc. 4. templatur *Crucem excelſam*: nam licèt fuerit crucifixus cruce humi jacente; cum autem elevata eſt crux, concuſſa ſunt omnia ejus oſſa, ſummuſque ei illatus eſt dolor: neque Chriſti pedes fuerunt innixi ſupra tabulam, quia ſuſpē-
Matth. 8. ſus remanſit in cruce; nullum aliud præter clavos habens ſuſtentaculum. Dixit alias Salvator, *Filius hominis non habet ubi reclinet caput ſuum*: at in cruce non habet ubi minimam corporis reclinet partem, Etenim ſi vult reclinare caput, ſpinæ crudeliter pungunt; ſi manus, non ſinunt clavi ſæve vulnerantes; ſi ſcapulas, lignum crucis rigidum & aſperum eos dilaniat; ſi pedes, clavi transfixi eos dilacerant. Et quaſi tot inhumanitatis indicia non ſuffice-
Tert. l. de Spect. 30. rent ad explendam eorum rabiem, Chriſtus Dominus eſt *felle & aceto potatus.* Morientibus dabatur bonum vinum, velut ultimum vitæ oblectamentum: hoc ſolatium denegant Salvatori; nam (pro juvante & jucundo potu
Cyril. Alex. l. 12. in Ioan. 15. nocentem & acerbum obtulerunt, & humanitatē qua moveri videbantur, in impietatē convertunt.) De quo conqueritur ſitiens, & felle potatus Do-
Tert. l. 4. adv. Marc. 21. min⁹: *Ipſi autē contemplati ſunt & viderunt me, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Poſt hæc nonne meritò ait Chriſtus: *O vos omnes qui tranſitis per viā, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Seu, ut expendit D. Bonavent. *Dolor meus ſuper dolorem*, tum ob ſupplicii acerbitatē, tum ob pœnarum generalitatē.

Tert. l. 4. adv. Marc. 42. 3. *Atque exinde omne ſcriptum ſuæ paſſionis implevit.* Certum eſt Chriſtum non ſuſtinuiſſe omnia tormentorum genera; quia nec fuit decollatus, nec igne crematus, ſed ideo dicitur paſſus ſupplicium univerſale & genericum: 1. quia fere paſſus eſt à cunctis hominum ordinibus, nobilibus, ſacerdotibus, judicibus, doctoribus, militibus populis. *Aſtiterunt reges terræ*
Tert. ibid. *& archontes congregati ſunt in unum, adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus: Nationes, Romani qui cum Pilato fuerunt; populi, tribus Iſrael: reges, in Herode: archontes in ſummis Pontificibus.* 2. Quia ad Chriſtum cruciandum plura ſævitiæ inſtrumenta coadunata ſunt: nimirum proditiones, perfidiæ, oſcula, funes, alapæ, ſputamenta, velamina, flagella, ſpinæ, clavi, crux, acetum, lancea:
Tert. l. de Bapt. 10. nam *cum vulneratur, aqua de latere prorumpit, ſcit lancea militis.* 3. Quia pa-
Tert. l. 4. adv. Marc. 42. titur in cunctis, nempe, in veſtibus; nam *veſtitum plane ejus militibus diviſum, partim ſorte conceſſum.* In honore & fama, nam omnimoda infamia & ignominia dedecoratus eſt. In diſcipulis, ex quibus Judas eum tradidit, Petrus negavit, & ceteri fugerunt. In Matre, cujus animam doloris gladius pertranſivit. In moribus, nam exiſtimatus eſt peccator & ſceleroſus. In pietate & religione, quia habitus eſt ut Samarites & blaſphemator. In perſona, nam ut Dei filius non eſt agnitus. 4. Quia in cunctis corporis ſenſibus & partibus paſſus eſt: In viſu, conſpiciens tot inhumanos ſatellites; in auditu audiens tot irriſiones contumelias, injurias, blaſphemias: in ordinatu, exhelans fœtores qui erant in Calvario: in guſtu, guſtans fel & acetum; in tactu, nam cunctæ corporis partes fuerunt acerrimo do-

lore cruciatæ. Caput fuit ſpinis coronatum, facies ſputamentis dehoneſtata & alapis cæſa : manus & pedes clavis transfixi : cor lancea apertum, & totum corpus flagellis dilaceratum; verum tanta cum violentia, ut à planta pedis, uſque ad verticem non ſit in eo ſanitas. Tantam Judæorum inhumanitatem Cœlum *horruit plurimum nimis, & ſol media nocte tenebricavit; & quãdo horruit nimis niſi in paſſione Chriſti, cum terra quoque contremuit, & velum tẽpli ſciſſum eſt, & monumenta dirupta ſunt?* Verum ad quid horruit cœlum, contenebratus eſt ſol, contremuit terra, diſrupta ſunt monumenta? Ut Judæorum arguant ingratitudinem, confundant iniquitatem, damnent crudelitatem, & Chriſtianos alliciant ad gratiarum actionem, dilectionem & compaſſionem. Gratiarum actio Chriſti debetur beneficiis, dilectio dominicæ charitatis monumentis, compaſſio tantis quæ paſſus eſt tormentis. Tert. l. de Iud. 13.

Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei Filius? adhoc enim venerat, ut ipſe à delicto purus & per omnia ſanctus pro peccatoribus obiret. Chriſtus innocuus nullo erat ſupplicio mulctandus; homo ſceleroſus è contra æterna erat pœna puniendus. Ut peccatorem liberaret Chriſtus innocens mortem ſubiit, & ut ait Doctor Angelicus; (Chriſtus per paſſionem ſuam non ſolum hominem à peccato liberavit, ſed etiam gratiam juſtificantem, & gloriam ei promeruit.) Quantò majus eſt hoc Chriſti beneficium, tantò major debet eſſe hominis gratitudo: ſuam autem gratitudinem nequit demonſtrare niſi odiendo & fugiendo peccatum, pro quo tot & tam acerba Chriſtus paſſus eſt tormenta: Quia, ut addit D. Thomas, (per hoc eſt homini inducta major neceſſitas ſe immunem à peccato conſervandi, qui ſe ſanguine Chriſti redemptum cogitat à peccato) Marcus Antonius, ut populi Romani concitaret iram adverſas Julii Cæſaris peremptores, oſtendit eis veſtem illius viginti quinq; pugionum ictibus transfixam & tanti imperatoris ſanguine cruentam: & Apoſtolus Chriſtianorum oculis objicit non Chriſti veſtem, ſed ipſum Chriſtum non viginti duntaxat plagis, ſed innumeris fere vulneribus dilaniatum, & tot contumeliis & opprobriis dedecoratum. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem*: Inſpecta & conſiderata paſſione Chriſti, Chriſtianus peccatum averſari & deteſtari tenetur, *ne tali pretio videatur indignus.* Chriſtus Dominus mortuus eſt pro cunctis hominũ peccatis, præteritis, præſentibus, & futuris: Apoſtolus tamen aſſeverat Dei filium datum à Patre in propitiationem ac remiſſionem propter præterita delicta: *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ propter remiſſionem præcedentium delictorũ.* Apoſtolus de præcedentibus tantum delictis mentionem facit, præſentia & futura omittit; quia inſpecta Chriſti morte, recogitato pretioſiſſimo pro delictis exhibito pretio, attente meditata tanta ſanguinis effuſione, acerbiſſima Chriſti paſſione non eſt amplius peccandum. Hoc argumento utitur Tertullianus ut Chriſtianã mulierem à fuco & luxu veſtium dimoveat. *Propter tuum meritum, ideſt*

Tert. l. de Pud. 12. 3. P. Q. 46. A. 1. Heb. 12. D. Ambr. l. 3. de Virg. Rom. 3. Lib. 1. de Cult. Fœ.

mortem, etiam Filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente eſt ſuperpelliceas tuas tunicas? Superbe, propter tuam vanitatem mortuus eſt Dei Filius, & tu adhuc ſuperbia tumes? Impudice, propter tuam luxuriam mortuus eſt Dei filius, & tu adhuc libidini vacas? Avare, propter inſatiabilem tuam cupiditatem mortuus eſt Dei filius, & tu adhuc avaritia æſtuas? Præcepit olim Deus Ezechieli Prophetæ ut transgreſſoribus legis oſtenderet templum, ejuſque partes, ut ad aſpectum ſancti hujus loci confunderentur, & pudore afficerentur: *Chriſtus eſt verum Dei templum*: utinam ad ſacratiſſimum illud templum aſpicerent Chriſtiani, in Chriſti corpore ſuorum viderent condemnationem criminum. In corona ſpinea qua pungitur caput, condemnationem ſuperbiæ & vanitatis: In probroſo velamine quod tegit oculos, condemnationem impudicorum aſpectuum: in ſputamentis quibus devenuſtatur facies, condemnationem fuci rubri & fuliginis: in aceto ſeu felle quo potatur, condemnationem gulæ & ebrietatis: in funibus quibus ligantur brachia, & clavis quibus tranſfiguntur manus, condemnationem injuſtitię, concuſſionis, uſurpationis & latrocinii: in plagis quibus tota dilaniatur caro, condemnationē impudicitiæ & venereæ voluptatis, in lancea qua vulneratur cor, condemnationem amoris inordinati & crimino ſi. De Iſraël fatur Tertullianus. *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ*. Hujuſmodi eſt ſceleroſus Chriſtianus, adeo habet *oculos deficientes, ut non videat* Chriſtum pro ſuis peccatis patibulatum. Singulis annis Eccleſia Domini repræſentat paſſionem, ut Chriſtiani oculis fidei tale intuentes ſpectaculum, peccati concipiant horrorem. Qui poſt hanc repræſentationem adhuc peccat, *neſcio an ex fide credat: Deum crucifixum*. Qui credit, peccatum odit, & odiendo ſuam Chriſto gratitudinem & dilectionem oſtendit.

Cap. 45.

Tert. l. adv. Iud. 13.

L. adv. Iud. 11.

Tert. l. 2. adv. Marc. 17.

Certè Chriſtus dilexit hominem, propter eum deſcendit, propter eum prædicavit: propter eum omni ſe humilitate dejecit uſque ad mortem, & mortem crucis. Suſtinendo mortem crucis ſuum conſummavit amorem Chriſtus: quod audacter prædicat Apoſtolus: *Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*. Si Chriſtus pro juſtis & bene merentibus mortuus fuiſſet, magnam ſane oſtentaſſet charitatem, ſed longe majorem demonſtrat moriendo pro peccatorib' & indignis. Tantam charitatem admiratur merito D. Auguſtinus. *Quo Nate Dei, tua flagravit charitas? quo tua proceſſit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attingit amor*? Chriſtiane poſt talem ac tantum Chriſti amorem: *Vide jam quid de Domino tuo ſentias; vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplexandus ſit*. Plura ſunt, ait D. Auguſtinus, quæ me urgent ad Chriſtum amandum: tum ejus amabilitas, quæ infinito digna eſt amore; tum ardens ejus charitas quæ multis beneficiis me allicit; tum ejus auctoritas quæ amorem ſui ſub ſpe mercedis & metu pœnæ præcipit. Ultra hæc motiva amoris, creaturarum me ſtimulat clamor, quæ *undique mihi dicunt ut te amem, nec ceſſant dicere*

Tert. l. de Car. Chr. 4

Rom. 5.

Lib de Medit. c. 5.

D. Bern. Ser. 2. poſt Epiph.

Lib. 10. Conf. 6.

dicere omnibus. In præſenti clamorem audio non creatúrarum ſed plagarum ipſiuſmet Chriſti: *Singulæ plagæ vel percuſsiones grandem habuerunt vocem.* Cuncta Salvatoris vulnera vehementer clamant,& corda noſtra ad eum diligendum concitant: *Clamant ſputa, clavi, lancea, irriſiones, & verbera, ut ipſe toto corde totiſque viribus diligatur, qui pro dilectione noſtra talia ac tanta pati dignatus eſt.* Quod ſi ex D. Auguſtino qui creaturarum voces non audiunt Dei amorem prædicantium, ſunt inexcuſabiles, quantò à fortiori inexcuſabiles ſunt, qui vulnerum Chriſti clamorem non audiunt? *Lazarus jacebat ad januam divitis, ulceribus plenus,* quod ampliſſima Dei providentia factum Chryſologo videtur: *ut in admonendo divite tot eſſent pauperis ora, quot vulnera:* Si quot erant in paupere Lazaro vulnera, tot erant ora quæ vociferabantur & à divite pietatem erga mendicum expoſtulabant: nonne quot ſunt in Domino plagæ, tot ſunt ora, quæ amorem in Chriſtianis efflagitant? Plagas ſuſtinebat Lazarus, non ex divitis cauſa, ſed ex complexione naturæ, vel ex morbo, qui caſu acciderat. Vulnera non ex complexione naturæ, nec ex morbo habet Chriſtus, ſed ex amore noſtri libenter carnem aſſumpſit ut noſtram operaretur ſalutem, & ita abſque ulla comparatione magis urgent corda noſtra ad amorem, quam vulnera Lazari ſollicitent divitem ad commiſerationem: *Clamat clavus, clamat vulnus, quod in Chriſto ſit Deus mundum reconcilians ſibi.* Culpatur dives quod non audierit plagarum Lazari vocem, quanto à fortiori magis culpabiles ſunt ingrati & ſcelėroſi Chriſtiani, qui vulnerum Chriſti non audiunt clamorem, neque amore ſuffllammantur, neque compaſſione moventur ipſis elementis inſenſibiliores, quæ ut ait S. Leo, plagarum Chriſti vocem audierunt; *crucis clavos omnia ſimul elementa ſenſerunt,* & præ compaſſione commota ſunt.

Rupert. l. 13. in Ioan.

Laur. Iuſt. Ser. de Paſſ. Dom.

Luc. 6.

Ser. 121.

S. Bern. Ser de Paſſ.

Ser. 6. de Paſſ.

Contenebratus orbis defuncto Domino lugubre fecit officium: Nam Sol contenebratus eſt, terra contremuit, petræ diſruptæ ſunt: *Vt poſsint ipſa quoque lapidea ſcindere corda, & pectus omne licet ferreum emollire ſufficiant.* Compaſſio hominem decet, qui mentitur hominis mores, niſi humanitatem erga miſeros demonſtret: *Siquidem fletum natura ipſa ſuppeditat, ut compatiamur.* Qui nulla moventur compaſſione, belluinam, non humanam ſapiunt naturam: Nam ut addit Theophylactus, *abſq; compaſsione & lachrymis eſſet beſtiarum eſt.* Verùm ſi ullum fuit unquam compaſſionis ſpectaculum, maxime Chriſtus in cruce patibulatus, cujus paſſionem legens Eunuchus Æthiops amariſſime flevit. (Eunuchus ille qui venerat adorare in Hieruſalem, & revertebatur legens Iſaiam Prophetam Actor. 8. foris ſtabat: locus enim Scripturæ quem legebat, ſic erat: Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet, profecto plorans ad monumentum ſtabat, quia paſſioni ejus, quem neſciebat, legendo condolebat.) Ethnicus Chriſto morienti compatitur, quantò magis compati debet Chriſtianus? Ethnicus neſciēs & ignorans condolet, quanto magis tenetur condolere Chriſtianus, qui ſcit & certo cognoſcit Chriſtum pro ſua redemptione paſſum & mortuum? Eunuchus

Tert. l. de Iejun. 10. D Bon.

Theophylact.

Rupert. l. 14. in Ioan

ex ſola lectione fundit lachrymas, quanto à fortiori flere debet Chriſtianus, qui oculis fidei videt Chriſtum cruci affixum? *Aſpicient ad me quem confixerunt ſuſpendentes in ligno, & plangent quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt, ut doleri ſolet in morte primogeniti.* Magnum ſentit dolorem frater in morte fratris; major dolor ſponſæ in morte ſponſi: maxim⁹ dolor matris in morte primogeniti. Chriſtus eſt frater noſter, compatiamur: eſt ſponſus noſter, doleamus: eſt noſter primogenitus, lugeamus. D. Bernardus majora adhuc ſubminiſtrat incentiva doloris: *Cogita ut conſervatorem, cogita ut benefactorem, cogita ut redemptorem, & per omnia dole*: cogita ut creatorem, cogita ut Dei filium qui pro humana ſalute humanari & crucifigi voluit: & in corde tuo ſenti dolores quos ipſe paſſus eſt in corpore: *fiat in cordibus quod geſtum eſt in corpore.* Amici Job videntes eum in ſterquilinio ſedentem, diſruptis veſtibus, pulvere ſparſo; *exclamantes ploraverunt, ſciſſiſque veſtibus, ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum, & ſederunt cum eo.* Veri amici bonæ vel malæ amicorum fortunæ ſunt participes, cum illis gaudent, cum illis triſtantur, illiſq; in omnibus conformantur. Amici Job ſe veros demonſtrarunt amicos, eadem quę faciebat, & ipſi facientes, unde ſic fantur apud Origenem: *Quæ feciſti ô Iob, facimus, & quæ geſſiſti gerimus, veſtimenta noſtra ſcindimus, terram ſuper capita noſtra ſpargimus, & utinam ceteros dolores tuos tecum dividere poſſimus.* Perfecti Chriſtiani, veri Chriſti amici, ſuam dividunt cum eo paſſionem, ſentientes in ſemetipſis per compaſſionem cruciatus quæ pertulit Dominus. Ad quod eos hortatur Apoſtolus: *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu, qui factus eſt obediens uſque ad mortem crucis.* Sic Chriſti paſſionem perſenſit beatiſſima Virgo; nam ut aſſeverat Laurentius Juſtinianus: *Totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis ſui.* Utinam in cordibus veſtris crucifixus ſit Dominus, eique vere poſſitis dicere idipſum quod Hildebertus amico, qui hiberno tempore fuerat Romam profectus: *Tecum fui Romæ, tecum ſum nivium perpeſſus injurias, tecum montes vel lubricos glacie, vel ſcopulis exaſperatos aſcendi, univerſa tecum pertuli; quæ dolui cum perferres.* Domine Jeſu tecum fuimus in cunctis locis in quibus paſſus es dolores vel injurias, tecum triſtitia afflicti in horto Gethſemani: tecum alapa cæſi in domo Annæ, tecum apud Caipham contumeliis afflicti, tecum in curia Herodis illuſi, tecum in prætorio Pilat catenis ferreis flagellati, & ſpinis coronati; tecum in Calvario crucifixi & felle potati, ibique tecum mortui, mortui peccatis, mortui nobiſmetipſis, ut tibi vivamus in tempore & in æternitate.

Zachar. 12.

Tract. de Paſſ.

S. Leo ſer. 19. de Paſſ.

Iob. 2.

Lib. 3.

Philip. 2.

L. de ſuccend. Ev. Amor. c. 4

Ep. 2.

CONCIO QVINTA.

Chriſtus reſurrexit in exemplum. In nativitate, in vita, in morte & in reſurrectione Chriſtus eſt exemplar nobis propoſitum. Ut enim ait D. Auguſtinus (quidquid geſtum eſt in cruce Chriſti, in ſepultura, in reſurrectione, ita geſtum eſt, ut iis rebus non tantum myſticè dictis, ſed etiam geſtis configuraretur vita Chriſtianorum, quæ hic geritur. Nam propter ejus crucem dictum eſt: Qui Jeſu Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis: propter ſepulturam: Conſepulti ſumus cum Chriſto per baptiſmum in mortem: propter reſurrectionem, Ut quemadmodum Chriſtus reſurrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos per novitatem vitæ amblemus. (In Chriſti autem reſurrectione tria nobis conſideranda & imitanda occurrunt; nam Chriſtus eſt 1. vere à morte ſuſcitatus: 2. reſurgendo in melius immutatus: 3. poſt reſurrectionē nunquā amplius morti mancipatus.

Tert. l. de Car. Chr. 5.
In Enchir. cap. 53.

1. *Apoſtolus ſummam Evangelij & fidei in dominica mortis & reſurrectionis demandatione concluſit, ut & ſpei noſtræ regulam inde deduceret, unde conſtaret.* Plura ſunt quæ Chriſti reſurrectionem demonſtrant: æterni Patris pollicitatio, qui ſe ſuſcitaturum Filium promiſerat: adimpleta prophetarum vaticinatio: aperta Evangelii declaratio: unanimis pluriū teſtium quibus apparuit Chriſtus, depoſitio: Apoſtolorum, per univerſum orbem miraculis confirmata prædicatio: Angelorum, qui aſſeverant Chriſtum reſurrexiſſe, apparitio. *Reſurrectione autem Chriſti non conſiſtente aufertur & mortuorum reſurrectio: atque ita inanis eſt fides noſtra; inanis & prædicatio Apoſtolorum; inveniuntur etiam falſi teſtes Dei, quod teſtimonium dixerunt, quaſi reſuſcitaverit Chriſtum quem non reſuſcitaverit, & ſumus adhuc in delictis.* Eſt autem de fide certum, Chriſtum ſua paſſione abundanter nobis meruiſſe delictorum remiſſionem: verax eſſe teſtimonium eorum qui Chriſtum ſe vidiſſe viventem teſtati ſunt, Apoſtolorum prædicationem non eſſe vanam, neque Angelorum apparitionem deluſoriam, neque fidem inanem, & conſequenter ne tot ſequantur abſurda, Chriſtum vere eſſe reſuſcitatum, cujus reſurrectio probatur adhuc ex 1. terræ concuſſione: 2. lapidis monumenti revolutione: 3. militum cuſtodientium ſepulchrum disjectione.

L. de Reſ. 48.
Tert. l. 5. adv. Marc. 8.

1. *Sed ecce die tertia concuſſa repente terra.* Concuſſa eſt terra in paſſione & in reſurrectione Chriſti, ſed diverſa ratione: In paſſione Domini *terra mota eſt*; vel ut ſuo motu Chriſti teſtetur divinitatem: vel tanquam de creatoris ſui nece dolens & contremiſcens: vel ut divinam erga Judæos iram demonſtret: vel quia dominico reſperſa cruore, idololatriæ ſordes excutit & à ſe abjicit: vel quia ſe ad ſuſcipiendum corpus dominicum, indignam fatetur. In reſurrectione etiam Domini *terræ motus factus eſt*

Tert. Apol. 21. Matth. 27 Thophylact. Euthym. D. Damaſc. D Hilar l. 2 de Trin. Matth. 28

eſt magnus,& adeo magnus ut cuncta concuteret,& terrę everſionem funditus
Pſ.69. minaretur. Factus eſt autem terrę motus, vel ad denotandam dominationem
D Chryſoſt. In Pſ. 2. Chriſti, qui ſua potentiâ totum concutit orbem: vel quia de Chriſti reſurrectione gaudens & lætans velut ſubſiliit, ſicut in ejus morte præ horrore & do-
Cap.11. In Matt. lore contremuit; *Dominus regnavit, exultet terra*: vel ut ſuam erga Chriſti cor-
Tert. Apol. 21. pus demonſtret reverentiam; *Depoſitum cum tremore reddit*, quod cum hono-
re ſuſceperat: vel ut vult D. Hilarius, dolens tam cito pretioſo illo privari
Matth. 28. corpore.

2. Probatur adhuc Chriſti reſurrectio, *mole revoluta quæ obſtruxerat ſepul-*
Chryſol. Ser.74. *chrum*. Acutè poſt Evangeliſtam ponit Tertullianus mole revoluta, (Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum.) *Non dicit volvit, ſed revolvit lapidem. qui advolutus probavit mortem, & revolutus extitit reſurrectionis aſſertor.* Revolvit lapidem Angelus, non ut Chriſtus tunc reſurgens exiret de ſepulchro, jam antea ſepulchro clauſo ſurrexerat, ſicut clauſo virginis utero natus eſt, ſed ut mulieribus ad
D. Hier. Ep. ad Hedib. Q.7. ſepulchrum pateręt aditus. (Non putemus Angelum idcirco veniſſe, ut aperiret ſepulchrum Chriſto Domino reſurgenti, ſed poſtquam Dominus reſurrexit, indicaſſe quid factum eſt, & ſepulchrum vacuum revolutione lapidum
Ser. 75. oſtendiſſe.) Quod eloquenter declarat Chryſologus: *Revolvit lapidem, non ut egredienti Domino præberet aditum; ſed ut Dominum mundi jam reſurrexiſſe monſtraret, conſervis ad credendum daret fidem, non ad reſurgendum Domino præſtaret*
Chryſol. *auxilium.* Sedebat autem Angelus ſupra lapidem monumenti. *Sedebat ad docendam reſurrectionem, non ad laſſitudinem, ſolvendam. Cæleſtis natura ignorat laſſitudinem, neſcit laborem: ſed factus eſt lapis vas Angelicæ ſeſſionis, doctrina cœleſtis cathedra, ſchola vitæ; quia à Iudæis ad mortis januam,*
Ser. 74. *ad cineris ſervitium, ad triſte ſilentium fuerat conſtitutus.* Idipſum breviter jam dixerat Chryſologus: *Sedebat cui nulla inerat laſſitudo, ut fidei doctor, ut re-*
Ser. 74. *ſurrectionis magiſter*, quam evolvendo lapidem, homines docuerat. Inde lapidem illũ prædicat Chryſologus. *Beatus lapis qui Chriſtum & revelare meruit & velare: Beatus qui non minus corda aperit quam ſepulchrum: beatus qui dat re-*
Tert. *ſurrectionis fidem, fideiq; reſurrectionem, qui divinam carnem reſurrexiſſe teſtatur.*
Apol. 21. 3. Ipſi quoque milites cuſtodes ſepulchri, reſurrectionis dominicæ veritatem prędicant. *Cuſtodia pavore disjecta, nullis apparentibus diſcipulis, nihil in ſe-*
Euthym. *pulchro repertum eſt, præterquam exuviæ ſepulchri.* Milites ad ſepulchri cuſtodiam deputati, (timore terræ motus erecti, & horrore ejus, qui lapidem revolverat, conſternati, fugerunt, & hæc Judæis nuntiarunt, ac teſtes ipſi facti
Hom.3. de Paſch. ſunt veritatis.) In quo divinam providentiam miratur meritò D. Maximus: *Nam hoc procuravit divina providentia, ut reſurrectionis dominicæ, non ſolum Angeli, non ſolum diſcipuli, ſed quod amplius eſt, teſtimonium perhiberent inimici.* Ad obſignandum & cuſtodiendum ſepulchrum, tanta prudentia uſi ſunt Judæi, quod nulla humana ſapientia potuerit eos decipere, neque creata potentia

Chriſti

Recordati ſumus quod ſeductor ille adhuc vivens dixerit; Poſt tres dies reſurgam: Matth. 2.
Quibus noluit 2. Romanos milites dare Pilatus, ſed ſuis uti conceſſit: *Habetis*
cuſtodiam, ite, cuſtodite ſicut ſcitis Obtenta autem cuſtodiendi licentia: 3. *illi ab-*
euntes munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus. Supra tumulum,
grandem, gravem nec facile mobilem poſuerunt lapidem, quem urbis ſigna-
culo ſigillarunt. Addit Nicephorus quod duo hujus lapidis perforarunt ex- Lib. 1. c.
trema, & annulis ferreis cum aliis alligarunt lapidibus, & quaſi hæc minime 30.
ſufficerent; cohortem militum deſtinarunt, ut ſic opertum, ſigillatum, & an-
nullatum ſedulo cuſtodirent ſepulchrum. Verùm *quo diligentius cuſtodierunt* S. Max.
tumulũ, eò cõſtat illũ manifeſtius ſurrexiſſe: quo plures appoſuere cuſtodes, eo plures ibid. Tert.
teſtes reliquere. Nec valet Judæorum calumnia; nam *primores quorum inter-* Apol. 21.
erat & ſcelus divulgare, & populum vectigalem & famularem ſibi à fide revocare,
ſubreptum à diſcipulis jactitaverunt. Quod autem calumniantur Judæi dormi- D. Aug.
entibus cuſtodibus Chriſti diſcipulos magiſtri corpus fuiſſe furatos, pulchre Ser. de
confutat D. Auguſtinus. *Si dormiebant, unde ſcire potuerunt quis illum tulerit de* Paſſion. D. Chry-
ſepulchro? ſi vigilabant, cur auferri permiſerunt? ſoſt. hom.

Verùm omiſſa Judæorum malitia qui vel *inviti operam navarunt veritati:* 90 in Matth
Apoſtolus *ſub exemplo dominicæ reſurrectionis* vult animarum reſurrectionem Tert. l. de
conformari. Et ut ait Tertullianus, *idonee occurrere in auſpicia reſurrectionis.* Reſ. 40. L. de An.
Quod mors & ſurrectio ſunt corpori, hoc idem animæ præſtant peccatum & 57.
vera pœnitentia: Peccatum eſt mors animæ, quia eam gratia quæ eſt princi-
pium vitæ ſupernaturalis, privat, anima ſceleroſa eſt mortua, & *in corpore*
tanquam in aliquo ſepulchro jacet: Pœnitentia eſt animæ reſurrectio, quia eã à Theodor.
peccati morte ſuſcitat, & ad gratiam & ſanctitatem revocat: *Quid tu anima?*
mortua eras, amiſeras vitam. Adi Patrem per Filium, ſurge, recipe vitam quam non D. Aug.
habes in te. Vivificat te pater & Filius, & agitur prima reſurrectio, quando reſur- Tract. 15. in Ioan.
ges ad participandam vitam. Ut autem datur aurum verum & ementitum, u-
niones bonæ & deluſoriæ, ita datur pœnitentia vera & pœnitentia falſa. Pœ-
nitentia vera illa eſt in qua terra tremuit, cor eſt dolore peccati concuſſum;
in qua lapis revolutus eſt & ſepulchrum apertum : in qua fugantur milites
cuſtodes ſepulchri, ideſt tolluntur pravi habitus, vitantur peccati occaſio-
nes. Tunc autem pœnitentia falſa eſt, vel in qua cor non eſt dolore concuſ-
ſum, vel lapis obſtinationis non eſt revolutus, vel non relinquuntur pravi ha-
bitus; vel non vitantur peccandi occaſiones: *Illuſor & non pœnitens cenſendus* D. Iſid.
eſt qui id facit, aut facere cogitat, cujus dolorem præ ſe fert. Unuſquiſque ſerio
conſcientiam ſuam examinet, & videat ſi dum acceſſit ad tribunal pœniten-
tiæ, tremuit terra, ſi tumulus apertus eſt, & ſuſcitatus eſt mortuus, ſi pravos
reliquit habitus. Si terra non tremuit, ſi cor non eſt dolore concuſſum, ſi la-
pis obſtinationis eſt advolutus, ſi jacet in ſepulchro, reſurrectio eſt apparens
dumtaxat & non vera, ſimilis reſurrectioni Samuelis cujus corpus erat phan-
taſticum tantùm, ex aëre ſcilicet compactum.

eſt vivens mundo, vivens carni, vivens paſſionibus, vivẽs peccatis, ſed mortuꝰ eſt Deo, mortuus cœlo, mortuus gratiæ, mortuus virtuti, cui probe compe tunt hæc verba: *Nomen habes quod vivas & mortuus es.* Juſtus è contra eſt mortuus & vivens. Mortuus ſibi, mundo, carni, peccato; vivens vero Deo, gratiæ, virtuti. Inde concludit ſanctus Leo: *Moriendum ergo eſt diabolo, & vivendum Deo, deficiendum iniquitati, ut in juſtitia reſurgatur:* Sic enim animæ reſurrectio imitabitur Chriſti reſurrectionem, qui vere reſuſcitatus eſt & reſurgendo in melius immutatus. Apoc. 3.

Chriſtus duplici habitu delineatur. Primo ſordidis indutus eſt, id eſt carnis paſſibilis & mortalis indignitate: dehinc ſpoliatus priſtinas ſordes, exornatus podere & mitra & citari munda, quoniam gloriam & honorem adeptus demonſtratur. His verbis optime declarat Tertullianus, qualis fuerat forma Chriſti ante reſurrectionem, & qualis ſit poſt reſurrectionem Ante reſurrectionem forma ejus erat 1. demiſſa & humilis: 2. ignominioſa & infamis: 3. paſſibilis & mortalis. Poſt reſurrectionem vero forma ejus eſt 1. magnifica & ſublimis: 2. glorioſa & honorabilis: 3. impaſſibilis & immortalis: Chriſtꝰ reſurgendo in melius immutatus eſt; nã tranſiit 1. ab humili & demiſſa ſervi forma ad Dei ſublimitatẽ: 2. ab infami & ignominioſa forma tranſiit ad gloriam & honorem: 3. à paſſibili & mortali forma tranſiit ad impaſſibilitatem & immortalitatẽ: II. PARS. Tert. l. adv Iud. 10.

1. Chriſtus Dominus *omnem humilitatem exhibuit.* Hanc Domini humilitatem varie denotant Patres. D. Hieronymus humilem prædicat Chriſtum, eo quod divinitatis occultavit majeſtatem, *divinitatis majeſtas latebat:* D. Ambr. Chriſti humilitatem in otio divinæ potentiæ recognoſcit: *Exinanivit ſemetipſum, hoc eſt poteſtatẽ ſuam ab omni opere retraxit, ut humiliatus otioſa virtute, infirmari videretur.* D. Chryſoſt. Dei exinanitionem in forma ſervi ſitam exiſtimat: *Totius Dominus natura ſervi formam intravit, ut totius ſervitutis injurias ſuſtineret.* Tanta eſt Chriſti humilitas, ut à Deo exiſſe Bernardo videatur: *talem ſe hominibus probavit quod poſſet ligari, colaphizari, flagellari, conſpui, & ad ultimũ occidi: hoc eſt quod dicitur Ioan. 14. à Deo exivit.* Exivit à Deo, quia exivit à ſeipſo, exivit à magnificẽtia, exivit à magnitudine, exivit à Deitate: In reſurrectione autem Chriſti humilitas tranſit in ſublimitatem; nam 1. majeſtas quæ latebat manifeſtatur, 2. potentia quæ otiabatur operatur, & 3. ſervi forma in Dei formã commutatur. Majeſtas manifeſtatur; nã ut animadvertit D. Bernardus, Chriſtus beatiſſimæ Virgini apparuit *in forma glorioſa.* Hãc Chriſti ſuſcitati majeſtatem pulchre declarat Abbas Joachim; (Quia tanta præeminet claritate, tanta majeſtatis gloria præfulget, ut ſicut in eo aliquãdo divinitatis ſuæ gloriam occultabat humanitas; ita nunc humanitatis ejus abjectio exinanita à majeſtatis gloria, & ab ſplendore ſummæ lucis abſorpta eſſe videatur:) Quod ſi cum tanta claritate & majeſtate non ſe manifeſtavit diſcipulis: hoc factum eſt, ait D. Auguſt. ne eis mortem aut cœcitatem afferret; *Clarificata carne ſurrexit Chriſtus, ſed noluit in ea clarificatione apparere diſcipulis, quia non poſſent oculis talem claritatem perſpicere.* 2. Divina poten-

Ter. l. adv Iud. 10. In c. 11. Matth. Phil. 2. Hom. 6. de Paſſion. Ser. 2. in Cœn. Dñ. Ser. de Reſur. In Apoc. L. 83 Quæſt. Quæſt. 14.

potentia quæ otiari videbatur, in reſurrectione mirum in modum operatur: D. Aug. in Pſ. 65. *Potentius eſt reſurrexiſſe mortuum quam non fuiſſe mortuum: magnitudo potentiæ Domini ſecundum quod homo factus eſt, in virtute reſurrectionis apparet.* Reſurrectio creaturæ ſuperat vires, & niſi virtute divina patrari poteſt: Chryſol. Ser. 75. *In reſurrectione Domini totum divinum ſentias, non humanum.* Binum refert Chryſologus divinæ poteſtatis inſigne, & dum Chriſtus de illibata Virgine naſcitur, & Ser. 75. dum de clauſo ſepulchro egreditur: *Divinitatis inſigne eſt clauſam reliquiſſe virginem poſt partum, de ſepulchro clauſo exiiſſe cum corpore, eſt divinitatis inſigne.* In utroq; Dei omnipotentia operatur; in utroque miraculum, ſed majus in reChryſol. Ser. 74. ſurrectione Domini quam in ejus nativitate: *Si divinum eſt quod ex Virgine naſcitur Chriſtus, quantum divinius eſt, Chriſtus à mortuis quod reſurgat?* Tandē Chryſol. Ser. 72. 3. ſervitutis forma tranſit in Deitatis formam. Stupendum ſane, *carnis & Dei repente tantum poſſe provenire commercium, ut Deus in hominem, homo verteretur in Deum.* In incarnatione Deus converſus eſt in hominem, quia exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens; in reſurrectione homo convertitur in Deum, nam divina quæ ignorabatur majeſtas, in reſurrectione manifeſtatur, Tert. l. de Spect. 30. & Chriſtus qui *queſtuariæ aut fabri filius* dicebatur, Filius Dei declaratur: Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ex reſurrectione mortuorum:* Græca verſio legit: *Qui declaratus eſt Filius Dei in reſurrectione,* ipſe filium Dei ſe declaravit, propria virtute reſurgendo; nam reſuſcitare ſeipſum eſt argumentum proprium divinitatis: Quare Pater æternus Chriſtum propria virtute reſurAct. 13. gentem in ſuum agnoſcit filium; *Reſuſcitans Ieſum Chriſtum ſicut in Pſalmo 2. ſcriptum eſt, Ego hodie genui te.* Quaſi dicat, ut acutè animadvertit D. Ambr. Quando natus es in ſtabulo, quando converſatus es in paupertate, quando mortuus es in tormentis, te hominis demonſtraſti filium; at reſurgens divina virtute te meum filium demonſtras: *Ego hodie genui te, nunc enim meum pro-* Lib. 7. de *baſti te eſſe filium.* Et ob hanc cauſam ut bene animadvertit D. Anſelmus, Sacerd. 1. Chriſtus in Scriptura ſacra *ante paſſionem fere vocatur filius hominis, poſt reſurrectionem vero filius Dei vocatur.* Divinam ejus filiationem æternus etiam Pater declarat, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ter hujuſmodi verba protulit Pater in teſtimoniū filii ſui, 1. ab æterno dum eū de ſua ſubſtantia generat 2. D. Hil. in incarnatione, dum genitus ab æterno filius in medio temporum humanatur: 3. in reſurrectione, dum Chriſtum ad vitam revocat: *Ego genui te, ego te in vitam revocavi.* Trina eſt Filii Dei nativitas: una ex utero Patris; alia ex utero matris: Tertia ex utero ſepulchri: In prima nativitate æternus Pater denotat memoriæ fœcunditatem: in ſecunda amoris bonitatem: in tertia potentiæ virtutem; In trina hac nativitate magnificatur Dei filius. In æterna generatione, quia divinam accepit naturam & naſcitur ut paternæ ſplendor gloriæ: In humanatione etiam, quia Angeli magnalia Dei prædicant: *Magnificatus eſt rex pacificus:* at in reſurrectione, non ſolum magnificatus, ſed *glorioſe* Exod. in Hom. 6. *magnificatus eſt.* Quod probe adnotat Origenes: (Quaſi non ſufficeret dicere, Magnificatus eſt, addit, Glorioſe magnificatus eſt: Etenim aliud eſt magni-

ficari, aliud glorioſe magnificari: nam cum Dominus meus Jeſus Chriſtus carnem ex Virgine Maria pro noſtra ſalute ſuſcepit, magnificatus eſt quidem, quia venit quærere quod perierat; non tam glorioſe magnificatus eſt: at quando reſurrexit, tum glorioſe magnificatus eſt: quia tunc & fœminæ exultant, & viri ad lætitiam invitantur, & totus orbis tripudiare jubetur.) Multo glorioſior eſt Chriſti reſurrectio quàm nativitas: Tum quia in nativitate humana apparet infirmitas, in reſurrectione verò divina manifeſtatur poteſtas: Tum quia in nativitate Chriſtus habetur filius hominis, in reſurrectione verò Dei filius declaratur: Tum quia in nativitate mortale Chriſtus accepit corpus, in reſurrectione vero immortale: *Glorioſior iſta quam illa; illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale.* Tum quia Chriſtus naſcitur ut opprobria ſuſtineat; reſurgendo vero de ignominia tranſit ad gloriam & honorem. D. Aug. Ser. 129. de Temp.

2. Chriſtus fuit *omni inhoneſtate proſtratus.* Nam 1. ejus caro fuit verberibus dilacerata: 2. pulchritudo devenuſtata: 3. fama denigrata: 4. gloria ignominiá obſcurata. 1. Caro dilacerata, idcirco dicitur *homo in plaga poſitus.* 2. Pulchritudo devenuſtata, & ut ait Tertullianus, *ſpecies ejus inhonorata:* 3. Fama denigrata, etenim *ſamarites & dæmonium habens* vocitatur: 4. ignominiâ gloria obſcurata: quare *vermem ſe pronuntiat & non hominem, ignominiam hominis & abjectionem populi.* Verum in reſurrectione immutatus eſt Chriſtus, & *injuriam paſſionis totam tranſiiſſe ſentit reſurrectionis ad gloriam.* Nam quidquid ei humanâ & diabolicâ malitiâ ſublatum eſt, totum reſtitutum eſt, *omniſque facultas ejus reſtituta eſt ei.* Patientiam Job abunde præmiavit Deus, *& addidit Dominus omnia quæ tulerat Iob duplicia.* Æternus Pater filium ſuum pro hominum amore omni honeſtate proſtratum, gloria & honore cumulavit. Nam 1. carnem verberibus dilaniatam renovavit. *Poſt cuſtodias ſævas & vincula dura, poſt illuſiones & verbera, poſt aceti & fellis pocula mixta, poſt ſupplicia carnis & vulnera, poſtremo poſt ipſam mortem ſurrexit de ſuo funere; caro nova & redimita phœnix.* Caro illa quæ fuerat plagis vulnerata & doloribus attrita, fuit perfectiſſime ſanata, omni conſolatione repleta, & perfecto gaudio cõſolata. Quod per Prophetam denotatum vult D. Hieronymus: *Ambulavit mœrens in via cordis ſui, vias ejus vidi & ſanavi eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi.* 2. Pulchritudinem ſputamentis, plagis, & cruore dedecoratam recuperavit in reſurrectione Chriſtus. *Tempeſtivus decore ſuper filios hominum:* nam amiſſa in paſſione pulchritudo, ei reſtituta eſt per reſurrectionem, *Dominus regnavit, decorem induit.* Quia, ut expendit D. Auguſtinus, (ille qui ſtetit ante judicem, ille qui alapas accepit, ille qui flagellatus eſt, ille qui conſputus eſt, ille qui ſpinis coronatus eſt, ille qui colaphis cæſus eſt, ille qui in ligno ſuſpenſus eſt, ille cui pendenti in ligno inſultatum eſt, ille qui in cruce mortuus eſt, ille qui lancea percuſſus eſt, ille qui ſepultus eſt, ille reſurrexit.) & *ſpecioſus de tempeſtate decoris* prædicatur. 3. Fama denigrata Chriſto per reſurrectionem reſtituta eſt. Ille qui habebatur peccator, de ſanctitate com-

Margin notes: Ter. l. adv. Iud. 14. — Ter. l. adv Iud. 10. — L. adv. Iud. 14. — Tert. l. de Spect. 10. — Tert. l. adv Iud. 11. — Chryſol. Ser. 77. — Tob. 1. — Iob. 12. — D. Aug. Ser. 1. de Reſ. — Iſa. 57. — Tert. l. adv Iud. 9. — Pſ. 91. — Ter. l. adv Iud. 9.

mendatur. *Quomodo reſurrexiſſet ſi peccator fuiſſet?* ait D. Chryſoſtomus. Ille quem ut blaſphematorem calumniabantur Judæi, Dei agnitus eſt filius: & ut [D. Chryſ.] vult D. Bernardus, (abſorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata ſit ſubſtantia, ſed affectio deificata.) [Alex. Lib. 11. in Ioan.] Tandem 4. gloria reſtituta eſt ei; *dedecorati peccato fuimus, quam notam, injuſtum Chriſti detorſit dedecus.* Chriſtus [Chryſol. Ser. 74.] autem noſtrum ſuſcipiens in paſſione opprobrium, ſuam nobis in reſurrectione largitur gloriam. *Reſurgentes per Chriſtum, Chriſti mutantur in gloriam.* [Abac. 3.] Ipſe etiam ab omni ignominia liberatur, & gloria donatur. Nec mirum, nam *operuit cœlos gloria ejus, & laudis ejus plena eſt terra.* Ante reſurrectionem [D. Aug. Tract. 16. in Ioan.] erat Chriſtus *non clarus imperio, ſed plenus opprobrio:* nam mulctatus eſt ſupplicio crucis, quo rei infamiâ & ignominia notabantur. At Dominus regnavit à ligno, & factus eſt principatus ejus ſuper humerum ejus. [Ter. l. adv. Iud. 13.] *Quis omnino regum inſigne poteſtatis ſuæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu ſceptrum, aut aliquam propriæ veſtis notam? Sed ſolus novus Rex ſeculorum Chriſtus Ieſus, novæ gloriæ & poteſtatem & ſublimitatem ſuam in humero extulit: crucem ſcilicet, ut ſecundum ſuperiorem prophetiam, exinde Dominus regnaret à ligno.* [D. Ciryl. Hier. Catech. 13] Crux quæ ignominiam ſapiebat, Chriſti Domini gloriam commendat. *Gloratio gloriationum eſt crux.* Cruce ſuum dilatavit imperium Dominus, & ſuos debellavit hoſtes: [Coloſ. 2.] *Expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Hoc loco metaphora triumphi utitur Apoſtolus, indicare volens, crucem eſſe currum triumphalem, in cujus ſumma parte ſedet Chriſtus triumphans: in ima parte trahitur diabolus alligatus, & oſtentatur quaſi in pompa. [Theophylact.] *In cruce Chriſtus trophæum ſtatuens dæmones triumphavit.* Quod præfiguratum vult Tertullianus in victoria quam Joſue tulit de Amalec. [Lib. adv. Iud. 10.] *Iam vero Moyſes quid utique tunc tantum, cum Ieſus adverſus Amalec præliabatur expanſis manibus orabat reſidens; niſi quia illic ubi nomen Ieſu dimicabat, dimicaturi quandoque adverſus diabolum, crucis habitus quoque erat neceſſarius, per quam Ieſus victoriam eſſet relaturus.* Tanta eſt gloria quam mutuatus eſt à cruce Chriſtus, quod [D. Aug. in Pſ. 32. In Pſ. 35.] *reges ſignum crucis Chriſti in fronte jam portant, pretioſius ſignum qualibet gemma diadematis.* Quare ut bene animadvertit D. Auguſtinus, *Crux jam de pœna generis humani ſublata eſt, honorata eſt, finita eſt pœna, manet in gloria: à locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes imperatorum;* ſicut mortalitas carnis Chriſti tranſit ad immortalitatem.

[Tert. l. 5. adv. Marc. 10.] 3. *Oportet enim corruptivum hoc (tenens utique carnem ſuam dicebat Apoſtolus) induere incorruptelam, & mortale hoc immortalitatem, hæc erit demutatio carnis reſuſcitatæ aliud facta per demutationem.* Caro ante & poſt reſurrectionem eadem eſt & diverſa. Eadem quoad eſſentiam, quæ invariabilis eſt: diverſa, quoad qualitates quæ mutantur: [S. Leo. Ser. 2. de Reſur.] *Reſurrectio enim Domini, non finis carnis, ſed commutatio fuit; nec virtutis argumento conſumpta ſubſtantia eſt, qualitas tranſiit, non natura defecit: & factum eſt corpus impaſſibile, quod potuit crucifigi; factum eſt immortale quod potuit occidi, factum eſt incorruptibile quod potuit vulne-*

rari,

vari. Caro igitur Chriſti ita per reſurrectionem immutata eſt, *ut & ipſa ſit per eſſentiam, & non ipſa per gloriam.* Hujus rationem à priori affert Tertullianus, quia *omne quod transfiguratur in aliud, deſinit eſſe quod fuerat.* Chriſti caro in reſurrectione transfiguratur: quapropter nihil in ea remanſit paſſibile, nihil infirmum, nihil mortale: ſed immortalitatem, impaſſibilitatem, & gloriam adepta eſt: & ut ait D. Bernard, *caro ſeminata in morte refloruit in reſurrectione.* S. Leo. Lib. adv. Prax. 27. Tract. de dilig. Deo.

Tranſitus ille Chriſti à forma paſſibili & mortali, ad formam impaſſibilem & immortalem, nos ad vitæ immutationem invitat. *Nunc autem quia tranſiit in novitatem vitæ, nos quoq; invitat ad tranſitum,* ad quod nos adhuc ſtimulat dies feſtus Paſchæ, *ut rite Paſcha celebretis, tranſire de vitijs ad virtutes debetis.* Deſerenda ſunt vitia, acquirendæ virtutes; quia ut profunde philoſophatur Tertullianus: *natura convertibilium ea lege eſt, ne permaneant in eo quod convertitur in eis, & ita non permanendo pereant, dum perdunt convertendo quod fuerant:* Superbus converti nequit niſi deperdatur ſuperbia, nec avarus niſi deperdatur avaritia, nec libidinoſus niſi deperdatur luxuria: omnis mutatio eſt inter duos terminos quorum unus deperditur, dum alter acquiritur: Quapropter peccator convertitur *amittens quod erat, dum fit quod non erat: converti enim in aliud, finis eſt priſtini.* Charitatis adeptio eſt odii deperditio, acquiſitio ſanctitatis finis eſt peccati. *Vnicuique enim homini qui ex alio in aliud aliqua converſione mutatur, finis eſt non eſſe quod fuit; & ortus, eſſe quod non fuit.* Fuiſti blaſphemator, & non fuiſti divinæ laudis propalator, deſinat in te blaſphemia, & incipiat Dei laus & benedictio. In converſione peccatoris *motus inter malum & bonum agebatur;* intereat malum, oriatur bonum. In reſurrectione Chriſti caro reformata eſt, quia humiles relinquens formas accepit glorioſas. Peccatoris anima, *ſi in bonum reformata eſt, utique de malo reformata eſt.* Chriſti ſuſcitata caro erat ipſa per eſſentiam & non erat ipſa per gloriam. Peccator à malo in bonum per pœnitentiam immutatus, *ipſe quidem eſt per naturam, ſed non eſt ipſe per malitiam.* Quod ex Mariæ exemplo, quæ citius etiam Apoſtolis venit ad monumentum, probat Chryſologus: *Venit Maria & altera Maria, non dixit, Venerunt; ſed venit: ſub uno nomine venerunt duo, myſterio non caſu, venit ipſa ſed altera, altera ſed ipſa; ut mulier mutaretur vitâ, non nomine: virtute, non ſexu.* Qui Paſchale ſacramentum mutatione vitæ celebrant, Chriſti imitantur reſurrectionem, qui reſurgendo immutatus eſt, & nunquam amplius fuit morti mancipatus. D. Bern. D. Amb. L. de Carn. Chr. 3. Tert. S. Leo. Ser. 1. de Reſ. Ter. l. adv Herm. 41. Ter. l. adv Herm. 41. D. Greg. ho. 21. in Evang. Ser. 74.

Sepultura ejus ſublata eſt è medio, nec ſepultus enim eſt niſi mortuus; nec ſepultura ejus ſublata eſt è medio niſi per reſurrectionem ejus. Certiſſimum eſt de fide, Chriſtum vere mortuum, vere ſepultum, & vere reſuſcitatum. Quomodo Marcionem urget Tertullianus, qui corpus Chriſti non verum, ſed imaginarium tantum exiſtimabat; *Sed jam hinc reſponde, interfector veritatis: Nonne vere crucifixus eſt Deus? nonne vere mortuus, ut vere crucifixus? nonne vere reſuſcitatus, ut vere ſcilicet mortuus?* Trinam in III. PARS. Ter. l. adv Iud. 9. L. de Carn. Chr. 5.

Evangelio reperio corporum reſurrectionem, primam Samuelis, quæ non fuit vera, ſed apparens: ſecundam Lazari, quæ fuit quidem vera, ſed non diu permanſit, quia ſuſcitatus Lazarus iterum eſt mortuus: tertiam Chriſti Domini qui vere eſt reſuſcitatus, & nunquam amplius fuit morti mancipatus;

Rom. 6.

Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Inamiſſibili autem immortalitate fruitur reſuſcitata Chriſti caro, ob 1. Verbi divinitatem: 2. animæ felicitatem: 3. paſſionis dominicæ efficacitatem.

Tert. l. de Car. Ch. 17. Clem. Alex. l. 4. in Ioan. D. Amb. l. 10. in Luc.

1. Carni Chriſti erat hypoſtatice unitum *Dei Verbum extructorium vitæ*, quocirca ei ex tali unione debebatur immortalitas: attamen *caro factum permiſit carni, ut ſua pateretur:* quomodo permiſit? *ſequeſtrata delectatione divinitatis æternæ;* quod fieri non potuit niſi per miraculum, impediendo ſupernaturaliter influxum vitæ, quem Verbum communicaturum erat carni ſibi perſonaliter unitæ. Quod innuere videtur Regius Vates æternum alloquens patrem, *Tu vero repuliſti & reſpexiſti Chriſtum tuum.* D Hieronymus legit, *tu vero retrocedere feciſti ſplendorem tuum*, impediendo ne ejus humanitati largiatur immortalitatem; at in reſurrectione divinum Verbum fuit *de morte triumphatorium* per ceſſationem miraculi; quo impediebatur, ne vitam carni dominicæ communicaret. Quapropter Chriſtus *de ſepulchro ſe reddidit vivum, nunquam deinde moriturus*, quia immortalitas ei competit, tum ob Verbi divinitatem; tum ob animæ fœlicitatem.

Tert. l. 5. adv. Marc. 11. D. Aug. Tract. 91. in Ioan.

Tert. l. de Reſ. 41.

2. *Non erit anima proſtituta, ut nuda ſuſcipiatur à ſponſo, habet inſtrumentum, habet cultum, habet mancipium ſuum carnem: ut collactanea comitabitur.* Anima beata poſt reſurrectionem generalem, carni quam informavit, denuo unietur, in eamque fœlicitatis ſuæ effundet redundantiam: Anima Chriſti fuit beata à primo creationis ſuæ inſtanti, & in carnem ſibi unitam diffundere habebat felicitatis ſuæ redundantiam, niſi divinitus & miraculosè fuiſſet impedita: & dum in Transfiguratione Chriſtus reſplenduit ut Sol, hoc factum eſt per ceſſationem miraculi, permittendo animæ ut in carnem aliquales lucis ſuæ ſpargeret radios. Paſſibilitatem igitur & mortalitatem carnis *Dominus Ieſus non conditionis neceſſitate, ſed miſerationis voluntate ſuſcepit*, ſcilicet ut patiendo & moriendo humanam operaretur ſalutem. Nam ut ait Tertullianus, *Ieſus Chriſtus ſummus ſacerdos Patris, humana forma & paſſibili venit in humilitate uſque ad paſſionem: ipſe etiam effectus hoſtia per omnia pro omnibus nobis, qui poſt reſurrectionem ſuam indutus podere ſacerdos in æternum Dei Patris nuncupatus eſt.* Chriſtus carnem aſſumpſit ut ſemetipſum poſſet offerre tanquam victimam Deo dignam, ad ſatisfaciendum pro hominibus juſtitiæ divinæ: & quia ceſſante fine ceſſant media ad finem; facta hominum redemptione caro reſurgit impaſſibilis, & anima non amplius impeditur quin in illam per totã retro æternitatem, fœlicitatis ſuę largiatur redundantiam. Quapropter Chriſtus *tertia die reſurrexit in carne noſtra, ſed nequaquam ulterius moritura*: ſiquidem ne amplius moriatur meruit per paſſionis ſuæ efficacitatem.

D. Aug. in Pſal. 87.

L. adv. Iud. 14.

D. Aug. libell. de Symb.

3. *Propterea*

3. Propterea ipſe multos in hæreditatem habebit, pro eo quod tradita eſt in mor- Ter. l. adv.
tem anima ejus: oſtenſa enim cauſa gratiæ ejus, pro injuria ſcilicet mortis repenſan- Iud. 9.
da, pariter oſtenſum eſt & hæc illum propter mortem conſequuturum, poſt mortem utique reſurrectionem conſequuturum: Chriſtus ſua paſſione, & ſibi & nobis meruit. Sibi carnis reſurrectionem, & corporis gloriam, nobis gratiam & gloriam, reſurrectionem animi & adhuc reſurrectionem corporis. Chriſti caro à morte ſuſcitata eſt nunquam amplius moritura: quod ipſemet declarat Salvator: *Ego ſum vivus & fui mortuus, & ecce ſum vivus in ſæcula ſæculorũ.* Apoc. 1.
Id ipſum aſſerit adhuc apud Regium Vatem: *Conſcidiſti ſaccum meum, & circundediſti me lætitia*: ubi D. Athanaſius, *Conſcidiſti ſaccum meum, id eſt, corpus* Pſ. 29.
meum in paſſione, & circundediſti me ſtola immortalitatis cum ſumma lætitia. Hũc autem ſaccum ſeu habitum non dicit exutum, ſed conſciſſum: Habitum quẽ nocturno tempore dormiturus exuis, matutino iterum vigilaturus aſſumis: at vero quem non modo exuis, ſed etiam ſcindis, rumpis & in fruſta diſcerpis, nunquam amplius recipis induendum. Sic peccatum in reſurrectione animæ non eſt ita exuendum, ut iterum induatur, ſed ita diſſipandum ut nunquam amplius in animum revocetur. Non ſine myſterio hæ Antiphonæ, Alma redemptoris, Salve regina, ſingulis diebus Dominicis dicuntur à fidelibus erecto corpore, aliis vero temporibus genibus flexis. Hanc quæſtionem proponit ſanctus Juſtinus: *Vnde talis in Eccleſia conſuetudo.* Cui ſtatim reſpondet: Profunda in terram genuflexio *lapſum noſtrum in peccatum repræſentat*; ere- Li. Quæſt.
ctio vero ſingulis diebus dominicis (& toto etiam tempore Paſchali,) deno- Quæſt. 115
tat per merita paſſionis Chriſti nos eſſe à lapſu peccati erectos, & à morte peccati ad gratiæ vitam reſuſcitatos: *Genua non flectere ſancto die Dominico, ſi-* S. Germ.
gnificat lapſuum noſtrorum erectionem factam per triduanam Chriſti reſurrectio- Conſtant. Tõ. 3. Bi-
nem. Quare cunctis Chriſtianis qui per pœnitentiæ ſacramentum à peccati blio. Patr.
lapſu ſunt erecti, & à morte animæ ad vitam revocati, aptari poſſunt hæc Apoſtoli verba: *Sic ſtate in Domino chariſſimi*, ſitis ſemper erecti, & nunquam Philip. 4.
amplius cadatis in peccatum: poſt ſuſcitatam à morte animam, ſollicite ejus ſervate vitam, *& ultra non ſerviamus peccato.* Ad quod nos hortari vide- Rom. 6.
tur Regius Vates apud Tertullianum: *Extende, proſpera & regna*, id eſt pro- Pſ. 44. Lib. adv.
gredere in ſtatu perfectionis, ne retrogradiaris in peccata per pœnitentiam Iud. 9.
dimiſſa; *non retroducendo ut cancer*, ut illa iterum reaſſumas: regna, ſtando in Hug. Card.
ſtatu gratiæ: peccator etenim non eſt rex, ſed ſervus & mancipium. *Cæterum aliud reſurrectio, aliud regnum. Primo enim reſurrectio, dehinc regnum*: ani- Tert. l. 5. adv.
ma eſt primo reſuſcitanda, ut in ea ſit Dei regnum, & debet per gratiam re- Marc. 10.
gnare in via, ut valeat in cœlo regnare per gloriam.

Qui retrocedunt & in præterita peccata revertuntur, 1. ſacrum Paſchæ tẽpus prophanant: 2. Chriſtum inhonorant: 3. fructu paſſionis dominicæ ſe privant, & 4. in ſepulchro mortuorum ſe tumulant. 1. Sanctum Paſchæ tem- D. Bern.
pus prophanant, quod eſt quidem peccatorum tranſitus, ſed non reditus. Ser. 1. de Reſ.

(Ipſum quod celebramus Paſcha, tranſitus, non reditus interpretatur: Sacrã reſurrectionem Paſchæ privamus nomine ſuo, quia eſt nobis in reditũ magis quã in tranſitum; ſiquidem reprobat nos dies iſta, tanquã manifeſte alienos à Chriſto, vel tanquam ſocios Judæ, in quẽ intravit Satanas,) Chriſti non imitamur reſurrectionẽ, ſed noſtris ſceleribus, 2. Inhonoramus: Salvator etenim (non recidit ſed reſurrexit: non rediit ſed tranſiit; tranſmigravit non remeavit: ſi enim poſt conſummationem crucis in noſtram hanc mortalitatẽ & vitæ præſentis ærumnas revixiſſet, non tranſiiſſe dicerem, ſed rediiſſe, non tranſmigraſſe in ſublimius aliquid, ſed ad ſtatum remeaſſe priorem.) Chriſt⁹ reſurgendo tranſiit, non rediit: transmigravit, non remeavit; nos è contra, redimus & remeamus. (Proh dolor! reſurrectio Salvatoris facta eſt peccandi tempus, terminus recedendi: ex hoc comeſſationes & ebrietates redeũt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, laxantur concupiſcentiis fræna, quaſi ad hoc reſurrexerit Chriſtus, & non magis ad reſurrectionem noſtrã Sic honoratis miſeri Chriſtum quem ſuſcepiſtis; venienti paraſtis hoſpitium; confitẽtes cum gemitu: caſtigantes corpora, eleemoſynas impendentes, & ecce ſuſceptum proditis inimicis: imo exire compellitis, priores nequitias admittẽdo,) & Chriſtum veſtris inhonorantes peccatis, voſmetipſos privatis fructu paſſionis & reſurrectionis ſuæ, (Luximus his diebus, compũctioni, orationi, gravitati, & abſtinentiæ dediti: communicavimus Chriſti paſſionibus per compaſſionem: lavimus peccatricis animæ ſordes, per baptiſmum lachrymarum, pœnitentiæ & confeſſionis: ecquid inveniemur nunc iterum curioſi, ut ante, verboſi ut ante, pigri & negligentes ut ante, vani, ſuſpicioſi, detractores, iracundi, cæteriſque impliciti vitiis, quæ tam anxie deploravimus his diebus? (Si poſt ſacramentorum ſuſceptionem, & peccatorum remiſſionem, adhuc in anteacta redimus vitia, denuo morimur, & in ſepulchro tumulamur. *Fit in corporis ſepulchro vivo funus animæ jam ſepultæ.* Ex D. Maximo *pœnitentiæ fructus eſt impaſſibilitas animæ:* & è converſo peccati fructus eſt mors & paſſibilitas animæ: Quapropter 4. recuperata per pœnitentiam animæ vitã, comparato per paſſionem Chriſti jure ad æternam, tum animæ, tum corporis impaſſibilitatem; *cave ne rurſus emoriaris, iiſque qui in ſepulchris habitant aggregeris, ac peccatorum tuorum funibus conſtringaris; incertum enim eſt, an rurſus in ſepulchro excitaberis:* Licet enim denuo multi excitentur, multo tamen plures jacent & in inferno emortui & ſepulti æternaliter jacebunt. Timeamus, fratres ſecundam illam mortem, *& ſi negligentias planximus, quid cauſæ eſt cur recedamus iterum in eaſdem? Mortui ſumus peccato, quomodo vivimus adhuc in illo? ſuſcitati ſumus ad vitam, quomodo iterum moriemur? Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Ubi D. Bernardus, (Si dixerit mihi Jeſus: Dimittuntur tibi peccata tua, niſi ego peccare deſiero, quid proderit? Exui tunicam meam, ſi reinduero eam, quantum profeci? erit ſine dubio recidenti quam jacenti deterius.) Sponte parum videtur, vitioſum habitum exuiſſe ſi rurſus induat, pedes lavi [illegible]

D. Bern. — Baſil. Sel. — Gregorius Naz. orat. in ſanct. Bapt. — D. Bern. — Cant. f. Serm. I. in Cant.

quinet; quia *inanis eſt pœnitentia quam ſequens culpa coinquinat: & nihil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata.* Non inanis, ſed utilis amplexanda eſt pœnitentia, *ut evacuetur corpus delinquentia, per emendationem vitæ.* Chriſtiani poſt initam tempore Paſchæ pœnitentiam, *reputate vos mortuos delinquentiæ, viventes cum Deo in Chriſto Ieſu:* viventes nunc per gratiam, ut ſitis poſtea viventes per gloriam. D. Aug. diſt. 3. de Pœn. Tert. l. de Reſ. 47. Tert.

CONCIO SEXTA.

INdignum ut *Romulus quidem aſcenſus ſui in cœlum habuerit Proculum affirmatorem;* & Chriſt⁹ non habeat aſſumptionis ſuæ in cœlum teſtificatorem. Quirites ut occultarent Romuli cædem, diſcerpta tyranni membra ſub ſenatoriis veſtibus ſecum ferunt, & quemdam Proculum nomine corrumpunt, ut populo aſſeveraret Romulum ſe vidiſſe aſcendentem in cœlum & divorum jam numero adſcriptum. Verùm ut bene animadvertit Tertullianus, Romulus nonniſi *ſcalis mendacij* ad cœlum aſcendit: At *Chriſtus confuſa nube in cœlum eſt erectus: multo melius quam apud vos aſſeverare de Romulis Proculi ſolent.* Aſcẽdit namque Dominus non ſcalis mendacii, ſed vera divinitatis ſuæ virtute. Aſſumptionem dominicam aſſeverant, non Proculi mendaces, ſed veraces Apoſtoli, præſentes Diſcipuli, & etiam ſpiritus Angelici. *Vt etiam voce cœleſti confirmaretur,* aſcendit Salvator non tanquam fictitius Deus, ſed *ut homo Deo miſtus,* ut divinæ œconomiæ pulchritudinem illuſtret. *Hodierna feſtivitas divinæ œconomiæ pluchritudinem mirifice illuſtrat,* neq; ſolum illuſtrat, ſed etiã conſummat: Quare nuncupatur à Divo Bernardo: *fœlix clauſula totius itinerarij filij Dei:* in illa ſiquidem eſt Chriſti 1. majeſtas manifeſtata: 2. humilitas exaltata: 3. dilectio conſummata. Tert. l. 4. adv. Marc. 7. Tert. Apol. 21. Tert. l. 4. adv. Marc. 34. Tert. Apol. 34. D. Epiph.

Humilitatem Filii Dei in humanatione nonniſi cum ſtupore conſiderat Tertullian. *Ergo Dei filius in tantum humilitatis exhauſtus;* parum fuit dicere humiliatus, dejectus, demiſſus, exhauſtus ultimum denotat homilitatis gradũ, quo *ſepoſito majeſtatu ſuæ honore,* ſub vili & demiſſa ſervi apparuit forma. At humiliatus ille, dejectus & exhauſtus in corporatione Dei Filius, in Aſcenſione honoratur & glorificatur. *Nunc glorificatus eſt Filius hominis, & Deus glorificatus eſt in illo: Quis Deus? Vtique ſermo Patris, qui erat in filio hominis, ideſt in carne, in qua eſt glorificatus jam;* quia ejus majeſtas manifeſtata eſt 1. hominibus: 2. ſupernis ſpiritibus: 3. manifeſtanda adhuc in judicio, tum Angelis, tum hominibus. I. PARS. L. de Car. Chr. 17. Greg. Naz. Orat. 49. Ter. l. adv Prax. 23.

1. *Pater glorificavit Filium ſuum etſi porrectum ad terram, mox per reſurrectionem glorificavit, morte devicta.* Jacob de Meſopotamia revertens cum familia & ſupellectile ſua; in forma humana apparuit illi Deus, familiariter cum eo locutus: Jacobi nomen in Iſraël commutavit, pollicitationes Iſaaco & Abrahamo factas confirmavit, de numeroſa familia, de poſſeſſiooe terræ Chanaan certiorem fecit, & poſt tale colloquium *receſſit* Tert ibid. Gen. 33.

ceſſit ab eo: Jehovath Hebræa lectio habet: *Aſcendit deſuper ipſum Eloim.* Chaldaica vero legit, *aſcendit ab eo gloria Domini.* Quam diſſimilis à ſeipſo eſt Deus dum venit ad Jacobum, & dum recedit à Jacobo: dum approximat & dũ ſe elongat! Ad Jacobum accedit in forma humana, recedit à Jacobo cum forma divina. Accedit cum amici ſuavitate, recedit cum judicis ſeveritate. Accedit abſque gloria & majeſtate Dei, recedit tanta cum majeſtate, ut ad eam denotandam dicat ſacer Textus: *Aſcendit ab eo gloria Domini.* Hoc perfectiſſime ſignificat formam quam habuit Chriſtus quandiu converſatus eſt ſuper terram cum hominibus, & formam quam habet die aſcenſionis in cœlum. Quandiu vixit ſuper terram, forma ejus fuit humilis, demiſſa & humanæ cõverſationi conformis. *Ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo poſſet.* At poſt conſummatum ſalutis noſtræ opus, aſcendit hodie in cœlum & manifeſtat hominibus gloriam quam occultarat, quam paſſione meruit, & in reſurrectione accepit. *Dominus regnavit, decorem indutus eſt*: verum de quo indutus eſt? *Gloria, ſplendore, celſitudine, magnificentia, pompa, majeſtate.* Indumentum conforme fuit exumento: & cunctis rebus indutus fuit, quibus exutus fuerat. Exutus fuit pulchritudine, indutus eſt pulchritudine: exutus fuit gloria, gloria indutus eſt: exutus fuit ſplendore, indutus eſt ſplendore: exutus fuit fortitudine, indutus eſt fortitudine: exutus fuit majeſtate, indutus eſt majeſtate: exutus eſt forma Dei, indutus eſt forma Dei, quam manifeſtavit tum terrenis hominibus, tum ſupernis ſpiritibus.

Tert. l. 2. adv. Marc. 27.

Pſ. 92. D. Aug.

2. *Quæ illa exultatio Angelorum*, dum regem ſuum propria virtute in cœlũ aſcendentem comitantur? Poteſtates aliquas cœli janitrices fabulati ſunt gentiles. *Quas mihi poteſtates janitrices affirmas, juxta romanam ſuperſtitionem Ianum quemdam & Ferculum, & Lamentinum? quas à cancellis ordinas poteſtates?* Non fabula ſed veritas eſt, quod aſcendente Chriſto angelici ſpiritus ei obviam veniunt, neque ſolum aperiunt cœli portas, ſed etiam tollunt, ut rex gloriæ majori cum pompa ingrediatur. *Si umquam legiſti apud David: Auferte portas principes veſtras & ſubleventur portæ æternales, & intrabit Rex gloriæ.* Quã autem glorioſus ſit Chriſti triumphus, poteſt aliquo modo concipi ex pompa qua fiebat Romanus triumphus: 1. Imperator Romæ *triumphans ſublimiſſimo curru* deferebatur; Chriſtus triumphans ſuper nubẽ lucidiſſimam aſcẽdit in cœlum. 2. Romani cives quos à captivitate liberaverat Imperator, honoris cauſa ejus ſequebantur currum; animæ quæ in ſinu Abraham detinebãtur captivę, Chriſtum ſequuntur. *Captivam duxit captivitatem.* Imo plura corpora ſuſcitata tanquam dominicæ *reſurrectionis appendices.* 3. Hoſtes ſuperati & devicti vinculis onuſti præcedebant imperatorem triumphantem, Chriſtus cum *ultimo hoſte morte præliatus, per trophæum crucis triumphavit:* quapropter *ante faciem ejus ibit mors.* 4. Hoſtibus debellatis & in captivitate ductis inſultabat victor exercitus. Suſcitati autem Patriarchæ agent Deo gratias quod illis victoriam conſecutus fuerit de morte, & habentes in ore *verbum inſul-*

Tert. l de Spect. 30.

Tert. Scorp. 10.

Tert. ibid.

Tert. Apol. 33.

Tert. l. 4. adv. Marc. 20.

Tert. l. 5. adv. Marc. 10.

inſultatorium, dicent de victoria lætantes: *Vbi eſt mors victoria tua, vel contentio tua?* 5. In imperatoris triumpho evertebantur muri civitatis, quaſi portæ ad ejus non ſufficerent ingreſſum: Angeli etiam tollunt cœli portas ut ingrediente Domino latius pateat ſpatium: Et ut ait D. Ambroſius, *triumphatoris æterni manubias intuentes, quaſi eum quē emiſerant, cœli portæ capere non poſſent, licet ejus nunquam capiant majeſtatem, majorem viam quærebant aliquam revertenti.* 6. Imperator triumphans & magnificentiam ſuam oſtentans, munera civibus largiebatur: Chriſtus Dominus cœleſtē ingrediens Hieruſalē, Cœlicolas bonis & delitiis cumulavit: *Gloriam reſurrectionis & immortalitatis Chriſtus ſecū tulit, quo illius patriæ cives lætificaret & ditaret.* 7. Imperatore triūphante, innumerabilis undique veniebat hominum multitudo, ad ejus decantandas laudes: Chriſtus *aſcendit cum jubilatione*, & Angeli, qui ejus honorant trūphum, ſunt in tanto numero, quod eos Vates Regius per multiplicatā millia denotat. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.* Vatablus legit: *Mille millia Angelorū*: Cajetanus, *duæ miriades milliū Angelorum*: D. Aug. *decies mille multiplex*: D. Hieronym. *multitudo innumerabilis Angelorū*, qui in varios choros diſpoſiti, Chriſti decantabant laudes in cœlū aſcendentis ad eorū implendas ruinas. 9. Imperator Romæ triumphans urbē illam privilegiis & ornamentis decorabat: at *Chriſtus aquas conſecrat dum baptizatur; terram ſanctificat dum ſepelitur; mortē ſuſcitat, dum reſurgit; cœleſtia glorificat dum aſcendit ad cœlum.* 10. Triumphans Imperator *hominem ſe eſſe admonetur. Suggeritur enim ei à tergo: Reſpice poſt te, hominem te memento.* Triumphatori Chriſto de divinitate blandiuntur Angeli: *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere divinitatem.* Non quod non fuerit Deus ab inſtāti quo humanitas unita eſt Verbo, ſed ut Deus non erat cognitus: Accepit autē divinitatē, tum in Reſurrectione, tū in Aſcenſione. In Reſurrectione quidem; nam ut ait D. Ambroſius, *reſurrexit homo, quoniā homo mortuus, & reſuſcitatus homo, ſed reſuſcitans Deus: tunc ſecundum carnem homo, nunc per omnia Deus.* In Aſcenſione etiam: nam ut fatur D. Auguſt. *unde hodierna feſtivitas, nobis hominis & Dei ſacramenta manifeſtavit in una eademq; perſona: in eo qui elevat, divinam potentiam: in eo qui elevatur, humanam agnoſce ſententiam.* 11. Imperator ab hominibus honoratur: triumphans Chriſtus ab Angelis adoratur; quos dilectus repræſentat Diſcipulus ſub idea viginti quatuor Regum mittentium coronas ſuas ante Chriſtum. *Dignus es Domine Deus noſter, accipere gloriam & honorem.* Adverte quod Angeli tria præſtant Chriſto: 1. Seſe ante majeſtatem illius humiliter proſternunt: 2. ſupremum latriæ cultum illi deferunt: 3. verum confitentur Deum, non occultatum, ſed manifeſtatum: Triumphum autem agente Chriſto fit *monela de cœlo.* Nam deſcendunt de cœlo Angeli monentes homines. (Hic Jeſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlū.) *In quo jam delinitur futuri imago, & candida quædam utriuſque judicii, pœna & ſalutis æternæ, proſpicitur.* In ultimo autem judicio, Chriſti majeſtas

D. Hier. in c. 7. Pro. 3

Pſal. 46.

Pſal. 67.

D. Aug. in Pſ. 37.

Tert. Apol. 33.

Apoc. 5.

Ser. 176 de Temp.

Apoc. 4.

Te. l. 4 adv. Marc. 34. Act. 1.

Tert. l. 4. adv. Marc. 34.

jeſtas manifeſtanda eſt tum Angelis, tum hominibus.

Tert. l. de Spect. 30. in Caten. . 3. *Quale ſpectaculum adventus Domini jam indubitati, jam ſuperbi, jam triumphantis*; & ut D. Chryſoſtomus venientis ad judicium *cum gloria digna Deo?* In Chriſti aſcenſu & ultimo deſcenſu, omnimoda repetitur parilitas. 1. In aſcenſu videtur ab hominibus, & Angelis, & in deſcenſu ab hominibus Ter. l. adv. Prax. 30. ſive electis, ſive præſcitis; ab Angelis tum bonis tum malis conſpicitur. 2. In aſcenſu defertur ſupra nubem lucidam, quæ eſt velut currus triumphi: in deſcenſu ſedebit ſupra nubem fulgidam, quæ erit velut ſolium ſuæ majeſtatis: *H.c venturus eſt rurſus ſuper nubes cœli, talis, qualis & aſcendit*; 3. In aſcenſu defertur in cælum elevatis manibus, ut Cœlicolis gloriæ incrementum, & terrigenis gratiæ largiatur beneficium: in ultimo judicio levabit manus, ad bonos præmiandos, & malos puniendos: 4. In aſcenſu ſtipatur, & pluribus hominibus ſanctis, & innumerabilibus Angelis: in deſcenſu ſtipabitur, & animabus ſanctis, & beatis ſpiritibus, voluntatis ſuæ miniſtris. 5. In aſcenſu manifeſtavit centum viginti diſcipulis maje-Lib. adv. Iud. 11. ſtatis ſuæ gloriam: in judicio ejus majeſtas videbitur à cunctis hominibus, Tert. l. ad Spect. 30. dæmonibus & Angelis. Omnibus apparebit ſed diverſimode, *aliis ferus ut judex, aliis manſuetus ut Salvator*: Electos conſolatione, lętitia, & fœlicitate prę-Tert. miabit. *Quæ illa exultatio Angelorum? quæ gloria reſurgentium Sanctorum? quale regnum exinde juſtorum? qualis civitas nova Hieruſalem?* Præſcitos vero timore, triſtitia & pœna afficiet. *Quid admirer, tot ſpectans reges, qui in cœlum recepti nuntiabantur cum ipſo Iove & ipſis ſuis teſtibus in imis tenebris congemiſcentes? Item præſides, perſecutores dominici nominis ſævioribus, quam ipſi contra Chriſtianos ſævierunt, flammis inſultantibus liqueſcentes? Præterea ſapientes illos Philoſophos coram Diſcipulis ſuis, una conflagrantibus erubeſcentes, quibus ad Deum nihil pertinere ſuadebant, quibus animas nullas affirmabant; etiam poëtas, non ad Rhadamanti, nec ab Minois, ſed ad inopinati Chriſti tribunal palpitantes? Tunc magis tragœdi audiendi, magis ſcilicet vocales in ſua propria calamitate tunc hiſtriones cognoſcendi ſolutiores multo per ignem: tunc ſpectandus auriga, in flammea rota totus ruber: tunc Xyſtici contemplandi: non in gymnaſiis, ſed in igne jaculati.* Tunc ingrati Judæi *qui in Dominum deſævierunt* perverſitatis ſuæ luentes pœnas: Tert. tunc tot ſceleroſi Chriſtiani, qui probroſas ſectantur voluptates, jugis ignis patientur ardores. Tunc qui Comœdias & Tragœdias captant, qui ſuperba palatia ædificant, qui gaudii & lætitiæ ſpectacula excogitant, confundentur. *Etenim ſuperſunt alia ſpectacula, ille ultimus & perpetuus judicii dies, ille nationibus inſperatus, ille deriſus, cum tanta ſæculi vetuſtas, & tot ejus nativitates, uno igne haurientur.*

Aſcenſus & deſcenſus ſolis varios ſuper terram producunt effectus: Dum aſcendit ſol, terram fœcundat, ſegetes ad maturitatem perducit: cùm vero deſcendit, jam matura ſunt frumenta, tempus eſt ut colligantur & in area terantur. Hoc idem in nobis Sol juſtitiæ operatur, nam aſcendens gratiarum ſuarum diffundit dona, beneficiis nos cumulat, ut virtutis feramus fruges. *Si*

Si audiſti apud Amos, Qui aſcenſum ſuum ædificat in cœlos, & profuſionem ſuam fundat in terras. Si iſto tempore in quo nobis offertur fœcunditas, ſteriles ſumus: ſi pauperes ſumus nunc, ubi cœleſtibus poſſumus ditari gazis: ſi modo nullum de Chriſti ſanguine fructum percipimus, ſed inſolenter illum pedibus calcamus, timendum nobis eſt ne manſuetus ille Redemptor, mititatem in judicis iram & ſeveritatem convertat. Quanto Joab erga Abſalon benevolum ſe demonſtravit, reconciliando filium illum ingratum cum Patre illius David, tantam oſtentavit animadverſionem adverſus rebellem illum filium armatum, ut ſuo afferret parenti necem. En ſpecimen indignationis Chriſti erga ingratos & ſceleroſos homines. Quanto majora dedit eis benevolentiæ ſigna, tãto majora dabit odii indicia. Chriſtiani vultis Chriſti experiri, non odiũ ſed amorem, non iram ſed manſuetudinẽ? Vacate bonis operibus, ad quod ipſemet vos ſtimulat: *Negotiamini dũ venio.* Studete virtutibus, ad imitationem Domini, cujꝰ humilitas eſt exaltata. Tertull. Scorp. 10. Luc. 19.

Sublimes humilitate, humiles ſublimitate mutantur, ut patet in Chriſto Domino, cujus ſublimitas fuit conformis & proportionata ejus humilitati: Utriuſque tres ſunt gradus. Nam 1. à cœlo deſcendit ad terram, & terram ſublimat in cœlum: 2. Dejicitur infra Angelos & ſublimatur ſupra Angelos: 3. Humiliatur ſub Patris imperio, & ad Patris ſublimatur ſolium. II. PARS. Tert. Apol. 20.

1. Caro perſæpe nuncupatur terra, ſicut ſpiritus cœlum. *Ex interpretatione enim figurata carnis & ſpiritus nos ſumus cœlum & terra*; In humanatione autem Dei filius deſcendit ad terram dum *in utero Virginis caro figuratus, naſcitur homo Deo miſtus.* Et quamvis Chriſti humanitas ſit ex corpore & anima compoſita, dilectus tamen Diſcipulus ad commendandam Filii Dei humilitatem, non animam, ſed carnem factum prædicat. *Scriptura ut Chriſti humilitatem magis oſtenderet, carnem pro homine poſuit.* Magna ſane Verbi humilitas, aſſumpſiſſe carnem: nec minor ſublimitas: nam caro terrena in cœlũ aſcendit. Quod cum ſtupore magnus contemplatur Gregorius. *Illa natura cui dictum eſt, Terra es & in terram ibis, & in cælum ibit*; quod ſane prodigium ſapere videtur. *Hodie novum plane & peregrinum ſpectaculum mundo oſtendit, carnem noſtram ſupra ſolium regium erectã.* Tale ac tantum eſt illud miraculum, ut & naturæ ſuperet vires, & rationis excedat lucẽ. Aſcensꝰ eſt propriꝰ igni, qui ſemper ſurſũ ad ſphærã ſuam fertur, deſcenſus ad terrã pertinet quæ deorsũ vergit verſus ſuũ centrũ. In incarnatione ignis deſcendit: *Ignẽ veni mittere in terram.* At in Aſcenſione terra gravida ſurſum fertur, quaſi levitas ſit illi connaturalis. Terra ignobilius elementum ſupra cætera elementa elevatur, terra, quæ imũ in mũdo occupat locũ ſupra cœlos collocatur. *Chriſtus terram levavit in cœlũ: recepit ſe intra velamina divina cum carne majeſtas, ſub pedibus Chriſti famulantia æthera jacuerunt:* Apoſtolus ex Chriſti deſcẽſu, ejus colligit aſcenſum. Talis ac tanta eſt ejus elevatio, qualis ac quanta ejus dejectio. *Qui deſcendit in inferiores partes terræ, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos.* Tert. l. de Orat. 4. Tert. Apol. 21. D. Aug. Ep. 20. ad Honor. D. Epiph. Serm. de Aſcenſ. Luc. D. Aug. Ser. 3. de Aſcenſ. Epheſ. 4.

Tert.l.adv Prax. 10. cœlos. Eſt proportio inter ejus humilitatem, & ſublimitatem. *Filius aſcendit in ſuperiora cœlorum, qui & deſcendit in inferiora terræ.* Humilitatis & ſublimitatis termini ſunt diverſi. Terminus à quo humilitatis, eſt ſummum cœlum; terminus ad quem, terra; At è converſo terminus à quo ſublimitatis, Pſ. 56. eſt terra: terminus ad quem, ſummum cœlum. *Exaltare ſuper cœlos Deus*, ſeu ut habet Chaldaica lectio, *exaltare ſuper Angelos cœlorum*: nam Chriſtus infra Angelos dejectus, ſupra Angelos extollitur.

Tert. l. de Car. Ch. 14. 2. Dei filius eſt *infra Angelos diminutus dum homo fit*; licet enim in natura divina infinite ſuperet Angelos, in humanitate tamen inferior eſt Angelis: & ut ait D. Bernardus, *etſi præeat majeſtate, tamen humilitate ſuccumbit.* Illa Chriſti humilitas infra Angelos, ſublimavit eum ſupra Angelos: Æternus namq; Ser. 21. in Cant. Pater *minoravit Filium modico citra Angelos ad terram dimittendo: gloria tamen & honore coronaturus eũ, in cœlos reſumendo.* Quod hodierna feſtivitate adim-Ter. l. adv Prax. 27. Tert. l. de Cor. Mil. 14 Epheſ. 1. pletum eſt, nam in Aſcenſione ſua Chriſtus ſupra Seraphinos omnes ſublimatus, *& minoratus primo à Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus.* Filii humilitas eſt à Patre exaltata, & dejectus infra Angelos Chriſtus, eſt *conſtitutus in cœleſtibus ſupra omnem Principatum & poteſtatem, Virtutem & Dominationem.* Et hujuſmodi exaltatio eſt Chriſto glorioſa, glo-D. Bern. Serm. de Aſcenſ. D. Aug. Serm. de Aſcenſ. rioſa Deiparæ, & cunctis glorioſa hominibus. Glorioſa hominibus: fratres enim fraterni ſunt honoris participes. Chriſtus autem eſt hominum frater, & conſequenter *feſtivitas iſta glorioſa eſt hominibus.* Glorioſa Mariæ, quæ Chriſto dedit carnem ſupra Angelos ſublimatam. *Ipſe & idem cœlos aſcendit, carnem quam de Matre ſuſcepit, ſuper aſtra tranſvexit, honorans omnem humanam naturam, multo magis maternam.* Tandem glorioſa Chriſto, qui ſupra omnes Angelorum ordines ſublimatus ſedet ad dexteram Patris.

Ter. l adv. Prax. 7. Hom. 4. ſup. Miſſ. 3. *Filius in effigie Dei conſtitutus, non rapinam exiſtimavit eſſe ſe æqualem Deo*, quia ut profunde ratiocinatur D. Bernardus: (Altiſſimus enim Deus Pater, quamvis omnipotens ſit, non potuit tamen vel æqualem condere creaturam, vel inæqualem gignere filium. Fecit itaque Angelum magnum, ſed non quantus ipſe, & ideo nec altiſſimus; ſolum autem Unigenitũ quem non fecit ſed genuit, omnipotens omnipotentem, altiſſimus altiſſimũ, æternus æternũ, ipſum ſibi per omnia comparari, nec rapinam ęſtimari per injuriam.) At filius ille per omnia æqualis Patri, humanatur, fitque minor Patre, & ejus Philipp. 2. D. Aug. diſceptat. cont. Paſcent. ſubſtratur imperio. In humanato Verbo duplicem diſtinguit Apoſtolus formam. Formam ſcilicet Dei & formam ſervi. In forma Dei Filius eſt æqualis Patri: *Qui formam implet Dei, nihil habet minus Deo.* In forma ſervi minor eſt Patre: *Minor in natura hominis.* Humilitate Filii Dei nihil humilius, nam D. Amb. l. 2. de Fid. 4. D. Aug. Ep. 120. cum æqualem cum Patre habet naturam, æqualia attributa, *tametſi ejuſdem erat cum Deo Patre natura particeps, ejuſdem denique majeſtatis & divinitatis conſors, abjectam tamen humanæ naturæ ſocietatem & conjunctionem non exhorruit, ſed exinanivit ipſe ſe, quando eſt maxima humilitatis exemplum.* Quo major fuit Filii Dei dejectio, eo major ejus exaltatio; iiſdem aſcendit

aſcendit quibus deſcendit gradibus, & ſicut in incarnatione ab æqualitate deſcendit ad minoritatem; *ſic aſcendit à minoritate ad æqualitatem in Aſcenſione.* Pater Filii remuneravit humilitatem, & quia ſe illius imperio ſubdiderat, in ejus dextera collocatur in cœlo, ubi *ad Patris dexteram præſidet Chriſtus.* Gloſſ. Tert. Scorp. 10.

Inde ſumunt anſam impii, admittendi inæqualitatem inter divinas perſonas. Nam ſi Pater præbet dexteram Filio, eſt major Filio. Qui enim dat, major eſt eo qui recipit: dare ſiquidem, abundantiam & opulentiam denotat: recipere vero innuit egeſtatem & pauperiem. Verum dato quod Pater det abſque prælatione, & Filius recipiat abſque inopia & dedecore; Filius digniorem occupat locum quàm Pater. Nam ſi Filius ſedet ad dexteram Patris, Pater neceſſario ſedet ad Filii ſiniſtram, dextera autem eſt ſiniſtra nobilior. Tantam inſolentiam ferre non valens D. Ambroſius ſic fatur: *Attende oculos, intuere qui ſedeat, cum quo ſedeat, ubi ſedeat: Sedet ergo ad dexteram Patris Filius: dic nunc qui de ſæcularibus arbitraris æſtimanda divina, num tibi videtur inferior qui ad dexteram ſedet? num injuria Patris, qui ad ſiniſtram ſedet? Pater honorat, & tu injuriam putas.* Dextera vel ſiniſtra proprie non reperitur in Deo qui eſt purus ſpiritus. *Ordo ibi divinus eſt, non humanus: Sic à dextris ſedet Filius, ut Pater non ſedeat à ſiniſtris* Scriptura Filium ad dexteram Patris collocans metaphora utitur, ſeſe intellectui noſtro accommodat, qui res ſpirituales nonniſi ex materialibus concipit, & hic loquendi modus mire denotat & æqualitatem, quam habet cum Patre Chriſtus, in quantum Deus, & eminentiam gloriæ ad quam ſublimatur in quantum homo; quæ tanta eſt ut intellectus humani aciem ſuperet. L. 2. de Fid. 4. Chryſol. Ser. 58.

Vidiſti, Chriſtiane, Chriſti humilitatem & ſublimitatem, deſcenſum & aſcenſum. Verùm, *ſuo nobis deſcenſu ſuavem ac ſalutarem conſecravit aſcenſum.* Ut enim addit Bernardus, *ab ipſo demonſtranda nobis aſcenſionis via, ne ductoris, imo ſeductoris iniqui, aut veſtigium, aut conſilium ſequeremur.* Duo tibi, Chriſtiane, proponuntur exempla, Unum aſcenſionis iniquæ quæ producit deſcenſum: aliud pii deſcenſus, quem ſequitur aſcenſus. Lucifer inſolenter aſcendere voluit, & cecidit: conſilium ſeductoris illius audivit protoparens & corruit: exemplum perverſi illius ductoris ſequuntur ſuperbi, & eum imitantur in deſcenſu ſicut in aſcenſu. *Aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos.* Aliud exemplum eſt deſcenſus, qui aſcenſu coronatur. Chriſtus deſcendit primo & poſtea aſcendit: ſi vis aſcendere deſcende: *Scito & aſcenſum illum exinde complanatum veſtigiis Domini, & introitum inde reſeratum veſtigiis Chriſti*, qui aſcendit in cœlum, ut ſuam conſummaret dilectionem. D. Bern. Ser. de Aſc. Tert. Scorp. 10.

Sublimatus in conſummationem Chriſtus Dominus, cujus dilectio conſummatur: 1. aperiens cœlum hominibus: 2. in cœlis orans pro hominibus: 3. de cœlo largiens dona hominibus. III. PARS. Tert. lib. adv. Iud. 14.

1. Magna ſane erga homines Chriſti dilectio, *qui aſcenſum ædificat in* Tert. l. 5. adv. Marc. 15.

cælis utique ſibi & ſuis. Ante Chriſti aſcenſionem reſeratum erat cælum, & animæ Patriarcharum, Prophetarum, & Juſtorum veteris Teſtamenti, expectabant in ſinu Abrahæ fœlicem illum diem, quo Redemptor triumphans paradiſi aperuit portas. Animæ criminoſæ & innocuæ diverſis detinebantur in locis. Criminoſæ in inferno, innocuæ in Abrahæ ſinu, *Hoc mihi diſſeruiſſe* Tert. libr. 4. adv. Marc. 34. *proficiet, etiam ſubſequens argumentum divitis apud inferos dolentis, & pauperis in ſinu Abrahæ requieſcentis.* Trinum locum diſtinguit Tert. Infernum, Abrahæ ſinum, & cœleſtem portum. In inferno torquentur reprobi, in ſinu Abrahæ ante aſcenſum Domini, expectant juſti: in cœleſti portu poſt Chriſti aſcenſum præmiantur electi. *Unde apparet ſapienti cuique, qui aliquando Elyſios audierit, eſſe aliqualem localem determinationem, quæ ſinus dicta ſit Abrahæ, ad recipiendas animas filiorum ejus. Eam itaque regionem, ſinum dico Abrahæ, etſi non cæleſtem, ſublimiorem tamen inferis, interim refrigerium animabus juſtorum.* Multiplex eſt diſcrimen; ſed præſertim trinum, inter infernum & ſinum Abrahæ. *Aliud enim inferi, aliud quoque Abrahæ ſinus. Nam & magnum ait intercedere regiones iſtas profundum, & tranſitum utrimque prohibere: ſed nec elevaſſet dives oculos, & quidem de longinquo, niſi in ſuperiora, & de altitudinis longinquo, per immenſam illam diſtantiam ſublimitatis & profunditatis.* 2. In inferno animæ reproborum cruciantur, in ſinu autem Abrahæ animæ juſtorum refrigerantur. Quod declarat Scriptura in divite ſceleroſo & paupere Lazaro, inſuper mentionem faciens *Ioannis male tractati, & Herodis male maritati, utriuſq; exitum deformans, Herodis tormenta & Ioannis refrigeria.* 3. Animæ criminoſæ nūquā ingredientur cœlum, ſed per totam æternitatem ab eo exulabunt: Animæ vero juſtæ ingredientur cœlum & interminabili fœlicitate potientur: *Ad quam aſcenſum ſuum Chriſtus ædificat in cælum, ſecundum Amos, utique ſuis, ubi eſt & locus æternus.* Quanta Chriſti dilectio, qui, ut fatur Tertullianus, *poſt conſummationem rerum*, ſcilicet poſt conſummatum per paſſionem ſuam, humanæ Redemptionis opus, cœlum aperit, & ſibi & ſuis, animabus ſcilicet juſtis, quas ſecum conducit ad gloriam! Chriſtianus, Patriarchis, & Prophetis, & Juſtis veteris Teſtamenti longe fœlicior. His enim ante Chriſti aſcenſum non patebat cœlum; poſt Salvatoris autem aſcenſionem *Chriſtiano ante patet* Tert. Scorp. 10. *cælum quam via, quia nulla via in cælum niſi cui patet cælum: quod qui attigerit, intrabit.* Chriſti erga Chriſtianos conſummata dilectio, in tribus maxime fulget: 1. Quod eis aperuerit cœlum & nomine ſuo, & nomine Chriſtianorum, qui ſunt ejus membra, cœli ſumpſerit poſſeſſionem: 2. Quod eis aſcendendi in cœlum viam demonſtraverit. *Quis annuntiabit locum æter-* Tert. l. 4. adv. Marc. 34. *num: niſi Chriſtus incedens in juſtitia, loquens viam rectam, odio habens injuſtitiam & iniquitatem?* 3. Quod in cœlo pro eis orans & interpellans apud Patrem ſit.

Tert. l. de Præſ. hær. 51. 2. *Chriſtus pro hominibus deprecator, & advocatus ipſorum factus.* Trinum munus pro nobis obit in cœlo Chriſtus; deprecatoris ſcilicet, pontifi-

tificis, & advocati: 1. Deprecatoris: quod apertis terminis aſſeverat Apoſtolus: *Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, imo qui reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*; Ne quis dicat Chriſtum mortuum quidem eſſe pro nobis, ſed poſt mortem nihil amplius egiſſe pro nobis; occurrit Paulus aſſeverans etiam poſt mortem nobis prodeſſe, nam & reſurrexit in exemplar reſurrectionis noſtræ, & aſcendit in cœlum, ut nobis cœlum aperiret, & vitã eundi in cœlum demonſtraret: & in cœlo exiſtens adhuc interpellat pro nobis. Quod ipſemet affirmat Dominus: *Ego ad Patrem vado, & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Quid eſt enim rogare, interpellare, niſi petere, intercedere, deprecari, obſecrare? In Cœlo autem Chriſtus eſt *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Ubi Gregorius Magnus: *Quotidie orat Chriſtus pro Eccleſia, de quo teſtatur Apoſtolus: quia ſedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis.* Proprie igitur orat in cœlo Chriſtus qua homo & creatura; ſi enim Deo ac Domino ſuo debitum religionis cultum exhibet, adorando, laudando, gratias agendo, cur non pro nobis interpellando? Chriſtus pro nobis oravit in terra, & nunc deprecatur in cœlo; cum hoc tamen diſcrimine, quòd in vita oravit Patrem anxius, ſollicitus, cum lachrimis; nunc vero lætiſſimus, liberrimus, beatiſſimus; omnis enim anxietas, & triſtitia eſt ab oratione Chriſti glorificati removenda. 2. Oratio quam fecit Chriſtus in hac vita, fuit meritoria & impetratoria: & quia in terra ſuum meritum conſummavit, ac proinde, nihil reſtat merendum ac impetrandum, orando in cœlo neque meretur amplius, neque impetrat; ſed poſcit & exigit à Deo jus ſuis meritis debitum, & præmium jam à Patre impetratum, ſcilicet gratiam & gloriam, eaque quæ ad ſalutem noſtram conducunt: Omnia illa ſua morte promerita ſibique à Patre promiſſa, reipſa nobis dari, erogari & applicari expoſtulat. 2. Munus obit ſacerdotis. Duplex eſt ſacerdotale munus: unum eſt ſacrificare, aliud eſt orare, utrumq; munus pro hominibus in hac vita præſtitit Chriſtus: nam & obtulit ſacrificium cruentum crucis, & adhuc pro nobis deprecatus eſt Patrem, in cœlo autem pro nobis præſtat ſacerdotis officium; non ſacrificando, quia non eſt amplius paſſibilis; ſed interpellando: Quod belle declarat Tertullianus: *Ieſus Chriſtus Dei Patris ſummus ſacerdos, qui primo adventu ſuo humana forma & paſſibili venit in humilitate uſque ad paſſionem; ipſe etiam effectus hoſtia, per omnia, pro omnibus nobis, qui poſt reſurrectionem ſuam indutus podere, ſacerdos in æternum Dei Patris nuncupatus eſt.* Alii Sancti, etiã ii qui in hac vita fuerunt ſacerdotes: in cœlo pro nobis orant, non tanquã ſacerdotes: (non enim fungũtur in cœlis ſacerdotio;) ſed tanquam privati ſancti & amici Dei. Hoc propriũ eſt Chriſti, ut tanquam Pontifex pro nobis oret: *& appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Tandem 3. advocati pro nobis munere fungitur in cœlo Chriſtus, ut ait dubius Tertullian. *Advocationis implens officia, & defenſionis exhibens munera.* In rebus ſive civilibus ſive criminalibus, ſapientiores quique & eloquentiores eliguntur patroni Cauſæ ſuæ quantumvis

Rom. 8. | Ioan. 14. | Heb. 7. | In Pſal. 5. Pœnit. | L. adv. Iud. 14. | Hebr. 9. | L. de Trin.

iniquæ, quantumvis gravi, etiam capitali, non diffidebat qui Demoſthenem vel Ciceronem poterat nanciſci patronum, quia ſua eloquentia quocunque volebant, flectebant Judices: *Advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum juſtum*. multo longè ſapientiorem Demoſthene, eloquentiorem Tullio, & quovis patrono pro nobis longe ſollicitiorẽ. Ubi D. Auguſtinus: *Ibi habes advocatum, noli timere, ut perdas cauſam confeßionis tuæ; ſi enim in hac vita committit ſe homo diſerta lingua & non timet, committis te Verbo & periturus es? Clama, advocatum habemus apud Patrem, qui tot ora habet quot vulnera quibus cauſa noſtra patrocinetur.* Quomodo interpretative dicitur orare, Patri oſtentans cicatrices vulnerum quibus meruit, & hæc eſt una ex rationibus cur poſt reſurrectionem plagarum cicatrices ſervavit Dominus; *ut Patri pro nobis ſupplicans, quale genus mortis pro homine pertulit, ſemper oſtendat.* Marcus Antonius Orator romanus, cauſam Aquilei cujuſdam qui de capite periclitabatur, apud Senatum perorans, aperto illius ſago multis telis confoſſo, ſanguine cõſperſo ac teſtante vulnera, quæ acceperat pro patria, magis ad clementiam hoc ſpectaculo Judices, quam ſua eloquentia commovit. Chriſtus cœlum ingreſſus ut appareat vultui Dei pro nobis, *utque reſervata in corpore plaga ſalutis humanæ à Patre exigant pretium, & obedientia donativum.* Quod ſi veſtis ſciſſa & ſanguine conſperſa movit ad clementiam Judices, quanto magis caro vulneribus dilacerata, ut conſtat ex illo milite, qui de proditione accuſatus, & ut proditor condemnatus, acceſſit ad Senatum, cui Julius præſidebat Cæſar: aperienſque pectus ſuum plagis dilaniatum; En Cæſar cicatrices vulnerum, quæ pro tua gloria militans paſſus ſum: tali ſpectaculo commotus Imperator eum à crimine abſolvit. Stat innocens Chriſtus ante Patrem, cui oſtentat plagarum cicatrices ut ejus iracundiam emolliat, nobiſque benignum & miſericordem præſtet: Ideo *ſervavit ſigna mortis, ut ſua morte redemptis, quam miſericorditer ſint adjuti propoſitis ſemper ejuſdem mortis renovet indiciis.* Sic orat Chriſtus in cœlo pro hominibus, & ut ſuam adhuc conſummet dilectionem, de cœlo largitur dona hominibus.

[1. Ioan. 2. — D. Tho 3. p. q. 54. A. 4. — D. Cyp. ibid. 3. de Bapt. — D. Cyp. ibid.]

3. Filius ſublimatus in cœlum, *acceptum à Patre munus effudit Spiritum ſanctum.* Chriſtus mittens de cœlo Spiritum ſanctum demonſtrat tum ſuam divinitatem, tum conſummatam erga homines dilectionem. Divinitatem, quia Spiritus ſanctus cum ſit Deus, neque produci, neque mitti poteſt niſi à Deo. Dilectionem, largiens eis Spiritum ſanctum, ut eos ſuis donis & gratiis cumulet. *Gratum quoddam commercium inter cœlum & terram extitit celebratum; ut Angelis daretur caro Chriſti, hominibus conſolatio Spiritus ſancti.* Chriſti caro datur Angelis, ut eos lætificet, Spiritus ſanctus datur hominibus ut cœleſtibus eos gazis ditet. Ut autem animadvertit Tertullianus, dum Chriſtus miſit Spiritum ſanctum, & dum Spiritus ſanctus ſua nobis largitur dona, *compenſatione res acta eſt, lucrati ſumus multa, ut aliqua præſtemus.* Nam Spiritus ſanctus nobis

[Tert. lib. adv. Prax. 30. — D. Bern. Serm. 3. de Aſcenſ. — Tert. l. 5. adv. Marc 12.]

nobis donavit habitus Fidei, Spei & charitatis, gratiam habitualem & actualem offert, ut virtutis feramus opera: *Porro munera Dei damno ſunt poſſeſſoribus otioſis, quibus nolle negotiari ad lucrum, probe negotiatur ad ſupplicium.* De gratiis ab Spiritu ſancto acceptis reddenda erit ratio: otioſi qui nullum de eis reportarunt fructum, acerrime punientur; qui vero cum eis bene negotiati ſunt, abunde præmiabuntur, & interminabili fruentur gloria.

Hildep. Ep. 15.

DEUS.

SCHOLIUM.

Divina 1: exiſtentia comprobanda: 2. Majeſtas adoranda: 3. Auctoritas obſervanda: 4. Providentia vindicanda: 5. Trinitas explananda: 6. Proceſſio Spiritus ſancti declaranda.

CONCIO PRIMA.

Tert. lib. ad Scap. 2.

Tert. lib. 2. adv. Marc. 2.

N*OS unum Deum colimus, quem omnes naturaliter noſtis, ad cujus fulgura & tonitrua contremiſcitis, ad cujus beneficia gaudetis.* Quantumvis Dei exiſtentia hominibus ratione utentibus evidenter pateat; *at nunc negotium patitur Deus omnipotens, Dominus & conditor univerſitatis; ideo tantum opinor, quia à primordio notus eſt, quia nunquam latuit, quia ſemper illuxit,* Nam athæi & politici ejus exiſtentiam negant, idiotæ & deſidioſi eam ignorant; Platonici eam indemonſtrabilem *neque inveniri facilem* affirmant. Verum Dei exiſtentia, 1. impie & irrationabiliter negatur: 2. culpabiliter ignoratur: 3. inconteſtabiliter probatur.

Tert: Apol. 46.

1. PARS. Tert. lib. 2. adv. Marc. 11. Pſ. 13.

Tantis operibus notitiam ſui armavit Deus, ut ejus exiſtentiam aperte negare non audeat impius, quem ideo inſipientem nuncupat Regius Vates, quia Dei exiſtentiam in aperto poſitam, negat in corde ſuo. *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.* Neque inſipiens duntaxat Dei exiſtentiam negat; ſed multi etiam ſapientes Philoſophi, & ſagaces politici eam hac tempeſtate, vel ridēt & inſectantur, vel ſaltem in dubium revocant; Licet (cognitio exiſtentis Dei naturaliter ſit nobis impreſſa: tamen in tantum invaluit pernitioſa hominum malitia, ut dicant non eſſe Deum, non quidem exterius, ne ab omnibus creaturis, falſitatis ac impietatis arguerentur, ſed interius & in corde ſuo.) In corde ſuo atheiſmum concipiunt, nec audent tamen verbo proferre, ne impietatis pœnas luant:) Nec enim ipſi ſacrilegi, & deteſtandi quidam Philoſophi, qui perverſa & falſa de Deo ſentiunt, auſi ſunt dicere, Non eſt Deus.

D. Damaſc. l. 1. de Fid. Orthod. 3.

D. Aug. in Pſ. 13.

Ideo

Ideo ergo dicit, *in corde ſuo*, quia nemo hoc audet dicere, etiam ſi auſus fuerit cogitare:) Neque rationaliter id poteſt cogitare, ut animadvertit D. Anſelmus: (Deus enim eſt id quo majus excogitari non poteſt, quod qui bene intelligit, utique intelligit idipſum ſic eſſe, ut nec cogitatione queat non eſſe; qui ergo ſic intelligit eſſe Deum, nequit eum non eſſe cogitare.) Verum quia hoc ſeculo adeo incremẽtata eſt iniquitas, ut & atheiſmus mente & cogitatione concipiatur, & exterius verbo & ſermone propaletur, hæc impietas redarguenda eſt ex 1. unanimi hominum confeſſione: 2. pulchra mundi fabricatione: 3. virtutis remuneratione. In Proſol. c. 4.

1. *Deum ex ſtimo ubique notum, ubique præſentem, ubique dominantem, omnibus colendum, omnibus nominandum.* Nulla eſt gens adeo barbara & rudis, quæ aliqualem Dei non habeat notitiam: Ut enim ait D. Hieronymus, *Perſa, Gothus, Ægyptius, Turca, ipſum agnoſcunt, Beſſorum feritas, & pellitorum turba populorum, ſtridorem ſuum in dulce nominis ejus fregerunt melos: & totius mundi una vox, Deus eſt.* Licet enim ſinguli homines evidentem de Dei exiſtentia non habeant notitiam; aliqualem tamen, ſaltem confuſam, habent de Deo cognitionem: Quivis homo *Deum recognoſcit, quem illi natura commiſit; quem quotidie in operibus omnibus ſentit, hoc ſolo nomine minus notum quod unicum non putavit, quod in numero nominavit, quod in aliis adoravit.* Quod ut certum aſſeverat Romanæ eloquentiæ princeps. *De hominibus nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam ferrea, qua non etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat.* Quomodo D. Hieronymus iſtud Jobi intelligit, (Omnes homines vident eum, hoc eſt par naturæ bonum. Notitia creatoris ineſt cordibus, & quamvis aliquis tam pravus ſit ac frigidus, ut alienus eſſe ſtudeat à creatore ſuo, nullus tamen eſt qui ſe abſcondat à calore ejus. Hæc opinio de Dei exiſtentia ita omnium hominum inhæſit mentibus, ut Athenienſes cujuſdam Pithagoræ combuſſerint librum qui in principio continebat, *An Deus ſit.*) Cantabrigienſis Academiæ fundator cum olim illac tranſiret, audiſſetque diſputantes Theologos *an Deus ſit*, pœnituit illum fundatæ talis Academiæ, in qua de veritate adeo conſpicua ita dubitabatur. Nec minori æſtuant zelo cuncti homines rationis compotes, ægrè ferentes atheiſtarum impietatem *adverſus Deum mundi naturaliter notum.* Quod profundè, quamvis longiuſcule demonſtrat Tertullianus, oſtentans ante legem Moyſis populo Iſraelitico datam, ante litterarum uſum, populos etiam barbaros Dei habuiſſe notitiam. *Hinc itaque conſtantiſſime dirigam, Deum non eſſe qui ſit hodie incertus, quia retro ignotus: quando quem conſtat eſſe, ex hoc ipſo conſtat, quod nunquam fuerit ignotus, ideo nec incertus. Siquidem à primordio rerum, conditor earum cum ipſis pariter compertus; ipſis ad hoc prolatis, ut Deus cognoſceretur. Nec enim ſi aliquanto poſterior Moyſes primus videtur in templo litterarum ſuarum Deum mundi dedicaſſe, idcirco à Pentateucho natales agnitionis ſupputabuntur, cum totus Moyſis ſtylus notitiam creatoris non inſti-*

Marginal notes: Tert. lib. 1. ad Nat. 8. — Ep. 3. ad Napotid. — Tert. lib. adv. Val. 3. — L. 1. de Leg. — Cap. 36. — Le Prieur, in lib. de Reſur. 3. — Tert. lib. de Reſ. — Lib. 1. adv. Marc. 10.

inſtituat, ſed à primordio enarret; à paradiſo & Adam, non ab Ægypto & Moyſe recenſendam. Denique major popularitas generis humani, ne nominis quidem Moyſis compotes, nedũ inſtrumenti, Deũ Moyſis tamen norunt; etiam tantam idololatria dominationem obumbrante, ſeorſum tamen illum quaſi proprio nomine Deũ perhibent, & Deum deorum, & ſi Deus dederit, & quod Deo placet, & Deo commendo. Vide an noverint, quẽ omnia poſſe teſtantur: Nec hoc ullis Moyſis libris debent: antè anima quã prophetia. Anima enim à primordio conſcientia Dei dos eſt: eadem nec alia, & in Ægyptiis & in Siris, & in Ponticis, Iudæorum enim Deum, dicunt anima Deũ. Plura notatu digniſſima dicit Tertullianus, quibus oſtentat inditam eſſe cunctis hominibus naturalem aliquam Dei notitiam. Et meritò; nam cùm Deus ſit objectũ ſupremi cultus, natura Dei notitiam ſingulis indidit hominibus quibus ejus cultum & obſervantiam indidit; non enim poſſet coli, niſi eſſe prius conſtiterit: deinde Dei notitiam mutuandam ex mundi pulchritudine demonſtrat.

Tert. lib. 1. adv. Marc. 13. Tert. l. 1. adv. Marc. 11. Lact. Fir. l. 1. c. 5.

2. *Digna Deo probabunt Deum*, Ut autem alìorſum docet Tertullianus *grande opus & dignum Deo mundus*; qui ſui Authoris notitiam ingenerat: (Quis niſi totaliter cæcus & ratione privatus, hanc vaſtiſſimam molem, tot cælis, tot elementis, totque aliis corporibus compaginatam, ab aliquo præſtantiſſimo & divino opifice conſtructam non judicet? qui terram ſtabili firmitate ſuſpẽdit, qui cœlum diſtinxit aſtris fulgentibus, qui ſolem rebus humanis clariſſimum ac ſingulare lumen in argumentum ſuæ unicæ majeſtatis accendit:) Nam ut ſapienter philoſophatur Triſmegiſtus: (cum ſtatuam abſque fabro & pictore fieri nullus aſſerere audeat, miram hujus mundi conſtitutionem ſine conditore conſtitiſſe putabimus?) Hoc argumentum ab inductione fulcit D. Chryſoſtomus: (Non eſt fundamentum, ergo quomodo ſtat ædificium? nõ eſt ædificator, quomodo domus facta eſt? non eſt architectus, & quis urbem condidit? non eſt muſicus, & quomodo in mundi lira apparet concentus?) Non eſt Deus, & quomodo productus eſt mũdus ex tot diverſis creaturis coadunatus? qui (ante ſacras litteras in teſtimonium Domino deſervivit:) Non eſt omittendus Minutius Fœlix qui ſic eloquenter fatur: (Quid poteſt eſſe tã apertum, tam confeſſum, tamque perſpicuum, cum oculos in cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra citraque luſtraveris, quam eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipſum vide quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem aſtris diſtinguitur, vel quod in diem Sole luſtratur; jam ſcies quod ſit in eo ſummi moderatoris mira & divina libratio. Quid cum ordõ temporum & frugum ſtabili varietate diſtinguitur, nonne authorem ſuum parentemque teſtatur? Ver æque cum ſuis floribus, & æſtas cum ſuis meſſibus, & autumni maturitas grata, & hiberna olivitas neceſſaria, qui ordo facile turbaretur, niſi maxima ratione conſiſteret. Jam providentiæ quantæ eſt, ne hiems ſola glacie ureret, ut ſola æſtas ardore torreret, autumni & veris inſerere medium temperamentum?) Apta mundi diſpoſitio, regularis

In Pim. — In Pſ. 15. — D. Proſper. l. 2. de Vocat. Gent. 1. — In Oct.

cælorum motus, continua temporum viciſſitudo, evidenter oſtentant, mundum non fuiſſe fortitudo formatum, neque caſu gubernatum, ſed à ſupremo molitum artifice, ejus ſapientia moderatum. (Quis adeo rationis expers, ut hoc quo neq; formoſius quidquā, nec diſpoſitius, nec in propoſito conſtantius, exiſtimet fortuitum, & vaſu volubile, & non à ſuprema aliqua ratione ordinatum?) Profectò niſi ſupremus eſſet moderator, neq; mundus tam pulchre concinnaretur, neque in tanta varietate firmus & conſtans permaneret: (Mundus iſte ordinatiſſima ſua mutabilitate & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie, quodammodo tacitus & factum ſe eſſe, & nonniſi à Deo ineffabiliter pulchro fieri ſe potuiſſe, proclamat.) Senec. l. 1. Quæ. Nat. in Præfat. D. Aug. l. 11. de Civ. 4.

Triplex eſt via quâ ex mundo cognoſcitur Deus: ſcilicet relationis ſeu cauſalitatis, eminentiæ ſeu affirmationis; negationis ſeu remotionis. 1. Via relationis ſeu cauſalitatis, qua ab effectibus devenitur ad primam cauſam, à qua cuncta creata eſſentialiter dependent, & ex molitione mundi cognoſcitur *Deus naturæ auctor*. 2. Via eminentiæ ſeu affirmationis, Deo abſque ullo defectu omnes creatas tribuimus perfectiones, quia nulla eſt perfectio in effectu quæ in cauſa ejus æquivoca eminenter non contineatur; quomodo mūdus ſua pulchritudine Dei prædicat majeſtatem. *Quod colimus, Deus unus eſt, qui totam molem iſtam, cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, verbo quo juſſit, ratione qua diſpoſuit, virtute qua potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ: unde & Græci nomen mundo Koſmon accommodaverunt.* 3. Via negationis ſeu remotionis, defectus creaturarum removens à Deo, confitentes tantam eſſe ejus perfectionem, ut omnem humanam ſuperet cognitionem & exiſtimationem: *Inviſibilis eſt, etſi videatur: incomprehenſibilis eſt, etſi per gratiam repræſentetur: inæſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur: ideo verus & tantus eſt; hoc eſt quod Deum æſtimari facit, dum æſtimari non capit.* Licet Dei exiſtentia & perfectio in creaturis appareat tanquam in ſuis veſtigiis vel imaginibus; in ſua tamen natura eſt inviſibilis oculis corporis, quia eſt ſpiritualis: etſi ejus majeſtas in ſuis fulgeat effectibus, tamen comprehendi nequit, quia eſt infinita: & quantumvis æſtimetur ab hominibus Dei magnitudo, inæſtimabilis eſt, omnemque creatam ſuperat exiſtimationem. *Ceterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æſtimari poteſt, minus eſt & oculis quibus occupatur, & manibus quibus contaminatur, & ſenſibus quibus invenitur: quod vero immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt.* Deus à cunctis ſimul Beatis, hominibus & Angelis, neque comprehendi, neque tota ejus perfectio poteſt æſtimari; quia ut digne poſſit exiſtimari, & omnimode comprehendi, debet tanta eſſe perfectio in exiſtimante & comprehendente quanta in Deo: nulla autē creatura eſt infinite perfecta; ideoque nequit Deum æſtimare & comprehēdere quantum eſt comprehenſibilis & æſtimabilis: *& ita Deum vis magnitudinis & notum hominibus objicit & ignotum.* Notum & ignotum Beatis: Notum, quia clare eum vident: ignotum, quia eum non comprehendunt. Notum Tert. l. de An. 16. Tert. Apol. 17. Tert. ibid. Tert. Tert. Apol. 17.

& ignotum Chriſtianis viatoribus: Notum, quia per fidem eum cognoſcunt: ignotum quia ejus naturam intuitive non vident. Notum & ignotum ſingulis hominibus: ignotum, quia naturaliter perſonarum non agnoſcunt tri-
Tert. l. 4. adv. Marc. 45. nitatem: *Nemo ſcit, qui ſcit Pater niſi Filius, atque ita Chriſtus ignotum Deum prædicavit*: Notum, quia Dei exiſtentiam cognoſcunt ex virtutis etiam remuneratione.

Apol. 1. 3. A Romanis cauſas expoſtulat Tertullianus cur ex hominibus Deos efficiant. *In primis quidem neceſſe eſt concedatis eſſe aliquem ſublimiorem Deum & mancipem quemdam divinitatis, qui ex hominibus Deos fecerit. Nam neque ſibi illi potuiſſent ſumere divinitatem, quam non habebant, nec alius præſtare eam non habentibus, niſi qui proprie poſſidebat. Cæterum ſi nemo eſſet, qui deos faceret, fruſtra præſumitis deos factos auferendo factorem. Certe quidem ſi ipſi ſe facere potuiſſent, nunquam homines fuiſſent, poſſidentes ſcilicet melioris conditionis poteſtatem. Igitur ſi eſt qui faciat deos, revertor ad cauſas examinandas faciendorum ex hominibus deorum.* Hanc ſolvunt Romani difficultatem, *reſpondentes collationem divinitatis meritorum remunerandorum fuiſſe rationem.* Inde ad hominẽ arguit Tertullianus, & Dei qui merita remuneret colligit exiſtentiam: *Et hinc concedetis opinor, illum Deum deorum juſtitia præcellere, qui nec temere, nec indigne, nec prodige tantum præmium diſpenſarit.* Beati qui in cœlo regnant dii nuncupantur: Deus qui in medio deorum dijudicat, dedit illis fœlicitatem ſuis meritis commenſuratam. Magnus ille Deus juſtitiâ præcellens, ſicut bonos præ-
Apolog. 18 miat, ita improbos ſupplicio mulctat: quo utitur Tertullianus argumento, ut Dei unici demonſtret exiſtentiam; *Qui univerſa condiderit, qui hominem de humo exſtruxerit, qui ſæculum certis temporum diſpoſitionibus & exitibus ordinaverit; exinde qui ſigna majeſtatis ſuæ judicantis ediderit per imbres, per ignes, qui demerendo ſibi diſciplinas determinaverit quas ignoratis aut deſeritis, ſed obſervantibus præmia deſtinarit: qui producto ævo iſto judicaturus ſit ſuos cultores, in vitæ æternæ retributionem, profanos in ignem æque perpetem & jugem, ſuſcitatis omnibus ab initio defunctis, & reformatis, & recenſitis ad utriuſque meriti diſpunctionem.* Si autem non exiſtit Deus virtutum remunerator, vitiorum ultor, virtus omnis deſtruitur, & ad quodvis vitium fræna laxantur; quia nec ſpes mercedis ſtimulat ad virtutẽ, nec ſupplicii timor à vitiis avocat. Impius autem quantũvis dicat in corde ſuo, Non eſt Deus; quantũvis atrociſſimis quibuſq; ſe immergat ſceleribus, Dei timorem ab anima ſua penitus expellere nequit; ſed ad fulgura & tonitrua, & cujuſvis rei nocivæ & adverſãtis occurſũ, expaveſcit.
Cap. 15. Unde de impio ſic fatur Job: *Tetendit adverſus Deum manum ſuam, & contra Omnipotentẽ roboratus eſt, cucurrit adverſus eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt: veruntamen ſonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur*; & ita vel invitus ſuum ſentit judicem, qui punit impium, à quo negatur, nec parcit otioſo, à quo culpabiliter ignoratur.

Tert. l. 1. adv. Marc. 9. *Invenio plane ignotis deis aras proſtitutas: ſed Attica idololatria eſt.* Ita enim

nota eſt naturaliter hominibus exiſtentia Dei, ut 1. non debeat ignorari: 2. non poſſit ignorari: 3. nequeat niſi culpabiliter ignorari.

1. *Prima bonitas Creatoris, qua ſe noluit Deus in æternum latere, id eſt non eſſe* Tert. l. 1. adv. Marc. 1. *aliquid, cur Deus cognoſceretur. Quid enim tam bonum quam notitia & fructus Dei?* Deus eſt infinite cognoſcibilis, quia cognoſcibilitas eſt proportionata divinæ naturæ. Deus infinite cognoſcibilis ſeipſum ab æterno infinite cognoſcit; quia non erat creatura quæ Deum cognoſceret, conveniens fuit ut hominem produceret divinæ notitiæ capacem. *Oportebat Deum cogno-* Tert. l. 2. adv. Marc. 6. *ſci: bonum hoc utique & rationale. Oportebat dignum aliquid eſſe, quod Deum cognoſceret, quid tam dignum proſpici poſſet quam imago & ſimilitudo Dei? & hoc bonum ſine dubio & rationale.* Quod ſi bonum & rationale eſt Deum ab homine cognoſci, malum & irrationale eſt Deum ab homine ignorari, idcirco Deus neque debuit, neque potuit ignorari.

2. *Sed breviſſime proponam & breviſſime exequar, præſcribens nec ignorari de-* Tert. l. 1. adv. Marc. 9. *buiſſe nomine benignitatis, nec potuiſſe nomine magnitudinis.* Dei autem magnitudo & benignitas, ex creaturarum bonitate & magnitudine eſt inveſtiganda; niſi enim eſſet bonus; nec bona potuiſſet producere, & niſi eſſet magnus, nec magna potuiſſet operari. *Ex operibus ineunda probationes. Opera creatoris* Tert. l. 1. adv. Marc. 5. *utrumque teſtantur, & bonitatem ejus, qua bona, & potentiam, qua tanta, & quidem ex nihilo. Vel ſic magna dum bona, vel ſic Deus potens dum omnia ipſius, unde & omnipotens.* Dei opera ejus potentiam, bonitatem & magnitudinem teſtātur. Potentiam, quia producta de nihilo, ſolus autem Deus poteſt de nihilo creare: Bonitatem, quia ex bonitate effectus, bonitas cauſæ recte colligitur, *& ita bonus dum Deus.* Magnitudinem, nam *magnificentia auctoris ex operum* Ter. l. adv. Herm. 11. *diverſitate ſignatur. Quia vero nunquam Deus latebit, nunquam Deus deerit, ſem-* Tert. l. de An. 8. *per intelligetur, ſemper audietur, etiam videbitur*, in ſuis ſcilicet operibus, quæ Tert. l. 1. adv. Marc. 9. ejus exiſtentiam adeo evidenter prædicant, ut nequeat niſi culpabiliter ignorari.

3. *Nos definimus Deum primo natura cognoſcendum, dehinc doctrina recogno-* Tert. l. 1. adv. Marc. 8. *ſcendum: natura, ex operibus: doctrina, ex prædicationibus.* Ita ex operibus patet Deus ut nequeat niſi culpabiliter ignorari. Chriſtianus qui Deum non cognoſcit neq; recognoſcit, inexcuſabilis eſt, quia agit contra chriſtianam diſciplinam quæ docet Dei cultum, & contra notitiam Dei quam ex ejus mutuatur operibus: *Cum etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna,* Tert. l. de Pœn. 4. *quia Deum in aperto conſtitutū, & vel ipſis cæleſtibus bonis comprehenſibilem ignorari non licet.* Trina eſt ignorantia: invincibilis, craſſa & affectata. Invincibilis nullo ſtudio, nullaque exercitatione & diligentia ſuperari poteſt: craſſa, parum aut nihil diligentię adhibet, ad eam rem percipiendā, quam quis ſcire tenetur: affectata, qua quis voluntarie ea ignorat quæ ſcire tenetur, ut ſic liberius peccet: Prima, totam tollit malitiam: ſecunda, partem malitiæ: tertia, ipſam auget, quia affectat ignorare mandatum vel prohibitū, ut præ-

ceptum omittat, prohibitum committat. Neque Chriſtianus, neque infidelis compos rationis laborat invincibili Dei ignorantia: Non Chriſtianus: nam *Deum quilibet opifex Chriſtianus, & invenit & oſtendit; & exinde totum quod in Deo quaritur, re quoque aſſignat.* [Tert. Apol. 17.] Non infidelis, quia ignorantia invincibilis excuſat à tota culpa. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quarere quod agnoſcis.* [D. Aug. l. 3. de Lib. Arb. 19.] Apoſtolus autem inexcuſabiles declarat etiam Gentiles qui Deum ignorant, etenim ſi homo poſſet inculpabiliter verum ignorare Deum, poſſet etiam ſine culpa idola colere, & ita ratione illius invincibilis ignorantiæ excuſari ab idololatria. Ut autem aſſeverat Tertullianus, *principale crimen generis humani, ſummus ſæculi reatus, tota cauſa judicij, idololatria.* [L. de Idol. 1.] Quod ſi Deum ignorari non licet, *quanto cognitum deſpici periculoſum eſt?* [Tert. l. de Pæn. 4.] & ſi idololatriæ & infideles ab Apoſtolo inexcuſabiles prædicantur, & inſipientia mulctantur, eo quod *cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt:* [Rom. 1.] quanto à fortiori magis criminoſi, & gravioribus digni ſunt ſuppliciis Chriſtiani, qui *per agnitionem Dei pleniorem* [Tert. l. 4. adv. Marc. 15.] magis eum recognoſcere & glorificare debebãt? Verũ *ad Dei perſuaſionẽ* [Tert. l. adv. Hermog. 10.] exiſtentia ejus inconteſtabiliter adhuc probatur.

III PARS.

Creator enim ex hoc eſt Deus, & indubitatus Deus, quia omnia ipſius, & nihil extraneũ illi. [Tert. l. 1. adv. Marc. 10.] Dei exiſtentiam non à priori, ſed à poſteriori evidenter probatur Philoſophus; tum oſtendens *de teſtimonijs operum* [Tert. l. de Reſ. 2.] Deum eſſe primam cauſam efficientem, à qua cunctæ eſſentialiter dependent creaturæ: tum demonſtrans Deum finem ultimum ad quem cuncta ordinantur: *Sic multa in Dei gloriam dum varia.* [Tert. l. de An. 1.] Verum omiſſis his rationibus metaphyſicis, Dei exiſtentia inconteſtabiliter probatur ex 1, Scripturarum oraculo: 2. creaturarum depoſito: 3. Animæ teſtimonio.

1. Deus ſuæ exiſtentiæ *tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas* [Tert. l. 2. adv. Marc. 5.], ut de ejus veritate nullus dubitare valeat. *Sed quod plenius & impreſſius tam ipſum quam diſpoſitiones ejus, & voluntatem adiremus, inſtrumentum adjecit litteraturæ, ſi qui velis de Deo inquirere, & inquiſito invenire, & invento credere, & credito deſervire. Viros enim juſtitia & innocentia dignos Deum noſſe & oſtendere à primordio in ſæculum emiſit ſpiritu divino inundatos, quo prædicarent Deum unicum eſſe. Quos diximus prædicatores, prophetæ de officio præfandi vocantur.* [Tert. Apol. 18.] Dei exiſtentiam non minus novum quam vetus teſtatur Teſtamentum. Hanc Apoſtoli & Evangeliſtæ verbo prædicarunt, miraculis comprobarunt, & litteris conſignarunt. *Voces eorum, itemque virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant, in theſauris litterarum manent, nec iſtæ nunc latent.* [Tert. Apol. 18.] Ex Durando autem; (triplex eſt liber in quo Deus ſeipſum velut exaravit & inſcripſit.) Primus, eſt liber creaturarum mundi: Secundus Prophetarum & veteris Teſtamenti: Tertius, Evangeliſtarum & novi Teſtamenti. Primum præbuit cunctis hominibus & præſertim Philoſophis legendum, dicente Apoſtolo: (In viſibilia

Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.) Seu, ut ait Tertullianus. *Inviſibilia ejus à cognitione mundi, de factis amentis intellecta viſuntur.* Secundum librum præbuit Judæis, dicente Eccleſiaſtico: *Occulta proverbiorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit.* Tertium vero obtulit Chriſtianis & fidelibus dicente Apoſtolo: *Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Chriſtiani ex Evangelico inſtrumento Dei colligunt notitiam; Judæi ex veteri Teſtamento ad illius cognitionem aſſurgunt, Philoſophi ex creaturarum teſtimonio ejus cognoſcunt exiſtentiam.

Rom. 1. Lib. adv. Hermog. 19. Cap. 19. Rom. 15.

2. *Habet Deus teſtimonia, totum hoc quod ſumus, & in quo ſumus.* Totum hoc quod ſumus Dei prædicat magnificentiam, nihil enim magis divinam potentiam, infinitamque ejus ſapientiam commendat, quam admiranda compago humani corporis. *Ipſa præcipue forma noſtra pulchritudo Deũ fatetur artificem.* Totum in quo ſumus, Dei magnificentiam repræſentat, quapropter Triſmegiſtus contemplatur mundum velut librum divinitatis, & ſpeculum divinorũ, in quo ſemetipſum depingit Deus. In hoc libro ſtuduerunt non ſolum ſancti, ſed etiam veteres Philoſophi. Mundum vocitat adhuc Philo Judæus Dei templum. (Dei templum alterum ſummum verumque exiſtimandũ eſt mundus, ſcilicet hic univerſus.) Quem in teſtimonium Dei advocat ſanctus Proſper: (Quod eſt teſtimonium quod ſemper Domino deſervivit, & nunquam de ejus bonitate & poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo & enarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio; per quam humanis cordibus, quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum & voluminibus temporum, communis & publicæ divinæ inſtitutionis doctrina legeretur? Cœlum ergo, mare, terra, & omnia quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſq; concentu, proteſtabantur gloriam Dei, & prędicatione perpetua majeſtatem ſui loquebantur auctoris; & tamen maximus hominum numerus hanc vocem non intelligit.) Mundus igitur & creaturæ quæ in eo ſunt, ſunt Dei ſpecies & imagines, quæ nobis Dei deſignant pulchritudinem: *A magnitudine ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator eorum videri.* Sunt Dei ſpecula, quæ divinas repræſentant perfectiones; ſunt ſui artificis præcones, nulla eſt tam elinguis, quæ tacito ſermone non clamitet: (Ipſe fecit nos, & non ipſæ nos:) Sunt teſtes omni exceptione majores qui de Deo irrevocabile ferunt teſtimonium. *Vultis ex operibus ipſius tot ac talibus, quibus continemur, quibus ſuſtinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur?* At proh dolor! in ſacro hoc libro Dei exiſtentiam non legunt impii, in perſpicuo illo ſpeculo divinas ejus non intuentur perfectiones, obturant aures ne audiant creaturarũ voces, earum teſtimonium in dubium revocant, & Deum non venerantur quem ignorare non poſſunt. *Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere quem ignorare non poſſunt,* etiam ex animæ ipſius teſtimonio.

Ter. l. adv Marc. 10. Min. in Oct. L. de Unit. Dei. L. 2. de Vocat. Gen. 4. Sap. 13. Tert. Apol. 17. Tert. Apol. 17.

3. *Vultis ex anima ipſius teſtimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis* Tert. Apol. 17.

preſſa, licet inſtitutionibus pravis circumſcripta, licet libidinibus ac concupiſcentiis evigorata, licet falſis deis exancillata. Advocat teſtimonium animæ, non religione veri Dei inſtructæ; ſed idololatriæ mancipatæ; non virtutis ſtudioſæ, ſed vitiis deditæ: non bonis diſciplinis eruditæ, ſed pravis inſtitutionibus educatæ. *Cũ tamẽ reſipiſcit, ut ex crapula, ut ex ſomno, ut ex aliqua valetudine, & ſanitatem ſuã potitur, Deũ nominat, hoc ſolo nomine, quia proprio Dei veri. De⁹ magnus, Deus bonus, & quod Deus dederit, omnium vox eſt. Judicẽ quoq; conteſtatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ! Denique pronuntians hæc, non ad capitolium, ſed ad cœlum reſpicit: novit enim ſedem Dei vivi, ab illo, & inde deſcendit.* Mirum non eſt quod anima chriſtiana Dei teſtetur exiſtentiam ejuſque enarret perfectiones; quia in ſchola religionis erudita divinas didicit perfectiones: Sed ſtupendum ſane eſt quod anima idololatriæ dedita, pravè erudita, ſceleribus contaminata, naturaliter Deum nominet, Deum cognoſcat ejuſque teſtetur veritatem, bonitatem, magnitudinem, beneficentiam, juſtitiam. Tale teſtimonium impietatem confundit, & penitus evertit. Eodem argumento atheos pulſat aliorſum Tertullianus, & teſtimonium prodit animæ rudis, impolitæ, ineruditæ & inexercitæ, quæ tamen ſe ſola abſque ullo magiſtro Deum agnoſcit, & prædicat. *Conſiſte in medio anima, ſed non eam te advoco, quæ ſcholis formata, bibliothecis exercitata, academiis & porticibus atticis paſta, ſapientiam ructas. Te ſimplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam compello, qualem ſe habent, qui te ſolam habent, illam ipſam de compito, de trivio, de textrina totam: imperitia tua mihi opus eſt, quoniam aliquantulæ peritiæ nemo credit: ea expoſtulo quæ tecum homini inſers, quæ aut ex temetipſa, aut ex quocunque auctore tuo ſentire didiciſti. Non es, quod ſciam, Chriſtiana: fieri enim, non naſci ſoles Chriſtiana. Tamen nunc à te teſtimonium flagitant Chriſtiani, ab extranea adverſus tuos, ut vel tibi erubeſcant, quod nos ob ea oderint & irrideant, quæ te nunc conſciam detineant. Non placemus Deum prædicantes hoc nomine unice unicum, à quo omnia, & ſub quo univerſa. Dic teſtimonium ſi ita ſcis; Nam te quoque palam & tota libertate, quia non licet nobis, domi aut foris audimus ita pronuntiare, quod Deus dederit, & ſi Deus voluerit. Ea voce & aliquem eſſe ſignificas, & omnem illi confiteris poteſtatem, ad cujus ſpectat voluntatem. De natura quoque Dei quam prædicamus, nec te latet Deus bonus, Deus benefacit, tua vox eſt. Benedicat te Deus, tam facile pronuntias, quã Chriſtiano neceſſe eſt. Hinc ergo tibi anima, de conſcientia ſuppetit domi ac foris, nullo irridente vel prohibente prædicare, Deus videt omnia, & Deo commendo, & Deus reddet, & Deus inter nos judicabit.* Unde animæ talis de Deo notitia? Non à chriſtiana religione, quia illam non profitetur: non de eruditione, quia nullis eſt inſtructa litteris: ſed à natura, ſeu potius à Deo auctore naturæ, qui ei ſui notitiam indidit, ut impii qui voces creaturarum Deum proclamantiũ non audiunt, teſtimonio ipſius animæ convincantur. *Hæc teſtimonia animæ quanto vera, tanto ſimplicia: quanto ſimplicia, tanto vulgaria; quanto vulgaria, tanto*

Lib. de Teſt. An. 1.

Cap. 2.

Cap. 5.

tanto communia: quanto communia, tanto naturalia: quanto naturalia, tanto divina. Non puto cuiquam frivolum & frigidum videri poſſe, ſi recogitet naturæ majeſtatem, ex qua cenſetur auctoritas animæ, quantum dederis magiſtræ, tantum adjudicabis diſcipulæ. Magiſtra natura, anima diſcipula: quidquid aut illa edocuit, aut iſta perdidicit, à Deo traditum eſt, magiſtro ſcilicet ipſius magiſtræ.

Stabilita Dei exiſtentia naturali animæ teſtimonio, objectionem ab impiis fieri ſolitam adducit Tertullianus. *Sed qui ejuſmodi eruptiones animæ non putavit doctrinam eſſe naturæ congenitæ, & ingenitæ conſcientiæ tacita commiſſa, dicet potius diventilatis in vulgus opinionibus, publicatarum litterarum uſum jam & quaſi vitium corroboratum taliter ſermocinandi.* Huic evaſioni multimodè occurrit Tertullianus: 1. Animam eſſe omni litteratura priorem, & conſequenter naturalem Dei notitiam non mutuaſſe à litteratura. *Certe prior eſt anima quam littera, & prior ſermo quam liber, & prior ſenſus quam ſtylus, & prior homo ipſe quam Philoſophus & Poëta: Nunquid ergo credendum eſt, ante litteraturam, & divulgationem ejus, mutos ab hujuſmodi pronuntiationibus homines vixiſſe? Nemo Deum & bonitatem ejus loquebatur, opinor ſermo, imo nec ullus eſſe poterat, antequam litteræ in ſæculo germinaſſent, antequam Mercurius, opinor, natus fuiſſet.* 2. Unde litteræ notitiam Dei didicerunt & ſeminaverunt, ſi ante litteras, nulla mens de Deo cogitaverat? *Et unde ordo ipſis litteris contingit, noſſe, & in uſum loquelæ diſſeminare, quod nulla umquam mens conceperat, aut lingua protulerat, aut auris exceperat?* 3. Vel anima hunc loquendi de Deo modum accepit à litteris & ſententiis humanis, vel à litteris Dei & Scripturæ ſacræ oraculis, vel à natura, omni litteratura anteriori; vel tandem à Deo formata eſt animæ conſcientia. *Quid igitur vis, homo; de humanis ſententiis litterarum tuarum exiſſe hæc in uſus communis calloſitatem? Crede itaque & tuis, & commentariis noſtris*, de quibus ſapientia humana mutuata eſt Dei notitiam. *Tanto magis crede divinis.* Scriptura enim ſacra divina eſt, utpote à Deo revelata. *Sed de animæ ipſius arbitrio perinde crede naturæ*, quæ Dei teſtatur exiſtentiam: *Elige quam ex his fidelibus ſororem obſerves veritatis: Si de tuis litteris dubitas, neque Deus, neque natura mentitur: Ut & naturæ & Deo credas; crede animæ, ita fiet ut & tibi credas.* 4. Non ſolum animæ Romæ aut Athenis nutritæ, ubi litteræ & ſcientiæ vigent, Deum cognoſcunt & Deum nominant; ſed etiam Barbarorũ, qui nunquam de ſcholis & academiis aliquid audierunt. *Vanus es, ſi huic linguæ ſoli aut Græcæ, quæ propinquæ inter ſe habentur, reputabis ejuſmodi, ut naturæ univerſalitatem, non Latinis, nec Argivis ſolis; anima de cœlo cadit. Omnium gentium unus homo varium nomen eſt: una anima, varia vox, unus ſpiritus, varius ſonus, propria cuique genti loquela, ſed loquelæ materia communis, Deus ubique, & bonitas Dei ubique.* Omnes homines ſunt ejuſdem ſpeciei, cunctis animabus eadem eſt ratio eſſentialis; licet individualiter diſcriminentur, & diverſis utantur linguis, in Dei tamen notitia & appellatione naturaliter conveniunt.

Cap. 5. Cap. 6. Cap. 6. Cap. 6.

Modo

Modo *animam conveni, cur Deum nominat*: 1. Ut atheorum confundat impietatem: 2. ut otioſiorum arguat ignorantiam: 3. ut Chriſtianorum condemnet negligentiam, qui Deum credentes, Deum non colunt: 4. ut Dei ingeneret venerationem, qui cultores ſuos largiter præmiat.

CONCIO SECUNDA.

Tert. Apol. 24. CHriſtianos olim tanquam irreligioſos inſequebantur gentiles; qui ab hac calumnia ſe vindicāt, & ethnicos hujus criminis reos demonſtrant, colentes tanquam Deos homines qui dii non erant: *Si enim non ſunt dij pro certo, nec religio pro certo eſt: ſi religio nō eſt, quia nec dij pro certo, nec nos pro certo rei ſumus læſæ religionis. At è contrario in vos exprobratio reſultavit, qui mendacium colentes, veram religionem veri Dei non modo negligendo, quin inſuper expugnando verum committitis crimen veræ irreligioſitatis.* Trina potiſſimum ratione gentiles erant irreligioſi: Tum quia unicum negantes Deum plures affirmabant: Tum quia verum dedignantes Deum, falſos colebant: Tum quia Sanctum inſequentes Deum, homines criminoſiſſimos, tanquam deos venerabantur. Chriſtiani è contra religioſiſſimi erant; nam numerum Deorum impugnantes, fictitios reſpuentes Deos, & ſceleratos homines pro diis agnoſcere recuſantes, Deum unicum, verum & ſanctum colebant: *& ita credendus colenduſque, ut fides, ut diſciplina depoſita eſt Chriſtianorum*; quæ Deum unicum, verum & ſanctum adorat & colit: 1. unicè: 2. verè: 3. ſanctè. Tert. Apol. 24.

I. PARS. Nihil eſt quod tantopere præcipiat Deus ac ſui cultum & adorationem, neque quod adeo prohibeat ac idololatriam & idolorum venerationem. Scorp. 2. *Ego ſum, inquit, Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti. Non erunt tibi Dij alij præter me. Non facies tibi ſimulachrum eorum quæ in cœlo & in terra deorſum, & quæ in mari infra terram. Non adorabis ea, neque famulaberis eis. Ego enim Dominus Deus tuus.* Et in Deuteronomio: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt: illi famulaberis ſoli.* Et hæc quidem prima per Moyſen dicta ſunt à Domino: *Sed & deinceps omne os Prophetarum ejuſdem Dei vocibus ſonat, eandem legem ſuam eorundem præceptorum inſtauratione cumulantis, nec aliud primum tam principaliter denuntiantis, quam ab omni factura & cultura idolorum cavere.* Hæc & alia plura præcepta Dei cultum mandantia, idololatriamque prohibentia, manifeſte denotant quantum Deus ſui exoptet adorationem, & quantum idololatriam averſetur: *Hinc igitur ſi à primordio conſtat & prohibitam, de tottantiſque præceptis; & nunquam impune commiſſam, de tot tantiſque documentis; nec ullum tàm ſuperbum crimen apud Deum deputari, quam hujuſmodi tranſgreſsionem.* Verum quantumvis ſit criminoſa idololatria tot præceptis prohibita, tantis punita ſuppliciis, Deoque odioſa & contumelioſa: Iſraë-

Iſraëlitæ olim *ab illo maxime in idololatriam exorbitaverunt:* & hac tempeſtate ſunt multi ſceleroſi Chriſtiani, qui 1. Deo cultum & adorationem denegant: 2. idola colunt & multiplicant: 3. plus falſos Deos quam Deum verum exiſtimant.

1. *Bene quod omnium Deus eſt, cujus velimus aut nolimus omnes ſumus.* Nullus Tert. Apol. 24. eſt homo qui ad Deum non pertineat, quique Deum ut ſuum authorem colere & adorare non teneatur. Præceptum decalogi Dei mandans cultum, nõ eſt ceremoniale aut poſitivum dumtaxat, ſed naturale, in cordibus cunctorũ hominum inditum. Nullus eſt homo qui quamdam non habeat Dei notitiam, & qui naturaliter Deum colendum non agnoſcat. At Chriſtiani, ultra notitiam Dei naturalem divinitus illuſtrati ſunt, *propriæ religionis pignora quæ Deum naturæ de proximo colentes* ſummam ei deferunt adorationem. Plures Tert. l. de Cor. mil. 7 ſunt tamen ſceleroſi Chriſtiani, qui Deum nullatenus adorant, qui diebus dominicis divino cultui dicatis nullum religionis actum præſtant; quibus Abak. 5. idipſum exprobrari poteſt quod ethnicis Tertullianus: *Vos impij & ſacrilegi & irreligioſi erga Deos veſtros deprehendimini, qui quos præſumitis eſſe, negligitis.* Si gentiles de impietate culpantur negligentes falſos deos; quanto criminoſiores ſunt Chriſtiani, qui verum Deum credentes, contemnunt, neque ullum religionis honorem deferunt? *Sed apud vos quodvis colere jus præter Deum verum.* Tert. Apol. 24. Urbani erga magnates, civiles erga æquales, obſervantes erga principes; nam ſuperioribus & regibus civilem exhibent cultum, & religioſum Deo denegant: & quod eſt deflendum magis, neglecto cultu veri Dei, idola colunt, & falſos deos multiplicant.

2. *Quod colimus Deus unus eſt.* Tanta eſt idololatriæ cum atheiſmo connexio Tert. Apol. 17. & affinitas, ut plurium deorum affirmatio, ſit unius Dei veri omnimoda negatio. Nam ut profunde ratiocinatur Tertullianus: *proinde Deus cum ſummum* Lib. 1. adv. Marc. 3. *magnum ſit, recte veritas noſtra pronuntiavit: Deus ſi non unus eſt, non eſt. Non quaſi dubitemus eſſe Deum, dicendo, ſi non unus eſt, non eſt: ſed quia quem confidimus eſſe, id eum definiamus eſſe, quod ſi non eſt, Deus non eſt; ſummum ſcilicet magnum. Porro, ſummum magnum unicum ſit neceſſe eſt: Ergo & Deus unicus erit. Non aliter Deus, niſi ſummum magnum, nec aliter ſummum magnum, niſi parem non habens: nec aliter parem non habens, niſi unicus fuerit.* Ratio Dei unitatem evidenter demonſtrat: religio adhuc eadem veritatem perſpicue oſtentat; alias *cultura* Tert. l. 1. adv. Marc. 5. *ejus in anceps deduceretur, ecce enim duos intuens deos, tam pares quam duo ſumma magna, quid facerem ſi ambos colerem? Vererer nè abundantia officij, ſuperſtitio potius quam religio exiſtimaretur; quia duos tam pares, & in altero ambos poſſem in uno demereri: hoc ipſo teſtimonio præſtans parilitati & unitati eorum dum alterum in altero venerarer, dum in uno mihi duo ſunt. Si alterum colerem, æque recogitarem ne ſuffundere viderer numeri vanitatem, ſine differentia ſupervacui, hoc eſt, tutius cenſerem neutrum colendum, quam alterum cum ſcrupulo colendum, aut ambos vane.* Inde colligendum eſt

inſtituat, ſed à primordio enarret; à paradiſo & Adam, non ab Ægypto & Moyſe recenſendam. Denique major popularitas generis humani, ne nominis quidem Moyſis compotes, nedũ inſtrumenti, Deũ Moyſis tamen norunt; etiam tantam idololatria dominationem obumbrante, ſeorſum tamen illum quaſi proprio nomine Deũ perhibent, & Deum deorum, & ſi Deus dederit, & quod Deo placet, & Deo commendo. Vide an noverint, quẽ omnia poſſe teſtantur: Nec hoc ullis Moyſis libris debent: antè anima quã prophetia. Anima enim à primordio conſcientia Dei dos eſt: eadem nec alia, & in Ægyptiis & in Siris, & in Ponticis, Iudaeorum enim Deum, dicunt animæ Deũ. Plura notatu digniſſima dicit Tertullianus, quibus oſtentat inditam eſſe cunctis hominibus naturalem aliquam Dei notitiam. Et meritò; nam cùm Deus ſit objectũ ſupremi cultus, natura Dei notitiam ſingulis indidit hominibus quibus ejus cultum & obſervantiam indidit; non enim poſſet coli, niſi eſſe prius conſtiterit: deinde Dei notitiam mutuandam ex mundi pulchritudine demonſtrat.

Tert. lib. 1. adv. Marc. 13. Tert. l. 1. adv. Marc. 11. Lact. Fir. l. 1. c. 1. 2. *Digna Deo probabunt Deum*, Ut autem aliorſùm docet Tertullianus *grande opus & dignum Deo mundus*; qui ſui Authoris notitiam ingenerat: (Quis niſi totaliter cæcus & ratione privatus, hanc vaſtiſſimam molem, tot cælis, tot elementis, totque aliis corporibus compaginatam, ab aliquo præſtantiſſimo & divino opifice conſtructam non judicet? qui terram ſtabili firmitate ſuſpẽdit, qui cœlum diſtinxit aſtris fulgentibus, qui ſolem rebus humanis clariſſimum ac ſingulare lumen in argumentum ſuæ unicæ majeſtatis accendit:) In Pim. Nam ut ſapienter philoſophatur Triſmegiſtus: (cum ſtatuam abſque fabro & pictore fieri nullus aſſerere audeat, miram hujus mundi conſtitutionem ſine conditore conſtitiſſe putabimus?) Hoc argumentum ab inductione fulcit In Pſ. 13. D. Chryſoſtomus: (Non eſt fundamentum, ergo quomodo ſtat ædificium? nõ eſt ædificator, quomodo domus facta eſt? non eſt architectus, & quis urbem condidit? non eſt muſicus, & quomodo in mundi lira apparet concentus?) Non eſt Deus, & quomodo productus eſt mũdus ex tot diverſis creaturis coadunatus? qui (ante ſacras litteras in teſtimonium Domino deſervivit:) Non D. Proſper. l. 1. de Vocat. Gent. 1. In Oct. eſt omittendus Minutius Fœlix qui ſic eloquenter fatur: (Quid poteſt eſſe tã apertum, tam confeſſum, tamque perſpicuum, cum oculos in cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra citraque luſtraveris, quam eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipſum vide quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem aſtris diſtinguitur, vel quod in diem Sole luſtratur; jam ſcies quod ſit in eo ſummi moderatoris mira & divina libratio. Quid cum ordo temporum & frugum ſtabili varietate diſtinguitur, nonne authorem ſuum parentemque teſtatur? Ver æque cum ſuis floribus, & æſtas cum ſuis meſſibus, & autumni maturitas grata, & hiberna olivitas neceſſaria, qui ordo facile turbaretur, niſi maxima ratione conſiſteret. Jam providentiæ quantæ eſt, ne hiems ſola glacie ureret, ut ſola æſtas ardore torreret, autumni & veris inſerere medium temperamentum?) Apta mundi diſpoſitio, regularis

cœlorum

cælorum motus, continua temporum viciſſitudo, evidenter oſtentant, mundum non fuiſſe fortitudo formatum, neque caſu gubernatum, ſed à ſupremo molitum artifice, ejus ſapientia moderatum. (Quis adeo rationis expers, ut hoc quo neq; formoſus quidquã, nec diſpoſitius, nec in propoſito conſtantius, exiſtimet fortuitum, & vaſu volubile, & non à ſuprema aliqua ratione ordinatum?) Profectò niſi ſupremus eſſet moderator, neq; mundus tam pulchre concinnaretur, neque in tanta varietate firmus & conſtans permaneret: (Mundus iſte ordinatiſſima ſua mutabilitate & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie, quodammodo tacitus & factum ſe eſſe, & nonniſi à Deo ineffabiliter pulchro fieri ſe potuiſſe, proclamat.)

Senec. l.1. Quæ. Nat. in Præfat.

D. Aug. l.11. de Civ. 4.

Triplex eſt via quâ ex mundo cognoſcitur Deus: ſcilicet relationis ſeu cauſalitatis, eminentiæ ſeu affirmationis; negationis ſeu remotionis. 1. Via relationis ſeu cauſalitatis, qua ab effectibus devenitur ad primam cauſam, à qua cuncta creata eſſentialiter dependent, & ex molitione mundi cognoſcitur *Deus naturæ auctor.* 2. Via eminentiæ ſeu affirmationis, Deo abſque ullo defectu omnes creatas tribuimus perfectiones, quia nulla eſt perfectio in effectu quæ in cauſa ejus æquivoca eminenter non contineatur; quomodo mũdus ſua pulchritudine Dei prædicat majeſtatem. *Quod colimus, Deus unus eſt, qui totam molem iſtam, cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, verbo quo juſſit, ratione qua diſpoſuit, virtute qua potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ: unde & Græci nomen mundo Koſmon accommodaverunt.* 3. Via negationis ſeu remotionis, defectus creaturarum removens à Deo, confitentes tantam eſſe ejus perfectionem, ut omnem humanam ſuperet cognitionem & exiſtimationem: *Inviſibilis eſt, etſi videatur: incomprehenſibilis eſt, etſi per gratiam repræſentetur: inæſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur: ideo verus & tantus eſt; hoc eſt quod Deum æſtimari facit, dum æſtimari non capit.* Licet Dei exiſtentia & perfectio in creaturis appareat tanquam in ſuis veſtigiis vel imaginibus; in ſua tamen natura eſt inviſibilis oculis corporis, quia eſt ſpiritualis: etſi ejus majeſtas in ſuis fulgeat effectibus, tamen comprehendi nequit, quia eſt infinita: & quantumvis æſtimetur ab hominibus Dei magnitudo, inæſtimabilis eſt, omnemque creatam ſuperat exiſtimationem. *Ceterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æſtimari poteſt, minus eſt & oculis quibus occupatur, & manibus quibus contaminatur, & ſenſibus quibus invenitur: quod vero immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt.* Deus à cunctis ſimul Beatis, hominibus & Angelis, neque comprehendi, neque tota ejus perfectio poteſt æſtimari; quia ut digne poſſit exiſtimari, & omnimode comprehendi, debet tanta eſſe perfectio in exiſtimante & comprehendente quanta in Deo: nulla autẽ creatura eſt infinite perfecta; ideoque nequit Deum æſtimare & comprehẽdere quantum eſt comprehenſibilis & æſtimabilis: *& ita Deum vis magnitudinis & notum hominibus objicit & ignotum.* Notum & ignotum Beatis: Notum, quia clare eum vident: ignotum, quia eum non comprehendunt. Notum

Tert. l. de An. 16.

Tert. Apol. 17.

Tert. ibid.

Tert.

Tert. Apol. 17.

& ignotum Chriſtianis viatoribus: Notum, quia per fidem eum cognoſcunt: ignotum quia ejus naturam intuitive non vident. Notum & ignotum ſingulis hominibus: ignotum, quia naturaliter perſonarum non agnoſcunt trinitatem: *Nemo ſcit, qui ſcit Pater niſi Filius, atque ita Chriſtus ignotum Deum prædicavit*: Notum, quia Dei exiſtentiam cognoſcunt ex virtutis etiam remuneratione.

Tert. l. 4. adv. Marc. 4ſ.

3. A Romanis cauſas expoſtulat Tertullianus cur ex hominibus Deos efficiant. *In primis quidem neceſſe eſt concedatis eſſe aliquem ſublimiorem Deum & mancipem quemdam divinitatis, qui ex hominibus Deos fecerit. Nam neque ſibi illi potuiſſent ſumere divinitatem, quam non habebant, nec alius præſtare eam non habentibus, niſi qui proprie poſſidebat. Cæterum ſi nemo eſſet, qui deos faceret, fruſtra præſumitis deos factos auferendo factorem. Certe quidem ſi ipſi ſe facere potuiſſent, nunquam homines fuiſſent, poſſidentes ſcilicet melioris conditionis poteſtatem. Igitur ſi eſt qui faciat deos, revertor ad cauſas examinandas faciendorum ex hominibus deorum.* Hanc ſolvunt Romani difficultatem, *reſpondentes collationem divinitatis meritorum remunerandorum fuiſſe rationem.* Inde ad hominē arguit Tertullianus, & Dei qui merita remuneret colligit exiſtentiam: *Et hinc concedatis opinor, illum Deum deorum juſtitia præcellere, qui nec temere, nec indigne, nec prodige tantum præmium diſpenſarit.* Beati qui in cœlo regnant dii nuncupantur: Deus qui in medio deorum dijudicat, dedit illis fœlicitatem ſuis meritis commenſuratam. Magnus ille Deus juſtitiâ præcellens, ſicut bonos præmiat, ita improbos ſupplicio mulctat: quo utitur Tertullianus argumento, ut Dei unici demonſtret exiſtentiam; *Qui univerſa condiderit, qui hominem de humo extruxerit, qui ſæculum certis temporum diſpoſitionibus & exitibus ordinaverit; exinde qui ſigna majeſtatis ſuæ judicantis ediderit per imbres, per ignes, qui demerendo ſibi diſciplinas determinaverit quas ignoratis aut deſeritis, ſed obſervantibus præmia deſtinarit: qui producto ævo iſto judicaturus ſit ſuos cultores, in vitæ æternæ retributionem, profanos in ignem æque perpetem & jugem, ſuſcitatis omnibus ab initio defunctis, & reformatis, & recenſitis ad utriuſque meriti diſpunctionem.* Si autem non exiſtit Deus virtutum remunerator, vitiorum ultor, virtus omnis deſtruitur; & ad quodvis vitium fræna laxantur; quia nec ſpes mercedis ſtimulat ad virtutē, nec ſupplicii timor à vitiis avocat. Impius autem quantūvis dicat in corde ſuo, Non eſt Deus; quantūvis atrociſſimis quibuſq; ſe immergat ſceleribus, Dei timorem ab anima ſua penitus expellere nequit; ſed ad fulgura & tonitrua, & cujuſvis rei nocivæ & adverſātis occurſū, expaveſcit. Unde de impio ſic fatur Job: *Tetendit adverſus Deum manum ſuam, & contra Omnipotentē roboratus eſt, cucurrit adverſus eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt: veruntamen ſonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur*; & ita vel invitus ſuum ſentit judicem, qui punit impium, à quo negatur, nec parcit otioſo, à quo culpabiliter ignoratur.

Apol. 1.

Apolog. 18

Cap. 15.

Invenio plane ignotis deis aras proſtitutas: ſed Attica idololatria eſt. Ita enim

Tert. l. 5. adv. Marc. 9.

II. PARS

notas

nota eſt naturaliter hominibus exiſtentia Dei, ut 1. non debeat ignorari: 2. non poſſit ignorari: 3. nequeat niſi culpabiliter ignorari.

1. *Prima bonitas Creatoris, qua ſe noluit Deus in æternum latere, id eſt non eſſe aliquid, cur Deus cognoſceretur. Quid enim tam bonum quam notitia & fructus Dei?* Deus eſt infinite cognoſcibilis, quia cognoſcibilitas eſt proportionata divinæ naturæ. Deus infinite cognoſcibilis ſeipſum ab æterno infinite cognoſcit; quia non erat creatura quæ Deum cognoſceret, conveniens fuit ut hominem produceret divinæ notitiæ capacem. *Oportebat Deum cognoſci: bonum hoc utique & rationale. Oportebat dignum aliquid eſſe, quod Deum cognoſceret, quid tam dignum proſpici poſſet quam imago & ſimilitudo Dei? & hoc bonum ſine dubio & rationale.* Quod ſi bonum & rationale eſt Deum ab homine cognoſci, malum & irrationale eſt Deum ab homine ignorari, idcirco Deus neque debuit, neque potuit ignorari.

Tert. l. 2. adv. Marc. 2.

Tert. l. 2. adv. Marc. 6.

2. *Sed breviſſime proponam & breviſſime exequar, præſcribens nec ignorari debuiſſe nomine benignitatis, nec potuiſſe nomine magnitudinis.* Dei autem magnitudo & benignitas, ex creaturarum bonitate & magnitudine eſt inveſtiganda; niſi enim eſſet bonus; nec bona potuiſſet producere, & niſi eſſet magnus, nec magna potuiſſet operari. *Ex operibus ineunda probationes. Opera creatoris utrumque teſtantur, & bonitatem ejus, qua bona, & potentiam, qua tanta, & quidem ex nihilo. Vel ſic magna dum bona, vel ſic Deus potens dum omnia ipſius, unde & omnipotens.* Dei opera ejus potentiam, bonitatem & magnitudinem teſtātur. Potentiam, quia producta de nihilo, ſolus autem Deus poteſt de nihilo creare: Bonitatem, quia ex bonitate effectus, bonitas cauſæ recte colligitur, *& ita bonus dum Deus.* Magnitudinem, nam *magnificentia auctoris ex operum diverſitate ſignatur. Quia vero nunquam Deus latebit, nunquam Deus deerit, ſemper intelligetur, ſemper audietur, etiam videbitur*, in ſuis ſcilicet operibus, quæ ejus exiſtentiam adeo evidenter prædicant, ut nequeat niſi culpabiliter ignorari.

Tert. l. 1. adv. Marc. 9.

Tert. l. 2. adv. Marc. 5.

Ter. l. adv. Herm. 11.

Tert. l. de An. 8.

Tert. l. 2. adv. Marc. 9.

3. *Nos definimus Deum primo natura cognoſcendum, dehinc doctrina recognoſcendum: natura, ex operibus: doctrina, ex prædicationibus.* Ita ex operibus patet Deus ut nequeat niſi culpabiliter ignorari. Chriſtianus qui Deum non cognoſcit neq; recognoſcit, inexcuſabilis eſt, quia agit contra chriſtianam diſciplinam quæ docet Dei cultum, & contra notitiam Dei quam ex ejus mutuatur operibus: *Cum etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna, quia Deum in aperto conſtitutū, & vel ipſis cæleſtibus bonis comprehenſibilem ignorari non licet.* Trina eſt ignorantia: invincibilis, craſſa & affectata. Invincibilis nullo ſtudio, nullaque exercitatione & diligentia ſuperari poteſt: craſſa, parum aut nihil diligentię adhibet, ad eam rem percipiendā, quam quis ſcire tenetur: affectata, qua quis voluntarie ea ignorat quæ ſcire tenetur, ut ſic liberius peccet: Prima, totam tollit malitiam: ſecunda, partem malitiæ: tertia, ipſam auget, quia affectat ignorare mandatum vel prohibitū, ut præ-

Tert. l. 1. adv. Marc. 8.

Tert. l. de Pœn. 4.

ceptum omittat, prohibitum committat. Neque Chriſtianus, neque infidelis compos rationis laborat invincibili Dei ignorantia: Non Chriſtianus: nam *Deum quilibet opifex Chriſtianus, & invenit & oſtendit; & exinde totum quod in Deo quæritur, re quoque aſſignat.* Non infidelis, quia ignorantia invincibilis excuſat à tota culpa. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod agnoſcis.* Apoſtolus autem inexcuſabiles declarat etiam Gentiles qui Deum ignorant, etenim ſi homo poſſet inculpabiliter verum ignorare Deum, poſſet etiam ſine culpa idola colere, & ita ratione illius invincibilis ignorantiæ excuſari ab idololatria. Ut autem aſſeverat Tertullianus, *principale crimen generis humani, ſummus ſæculi reatus, tota cauſa judicij, idololatria.* Quod ſi Deum ignorari non licet, *quanto cognitum deſpici periculoſum eſt?* & ſi idololatriæ & infideles ab Apoſtolo inexcuſabiles prædicantur, & inſipientia mulctantur, eo quod *cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt*: quanto à fortiori magis criminoſi, & gravioribus digni ſunt ſuppliciis Chriſtiani, qui *per agnitionem Dei pleniorem* magis eum recognoſcere & glorificare debebãt? Verũ *ad Dei perſuaſionẽ* exiſtentia ejus inconteſtabiliter adhuc probatur.

Tert. Apol. 17. — D. Aug. l. 3. de Lib. Arb. 19. — L. de Idol. 1. — Tert. l. de Pœn. 4. — Rom. 1. — Tert. l. 4. adv. Marc. 15. — Ter. l. adv. He. m. 19. — III PARS.

Creator enim ex hoc eſt Deus, & indubitatus Deus, quia omnia ipſius, & nihil extraneũ illi. Dei exiſtentiam non à priori, ſed à poſteriori evidenter probatur Philoſophus; tum oſtendens *de teſtimonijs operum* Deum eſſe primam cauſam efficientem, à qua cunctæ eſſentialiter dependent creaturæ: tum demonſtrans Deum finem ultimum ad quem cuncta ordinantur: *Sic multa in Dei gloriam dum varia.* Verum omiſſis his rationibus metaphyſicis, Dei exiſtentia inconteſtabiliter probatur ex 1, Scripturarum oraculo: 2. creaturarum depoſito: 3. Animæ teſtimonio.

Tert. l. 1. adv. Marc. 10. — Tert. l. de Reſ. 2. — Tert. l. de An. 1.

1. Deus ſuæ exiſtentiæ *tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas*, ut de ejus veritate nullus dubitare valeat. *Sed quod plenius & impreſſius tam ipſum quam diſpoſitiones ejus, & voluntatem adiremus, inſtrumentum adjecit litteraturæ, ſi qui velis de Deo inquirere, & inquiſito invenire, & invento credere, & credito deſervire. Viros enim juſtitia & innocentia dignos Deum noſſe & oſtendere à primordio in ſæculum emiſit ſpiritu divino inundatos, quo prædicarent Deum unicum eſſe. Quos diximus prædicatores, prophetæ de officio præfandi vocantur.* Dei exiſtentiam non minus novum quam vetus teſtatur Teſtamentum. Hanc Apoſtoli & Evangeliſtæ verbo prædicarunt, miraculis comprobarunt, & litteris conſignarunt: *Voces eorum, itemque virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant, in theſauris litterarum manent, nec iſta nunc latent.* Ex Durando autem; (triplex eſt liber in quo Deus ſeipſum velut exaravit & inſcripſit.) Primus, eſt liber creaturarum mundi: Secundus Prophetarum & veteris Teſtamenti: Tertius, Evangeliſtarum & novi Teſtamenti. Primum præbuit cunctis hominibus & præſertim Philoſophis legendum, dicente Apoſtolo: (In viſibilia

Tert. l. 2. adv. Marc. 5. — Tert. Apol. 18. — Tert. Apol. 18.

Dei

Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.) Seu, ut ait Tertullianus. *Inviſibilia ejus à cognitione mundi, de facturamentis intellecta viſuntur.* Secundum librum præbuit Judæis, dicente Eccleſiaſtico: *Occulta proverbiorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit.* Tertium vero obtulit Chriſtianis & fidelibus dicente Apoſtolo: *Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Chriſtiani ex Evangelico inſtrumento Dei colligunt notitiam; Judæi ex veteri Teſtamento ad illius cognitionem aſſurgunt, Philoſophi ex creaturarum teſtimonio ejus cognoſcunt exiſtentiam.

Rom. 1. Lib. adv. Hermog. 19. Cap. 19. Rom. 15.

2. *Habet Deus teſtimonia, totum hoc quod ſumus, & in quo ſumus.* Totum hoc quod ſum⁹ Dei prædicat magnificentiam, nihil enim magis divinam potentiam, infinitamque ejus ſapientiam commendat, quam admiranda compago humani corporis. *Ipſa præcipue forma noſtra pulchritudo Deũ fatetur artificem.* Totum in quo ſumus, Dei magnificentiam repræſentat, quapropter Triſmegiſt⁹ contemplatur mundum velut librum divinitatis, & ſpeculum divinorũ, in quo ſemetipſum depingit Deus. In hoc libro ſtuduerunt non ſolum ſancti, ſed etiam veteres Philoſophi. Mundum vocitat adhuc Philo Judæus Dei templum. (Dei templum alterum ſummum verumque exiſtimandũ eſt mundus, ſcilicet hic univerſus.) Quem in teſtimonium Dei advocat ſanctus Proſper: (Quod eſt teſtimonium quod ſemper Domino deſervivit, & nunquam de ejus bonitate & poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo & enarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitio; per quam humanis cordibus, quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum & voluminibus temporum, communis & publicæ divinæ inſtitutionis doctrina legeretur? Cœlum ergo, mare, terra, & omnia quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſq; concentu, proteſtabantur gloriam Dei, & prędicatione perpetua majeſtatem ſui loquebantur auctoris; & tamen maximus hominum numerus hanc vocem non intelligit.) Mundus igitur & creaturæ quæ in eo ſunt, ſunt Dei ſpecies & imagines, quæ nobis Dei deſignant pulchritudinem: *A magnitudine ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator eorum videri.* Sunt Dei ſpecula, quæ divinas repræſentant perfectiones; ſunt ſui artificis præcones, nulla eſt tam elinguis, quæ tacito ſermone non clamitet: (Ipſe fecit nos, & non ipſæ nos:) Sunt teſtes omni exceptione majores qui de Deo irrevocabile ferunt teſtimonium. *Vultis ex operibus ipſius tot ac talibus, quibus continemur, quibus ſuſtinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur?* At proh dolor! in ſacro hoc libro Dei exiſtentiam non legunt impii, in perſpicuo illo ſpeculo divinas ejus non intuentur perfectiones, obturant aures ne audiant creaturarũ voces, earum teſtimonium in dubium revocant, & Deum non venerantur quem ignorare non poſſunt. *Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere quem ignorare non poſſunt,* etiam ex animæ ipſius teſtimonio.

Ter. l. adv Marc. 10. Min. in Oct. L. de Univ. Dei. L. 2. de Vocat. Gen. 4. Sap. 13. Tert. Apol. 17. Tert. Apol. 17.

3. *Vultis ex anima ipſius teſtimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis* Tert. Apol. 17.

 preſſa,

preſſa, licet inſtitutionibus pravis circumſcripta, licet libidinibus ac concupiſcentijs evigorata, licet falſis deis exancillata. Advocat teſtimonium animæ, non religione veri Dei inſtructæ; ſed idololatriæ mancipatæ; non virtutis ſtudioſæ, ſed vitiis deditæ: non bonis diſciplinis eruditæ, ſed pravis inſtitutionibus educatæ. *Cũ tamẽ reſipiſcit, ut ex crapula, ut ex ſomno, ut ex aliqua valetudine, & ſanitatem ſuã potitur, Deũ nominat, hoc ſolo nomine, quia proprio Dei veri. De' magnus, Deus bonus, & quod Deus dederit, omnium vox eſt. Iudicẽ quoq; conteſtatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ! Denique pronuntians hæc, non ad capitolium, ſed ad cœlum reſpicit: novit enim ſedem Dei vivi, ab illo, & inde deſcendit.* Mirum non eſt quod anima chriſtiana Dei teſtetur exiſtentiam ejuſque enarret perfectiones; quia in ſchola religionis erudita divinas didicit perfectiones: Sed ſtupendum ſane eſt quod anima idololatriæ dedita, pravè erudita, ſceleribus contaminata, naturaliter Deum nominet, Deum cognoſcat ejuſque teſtetur veritatem, bonitatem, magnitudinem, beneficentiam, juſtitiam. Tale teſtimonium impietatem confundit, & penitus evertit. Eodem argumento atheos pulſat alios ſum Tertullianus, & teſtimonium prodit animæ rudis, impolitæ, ineruditæ & inexercitæ, quæ tamen ſe ſola abſque ullo magiſtro Deum agnoſcit, &
Lib. de Teſt. An. 1. prædicat. *Conſiſte in medio anima, ſed non eam te advoco, quæ ſcholis formata, bibliothecis exercitata, academijs & porticibus atticis paſta, ſapientiam ructas. Te ſimplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam compello, qualem ſe habent, qui te ſolam habent, illam ipſam de compito, de trivio, de textrina totam: imperitia tua mihi opus eſt, quoniam aliquantulæ peritiæ nemo credit: ea expoſtulo quæ tecum homini inſers, quæ aut ex temetipſa, aut ex quocunque auctore tuo ſentire didiciſti. Non es, quod ſciam, Chriſtiana: fieri enim, non naſci ſoles Chriſtiana. Tamen nunc à te teſtimonium flagitant Chriſtiani, ab extranea adverſus tuos, ut vel tibi erubeſcant, quod nos ob ea oderint & irrideant, quæ te nunc conſciam deti-*
Cap. 2. *neant. Non placemus Deum prædicantes hoc nomine unice unicum, à quo omnia, & ſub quo univerſa. Dic teſtimonium ſi ita ſcis; Nam te quoque palam & tota libertate, quia non licet nobis, domi aut foris audimus ita pronuntiare, quod Deus dederit, & ſi Deus voluerit. Ea voce & aliquem eſſe ſignificas, & omnem illi confiteris poteſtatem, ad cujus ſpectat voluntatem. De natura quoque Dei quam prædicamus, nec te latet Deus bonus, Deus benefacit, tua vox eſt. Benedicat te Deus, tam facile pronuntias, quã Chriſtiano neceſſe eſt. Hinc ergo tibi anima, de conſcientia ſuppetit domi ac foris, nullo irridente vel prohibente prædicare, Deus videt omnia, & Deo commendo, & Deus reddet, & Deus inter nos judicabit.* Unde animæ talis de Deo notitia? Non à chriſtiana religione, quia illam non profitetur: non de eruditione, quia nullis eſt inſtructa litteris: ſed à natura, ſeu potius à Deo auctore naturæ, qui ei ſui notitiam indidit, ut impii qui voces creaturarum Deum proclamantiũ non audiunt, teſtimonio ipſius animæ convincantur. *Hæc teſtimonia animæ*
Cap. 5. *quanto vera, tanto ſimplicia: quanto ſimplicia, tanto vulgaria; quanto vulgaria,*

tanto

tanto communia: quanto communia, tanto naturalia: quanto naturalia, tanto divina. Non puto cuiquam frivolum & frigidum videri poſſe, ſi recogitet naturæ majeſtatem, ex qua cenſetur auctoritas animæ, quantum dederis magiſtræ, tantum adjudicabis diſcipulæ. Magiſtra natura, anima diſcipula: quidquid aut illa edocuit, aut iſta perdidicit, à Deo traditum eſt, magiſtro ſcilicet ipſius magiſtræ.

Stabilita Dei exiſtentia naturali animæ teſtimonio, objectionem ab impiis fieri ſolitam adducit Tertullianus. *Sed qui ejuſmodi eruptiones animæ non putavit doctrinam eſſe naturæ congenitæ, & ingenitæ conſcientiæ tacita commiſſa, dicet potius diventilatis in vulgus opinionibus, publicatarum litterarum uſum jam & quaſi vitium corroboratum taliter ſermocinandi.* Huic evaſioni multimode occurrit Tertullianus: 1. Animam eſſe omni litteratura priorem, & conſequenter naturalem Dei notitiam non mutuaſſe à litteratura. *Certe prior eſt anima quam littera, & prior ſermo quam liber; & prior ſenſus quam ſtylus, & prior homo ipſe quam Philoſophus & Poëta: Nunquid ergo credendum eſt, ante litteraturam, & divulgationem ejus, mutos ab hujuſmodi pronuntiationibus homines vixiſſe? Nemo Deum & bonitatem ejus loquebatur, opinor ſermo, imo nec ullus eſſe poterat, antequam litteræ in ſæculo germinaſſent, antequam Mercurius, opinor, natus fuiſſet.* 2. Unde litteræ notitiam Dei didicerunt & ſeminaverunt, ſi ante litteras, nulla mens de Deo cogitaverat? *Et unde ordo ipſis litteris contingit, noſſe, & in uſum loquelæ diſſeminare, quod nulla unquam mens conceperat, aut lingua protulerat, aut auris exceperat?* 3. Vel anima hunc loquendi de Deo modum accepit à litteris & ſententiis humanis, vel à litteris Dei & Scripturæ ſacræ oraculis, vel à natura, omni litteratura anteriori; vel tandem à Deo formata eſt animæ conſcientia. *Quid igitur vis, homo, de humanis ſententiis litterarum tuarum ex iſſe hæc in uſus communis calloſitatem? Crede itaque & tuis, & commentariis noſtris*, de quibus ſapientia humana mutuata eſt Dei notitiam. *Tanto magis crede divinis.* Scriptura enim ſacra divina eſt, utpote à Deo revelata. *Sed de animæ ipſius arbitrio perinde crede naturæ*, quæ Dei teſtatur exiſtentiam: *Elige quã ex his fidelibus ſororem obſerves veritatis: Si de tuis litteris dubitas, neque Deus, neque natura mentitur: Ut & naturæ & Deo credas, crede animæ, ita fiet ut & tibi credas.* 4. Non ſolum animæ Romæ aut Athenis nutritæ, ubi litteræ & ſcientiæ vigent, Deum cognoſcunt & Deum nominant; ſed etiam Barbarorũ, qui nunquam de ſcholis & academiis aliquid audierunt. *Vanus es, ſi huic linguæ ſoli aut Græcæ, quæ propinquæ inter ſe habentur, reputabis ejuſmodi, ut naturæ univerſalitatem, non Latinis, nec Argivis ſolis, anima de cœlo cadit. Omnium gentium unus homo varium nomen eſt: una anima, varia vox, unus ſpiritus, varius ſonus, propria cuique genti loquela. ſed loquelæ materia communis, Deus ubique, & bonitas Dei ubique.* Omnes homines ſunt ejuſdem ſpeciei, cunctis animabus eadem eſt ratio eſſentialis, licet individualiter diſcriminentur, & diverſis utantur linguis, in Dei tamen notitia & appellatione naturaliter conveniunt.

Cap. 5. Cap. 6. Cap. 6. Cap. 6.

Modo

Iſraëlitæ olim *ab illo maxime in idololatriam exorbitaverunt:* & hac tempeſta-
te ſunt multi ſceleroſi Chriſtiani, qui 1. Deo cultum & adorationem dene-
gant: 2. idola colunt & multiplicant: 3. plus falſos Deos quam Deum ve-
rum exiſtimant.

1. *Bene quod omnium Deus eſt, cujus velimus aut nolimus omnes ſumus.* Nullus Tert.
eſt homo qui ad Deum non pertineat, quique Deum ut ſuum authorem cole- Apol. 24.
re & adorare non teneatur. Præceptum decalogi Dei mandans cultum, nõ
eſt ceremoniale aut poſitivum dumtaxat, ſed naturale, in cordibus cunctorũ
hominum inditum. Nullus eſt homo qui quamdam non habeat Dei notiti-
am, & qui naturaliter Deum colendum non agnoſcat. At Chriſtiani, ultra
notitiam Dei naturalem divinitus illuſtrati ſunt, *propriæ religionis pignora quæ*
Deum naturæ de proximo colentes ſummam ei deferunt adorationem. Plures Tert. l. de
ſunt tamen ſceleroſi Chriſtiani, qui Deum nullatenus adorant, qui diebus Cor. mil. 7
dominicis divino cultui dicatis nullum religionis actum præſtant; quibus Abac. 3.
idipſum exprobrari poteſt quod ethnicis Tertullianus: *Vos impii & ſacrilegi*
& irreligioſi erga Deos veſtros deprehendimini, qui quos præſumitis eſſe, negligitis.
Si gentiles de impietate culpantur negligentes falſos deos; quanto crimi-
noſiores ſunt Chriſtiani, qui verum Deum credentes, contemnunt, neque
ullum religionis honorem deferunt? *Sed apud vos quodvis colere jus præter De-* Tert.
um verum. Urbani erga magnates, civiles erga æquales, obſervantes erga Apol. 24.
principes; nam ſuperioribus & regibus civilem exhibent cultum, & reli-
gioſum Deo denegant: & quod eſt deflendum magis, neglecto cultu veri
Dei, idola colunt, & falſos deos multiplicant.

2 *Quod colimus Deus unus eſt.* Tanta eſt idololatriæ cum atheiſmo connexio Tert.
& affinitas, ut plurium deorum affirmatio, ſit unius Dei veri omnimoda ne- Apol. 17.
gatio. Nam ut profunde ratiocinatur Tertullianus: *proinde Deus cum ſummum*
magnum ſit, recte veritas noſtra pronuntiavit: Deus ſi non unus eſt, non eſt. Non quaſi Lib. 1. adv. Marc. 3.
dubitemus eſſe Deum, dicendo, ſi non unus eſt, non eſt: ſed quia quem confidimus eſſe,
id eum definiamus eſſe, quod ſi non eſt, Deus non eſt; ſummum ſcilicet magnum. Por-
ro, ſummum magnum unicum ſit neceſſe eſt: Ergo & Deus unicus erit. Non aliter De-
us, niſi ſummum magnum, nec aliter ſummum magnum, niſi parem non habens:
nec aliter parem non habens, niſi unicus fuerit. Ratio Dei unitatem evidenter
demonſtrat: religio adhuc eadem veritatem perſpicue oſtentat; alias *cultura* Tert. l. 1.
ejus in anceps deduceretur, ecce enim duos intuens deos, tam pares quam duo ſum- adv.
ma magna, quid facerem ſi ambos colerem? Vererer nè abundantia officii, ſuperſtitio Marc. 5.
potius quam religio exiſtimaretur; quia duos tam pares, & in altero ambos
poſſem in uno demereri: hoc ipſo teſtimonio præſtans parilitati & unitati eorum
dum alterum in altero venerarer, dum in uno mihi duo ſunt. Si alterum co-
lerem, æque recogitarem ne ſuffundere viderer numeri vanitatem, ſine
differentia ſupervacui, hoc eſt, tutius cenſerem neutrum colendum, quam
alterum cum ſcrupulo colendum, aut ambos vane. Inde colligendum eſt

cum Lactantio Firmiano: (ſi natura non patitur ut ſint unius hominis plu-
L. de Ver. Sap. cap. 8 res patres, etiam multos colere deos contra naturam eſt, contraque pieta-
tem.) Romani tamen gentiles contra naturam & pietatem plures colebant
deos: *Nec ego per ſingulos decurram, tot ac tantos, novos, veteres, Barbaros, Græcos,*
Tert. Apol. 10. *Romanos, peregrinos, captivos, adoptivos, proprios, communes, maſculos, fœminas,*
ruſticos, urbanos, nauticos, militares. Otioſum eſſet ſingulos perſequi, & eorum
officia quam varia fuerint referre. Neq; ſolum gentiles fuerunt idololatriæ
dediti, falſosque multiplicaverunt deos, ſed etiam Chriſtiani peccando ido-
lolatriam committunt: *Nam etſi ſuam ſpeciem tenet unumquodque delictum, &*
Tert. l. de Idol. 1. *ſic ſuo quoque nomine judicio deſtinatur, in idololatria tamen crimine expungitur.*
Nullum eſt peccatum in quo idololatria non reperiatur, ut fuſe demonſtrat
Tertullianus: Nam *cum univerſa delicta adverſus Deum ſapiant, nihil autem*
quod adverſus Deum ſapiat non dæmonis & immundis ſpiritibus deputetur, quibus
idola mancipantur, ſine dubio idololatriam admittit, quicunque delinquit, id enim
facit quod ad idolorum mancipes pertinet, totque deos multiplicat quot ſunt ob-
Cap. 4. jecta in quibus finem ſuum ultimum collocat. *Omnia igitur colit humanus er-*
ror, præter ipſum omnium conditorem. Ambitioſus honorem colit; Libidinoſus
venereas voluptates; Avarus divitias: Iracundus vindictam: & quivis pec-
Cap. 1. cator ea in quibus ſuam conſtituit fœlicitatem: *Plerique idololatriam ſimpli-*
citer exiſtimant his ſolis modis interpretandam; ſi quis aut incendat, aut immolet,
aut polluceat, aut ſacris aliquibus, aut ſacerdotijs obligetur: At enim Dominus quam
extenſius iſta diſponat certi ſumus: alioquin in modico conſiſteret, & diaboli ingeni-
um de malitia, & Dei Domini de diſciplina, qua nos adverſus diaboli latitudines mu-
nit, ſi in his tantum delictis judicaremur, quæ etiam nationes decreverunt vindi-
cando. Idololatria non ſolum eſt in manifeſtis recognoſcenda, dum idolum ex
ligno vel marmore, vel ex ære, vel ex argento & auro, vel ex aliqua alia ma-
Cap. 3. teria ab artifice fabricatum, adorandum proponitur. *Quando & ſine dubio ido-*
lolatria fiat. Duplex eſt idolum: aliud exterius & materiale, manu formatũ
artificis; aliud interius, in mente conceptum, voluntate peccatoris recogni-
tum, quodve ſine idolo externo & materiali, ad idololatriam ſufficit. *Ido-*
lum aliquandiu retro non erat priuſquam hujus monſtri artifices ebulliſſent, ſola
templa & vacua ædes erant, tamen idololatria agebatur, non in iſto nomine, ſed in
iſto opere. Sicut autem antiquitus ſine externis idolis agebatur idololatria
ita *& hodie extra templum & ſine idolo agi poteſt,* & criminoſi Chriſtiani vitiis
dediti, Deum ſibi debito honore defraudant, quem vitiorum ſuorum obje-
ctis injuſte deferunt. *Fraudis conditio ea eſt, opinor, ſi quis alienum rapiat, aut alij*
Cap. 1. *debitum deneget, & utique erga hominem admiſſa fraus: maximi criminis nomen*
eſt: at enim idololatria fraudem Deo facit, honores illi ſuos denegans, & conferens
alijs, ut fraudi etiam contumeliam conjungat. Peccator erga Deum fraudem &
contumeliam committit. Fraudem ſummũ Deo non reddens cultum: con-
tumeliam, debitum latriæ cultum deferens rebus quas colit. Quia vero *caput*

injuſtitia idololatria eſt; quanta quæſo peccatoris injuſtitia, qui plus falſos deos, quam verum Deum exiſtimat? Cap. 3.

3. Deus eſt ſummum magnum unicum, ſingulare & principale. Unicum, *non aliter Deus niſi ſummum magnum, nec aliter ſummum magnum, niſi parem non habens: nec aliter parem non habens niſi unicus fuerit.* Singulare etiam: *ex defectione æmuli ſolitudinem quamdã de ſingularitate præſtantiæ ſuæ poſſidens*: quid eſt autem ſingulare, *niſi cui nihil adæquabitur?* Tandẽ principale: At *quid principale, niſi quod ſuper omnia, quod ante omnia, & ex quo omnia?* Attamen criminoſus peccator ſummum magnum parem non habens, ſummũ magnum ſingulare, cui nihil poteſt æquari: ſummũ magnũ ſingulare & principale quod eſt ſupra omnia, minus quã falſos Deos exiſtimat, impieque ſuis vitiis & diabolo poſtponit. *Nonne quod dicere quoque periculum eſt, diabolum Domino præponit*, qui cũ ſit unus Deus, eſt unice colẽdus, & cũ ſit verus Deꝰ eſt vere adorãdꝰ.

Tert. l. 1. adv. Marc. 3. — Cap. 4. — Ter. l. adv. Herm. 4. — Tert. l. de Pen. 5.

Quid ergo de ceteris ingenijs vel etiam viribus fallaciæ ſpiritalis ediſſeram? Nam dæmon furatus divinationem, mira & prodigia operatus, morbos & ægritudines curavit, in ſimulachris oracula edidit, admirandam prorſus potentiam oſtendit, aliaque multa præternaturalia patravit, *ut numina lapides crederentur; & Deus verus non quæreretur.* Verum depulſis diſciplinâ & fide Chriſtiana falſis numinibus, ſolus, unicus, & verus Deus prout decet vere eſt adorandus. Nam cognito Deo, ejuſque veritate reperta, *quid amplius homini neceſſarium, quam cura in Deum verum?* Hæc autem religioſa cura in Deum verum tria complectitur: 1. Mentis cognitionem: 2. voluntatis dejectionem: 3. humilem corporis compoſitionem.

II. PARS. — Tert. Apol. 22. — Tert. l. 2. adv. Marc. 5.

1. *Nos ſi forte integrum & totum Deum colimus*, ejus majeſtatem agnoſcere ſtudeamus, nam cultus exiſtimationem importat ejus qui colitur; exiſtimatio autem à cognitione habetur: *Cum omnis vita bona via in vera religione ſit conſtituta, in qua unus Deus colitur, & purgatiſſima pietate cognoſcitur.* Verum, ut bene animadvertit Tertullianꝰ, quantumvis mentis & fidei attollat oculos Chriſtianus, numquam Deum cognoſcet quantum cognoſcibilis eſt: quia eum vis *magnitudinis & notum hominibus objicit & ignotum.* Quantumvis Deũ humana mens exiſtimet, numquam tantùm exiſtimabit, quantùm æſtimabilis eſt: Nam *Deus inæſtimabilis eſt, etſi humanis ſenſibus æſtimetur: ideo verus & tantus eſt.* Quantumvis homo Deum laudet, nunquam tamen tantùm laudabit, quantùm laudabilis eſt; Nam *& quis magnificabit eum?* Lectio Tigurina habet: *Quis Deum extollet pro dignitate?* Quis laudem Deo dignam pronuntiabit? Nam *pene quod de Deo dicitur, eo ipſo jam indignum eſt, quod potuit dici: nam cujus laudi non ſufficit obſtupeſcens conſcientia, quomodo ſufficit loquens lingua?* Cum lingua ſit mentis interpres, quomodo poterit digne Deum laudibus prædicare, quem nequit mens perfecte cognoſcere? *Certe hoc eſt Deus quod cum dicitur non poteſt dici; cum æſtimatur*

Tert. Apol. 16. — D. Aug. l. de ver. Relig. 1. — Apol. 17. — Eccleſ. 43. — D. Greg. l. 5. Mor. 5. — Greg Naz. Orat. 49.

matur non poteſt æſtimari, cum definitur, ipſa definitione creſcit: quia neque à ſu-
In Prol. l. de Oper. Cardin. premis Seraphinis poteſt cognoſci, æſtimari & laudari, quantum eſt agnoſcibilis, æſtimabilis & laudabilis: Nam ut ratiocinatur D. Cypr. *Quidquid audiri, vel videri, vel ſciri poteſt, non convenit majeſtati; hebes eſt in hac conſideratione omnis acies ſenſuum, & caligat aſpectus.* Adeo ſublimiſſima auguſta Dei excellentia, ut omnem viſum, auditum & ſcientiam longe ſuperet, hymnuſq; omnis ore humano prolatus, quantumvis facunde loquax, putetur divinæ laudis
Pſ. 64. ſilentium: *Te decet hymnus Deus in Sion.* D. Hieronymus legit: *Tibi ſilentium laus Deus in Sion.* Vel quia eximium quoddam laudis eſt genus animi ſilentium, numen tacite & demiſſe venerantis. Hoc autem ſilentium oritur ex profundiſſima reverentia immenſæ Dei majeſtatis, coram qua loqui non audet. Vel potius facundia in divinis laudibus multo uberior & effuſior, tacita eſt, muta eſt, ſilentium eſt, quia cultior panegyris & exaggeratior laus, cum immenſam Dei perfectionem non adæquet, neque divinæ laudis elogium plene
D. Hilar. aſſequatur, ſilentii vocabulum promeretur. *Virtus Dei opinione non clauditur, nominibus non enuntiatur, arctus eſt ad id ſenſus noſter, ingenium hebes, ſermo*
Pſ. 144. *mutus.* Cujus rationem prodit Regius Vates: *Magnus Dominus & laudabilis nimis; & magnitudinis ejus non eſt finis.* Quem locum ſic expendunt Patres Græci: (Quid autem eſt laudabilis? Encomiis dignus, idque non ſimplici ratione, ſed valde nimis. Quam ſit laudabilis, quam ſit potens, verbis exprimi non poteſt: quapropter ſubjunxit, & magnitudinis ejus non eſt finis. Hæc, inquit, magnitudo incomprehenſibilis eſt, ſuper omnem comprehenſionem.)
In cap. 43. Eccleſ. Eundem locum ſic adhuc elucidat Rabanus Maurus: (Miranda complexio, vera prædicatio, ſic laudare Dominum, ut quantum eſt magnus non æſtimes explicandum, ſenſus enim totius creaturæ deficit, & ad illa retractio ſemper excreſcit. Nam ſicut nullo loco clauditur, ita neque eloquentia quantumvis ampliſſima, ejus poteſt præconia terminare: virtus inexplicabilis, pietas incomprehenſibilis, ſapientia ineffabilis, cujus vera definitio, finem in laudibus non habere.)

Pſ. 150. Verum ſi Deus eſt laudabilis nimis, ſi magnitudo ejus nequit ab hominibus digne laudari, cur eos ſtimulat Propheta? *Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus?* Quod expoſtulat Propheta poteſt uno ex his quatuor modis exequi: 1. Sic Deum laudent homines non quantum eſt laudabilis,
Eccl. c. 43. quia ſic eſt major omni laude: *Benedicite Dominum, exaltate illum quantum poteſtis: major eſt enim omni laude*; ſed quantum poſſunt illum laudare: (Quomo-
Theodorus Heracleota in Comm. & Græ. Pat. do fieri poteſt, ut laudes eum ſecundum multitudinē magnitudinis ejus? Nō hoc dicit, quod laudem afferre poſſis, quæ magnitudini ejus reſpendeat, ſed quantum, inquit, poteſt anima comprehendere multitudinem magnitudinis ejus, tantam & talem offer quantum tibi conceditur, qualem par eſt offerre tam magno Deo. Vidiſti mentem inflammantem, quæ contendit propriam ſuperare imbecillitatem?) In Deo laudando admiramur propriam ſuperare imbecillitatem. Vel 2. laudemus Deum ſecundum multitudinem

magnitudinis ejus, multa ejus attributa encomiis commendando; quomodo ut dixi ex Tertulliano, totum & integrum Deum colimus. Vel 3. exoptādo ut cunctæ creaturæ quæ ſunt in mundo, Dei magnalia prædicent: & hac ratione Apoſtoli poſt acceptum in die Pentecoſtes Spiritum ſanctum loquebantur variis linguis magnalia Dei. *Ut viri ſancti peregrino ſermone loquerentur, providentia divinitatis factum eſt, ut quia ad magnificandum Deum una loquela non ſufficit, per plures linguas mentis devotio ſolveretur.* Vel 4. uniendo ſuas laudes cum Beatorum elogiis, qui Deum inceſſabiliter laudant, & nunquam ab ejus laude ceſſabunt. *Cum non ſit finis magnitudinis, ſecundum eam laudatur Deus, cum ſine fine laudatur.* Verum quia nec omnium creaturarum linguę, nec æterna à parte poſt Beatorum laus nequit laudare Deum quantum eſt laudabilis, juſtus lætatur conſiderans Deum ſemetipſum perfectè laudantem, quem voluntatis dejectione veneratur. D. Amb. Ser. 75. Strab. Fuld.

3. Nam *Domino cognito* per rationis & fidei lumen cultus ei latriæ deferendus eſt: *Nos Deo ſervitutem, quæ & latria græcè dicitur debemus.* Tot enim ſunt ſpecies adorationis ſeu cultus, quot ſunt ſpecies excellentiæ. Honor debetur rei propter ejus excellentiam. Tres autē ſunt excellentiæ ſpecies. Prima eſt excellentia divina & infinita: Secunda eſt excellentia humana, naturalis & civilis, quæ in humanis virtutibus, dignitatibus & gradibus conſiſtit: Tertia eſt excellentia creata quidem, ſed ſupernaturalis, quæ in donis gratiæ & gloriæ ſita eſt. Cuilibet excellentiæ debetur veneratio proportionata. Excellentiæ humanæ, naturali & civili, debetur honor & cultus civilis Hoc cultu honorantur præceptores, magiſtratus, principes, parentes. Excellentiæ creatæ & ſupernaturali debetur cultus ſupernaturalis; qui dicitur Dulia. Hoc cultu honorantur Sancti. Excellentiæ divinæ debetur ſummus latriæ cultus, qui ſoli Deo competit, neque poteſt deferri creaturæ quantumvis donis naturæ & gratiæ ſublimatæ. Et quia *voluntas facti origo*, cultus Deo exhibitus, principaliter in voluntatis dejectione ſitus eſt, admittit tamen humilem corporis diſpoſitionem tanquam ſignum internæ adorationis. Tert. l. de Pœn. 3. D. Aug. l. 5. de Civ. 4. Tert. l. de Pœn. 3.

3. *Dominum ſimul inſpexeris, reverearis.* Adoratio tres complectitur actus. 1. Actum intellectus, quo alicujus excellentia apprehenditur: 2. Actum voluntatis, qua ſe dejicit, ejuſque excellentiam, & ſuam proteſtatur ſubjectionem, 3. per actum corporis externum, ut capitis inclinationem, genuflexionē, vel aliquod aliud ſignum ſubjectionis. Eſſentia adorationis non conſiſtit in actu intellectus: multi enim cognoſcunt Deum qui Deum non colunt, ſed offendunt. *Ceterum quid te cognoviſſe intereſt, cum iiſdem incuo as, quibus retro ignarus?* Neque etiam conſiſtit in ſignis venerationis corporeis quæ fieri poſſunt deriſoriè: Sic milites & Judæi illudentes Chriſto genuflectebāt: ſed conſiſtit in interiori voluntatis adoratione qua *corde & animo ſuſpicitur* Deus. Quia tamē voluntas eſt potentia cæca quæ non fertur in incognitum, intellectûs cognitio debet præcedere, & demonſtrare voluntati excellentiam Dei, quem debet Tert. l. de Pœn. 7. Tert. l. de Pœn. 6. Tert. l. de Pœn. 6.

debet adorare. Et quia homo eſt corpore & anima compoſitus, accepitque à Deo tum animam tum corpus, æquiſſimum eſt ut animâ & corpore Deum adoret: ſiquidem religio quæ docet Dei cultum, *proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt.* Hoc enim externo ſigno denotatur interna voluntatis adoratio; qua ſeſe dejecit ante Deum, eumque ſupremo latriæ cultu adorat, tanquam ſuum auctorem finem ultimum, ſummum & infinitum bonum: At *Socratis ſententia eſt, Deum ſic coli oportere quomodo ſe colendum ipſe præcepit.* Deus autem vult ſanctè coli.

Tert. l. de Pœn. 9.

D. Aug. l. de Conſenſ. Evang c. 18.

In Deo eſt *cenſus totius ſanctitatis & majeſtatis.* Summa Dei majeſtas eſt ſupremo latriæ cultu adoranda, & infinita ejus ſanctitas, eſt ſanctè veneranda. Sanctè autem colitur Deus, 1. ſanctę virtutis operatione: 2. divinæ ſanctitatis imitatione: 3. ſancti ſacrificii oblatione.

II. PARS. Ter. l. adv Valent. 7.

1. *Conſideremus itaq; benedicti, cœleſtem Chriſti Domini ſophiam, imprimis, de præcepto ſecrete adorandi: quo & fidē hominis exigeret, ut Dei omnipotentis & conſpectum & auditū, ſub tectis & in abditis etiam adeſſe confideret, ut quē audire & videre confideret ei ſoli religionē ſuā offerret.* Ubiq; colendum Deū docet Tertull. quomodo autē colendus ſit, declarat D. Auguſt. *Deſideras breviter aperiri, atq; in ſermonem brevem colligi, quonam modo colendus ſit Deus? Reſpondeo, fide, ſpe, & charitate colendum.* Licet latria qua colitur Deus, ſit virtus quædam specialis & moralis, D. autem Auguſtinus eam contemplatur tanquam generalē virtutem ex tribus Theologicis virtutibus conflatam: Nam ſicut prudentia & charitas ſunt virtutes ſpeciales, quia ſpeciale habent objectum, & tamen ſimul ſunt aliquo modo generales, quia dirigunt aut ordinant actus omnium virtutum; ita latria eſt ſpecialis virtus, quia Dei honor, eſt ſpeciale ejus objectum, & tamen ſimul eſt generalis, qui ad honorandum Deum cunctarum virtutum utitur actibus, præſertim fidei, ſpei, & charitatis. Summus etenim honor Deo defertur, cum per fidem proteſtamur eum eſſe primam veritatē: per ſpem, eſſe potentiſſimum, & per charitatem ſummum bonum. Idcirco fides, ſpes, charitas ſunt virtutes Theologicæ, quia earum actus circa Deum verſantur. Latria vero eſt virtus moralis & religionis, quia circa actus virtutum etiam Theologicarum verſatur, & ita Deus, eſt objectum actuū fidei, ſpei, & charitatis: actus vero fidei, ſpei & charitatis ſunt objectum latriæ.

Tert. l. de Orat. 1.

In Enchir. c. 2.

Ut autem ſanctè virtutum actibus colatur Deus, duo ſunt homini neceſſaria: Unum, ut ſit crimine abſolutus: aliud, ut Deus propter ſemetipſum colatur. Homines crimínoſos *profanos cultores* vocitat Tertullianus. *Vera religio eſt, qua ſe uni Deo anima, unde ſe peccato velut abruperat, reconciliatione religat.* Eorum verò qui propter aliud & non propter Deum colunt, vanum nūcupat cultum: *quamquam vana cultura.* Quia ſcilicet ad ultimum non refertur finem. Fides credit divinæ veritati, ſpes divinæ miſericordiæ innitur, charitas divinam bonitatem propter ſemetipſam diligit, & latria Deum propter ſemetipſum colit. *Hoc affectu & deſiderio colendus eſt Deus, ut ſui cultus ipſe ſit mer-*

Apol. 21. D. Aug. l. de Quant. Anim. 36. Tert.

merces. Nam qui Deum ideo colit, ut magis aliud quam ipſum promereatur, non De- D. Aug. ſer. de Ver. Inn. c. 20
um colit, ſed id quod aſſequi concupiſcit. Cur autem Deus propter ſe eſt colendus?
Quia hoc colitur quod diligitur, & Deus rebus omnibus major & melior invenitur:
ideo plus diligendus eſt omnibus, ut colatur. Qui ordinato hoc cultu Deum venera- D. Aug. in Pſ. 77.
tur, mercede non fruſtratur. *De cultu Dei mercedem non habebimus? Habebimus*
plane, ſed ipſum Deum quem colimus. Ipſe nobis merces erit, quia videbimus eum ſi- D. Aug. in Pſ. 8.
cuti eſt. Sic abunde remunerat Deus eos qui eum virtute venerantur, ejuſque
ſanctitatem imitantur.

2. *Eſtote ſancti ſicut & ille ſanctus.* Non immerito Eccleſia nuncupatur ſan- Tert. l. de
cta, quia Deum ſanctum colit, & cuncta ejus membra ſanctitate ſplendeſcere Mon. 3.
tenentur. Eccleſia eſt aut triumphans in cœlo, aut militans in terra; utraque
de ſanctitate commendatur. Triumphans quidem, nam ut fatur Tertullia- L. 1. ad
nus, *tota illa Eccleſia candida, de ſanctitate deſcribitur.* Militans etiam, quare Ux. 7.
Chriſtiani qui eam componunt, dicuntur *ſanctitatis viri.* Plura ſunt quæ e-
os ad ſanctitatem ſtimulant. Maxime ſanctitas Dei quem colunt, *quæ pro-* Tert. l. de Idol. 18.
pria natura eſt ejus. Ut autem docet D. Gregorius Nyſſenus, *Chriſtianiſmus* Tert. l. de Mon. 30.
eſt imitatio divinæ naturæ: & ita verus Dei cultor, ejus eſt imitator: Ut enim Tractat.
ratiocinatur D. Auguſtinus; *Illum religione colas, quem imitari velis, cum reli-* quid.
gionis ſumma ſit imitari quem colis. Qui colunt Deum, coluntur à Deo; quod Chriſt. profeſ. ſibi
quomodo fiat, bellè declarat D. Auguſtinus: (Colimus Deum & colit nos velit.
Deus. Sed ſic Deum colimus, ut non eum meliorem faciamus. Colimus e- L. 18. Civ. 17.
nim adorando, non arando: ille autem colit nos tanquam agricola agrum. Ser. 19. de
Quid ergo ille nos colit, meliores nos reddit: quia & agricola agrum colen- Verb. Do.
do, meliorem facit, & ipſum fructum in nobis quærit, ut eum colamus. Cul-
tura ipſius eſt in nos, quod non ceſſat verbo ſuo extirpare mala ſemina de
cordibus noſtris, aperire cor noſtrum tanquam aratro ſermonis, plantare ſe-
mina præceptorum, expectare fructum pietatis. Cum enim iſtam culturam
ſic acceperimus in cor noſtrum, ut eum bene colamus, non exiſtimus ingra-
ti agricolæ noſtro, ſed fructum reddimus quo gaudeat, & fructus noſter non
illum ditiorem facit, ſed nos beatiores.) Idem proſequitur adhuc argumen-
tum, oſtendens quomodo colat Deus homines, & præmiet colentes ſe.
(Magna res, fratres chariſſimi, hæreditas Dei ſumus, & hæreditas noſtra Ser. 5. de Verb. Do.
ipſe eſt: quia colimus eum, & colit nos, nulla eſt illi injuria quia colit nos.
Quia ſi nos colimus, colimus eum ut Dominum noſtrum, colit nos ut a-
grum ſuum. Si fructum damus; parat horreum: ſed ſi ſub tanto cultore
ſteriles eſſe voluerimus, ut pro frumento ſpinas proferamus, nolo dicere
quod ſequitur.) Dicit quidem D. Auguſtinus præmium eorum qui Deo
cultori ſanctitatis afferunt fructus, quibus eum colunt, ſed non vult dice-
re ſupplicium eorum, qui nullum fructum cultori Deo afferunt: Utrum-
que belle declarat Tertullianus. *Dei quidem cultores apud Deum ſem-*
per, ſuperinduti ſubſtantia propria æternitatis: profani vero, & qui non integre Apol. 48.

ad Deum, in pœnam æque jugis ignis, habentes ex ipſa natura ejus, divina ſcilicet, ſubministrationem æternitatis. Supplicium æternum eſt pœna præparata iis qui Deum non colunt: beatitudo vero æterna, merces eorum qui Deum colunt ſancti ſacrificii oblatione.

Tert. l. ad Scap. c. 2. D. Aug. Ep. 49. ad Deo gratias. Qu. 3. 3. *Sacrificamus, ſed Deo noſtro.* Sacrificium ſoli Deo poteſt offerri: *Templum, ſacerdos & ſacrificium, & omnia quæcumque ad hæc pertinentia, nonniſi uni vero Deo debent exhiberi: & cum hæc exhibentur ſecundum ejus inſpirationem, vera religio eſt.* In trina lege, Naturali, Moſaica & Evangelica, ſibi voluit Deus offerri ſacrificia, fuereque homines qui hunc ei religionis exhibuerunt cultum. In lege Naturali brevi tempore poſt mundum conditum: Tert. l. adv. Iud. c. 2. *Sobolem Adami Abel offerentem ſibi ſacrificia laudavit Deus.* In lege Moſaica ſibi offerri ſacrificia mandavit Deus, ut populum Iſraëliticum idololatriæ pronum, ab illa avocaret, Tert. l. 2. adv. Marc. c. 18. & cultui ſuo adſtringeret: *Sed illam Dei induſtriam ſentiat qua populum pronum in idololatriam, ejuſmodi officijs religionis ſuæ voluit adſtringere, quibus ſuperſtitio ſeculi agebatur, ut ab ea avocaret illos.* In lege Evangelica ſacroſanctum miſſæ Tert. l. 3. adv. Marc. c. 22. ſacrificium ubique Deo offertur: ut ipſemet declarat per os Malachiæ Prophetæ: *In omni loco ſacrificium nomini meo offertur.*

Sicut autem Deo offerre ſacrificia vera religio eſt; D. Aug. Ibid. *cum autem dæmonibus ſecundum eorum impiam ſuperbiam, noxia ſuperſtitio eſt.* Res autem idololatriæ erant in quadruplici differentia; 1. Sacerdos: Tert. l. de Idol. c. 16. *Plane ad ſacerdotium & ſacrificium non ibo, proprium enim idoli officium eſt.* 2. Miniſtrantes: *ſi merum quis ſacrificanti tradiderit, imo ſi verbo quoque aliquo ſacrificio neceſſario adjuverit, miniſter habebitur idololatriæ.* 3. Suppeditantes vel conſilium vel ſumptum ad ſacrificia idolis dicanda: *Sed neque conſilio, neq; ſumptu, aliave opera, in ejuſmodi fungar.* 5. Aſſiſtentes: *Si propter ſacrificium vocatus aſſiſtam, ero particeps idololatriæ.* Et quia contrariorum eadem eſt ratio, uti participes ſunt idololatriæ, non ſolum ſacerdotes qui idolis ſacrificant, non ſolum qui ſumptus ſuppeditant, non ſolum qui ſacrificio miniſtrant, ſed etiam aſſiſtentes; ſic participes ſunt religionis veri Dei ſacerdotes qui auguſtiſſimum Euchariſtiæ offerunt myſterium: miniſtrantes, qui ſacerdotem ſacrificantem adjuvant, templa ædificantes, vaſa ſacra, ornamenta cultui divino dicata ſubminiſtrantes: tandem Miſſæ aſſiſtentes.

Verùm *aram Dei mundam proponi oportet:* Tert. l. 1. ad Vx. 7. Et qui ſacrificat, & qui miniſtrat, & qui aſſiſtit, & qui templa Dei ditat, debent duplici nitere munditia; & puritate conſcientiæ, & puritate intentionis, ut ſacrificium mundum digne valeant offerre. Et quia Deum colere non poſſumus niſi ipſe prius colat nos, poſtulemus ab illo divino cultore gratiam, ut Luc. 1. *ſerviamus illi in ſanctitate omnibus diebus.*

CONCIO TERTIA.

Salva ſit Deo & auctoritas & ſubſtantia: quia ſolus & primus auctor eſt, & Dominus omnium cenſeatur. Seſe Dominum demonſtravit Deus legem imponendo hominibus, quos libertate donaverat, & obſequii capaces effecerat. Clemens Alexandrinus trinum diſtinguit Decalogum. Primum cœli, quod Dei majeſtatem prædicat; ſecundum terræ, ex elementis compoſitum, in quo divinæ perfectiones velut in paginis leguntur: tertium legis, quæ licet fuerit data Judæis in monte Sinai, eſt tamen naturaliter impreſſa cunctorum hominum cordibus. *Quæris igitur legem? Habes communem iſtam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apoſtolus ſolet provocare, ut cum ad Romanos, naturâ facere dicens nationes ea quæ ſunt legis, & legem naturalem ſuggerit, & naturã legalem.* Naturaliter enim homines norunt Deum adorandum & præcepta ejus obſervanda, facienda bona quæ præcipit, fugienda mala quæ prohibet. *Domino enim agnito, ultro ſpiritus à ſuo auctore reſpectus, emergit ad notitiam veritatis: & admiſſus ad dominica præcepta, ex ipſis ſtatim eruditur, Id peccato deputandum à quo Deus arceat.* Neque ſolum peccat, qui à Deo prohibita committit, ſed etiam qui ejus mandata libenter & per contemptum omittit. Homo divina præcepta ſive affirmativa, ſive negativa ſervare tenetur. *Cuſtodia officium, conſcientia officium eſt.* Quapropter Chriſtiane, *eſto religioſus in Deum*, legi ejus humiliter obtempera. Tria ſunt quæ te ad ejuſmodi obſervantiam inducunt: 1. Præcipientis auctoritas: 2. Legis bonitas: 3. Obſequentis utilitas.

Ter. l. adv. Herm. 5.
Strom. 6.
Tert. l. de Cor. Mil. 6
Tert. l de Pœn. 3.
Ter. l. adv Valent. 1.
Tert. Apol. 34.

I. PARS.

Ad exhibitionem obſequij prior eſt majeſtas divinæ poteſtatis, prior eſt auctoritas imperantis. Sicut nulla eſt majeſtas divinæ comparanda, ſic nulla eſt auctoritas ei aſſimilanda, *Nullus ei ſimilis in Legiſlatoribus.* A mundi exordio Deus ſuam poteſtatem, & auctoritatem demonſtravit. Poteſtatem, producendo de nihilo cœlum & terram. Quod innuit Moyſes dicens quod Deus in principio creavit cœlum & terram. Etenim *principij vocabulum poteſtativum capit principatum: in principatu enim & in poteſtate Deus fecit cœlum & terram.* Auctoritatem etiam demonſtravit, imponendo homini legem. *Porro ſi legis imponendæ ratio præceſſit, ſequebatur etiam obſervandæ.* Obſervanda ſane erat lex à Deo protoparenti impoſita, obſervanda adhuc lex nepotibus ejus data: quia 1. Dominus habens auctoritatem præcipit: 2. per ſemetipſum præcipit: 3. hortando ad obſequium, præcipit.

Tert. l. de Pœn. 4.
Iob. 36.
Ter. l. adv. Herm. 19.
Tert. l. 2. adv. Marc. 4.

1. *Dominus Dei eſt cognomen.* Qui Dei obſequuntur mandatis, illum tanquam Dominum cognoſcunt: *Quid enim eſt aliud eſſe ſub Domino niſi eſſe ſub præcepto?* Immo ipſemet Deus ut homines ad legis obſervantiam induceret, ſe Dominum declarat: *Ego Dominus: leges meas cuſtodite*: Inde concludit D. Cyrillus:

Tert. Apol. 34.
D. Aug. Ser. 14. de Temp.
Exod. 20.

Soli cognoſcere Dominum dicuntur, qui viam mandatorum ejus perambulant. Qui vero Dei contemnunt præcepta, Deum Dominum non agnoſcunt, ſimiles Pharaoni, cui dixit Moyſes à Deo deputatus: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dimitte populum meum.* At Pharao populum nolens dimittere, nec Deo obſequi; arroganter reſpondit: *Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam.*

Exod. 5.

Tertullianus magnum agnoſcit diſcrimen inter hæc duo nomina, Deus & Dominus. Deus nomen eſt ſubſtantiæ; Dominus nomen poteſtatis: Deus eſt ab æterno, Dominus in tempore: quia cum referatur ad res quæ ejus ſubduntur poteſtati, cum hæ res fuerint tantum in tempore, Domini nomen Deo duntaxat in tempore competit. *Dei nomen dicimus ſemper fuiſſe apud ſemetipſum, & in ſemetipſo: Dominum vero non ſemper: diverſa enim utriuſque conditio. Deus ſubſtantia ipſius nomen, id eſt divinitatis; Dominus vero non ſubſtantiæ, ſed poteſtatis: ſubſtantiam ſemper fuiſſe cum ſuo nomine, quod eſt Deus, poſtea Dominus, accedentis ſcilicet rei mentio. Nam ex quo eſſe cœperunt in qua poteſtas Domini ageret, ex illo per acceſſionem poteſtatis, & factus & Dictus eſt Dominus:* Quod comparatione patris & judicis explicat, Nam nec eſt pater hominum antequam exiſtant homines, neque judex antequam ſit delictum quod puniat: *Quia & pater Deus eſt, & judex Deus eſt; non tamen ideo pater & judex ſemper, quia Deus ſemper: Nam nec pater potuit eſſe ante filium, nec judex ante delictum: fuit ante tempus, cum & delictum, & filius non fuit; quod judicem, & qui patrem Deum faceret. Sic & Dominus non ante ea quorum Dominus exiſteret, ſed Dominus tantum futurus quandoque, ſicut pater per filium, ſicut judex per delictū: ita & Dominus per ea, quæ ſibi ſervitura feciſſet.* Fuit autem Deus ab æterno, Dominus & judex in actu primo, in actu autē exercito, fuit tantum Dominus dū poteſtatem ſuam in hominē præſertim exercuit: Deus namq; impropriè dicitur Dominus creaturarum irrationaliū, quæ cùm libertate careant, propriè non ſunt obedientiæ capaces. Quia vero homo eſt libertate prædi tus, obſequii propriè eſt capax, ideoq; Deus hominis propriè eſt Dominus. Quod innuit Moyſes mundi deſcribens creationem. Nam cum de productione cœli, terræ & lucis loquitur, Dei tantum facit mentionem, loquens autem de hominis formatione, nomini Dei addit Domini titulum. Quod acute animadvertit Tertullianus: *Et dixit Deus, & fecit Deus, & vidit Deus, & nuſquam adhuc Dominus: at ubi univerſa perfecit, ipſumque vel maxime hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur. Tunc etiam Domini us nomen adjunxit: Et accepit Deus Dominus hominē quem finxit. Et præcepit Dominus Deus. Et exinde Dominus, qui retro Deus tantum, ex quo habuit cujus eſſet. Nā r eus ſibi erat; hominibus autem tunc Deus, cum & Dominus.* Meritò ſacer textus. De m non creaturarum irrationalium, ſed hominis tantum Dominum nominat. Glorioſum valdè non eſt dominari creaturis ratione & libertate deſtitutis, ſed multum eſt honorabile imperare ſubditis intellectu & libero arbitrio præditis, qui Domini ſui agnoſcunt dignitatem, & mandatis ejus

Lib. adv. Herm. 5.

Lib. adv. Herm. 3.

ſpo n-

ſpontaneum præſtant obſequium. Perfecta dominatio, ait D. Chryſoſtomus, non conſiſtit in abundantia argenti, auri, unionum; neque in numeroſis gregibus, ſed in imperio ſupra ſubditos, qui ſponte & libere obſequantur. Quare licet Deus ſit omnium creaturarum Deus, proprie tamen Dominus eſt Angelorum & hominum, qui mandatis ejus ultro & libenter obtemperant. Quod probe ſciens dæmon in tentando protoparente, Domini nomen tacuit, Dixit quidem: Cur præcepit Deus? ſed non, Cur præcepit Dominus? Etenim ſi ita locutus fuiſſet, revocaſſet ad memoriam Adami, & Dei dominationem & ſuam ſubjectionem, reſpondiſſetque tentatori: Præcepit nobis: quia Dominus habet auctoritatem præcipiendi, & quia nos ſumus ejus imperio ſubditi, debemus obtemperare Domino, qui habet jus imperandi, & qui per ſemetipſum præcipit. Hom. 16. in Matth.

2. *Nec pluribus de obſequij exhibitione debita à nobis* Domino Deo. Satis eſt ad obſequium præſtandum, ſcire quod Dominus qui præcepit, Deus eſt, *Deus eſt qui præcepit, ne quæras amplius.* Reges terræ ut majorem præbeant ſuis legibus auctoritatem, in initio dignitatis ſuæ inſerunt titulos. Sic ſuis Satrapis ſcribit Aſſuerus. *Rex magnus Artaxerxes ab India uſque ad Æthiopiam centum viginti ſeptem provinciarum principibus, & ducibus qui ejus imperio ſubditi ſunt, ſalutem.* Sic loquitur Rapſaces cunctas nationes regis Aſſyriorum imperio ſubjicere deſiderans. *Hæc dicit Rex Aſſyriorum.* Sic Nabuchodonoſor volens univerſam ſubjugare terram, ſeſe regem nuncupat. Sic Deus tradens Decalogi legem, homini ut ad ejus obſervantiam fortius illum adſtringeret, ita fatur: *Ego ſum* Dominus Deus *tuus*, & hoc loquendi modo ſupremam ſuam dominationem & auctoritatem commendat. Non loquitur more Prophetarum, qui, ut belle animadvertit Tertullianus, ut plurimum hæc propalant verba; *Hæc dicit dominus*, ſed in propria perſona loquitur: ſeſe ſupremum Dominum nuncupat, & promptum & ſubmiſſum expoſtulat obſequium: *Sed nec quotidianum illud omnium Prophetarum: Hæc dicit* Dominus. *Ipſe enim erat* Dominus *coram ex ſua auctoritate pronuntians: Ego autem dico vobis.* Hæc ratio potentiſſima eſt ad obſequium Deo præſtandum. Abſalon ut ſervos & domeſticos ad inferendam necem fratri ſuo Ammon, induceret, ſic eos alloquitur: *Percutite occidite, nolite timere, ego ſum qui præcipio.* Non prius præcepit ſervis ſuis Abſalon, qui ſtatim obſequuti ſunt ei, & Ammon interfecerunt. *Fecerunt ergo pueri Abſalon adverſus Ammon, ſicut præceperat eis Abſalon.* Ly *ergo* eſt illatio quâ conſequentia ex antecedente deducitur. Antecedens hujus illationis eſt: *Ego ſum qui præcipio*: conſequentia hujus illationis eſt; *Fecerunt pueri Abſalon adverſus Ammon, ſicut præceperat eis Abſalon.* Si ita prompte pueri Abſalon obſequuti ſunt ejus imperio, quanto magis homines Deo imperanti obedire debent? Abſalon erat homo mortalis, ejuſdem naturæ cum ſuis domeſticis; Deus eſt Dominus immortalis ſupra cunctos reges terræ infinite ſublimatus. Abſalon præcipiebat rem criminoſam, Deus nonniſi bonum præcipit. *Neque enim quia*

Tert. l. de Pœn. 4. D. Chryſoſt. Orat. 1. ad Iudæos. Eſther. 13. L. 4. Reg. 18. L. de Car. Chr. 14. L. 2. Reg. 13. Tert. l. de Pœn. 4.

 bonum

bonum eſt, idcirco auſcultare debemus, ſed quia Deus præcipit. Neque ſolum cum ſuprema auctoritate & per ſemetipſum, ſed adhuc hortando præcipit.

Tert. ibid. 3. Bonum eſt obſequi, annon? *Quid revolvis, Deus præcipit? At ille non præcipit tantum, hortatur, invitat præmio, ſalute; jurans etiam, vivo, dicens, cupit credi ſibi; O beatos nos, quorum cauſa Deus jurat! ô miſeros, ſi nec juranti Deo credimus!* Quot rationibus urget nos Deus ut ei obtemperemus? 1. ſupremam ſuam interponit auctoritatem: 2. propria perſona & tanquam ſummus Dominus præcipit: 3. ad obſequium nos hortatur: 4. ſpe præmii ad obedientiam nos ſtimulat: 5. metu ſupplicii nobis præceptorum obſervantiam inculcat: 6. mercedis promiſſionem & ſupplicii pœnam juramento confirmat. *Quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more ſub dejeratione teſtatur, ſumma utique gravitate & aggredi & cuſtodire debemus; ut in aſſeveratione divinæ gratia permanentes, in fructu quoque ejus & emolumento proinde perſeverare poſſimus.*

Tert. ibid.

Ad divina mandata obſervanda duplici argumento ad hominem, homines urget Tertullianus: Primum deſumit ex obedientia quam ipſi à ſuis ſubditis expoſtulant: & quam probi ſervi, ſuis dominis præſtant: *Si probos quoque ſervos & bonæ mentis pro ingenio dominico converſari videmus (ſiquidem artificium promerendi obſequium eſt, obſequij vero diſciplina, morigera ſubjectio eſt) quanto magis non ſecundum dominum moratos inveniri oportet, ſervos ſcilicet Dei vivi?* Si ſervi bonæ mentis ſuis dominis ita obtemperant, quanto magis nos Deo obedire debemus? Servi obſequuntur; 1. quia dominorum auctoritatem honorant: 2. quia ſuæ conſcientiæ curam gerunt, obſequentes dominis quibus debent obſequium: 3. quia obedientiâ mercedem captant: 4. quia niſi obſequantur pœnam formidant. Propter has rationes multo magis tenentur obſequi Deo homines, quam ſervi ſuis dominis; tum quia gravius inobedientiæ debent formidare ſupplicium: tum quia majus obedientiæ exſpectant præmium: tum quia major eſt conſcientiæ oblatio: tum quia auguſtior Dei auctoritas. Secundum argumentum mutuatur Tertullianus ex obedientia quam homini præſtant creaturæ illi à Deo ſubditæ: *Ut tamen nos non de hominibus modo ſervitute ſubnixis, vel quolibet alio jure debitoribus obſequii, verum etiam de pecudibus, etiam de beſtiis obedientiam exprimimus, intelligentes uſibus noſtris à Domino proviſas traditaſque.* Quod ſi Deo obedientiam non præſtamus, animantia obtemperantia *meliora ergo nobis erunt in obſequij diſciplina, quæ nobis Deus ſubdit.* Homines Deo inobſequentes ſunt ipſis irrationaliores. *Agnoſcunt denique quæ obediunt: nos cui ſoli ſubditi ſumus, Domino ſcilicet auſcultare dubitamus*, in quo maximam injuſtitiam & ingratitudinem demonſtramus: *At quam injuſtum eſt, quam etiam ingratum, quod per alterius indulgentiam de aliis conſequaris, idem illi per quem conſequeris de temetipſo non rependere?* Deus pro ſua bonitate hominem libertate donavit, ut ſibi ſubjectaretur, & reliquis creaturis materialibus dominaretur: *Sed & quam arguis legem, quam in con-*

L. de Pat. 4.

troverſias torques, bonitas erogavit, conſulens homini quo Deo adhæreret, ut non tam Tert. l. 2.
liber quam abjectus videretur, æquandus famulis ſuis cæteris animantibus, ſolutis à adv.
Deo, & ex faſtidio liberis: Sed ut ſolus homo gloriaretur, quod ſolus dignus fuiſſet, qui Ma c. 4.
legem à DEO *ſumeret, utque animal rationale, intellectus & ſcientiæ capax, ipſa*
quoque libertate rationali contineretur ei ſubjectus qui ſubjecerat illi omnia. Plu-
ra naturæ dona præ ceteris animantibus Deus contulit homini. 1. Animam
ſpiritualem & immortalem. 2. Rationalitatem & diſcurſum: 3. Intelle-
ctum ſcientiæ capacem: 4. Voluntatem liberam: 5. Legem qua Deo ſubje-
ctaretur: 6. Imperium & dominationem ſuper animantia, ut ex obſequio
quod illi præſtant beſtiæ, ſumeret anſam obtemperandi Deo. Deus indepen-
dens & infinitus imperio quidem potitur, ſed nequit obedire: animantia
bruta obſequuntur, ſed non imperant; homo & dominationem in belluas
habet, & Deo debet obſequium: & tamen tot beneficiorum immemor ab a-
nimantibus ſibi à bonitate Dei ſubditis, exigit obſequium, & Deo debitam
injuſte denegat obedientiam; contemnens tum ſupremi Domini auctorita-
tem; tum divinæ legis bonitatem.

Divinæ legis bonitas adeo evidens & per ſe nota videtur Tertulliano, ut II. PARS. L. de
de ea diſputare temeritatem exiſtimet: *Audaciam exiſtimo de bono divini præ-* Pœn. 4.
cepti diſputare. Idcirco totis viribus nititur mandatorum Dei ſuadere boni-
tatem. *Nos ergo pro noſtris anguſtiis, unum inculcamus, bonum atque optimum eſſe*
quod DEUS *præcipit.* Divinæ legis bonitas tribus integratur: mandatorum 1.
rationalitate: 2. æquitate: 3. poſſibilitate.

1. Nonnullas leges *ſtultas* nuncupat Tertullianus, quia ſunt irrationales, Apol. 4.
neque ullam ſapientiæ ſapiunt umbram. Hujuſmodi erat lex Nabuchodono- Dan. 2.
ſor, qui morti mancipavit Magos, niſi ejus expenderent ſomnia. Hujuſmodi
ſunt plures leges quæ ſæpe ſæpius fiunt ab imperitis miniſtris, qui non ſumūt
conſilium de cœlo, ſed quidquid paſſio inſpirat contra rationem decernunt. Tert.
Si lex tua erraverit, puto ab homine concepta eſt; neque enim de cœlo ruit: Etenim Apol. 9.
cum Deus ſit prima & eſſentialis ratio, leges quæ ſuam à cœlo ducunt origi Tert. L. de Cor. Mil. 5
nem, rationales ſunt. *Porro ſi ratione lex conſtat*, à Deo emanata eſt; quare A-
poſtoli præceptum, divinum exiſtimatur, quia rationi divinæ innitur. *Edictū* Tert. ibid.
Apoſtoli, divini jam præcepti inſtar obtinuit, de rationis divinæ patrocinio. Quod ſi
lex vel Dei conſilio illuſtrata, vel Deo inſpirante ſtabilita, rationalis & tan-
quam divina haberi debet, quanto rationabiliora ſunt præcepta immediate
à Deo data? *Unum enim gradum ſiſtimus, an præcepta ſint à* DEO, *ut credas ratione* Tert.
præcepta ſi præcepta cognoveris, quia nihil DEUS *non ratione præceperit.* Et quia ju- Scorp. 4.
ſtitia eſt, *nec ſpecies ſolummodo, ſed tutela reputanda bonitatis*; Legis divinæ Tert. l. 2. adv.
bonitas, juſtitia & æquitate commendatur. Marc. 11.

2. Quædam leges *iniquæ recognoſcuntur.* Iniqua erat lex Pharaonis, qui
primogenitos Judæorum dum naſcerentur enecari mandaverat: Iniqua erat Tert. Apol. 4.
lex Exod. 1.

lex Romanornm qui Chriſtianos ſub pœna mortis ad idololatriam compellebant, quod eis exprobat Tertullianus: *Vim profitemini, & iniquã ex arce dominationem.* Iniqua lex eſt quæ bonum prohibet, & præcipit malum. *Si bonum invenero eſſe quod lex tua probibet, nonne ex illo prajudicio, probibere eam non poſſe?* Lex Dei non de injuſtitia & iniquitate culpatur, ſed de juſtitia & æquitate laudatur. *De qua David: Lex Domini invituperabilis.* Niſi autem eſſet juſta, non eſſet invituperabilis. *At quum & Apoſtolus accumulat; lex ſancta, & praceptum ejus juſtum & bonum*; Idem adhuc vas electionis; *Timotheo pracipit cuſtodire mandatum irreprehenſibile*: Mandatum autem injuſtum & iniquum non eſt immaculatum & irreprehenſibile. Ipſe etiam Chriſtus ſua obſervantia & ſuo teſtimonio legis declaravit bonitatem & æquitatem. *Sed eo quod indulſit legi obſequium, bonam legem confirmavit: nemo enim malo obſequi patitur: ſed adjecit etiam auctoritatem ſuam, exaggeratam teſtimonij pondere: cujuſnam teſtimonij niſi legis aſſerta,* quæ ultra tot teſtimonia quæ ejus æquitatem aſſeverant, *ſibi ſoli juſtitia ſua conſcientiam debet?* Tum quia ut fatur Regius Vates, mandata ejus ſunt *juſtificata in ſemetipſa*: quia continent rationes juſtitiæ quâ conſtant: Tum quia ut docet D. Chryſoſtom. lex eſt legislatoris filia, eſtque particeps perfectionum parentis à quo procedit: At *Iuſtitia plenitudo eſt divinitatis ipſius, exhibens Deum perfectum.* Deus eſt omnimode perfectus. & ita juſtus: *Iuſtus & rectus Dominus: propter hoc legem dabit*: ſed legem obſervatu poſſibilem.

3. At proh dolor, *contra dominica pracepta contenditur.* Nam Calviniſtæ, Calvini adhærentes ſententiæ, divina præcepta obſervatu impoſſibilia clamitant. Eorum blaſphemiam execratur D. Hieronymus: *Execramur eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo praceptum eſſe.* Et merito: nam ut profunde ratiocinatur Tertullianus, *porro ſi legis imponenda ratio praceſſit, ſequebatur autem obſervanda* multiplex. Eſt autem ratio legis obſervandæ, 1. ſuprema Dei imperantis auctoritas; niſi autem homo legem poſſet obſervare, fruſtra daretur ei legis obſervandæ præceptum: *Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate*: 2. Merces obſervantibus promiſſa: *Retributio ut à creatore, ut à judice, & diſpunctore meritorum, noſtrum impellit obſequium.* Niſi autem poſſemus ſervare divina mandata noſtro obſequio, non poſſemus à Deo meritorum diſpunctore ullam captare retributionem: 3. Pœna quam legis tranſgreſſoribus minatur Deus. *Nec rurſus comminatio mortis tranſgreſſioni adſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur.* 4 Vindicta quam de tranſgreſſoribus ſumit Deus. *Cur admonet meminiſſe uxoris Loth, qua praceptum creatoris non impune contempſit ſi non cum judicio venit vindicandorũ praceptorum ſuorũ?* 5. Si præcepta ſunt impoſſibilia, divina lex erit *imaginaria; diſciplina phantaſma; ipſa transfunctoria pracepta, ſecura delicta.* 6. Si divina lex eſſet obſervatu impoſſibilis, Deus eſſet de injuſtitia & crudelitate culpandus; De injuſti-

Apol. 3
Tert. ibid.
Tert. l. de Pud. 6.
Tert. l. 5. adv. Marc. 13.
Tert. l. de Reſ. 23.
L. 4. adv. Marc. 9.
Ter. Apol. 8.
Pſ. 18.
Hom. 49. ad pop.
Tert. l. 5. adv. Marc. 15.
Pſ.
Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 7.
In Antid. Coͤc. Trid. Seſſ. 6. c. 2.
In Expoſ. Symb. ad Damaſ.
L. 2. adv. Marc. 4.
Tert. l. 2. adv. Marc. 5.
Tert. l. 2. adv. Marc. 5.
Tert. l. 4. adv. Marc. 35.
Tert. l. 2. adv. Marc. 17.

juſtitia, obligando ad legem impoſſibilem: de crudelitate, damnando hominem quod legem obſervatu impoſſibilem non ſervaverit. Verum *neque impoſſibile poteſt imperare, quia juſtus eſt: nec damnaturus eſt hominem pro eo quod non potuerit vitare, quia pius eſt.* D. Aug. Ep. 5 ad Marcellin.

Tantum abeſt ut divina lex iſt obſervatu impoſſibilis, quin imo eſt facilis, licet ſcelesroſus Chriſtianus eam valde difficilem exiſtimet. Cui Vates Regius: *Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis qui fingis laborem in præcepto?* Fingis difficultatem ubi eſt facilitas; amaritudinem, ubi eſt dulcedo. Et ita, ut bene obſervat Salvinus, difficultas quam ſibi fingunt peccatores, procedit non ex lege Dei, ſed ex ipſorum iniquitate. *Cuncti qui oderunt mandatum ſacrum, cauſam odij in ſeipſis habent, omne faſtidium non in præceptis legis, ſed in moribus ſuis.* Quam dulcia, quam facilia ſint divina præcepta, ſacer textus pluribus in locis teſtatur. *Quæ facilia ſunt petit Deus.* Ex ſapiente etiam, *Nihil dulcius quam reſpicere in mandatis Dei.* Ipſemet Chriſtus aſſeverat, *Jugum meum ſuave eſt, & onus meũ leve.* Quid enim aſperũ, quid grave *quod oneroſum deputari poſſit adverſus levem ſarcinã Domini?* Oneroſa fuit quidẽ lex Moſaica, ob multa quæ continebat præcepta, tum ceremonialia, tũ legalia; idcirco princeps Apoſtolorũ jugum intolerabile eam vocitat. *Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* A tam intolerabili jugo exempta eſt lex Evangelica, ex tot præceptis legis Moſaicæ non ceremonialia, neque legalia, ſed ſola moralia retinens. *Onera enim legis uſque ad Ioannem, non remedia: operum juga rejecta ſunt, non diſciplinarum: libertas in Chriſto non fecit innocentiæ injuriam.* Oneroſam autem legem Moſaicam, non Dei animadverſio, ſed benignitas promulgavit. *Quam legem non duritia promulgavit auctoris, ſed ratio ſumma benignitatis, populi potius duritiam edomantis, & rudem obſequio fidem operoſis officijs dedolantis.* Operoſa autem officia quæ populum rudem ad Dei obſequium dedolabant, legis bonitatem denotant, *ſufficit enim ſi ſimpliciter hominem Deo obligabat, ut nemo eam reprobare debeat, niſi cui non placet Deo ſervire.* Quod ſi legis Moſaicæ bonitas ab his duntaxat reprobatur, qui Deo ſervire recuſant: legi Evangelicæ obſequium ſolummodo denegatur ab impiis, qui Dei dominium ægre ferunt. Etenim *nunquam impatiens obſequitur, ſicut patiens qui reluctatur.* Qui Dei imperium patienter ſuſtinet ejus mandatis obtemperat, ejuſque legem obſervat, propter imperantis auctoritatem, legis bonitatem, & obſervantis utilitatem.

Lib. 4. ad Eccleſ. Exod. 20. Eccleſ. 23. Matth. 11. Tert. l. de Mon. 1. Act. 15. Tert. l. de Pud. 6. Tert. l. 2. adv. Marc. 19. Tert. l. de Pat. 4.

Ad obſervationem legis conducit etiam *utilitas ſervientis.* Veri principes ſubditorum bonum ſpectant, in quo à tyrannis diſcriminantur, qui bonum reipublicæ ſeu regni non ſibi proponunt: *Reges quoque occidere ſolent, ſed quoties id fieri publica utilitas perſuadet, tyrannis ſævitia cordi eſt.* Reges bonum publicum attendunt: idcirco patriæ parentes nuncupantur: *Sed & gratius nomen eſt pietatis quam poteſtatis, etiam familiæ magis patres, quam Domini vocantur.* Non tyrannus, ſed verus

III. PARS. Tert. l. de Pœn. 4. Sen. Tert. Apol. 34.

Tertul. 1. rex eſt Deus, *qui pater patriæ eſt, quomodo dominus eſt*, ad bonum utile ſpectans, nam 1. ſuis legibus in bonis eos moribus format: 2. auxilium ad leges ſervandas eis ſubminiſtrat: 3. obſervantes in cœlo remunerat.

Tert.l.1. adv. Marc. 8. 1. *Neque enim ad vivendum ſolummodo produxerat hominem, ut non ad recte vivendum, in reſpectu ſcilicet Dei legiſq; ejus.* Trina eſt hominis vita: naturalis, civilis & moralis. In vita naturali regulatur à ratione quæ eſt lex naturalis indita cunctis hominibus: in vita civili dirigitur per leges politicas: in vita morali & religioſa formatur per leges datas à Deo, quæque ejus cultum ſpectant. Ter legem dedit Deus homini, ut eum in bonis moribus & ſuo cultu formaret. 1. In ſtatu innocentiæ, quando ut Adami experiretur obſequiū, præcepit ei ne de fructu arboris ſcientiæ boni & mali comederet: *Cujus legis obſervandæ conſilium bonitas pariter adſcripſit: Quo die autem ederitis, morte* Tert.l.2.1. adv. Marc.4. *moriemini*: 2. In veteri Teſtamento dando Iſraelitis præcepta moralia, legalia & ceremonialia ut eos ab idololatria avocaret & ſui cultui adſtringeret: Tert. l. 2. adv. Marc. 19. *Sed & in ipſis commerciis vitæ & converſationis humanæ, domi & foris, ad uſque curam vaſculorum, omnifariam diſtinxit, ut iſtis legalibus diſciplinis occurrentibus ubique, ne ullo momento vacarent à Dei reſpectu.* Et ut Judæi legem à Deo datam Tert. religioſius ſervarent, *Etiam Prophetas eadem Dei bonitas ordinavit, docentes Deo digna.* 3. In novo Teſtamento dando Chriſtianis legem Evangelicam, lege Tert. l. 2. adv. Marc. 1. Moſaica longe perfectiorem: *Compendiatum eſt enim novum Teſtamentum & legis laciniofis oneribus expeditum.* Nam Chriſtianos exemit Chriſtus à legibus ceremonialibus & legalibus Judæorum, quæ legis onera dicuntur, & adſtrinxit eos dumtaxat ad leges morales, quæ *ſolemnia legis* nuncupantur. *Deſtrui* Tert. l. 4. adv. Marc. 9. *quidem lex habuit ex quo vox Ioannis clamavit in eremo, Parate viam Domini, ut fierent rivi & colles, & montes repleti & humiliati, & tortuoſa & aſpera in recti-* Tert. l. 5. adv. Marc. 5. *tudinem & in campos, ideſt legis difficultates, in Evangelii facilitates.* Neque inde ſequitur quod lex Moſaica, quantum ad ea quæ ad mores pertinent fuerit deſtructa; non enim evacuata fuit: ſed perfecta: *Legem ergo evacuamus per fi-* Tert. l. de Pud. 6. *dem? Abſit; ſed legem ſiſtimus, ſcilicet in his, quæ & nunc novo Teſtamento interdicta, etiam cumulatiore præcepto prohibentur: pro Non machaberis, Qui viderit ad concupiſcendum, jam machatus eſt in corde ſuo: & pro Non occides, Qui dixerit fratri ſuo Racha, reus erit gehennæ.* Eodem modo ratiocinandum eſt de lege quæ Tert. l. 5. adv. Marc. 15. bonum præcipit: *Cujus præceptum & bonum & juſtum eſt.* Utrumque præceptum; ſive affirmativum, quod bonum præcipit; ſive negativum, quod malū prohibet, dedit nobis Deus ut nos formaret moribus: Tert. l. 2. adv. Marc. 8. *Igitur vivere quidem ille ipſe præſtiterat facto in animam vivam, recte vero vivere demandarat admonitio in legis obſequium.*

Tert. l. de Spect. 1. Inter Chriſtianos nonnulli vitam quidem naturalem ducunt: nam & vegetant, & ſentiunt; & ratiocinantur, verùm mores eorum ſunt depravati, quibus dicendum eſt: *Iſta non competunt veræ religioni, & vero obſequio in Deum verum.* Alii vivunt quidem politice, civiliter, urbane; ſed

ſed nihil de bonis moribus curant. *Adeò pietas, & religio, & fides, non in hujusmodi officiis conſiſtit; ſed in iis moribus*, qui Chriſtianos fideles bene compoſitos, & juſtos decent: Tertii Chriſtianam & ſanctam ducunt vitam, quia reſpiciunt ad DEUM ejusque diſciplinam, *quæ eſt lex tota pietatis, ſanctitatis, humanitatis, veritatis, caſtitatis, juſtitiæ, miſericordiæ, benevolentiæ, pudicitiæ*, quam ut valeant obſervare, DEUS eis auxilia ſubminiſtrat. Tert. Apol. 35. Tert. l. de Pud. 6.

2. *Lex ſubintravit ut ſuperabundaret gratia: Cujus DEI gratia, ſi non cujus eſt lex?* Tria ſunt quæ hominem à bono avocant: error ſeu ignorantia intellectus; depravatio ſeu malitia voluntatis; impotentia ſeu infirmitas naturæ corruptæ. Ad bonum enim operandum neceſſe eſt ſcire & cognoſcere bonum, velle & amare bonum; tandem poſſe facere bonum. Hæc autem tria largitur DEUS, quibus ejus legem ſervare valeamus. *Divinæ rei faciendæ lex libens animus inducitur*, in quo diſcriminatur à regibus terræ, qui perſæpe imperant res difficiles, nec præbent ſubditis vires quibus eas poſſint executioni mandare: DEUS econtra hominibus cuncta ad ejus leges ſervandas neceſſaria ſubminiſtrat: *Ego faciam ut in præceptis meis ambuletis, & mandata mea cuſtodiatis*; Nam 1. eorum mentes illuminat, ut cognoſcant obſequium, quod debent DEI legibus. *Satis enim agnitio DEI, qui ſibi incumbat, intelligit.* Imò ipſa lex lux eſt quæ mentis irradiat oculos: *Præceptum Domini longe lucens, illuminans oculos*: 2. Voluntatem ad legis obſervationem inflammat: *Hæc erit lex apud David, quæ perfecta convertens animas, utique ab idolis ad DEUM*, & oblectatione cor replens, ut lætanter DEO obſequium reddatur: *De qua idem David: Lex Domini convertens animas, juxta Domini directa, oblectantia corda.* 3. Vires & facultatem ad legis obſervantiam ſubminiſtrat; & ita divinam legem non obſervans excuſari non poteſt, valens & facere bonum quod præcipit, & vitare malum quod prohibet. *Quanto enim poteſtas vitandi fuit, tanto contumaciæ crimine oneratur*: Nam DEUS punit inobſervantes, ſicut obſervatores in cœlo præmiat. Tert. l. 5. adv. Marc. 13. Tert. Apol. 28. D. Au. Ep 5 ad Marcell. Ezech. 36. Tert. l. de Pat. 4. Tert. lib de Pud. 6. Tert. l. 4. adv. Marc. Tert lib. de Pud. 6. Tert. l. 2. ad Ux. 3.

3. *Habes legem & ſalutem ex obſervatione legis.* Adultus nequit ſibi vitam æternam comparare, niſi legis obſervantiâ, dicente Chriſto: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* DEUS juſtitiam ſuam demonſtrat erga obſervatores & contemptores legis; illos remunerat, iſtos condemnat: *DEI judicium in ſuos, non in compede, aut pileo vertitur, ſed in æternitate aut pœnæ, aut ſalutis.* Electi æterna fruuntur ſalute: reprobi æternâ pœnâ mulctantur: *Cui ſeveritati declinandæ, tanta obſequii diligentia opus eſt, quanta ſunt ipſa quæ aut ſeveritas comminatur, aut liberalitas pollicetur.* A nobis dependet æterna vel ſalus, vel pœna: in noſtra enim voluntate eſt aut obſequi aut inobedire; quantumvis Novatores hominem libertate indifferentiæ privare nitantur. Quos redarguit meritò Tertullianus: *Sic & in noſtris legibus Creatoris invenias, proponentis ante hominem bonum & malum, vitam & mortem.* Niſi autem homo libertate polleret indifferentiæ, non haberet ante ſe bonum & malum, Tert. l. de Præſ. hær. 14. Matth. Tert. lib. de Pat. 4. Lib. 2 adv. Marc. 5.

vitam & mortem. *Sed nec alias totum ordinem diſciplinæ per præcepta diſpoſitum. Avocante DEO & minante, & exhortante, niſi & ad obſequium, & ad contemptum, libero & voluntario homine.* Homini autem dedit legem DEVS non ad contemptum, ſed ad obſequium, non ut libero abuteretur arbitrio in transgreſſionem legis, ſed ut bene uteretur in ejus obſervationem. Sciſcitandum non

Tert. Scor. 4. eſt, *an DEVS obſervari voluerit diſciplinam, quam voluit inſtituere, & an merito ulciſcatur deſertam, quam voluit obſervatam: quando fruſtra inſtituiſſet, ſi obſervari eam noluiſſet, & fruſtra obſervari voluiſſet, ſi vindicare noluiſſet.* Quam infelix criminoſus Chriſtianus, qui per transgreſſionem legis DEI incurrit vindictam! quam felix Chriſtianus innocuus, qui per legis obſervantiam æter-

Tert. l. 2. adv. Marc. 19. nam meretur beatitudinem! *Quid enim faceret beatum hominem quam in lege Domini voluntas ejus*, qua divinis obtēperans mandatis ſalutem ſibi comparat?

CONCIO QUARTA.

Tert. l. 2. adv. Marc. 2. Clem. Alex. l. 5. Strom. DEO *negotium faciunt* impii. Inter quæſtiones quæ apud mortales agitari poſſunt, nonnullæ ſola ſenſuum experientia abſolvendæ ſunt: ut ad cognoſcendum an ignis ſit calidus, ſufficit illum apprehendere manu: Quædam exprobratione & redargutione duntaxat indigent. Sic redarguendi ſunt, qui diſputant an filii parentibus qui eos genuerunt reverentiam præſtare teneantur. Aliæ tandem nonniſi impiè valent proponi, neque niſi pœna terminari debent: Sic ultimo fuit mulctatus Tholoſæ ſupplicio Lucillus negans divinitatem. Eandem merentur pœnam, qui DEO providentiam tollere audent. Circa divinam autem

Lact. l. de Ira Dei c. 9. Lib. 2. adv. Marc. 24. providentiam tres impias & erroneas invenio ſententias: Prima eſt atheiſtarum, *qui tot ſaculis, tot ingeniis aſſertam, atque defenſam providentiam calumniati ſunt*; Negant autem divinitatem dum providentiam deſtruunt. Nam ut belle advertit Tertullianus: *Hac enim illi propria divinitas conſtat.* Secunda Ariſtoteli tribuitur, qui providentiam coarctat, DEOq; concedit cœleſtium curam: ſublunarium & terreſtrium negat: tertia eſt Stoicorum, qui cuncta quæ accidunt homini, fato, neceſſitati & fortunæ cæcutienti tribuunt. Quam ſint erroneæ hujusmodi ſententiæ, conſtat. Nam prima negando divinam providentiam, etiam divinitatem negat. Secunda immenſitatem DEO tollit, & cœlū velut in ergaſtulo incarcerat: Tertia DEO dominationē & homini aufert libertatē. Adverſus has tres erroneas & impias ſententias: 1. dvii-vina providentia demonſtratur: 2. Providētia univerſalis vindicatur: 3. Providētia cū hominis libertate, impii proſperitate, & juſti adverſitate conciliatur.

I. PARS.

Tert. l. a ad Nat. 1. Prov. c. 5. Quidquid in rerum natura evenit, veteres Philoſophi *fato imputant*: Fatum autem neceſſitatem inevitabilem importare cenſebant, à qua nec dii etiam ſeſe expedire poterant; Fatumque neceſſitatem cunctis rebus im-

por-

portans mundo præeſſe exiſtimabant: *Super hæc præeſt, ſecundùm communem opinionem, providentiæ fatum & neceſſitas; Secundùm nos verò, DEVS Dominus.* Non igitur fatum rebus neceſſitatem impotens præeſt mundo, ſed DEUS providentiâ ſuâ cuncta diſponens. Divinam autem prividentiam, 1. ſanior Philoſophia approbat: 2. fides prædicat: 3. ratio demonſtrat. Tert. lib. de An. 20.

1. *Menedemus Philoſophus providentiæ vindex* eam vindicat adverſus Epicurum ejusque aſſeclas, qui ut liberius ſuis vacent ſceleribus, *in totum immobilem & ſtupentem DEVM* concipiunt. Adverſus ſtupentem hanc & ſtolidam opinionem clamitant cuncti veteres etiam Philoſophi. *Omnes ſapientes conſentiunt reverà honeſtantes intellectum, regem cœli & terræ ineſſe.* Cunctæ veterum Philoſophorum ſectæ reducuntur ad Stoicos, Academicos & Peripateticos. *Philoſophi etiam à locis conventiculorum & ſtationum ſuarum nuncupantur Stoici, Academici, Peripatetici.* Stoici Zenonem agnoſcunt ducem & magiſtrum: Academici Platonem: Peripatetici Ariſtotelem: qui licet inter ſe diſcordent, & variè de Philoſophia ſentiant; tamen *ad unitatem providentiæ omnes revolvuntur.* Peripatetici ex D. Thoma rerum ſublunarium curam DEO denegantes, ne ejus majeſtas & puritas viliſſimis his & ſordidiſſimis rebus vileſceret & contaminaretur, ſemetipſos retractârunt; & Ariſtoteles eorum princeps apertis fatetur terminis: *Quod in navi gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu imperator, hoc idem in mundo eſt DEVS.* Academici qui & dicuntur *Platonici, DEVM curantem rerum* exiſtimant, & hanc doctrinam à ſuis prædeceſſoribus quaſi jure hæreditario ſe accepiſſe gloriantur. Et licet *poſitum extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinſecus torqueat molem hanc: extra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo totum illud moveat, quod regat.* Eadem eſt mens Stoicorum ac Academicorum & Peripateticorum. *Sed & Stoici DEVM malunt providentiſſimum humanæ inſtitutioni.* Quod ſi fatum admiſerunt Stoici, hoc fato infallibilem divinæ ſcientiæ notitiam, & finis à providentia intenti aſſecutionem denotant. *Manent cuncta, non quia æterna ſunt: ſed quia defenduntur cura regentis*: quomodo uſurpatum fatum divinæ providentiæ non repugnat, ſed potius competit. Ex Boëtio etenim *fatum eſt inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam providentia ſuis quaque nectit ordinibus*: Ex eodem autem auctore providentia eſt *ipſa ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.* Ideoque fatum à providentia diſtinguitur tanquam effectus à cauſa, & diſpoſitio à diſponente. Providentia enim eſt æterna DEI de rebus diſpoſitio, fatum verò ipſius diſpoſitionis applicatio & executio.

Tert. Apol. 18. Tert. lib. 1. adv. Marc. 25. Plat. in Ph. Tert. Apol. 3. Min. in Oct. Lib. 3. cont Gent. 33. L. de Mun. Tert. Apol 47. Apud Theodor. de Cur. Græc. 6. Tert. Tert. lib. de An. 46. Sen. Ep. 58. L. 4 de Conſol. Prof. 6.

2. Verùm *nos à Prophetis & à Chriſto, non à Philoſophis erudimur.* Prophetæ autem & Chriſtus DEI providentiam prædicant. *Non eſt alius DEVS quàm tu, cui cura eſt de omnibus.* Sic loquitur Sapiens. Aut enim DEUS negandus eſt, aut providus confitendus: Quare Marcionem ſic pungit Tertullianus: *Nemo enim te ſuſtinebit improvidentiam adſcribentem*

Tert. lib. 2. adv. Marc. 6. Sap. 12. Lib. 2. adv. Marc. 24.

tem DEO quem DEVM non negans confiteris & providum. Simili argumento La-
Tert.Apol. 47. ctantius urget, Epicurum qui DEUM admittens, cenſet *otioſum & inexerci-
tum, & ut ita dixerim, neminem humanis rebus: (Quo quid repugnantius dici
Lact.l. de Ira c.9. poſſit non video. Etenim ſi eſt Deus, utique providens eſt Deus: nec aliter
ei poteſt divinitas attribui, niſi & præterita teneat, & præſentia ſciat, & fu-
tura proſpiciat. Cùm igitur providentiam ſuſtulit, etiam Deum negavit eſſe;
cùm autem Deum eſſe profeſſus eſt, & providentiam ſimul eſſe conceſſit; al-
terum enim ſine altero, nec eſſe prorſus, nec intelligi poteſt.) Addit Sapiens:
Cap.14. *Tu autem pater providentiâ ab initio cuncta gubernas.* Paterfamilias domum
Tert.l. de Pœn.5. ſuam bene diſponit, alias à paterno degenerat affectu: *Nemo tam pater, nemo
tam pius*, ac Deus; qui providentiſſimus eſt, cum cuncta gubernet ut pater.
Cap.17. Proſequitur Sapiens de Ægyptiis loquens: *Fugitivi perpetuæ providentiæ jacu-
erunt:* Fugitivi autem providentiæ ſunt, vel qui eam negant, vel qui eam ac-
Tert.l.1.ad Ux.4. cuſant, vel qui ejus curæ & gubernationi non ſe committunt. *Hæc procul
à fidelibus, quibus nulla cura toleranda vitæ, niſi ſi diffidimus de promiſſis DEI, qui li-
lia agri tantâ gratiâ veſtit: qui volatilia cœli nullo ipſorum labore paſcit, qui pro-
Lib.4. adv. Marc. 29. hibet de craſtino victu veſtituque curare, ſpondens ſcire ſe quid cuique ſervorum ſu-
orum opus ſit.* Ut autem aliorſum ratiocinatur Tertullianus: DEUS ejus-
modi curam nobis non prohiberet, niſi neceſſaria vellet providere. *Quis
nollet nos curam gerere animæ de victu & corporis veſtitu, niſi qui iſta homini ante
proſpexit, & exinde præſtans, meritò curam eorum tanquam æmulam liberalitatis
ſuæ prohibet: qui & ſubſtantiam ipſius animæ accommodavit potiorem eſca, & ma-
Tert. teriam ipſius corporis figuravit potiorem tunica?* Dei providentiam prædicat
Chriſtus ex cura quâ alit pullos corvorum, & veſtit lilia agrorum: *Cujus &
corvi non ſerunt neque metunt, nec in apothecas condunt, & tamen aluntur ab ipſo:
cujus & lilia, & fœnum non texunt, neque nent, & tamen veſtiuntur ab ipſo; cujus
& Salomon glorioſiſſimus, nec ullo tamen floſculo cultior.* Quod ſi Deus tantâ curâ
alit corvos, & tãta gratia lilia veſtit, quãto magis hominis providus eſt Deus,
Tert.l. 2. adv. Marc. 16. cujus providentiã certo credunt fideles? unde ſic fantur: *Nos qui credim⁹ DEVM
etiam in terris egiſſe, & humani habitus humilitatem ſuſcepiſſe ex cauſa humanæ
ſalutis, longè ſumus à ſententia eorum, qui nolunt DEVM curare quidquam.* Ratio
ne tamen convincuntur, quæ Dei providentiam evidenter demonſtrat.
Tert.l.adv. Jud. 2. 3. *DEVS univerſitatis conditor, mundi totius gubernator.* Creaturarum
gubernatio ita cum earum productione connectitur, ut nullus eas valeat diri-
gere niſi earum artifex: aliàs uterque eſſet imperfectus: artifex intelligentia
ad ſuos effectus dirigendos neceſſaria non pollens: gubernator, non valens
D.Damaſc. l.2. de Fid. c.29. producere res quarum uſurparet gubernium. *Neceſſe eſt eundem eſſe
eorum quæ ſunt, & factorem & proviſorem; nam neque decet, neque conſe-
quens eſt, alium factorem eſſe eorum quæ ſunt, & alium proviſorem; ſic enim
imbecillitati & debilitati uterque ſubjaceret.* In DEO autem neque
ignorantia, neque impotentia poteſt reperiri. Non ignoran-
tia

tia, quia eſt ſummè ſapiens: non impotentia, quia eſt omnipotens: Ut om-
nipotens cunctas produxit creaturas: ut ſummè ſapiens productas per ſuam
potentiam creaturas, ſuâ providentiâ gubernat. Si DEUS productum non
gubernaret mundum, hoc eveniret, vel quia eſt ignorans & neſcit, vel quia
eſt imbecillis & non poteſt: vel quia eſt negligens, & non vult. Non quaſi
ignorans, nam ſcientia ejus cuncta clare cognoſcit, nec aliquid eſt tam exi-
guum, quod ejus ſubterfugiat oculos: *DEUM puto de ſublimioribus oculatiorem* Tert. l. 2.
aliquid ſubjecti præterire non poſſe. Non quaſi infirmus & impotens, nam ſum- adv. Marc.
mâ pollet poteſtate: *Cujus poteſtas ſumma niſi DEI ſolius?* Non quaſi negligens: 25.]
etenim *operatione DEI univerſa conſiſtunt.* Quiſnam pater ſua incuria quos Tert. l. de
genuit filios, negligit? quis artifex pravitate voluntatis rejicit opus, quod Teſt. An. 2.
faciendum recta intellectûs indicavit ratio? DEUS autem eſt omnium rerum Tert. l adv.
opifex: idcirco earum curam habet: imò *divina providentia ſubſtracta, res in* Herm 45.
nihilum deciderent, divina namque providentia eas conſervat. Hoc argu- D. Tho. in 2. phyſ. tex. 35.
mentum premit D. Ambroſius: (Quis operator negligit operis ſui curam? L. 1. Offic.
quis deſerat & deſtituat, quod ipſe condendum putavit? Si injuria eſt regere, 13.
nonne eſt major injuria feciſſe, cùm aliquid non feciſſe nulla injuſtitia ſit:
non curare quod feceris, ſumma inclementia?) DEUS neque de injuſtitia, ne-
que de inclementia culpari poteſt, quia cùm ſit cunctarum creaturarum pater
& opifex, providentia univerſali etiam minotiſſimas mundi partes gubernat.

II. PARS.

Ab initio & inſtructa, & certis exercendorum officiorum ſuorum rationibus Tert. Apol.
diſpenſata univerſitas conſtitit: Hujuſmodi autem univerſitatis inſtructio, or- 21.
dinatio & diſpenſatio facta eſt ab univerſali DEI providentia. Nam ut ſapi-
enter philoſophatur Athenagoras: *DEUS, quâ ſapientiâ, fecit omnia; eâdem,* L de Reſ. c.
& ſingulis aſſiduè providet, & quâ juſtitiâ, varios in mundo diſpoſuit gradus, eâdem 2.
ſua cuique diſpenſat. Univerſalitas illa quam inſtruit, ordinat, diſpenſat, &
gubernat providentia DEI univerſalis, trinum complectitur mundum; 1.
Myſticum Eccleſiæ mundum: 2. Univerſum, ſeu magnum mundum: 3.
Hominem ſeu parvum mundum.

1. *Ab ipſo ordinata religio*: ſiquidem ſua providentia DEUS ordina- Tert. lib. de
vit non ſolùm Judæorum, ſed etiam Chriſtianorum religionem. Divina au- Orat. 8.
tem providentia maximè elucet in religione fundanda, dilatanda, conſervá-
da. Nam ad fundandam Chriſtianam religionem aſſumpſit DEUS non ſapi-
entes, non nobiles, non potentes; ſed diſcipulos ignobiles, inſipientes, impo-
tentes. *Infirma mundi electa ſunt à DEO, ut confundantur fortia, & ſtulta ejus* Tert. lib. de
ut confundantur ſapientia. Cuncta mundi regna & imperia, fundata & ſolida- Fug. in Perſ.
ta ſunt, vel antiquitate & nobilitate; ut Aſſyriorum Imperium: vel divitiis & 2.
facultatibus, ut Perſarum regnum: vel armis & viribus, ut Reſpublica Ro- Tert. l. de
mana: Verùm ad Chriſtianá ſtabiliendá religioné elegit DEUS ignobilitaté, Fug. in Perſ.
inſipientiá, infirmitaté, paupertatem, & nihilominùs *Apoſtoli fide non pecunia* 14.
tuti, ſapientes, potentes, nobiles & divites aggrediuntur. *Arguunt fide iter* D. Au. Ep 3 ad Voluſia.

errores, prædicant veritatem, exhortantur ad pœnitentiam, præterita culpabilis vitæ indulgentiam de divina gratia pollicentur. *Prædicationem religionis, ſigna conſequuntur*, quibus fidelium numerum multiplicant, & Eccleſiam per totum orbem dilatant; nam *Piſcatores Chriſtus, cum retibus fidei miſit, atque ita tam multos piſces, & tam multò mirabiliores cepit.* Tot ſunt qui *ex imperitiſſimis & abjectiſſimis et pauciſſimis illuminantur, nobilitantur, multiplicantur.* Verùm tanto cum exceſſu fidelium numerus incrementatus eſt, ut fuerit *pars pene magis civitatis cujusque.* Neque ſolùm fundans Eccleſiam aut dilatans, ſed etiam conſervans, ſuam Deus oſtentat providentiam. Nam quoties infernus ſuſcitavit hæreticos ad fidei veritatem labefactandam, toties Deus oppoſuit Doctores Catholicos ad eam propugnandam. Sic Simoni Mago oppoſuit Simonem Petrum, Ario Athanaſium, Neſtorio Cyrillum Alexandrinum, Vigilantio Hieronymum, Pelagio Auguſtinum, Martino Luthero Martinum de Valentia. Quod figuratum vult Tertullianus per naviculam, in qua dormitabat Chriſtus. *Navicula illa figuram Eccleſiæ præferebat, quod in mari, id eſt, ſæculo, fluctibus, id eſt, perſecutionibus et tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente, donec orationibus Sanctorum ſuſcitatus compeſcat ſæculum, et tranquillitatem ſuis reddat* per curam providentiæ vigilantis, quæ magnum mundum gubernat.

D. Amb. l. 9 in Luc. D. Aug. Ep. 3. ad Voluſ. Tert. lib. ad Scap. 2. L. de Bapt. 12.

2. *Totum enim hoc mundi corpus ſemel utique in iſta conſtructione diſpoſitum, & inſtructum & ordinatum, cum omni rationis gubernaculo inventum eſt.* In mundo varii ſunt creaturarum ordines. Aliæ enim ſunt purè ſpirituales, ut Angeli: aliæ purè materiales, ut belluæ: aliæ partim ſpirituales, partim materiales, ut homines. Inter purè materiales aliæ ſunt cœleſtes, aliæ terreſtres, & ex terreſtribus aliæ adhuc exiguæ ut culices, aliæ noxiæ ut mures, ſerpentes. DEI providentia creaturas purè ſpirituales gubernat; *quæ ſunt quædam puriſſimæ ſubſtantiæ, miniſtræ omnipotentis.* Seu, ut ait Tertullianus, Angelus eſt *poteſtas divinæ voluntatis miniſtra.* Homines etiam partim ſpirituales, partim materiales curat, ut infra dicetur. Creaturas etiam cœleſtes DEI providentia gubernat: nam per Angelos orbes cœleſtes movet: *Nos officia divina Angelos credimus.* Tota difficultas in duobus conſiſtit: 1. An minutiſſimæ creaturæ terreſtres divinæ ſubjaceant providentiæ. 2. An noxiæ. Primum negare videtur D. Hieronymus: (Abſurdum eſt ad hoc DEI deducere majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcuntur culices, quotve moriantur, quæ pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo: quanti piſces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant.) Secundum negant Stoici, unde ſic fantur: (Quæ tandem utilitas poteſt in muribus, in blattis, in ſerpentibus reperiri, quæ homini moleſta & pernicioſa ſunt?)

Tert. Apol 11. Phil. Jud. l. de Somn. L. de An. 37 Tert. lib. de An. 37. In c. 1. Abac Lact. l. 1. de Ira Dei c. 13

Verùm quidquid oblatrent Stoici, DEI providentia ſeſe extendit tum ad creaturas exiguas; tum ad eas quæ noxiæ videntur hominibus. Ad exiguas quidem: nam *ne folium quidem ex arbore ſine DEI voluntate delabitur.*

bitur. Quod oſtentat Tertullianus Marcioni. *At cum & animalia irrides minutiora, quæ maximus artifex de induſtria ingeniis aut viribus ampliavit, ſic magnitudinem in mediocritate probari docens, imitare ſi potes, apis ædificia, formicæ ſtabula, araneæ retia, bombicis ſtamina: Suſtine ſi potes, illas ipſas lectuli ac tegetis tuæ beſtias, cantaridis venena, muſcæ ſpicula, culicis & tubam & lanceam.* In exiguis his beſtiolis non minùs fulgent Dei potentia, ſapientia, bonitas & magnitudo, quam in magnæ molis creaturis: *Quando & vitalia pro cujuſq; generis diſpoſitione, omnibus propria animalibus temperaverit artifex DEVS.* Quare Philoſophos qui culicibus & formicis, & tineis deeſſe pulmones, & arterias, & ſenſus aſſeverant, ſic hoc dilèmmate inſequitur Tertullianus: *Dic mihi inſpector curioſiſſime, oculos habent ad videndum? atquin & pergunt quo volunt, & vitant & appetunt quæ videndo ſciunt; deſigna oculos, denota papulas: ſed & exedunt tineæ, demonſtra mandibulas; deprome genuinos: ſed & perſonant culices, ne in tenebris quidem aurium cæci; tubam pariter & lanceam oris ejus oſtende. Quodvis animal unius licet puncti, aliquo alatur neceſſe eſt, exhibe pabuli tranſmittendi, decoquendi, deſæcandique membra. Quid ergo dicemus? ſi per hæc vivitur, erunt hæc in omnibus utique quæ vivent, etſi non videntur, etſi non apprehenduntur pro mediocritate. Hoc magis credas ſi DEVM recogites tantum artificem in modicis, quantum & in maximis. Si verò non putas capere tam minuta corpora DEI ingenium, ſic quoque magnificentiam ejus agnoſcas, quod modicis animalibus, ſine neceſſariis membris nihilominus vivere inſtruxerit, ſalvo etiam viſu ſine oculis, & eſu ſine denticulis, & digeſtu ſine alveis: quemadmodum & incedunt quædam ſine pedibus, manante impetu, quod angues; & inſurgente conatu, quod vermes, & ſpumante reptatu, quod limaces.* Marcionem adhuc pungit Tertullianus, qui Deum vilium regimine maculari cenſebat. *Vnus, opinor, de ſepibus floſculus, non dico de pratis; una cujuslibet de maris conchula, non dico de rubro; una teſtraonis pinnula, taceo de pavo, ſordidum artificem pronuntiabit tibi creatorem?* Inſaniam Marcionis & Stoicorum ſtolidatem, meritò ſanæ mentis homines rejiciunt. (Deus totius amoris fons non negligit minima gubernare, qui facere minima non neglexit.) Imò in minimis magis elucent ejus perfectiones, (Natura in minimis apparet maxima,) ait Philoſophus. Seu ut vult Plinius, (natura nusquam magis, quàm in minimis tota eſt;) inde concludendum eſt cum D. Auguſtino: (Deus ita artifex eſt magnus in magnis, ut minor non ſit in parvis; quæ parva, non ſua granditate, quæ nulla eſt, ſed artificis ſapientiâ metienda ſunt; quæ in parvis magis quàm in magnis coruſcat. (Creat minima corpore, acuta ſenſu animantia, ut majore attentione ſtupeamus agilitatem muſcæ volantis, quàm magnitudinem jumenti gradientis: ampliusq; miremur opera formicæ, quàm onera camelorum.) Chriſtus etiam cùm ait Deum veſtire fœnum quod in clibanum mittitur; *nonne confirmat viliſſimas & abjectiſſimas mundi particulas divinâ ejus providentia regi?* Nonne idem aſſeverat Regius vates de creaturis quæ noxiæ hominibus videntur dicens: *Laudate Dominum de terra dracones?* Verùm

Lib. 1. adv. Marc. 14.

Tert lib. de An. 10.

Lib. 1. adv. Marc. 14.

Marſil Fici. Lib. 1. c. 2.

L. 11. Civ. 22.

D. Ambr. l. de Gen. ad litt. 6.

D. Aug. l. 3. de Gen ad litt. 21.

turi ſunt; nec per concurſum, qui humanam voluntatem non prædeterminat,
ſed condeterminat, & ſimul cum ea libere agit: Si DEUS poſt donatum ho-
minem libertate, ſua providentia homini tolleret libertatem, & homini &
ſibi injurioſus eſſet: Homini, impediendo ne agat *ſecundùm motus libertatis* Tert. l. 2.
ipſius. Sibi, mutans ordinem quem in creaturis inſtituerat. Itaque *ipſa divini-* adv. Marc. 7
tas ut inconſtans denotaretur. DEUS autem levitatis & inconſtantiæ eſt inca- Tert. lib. de
pax. *Quid tam dignum DEO, quàm gravitas, quàm fides inſtitutionum qualium-* Reſ. 21. Tert. l. 2.
cunq;? At neque gravitatē, neq; fidē ſuis inſtitutionibus ſervaſſet Deus *ſi libero* adv. Marc.
arbitrio hominis ex providētia obſtitiſſet, & ſi adhuc impii impediret proſperitatē 7.

2. *Sunt enim qui etſi DEUM non negent, diſpectorem plane & arbitrum &* Tert.
judicem non putent. Ex improborum proſperitate ſumunt anſam aliqui, divi- Tert. lib. de Teſt. An. 2.
nam aut negare aut culpare providentiam. Divinam providentiam negant
impii, quos redarguit Malachias Propheta: *Laborare feciſtis Dominum in ſer-* Cap. 2.
monibus veſtris, & dixiſtis: In quo fecimus laborare? in eo quod dicitis: Omnis qui fa-
cit malum bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent, aut certè ubi eſt DEUS
judicii? Qui autem Deum judicem negant, eique delictum placere affirmant,
Deum laborare faciunt, quia ejus providentiam negant, & otioſum, ſtupen-
tem & inertem exiſtimant. Alii divinam providentiam non negant, ſed cul-
pant. Quomodo temere Romanus Philoſophus: *Proſperitas malorum crimen* Sen.
eſt malorum. Primi de impietate & de contemptu in Deum ſaginantur: *Sic* Tert. lib. de
DEUM honorantes, dum curis obſervationis, & moleſtiis animadverſionis, abſolvunt. Teſt. An. 2.
Secundi redarguuntur, *ſic plane ſtultum de noſtro ſenſu judicemus DEUM.* Tertii Tert. l. de
de præſumptione & temeraria curioſitate notantur, volentes curioſiùs ſcru- Car. Chr. 4
tari inſcrutabiles divinæ providentiæ rationes. *Quis revelabit quod DEUS te-* Tert. l. de
xit? unde ſciſcitandum eſt? unde & ignorare tutiſſimum eſt: præſtat per DEUM ne- An. 1.
ſcire, quàm per hominem ſcire, quia ipſe præſumpſit. Quod non attendentes te-
merarii providentiæ ſcrutatores, inveſtigabiles vias DEI inveſtigare moli-
untur contra Spiritûs ſancti præceptum: *Altiora te ne quæſieris.* Quem locum Eccl. 3.
ſic expendit S. Zeno: *Quod modum humani ſenſus excedit, diſputare devita. Ne-* Ser. de fid.
gat quodammodo DEUM, quiſquis rationibus humanis DEUM metiri conatur: de-
fenſio enim non niſi imbecilli præſtatur, nec poteſt eum revereri qui ingenii ſui putat
eſſe, quod ille fuerit æſtimatus; DEI ſapientia cæcutienti noſtræ menti præferenda.
Sic ſapiens judicium ſuum DEI poſtponit judicio, quamvis providentiæ ejus rationes
non agnoſcat. Stulti econtra providentiæ indagatores, &, ut fatur Tertul-
lianus, *Cenſores divinitatis*, Deum emendare tentant. *Hic eſt magnus animus* Lib. 2. adv.
qui ſe DEO tradit: at contra ille puſillus & degener, qui obluctatur, & de ordine Marc. 2.
mundi male exiſtimat, & emendare mavult DEUM quàm ſe. Non temerariam Senec.
eorum imitemur inſaniam, qui emendare DEUM volunt, ſed *omnia provi-* D. Damaſ.
dentiæ opera ſuſpiciamus, omnia laudemus, omnia citra ullam cenſuram comprobe- l. 2. de Fid.
mus, quantumlibet ea pleriſque iniqua videantur. Quiſquis Deum ſuſcipit omni- Orthod. 29
potentem creatorem, providentiſſimum omnium rerum gubernatorem

D. Paulin. Ep. 38. ſuſcipiat. (Si à DEO omnia, & DEUS bonus eſt; omnia profectò quæ fecit DEUS, bona. Si qua autem ſunt in arcanis ſtatutorum ejus altiora ſenſibus & cogitationibus noſtris, etiam & rationem eorum conſequi & colligere non poſſumus, tutius tamen nobis eſt magis occultas eſſe rationes quam nullas credere: quia non ambigendum omnia DEI eſſe, etſi nobis non ſint perſpicua, tamen eſſe conſulta.) Inconſulta videtur impiorum proſperitas temerariis illis, qui *conſultiores ſibimet videntur DEO*: apud divinam tamen providentiam eſt bene conſulta. Neque ei deſunt rationes cur impium proſperare permittat: ſcilicet ut 1. ex proſperitate captet occaſionem DEUM honorandi: *Cujus natura honoranda eſt in ſecundis, metuenda in adverſis, domina ſcilicet juvandi & nocendi.* 2. Nullus eſt adeò ſceleroſus, qui bonum aliquod opus morale non efficiat, quod cùm non ſit æternæ fœlicitatis meritorium, temporali illud DEUS præmiat proſperitate, ut conſtat ex Romanis idololatriæ deditis, & imperium orbis adeptis. *Non omittam congreſſionem quam provocat illa præſumptio dicentium Romanos pro merito religioſitatis diligentiſſimæ in tantum ſublimitatis elatos, ut orbem occuparint.* Verum ut bene animadvertit Tertullianus, *non ideò ob hoc magni Romani, quia religioſi: atqui quomodo ob religionem magni, quibus magnitudo de irreligioſitate provenit?* Non ob religionem proſperarunt Romani, ſed ob virtutes morales quas operati ſunt, præſertim primis Reipublicæ temporibus. 3. DEUS pro ſua patientia non punit peccatores, ſed eos proſperare ſinit; quibus indiſcriminatim ac juſtis, naturæ dona ſubminiſtrat: *Qui rorem lucis hujus ſuper juſtos & injuſtos æqualiter ſpargit; qui temporum officia, elementorum ſervitia, totius generis tributa, dignis ſimul & indignis patitur occurrere, ſuſtinens ingratiſſimas nationes, ludibria artium & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes: luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem, quotidie inoleſcentem, ut ſua ſibi patientia detrahat: plures enim dominum idcirco non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.* Ex longanimi namque DEI patientia, qua ſuſtinet criminoſos, plures ejus providentiam negant. Cur autem tantopere patiatur peccatores, belle ſanctus Pacianus declarat. (Quid ergo? Deſiit Deus noſtra curare? an ultra conſpectum mundi receſſit, neminem expectat è cœlo? An patientia illius ignorantia eſt? Abſit, inquies; Videt ergo quæ facimus, ſed utique expectat & patitur, & pœnitentiæ tempus indulget, & Chriſto ſuo præſtat, ut differat, ne cito pereant, quos redemit. Bene tu peccator intellige) 4. Etſi impii proſperitate floreant, & DEI providentiam negare videantur, Deum tamen ſentiunt corripientem. *In cogitationibus impii interrogatio erit; ſermonum autem illius auditio ad eum veniet ad correptionem iniquitatum illius.* Imperfectus enim exiſtimat: (in nobis eſſe poſitum à Deo quendam ſpiritũ ſcientiæ boni & mali: ut quotieſcunque peccamus, ille in ſilentio quaſi factũ noſtrũ accuſet.) 5. Non arguenda eſt divina providentia ob improborum fœlicitatem, quæ ſæpe in infelicitatem convertitur, *Magna virtutis eſt eum*

Marginal notes: Tert. l. 2. adv. Marc. 2 — Tert. l. 2. ad Nat. 5. — Tert. Apol. 25. — Tert. lib. de Pat. 2. — In Paren. ad Pœn. — Sap. 2. — Hom. 21. in Matth.

malibus, ex vocalibus & mutis, ex mobilibus & ſtativis, ex genitalibus & ſterilibus,
ex aridis & ſuccidis, ex calidis & frigidis. Et quia homo inter partes univerſi non
minorem habet dignitatem, providentia DEI univerſalis ad parvum mun-
dum ſe extendit.

3. *Sufficit unicum hoc opus DEO noſtro, quod hominem liberavit ſumma &* Tert. l. 1.
præcipua bonitate ſua, & omnibus locuſtis anteponendo. DEI providentia erga adv. Marc.
hominem præ cæteris animantibus in multis elucet: 1. In ejus formatione: 7.
Recogita totum illi occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, Tert. lib. de
providentia, & ipſa imprimis affectione. 2. In corporis humani diſpoſitione. Reſ. 6.
Sic & hominem ipſum diverſitas temperavit, tam in corpore quàm in ſenſu, alia Tert. l. 1.
membra fortia, alia infirma: alia honeſta, alia inhoneſta: alia gemina, alia unica: adv. Marc.
alia comparia, alia diſparia. Proinde & in ſenſu nunc lætitia, nunc anxietas, 16.
nunc amor, nunc odium, nunc ira, nunc lenitas. 3. In ordinatione mun- Tert. l. 1.
di, quem ad hominis uſum & utilitatem retulit. *Mundum homini DEVS, non* adv. Marc.
ſibi fecit. Duplex eſt mundi finis, ultimus & proximus. DEI gloria eſt finis 12.
ultimus univerſi, proximus verò hominis utilitas. *Vniverſa negotiatio mun-* Tert. l. 1.
dialis, perveniens ad humani generis utilitatem: ipſum cœlum ſub quo omnia: ter- ad. Nat. 5.
ra ſuper quam omnia: & quidquid illorum inter ſe, ad commoda humana conſpirat.
Idcircò ſibi DEUS mundum fecit, & non fecit. Fecit ad ſuam gloriam, ad
quam ut ad finem ultimum ordinavit univerſum. Non fecit ad ſuam utili-
tatem, ſed ad hominis utilitatem, ad quam ut ad finem proximum ordinavit Tert. l. de
mundum. 4. In neceſſariorum ſubminiſtratione: *quoniam Dominus proſpe-* Orat. 9.
ctor humanarum neceſſitatum; ut ex duplici exemplo ex Scriptura deſumpto
conſtat: Unum habetur in veteri Teſtamento, ubi quadraginta annis DEUS Tert. l. 4.
paſcit populum in ſolitudine. Aliud in novo Teſtamento; quando Chriſtus quin- adv. Marc.
que panes adeò multiplicavit, ut ſufficientes fuerint ad nutriendam magnam 21.
hominum multitudinem, qui eum ſecuti fuerant in deſertum. *Adeò autem ea* Tert.
fuit majeſtas; ut pabuli exiguitatem non tantùm ſufficere, verùm etiam exuberare
de priſtino voluerit exemplo.

Ultra hanc naturalem & ſpecialem providentiam, quam exercet DEUS
erga parvũ mundum, providentia adhuc ſupernaturali vult DEUS hominis ſa- Tert. l. 1.
lutẽ: *Igitur cum & voluit & concupivit in hominis ſalutẽ: jam ſibi & aliũ negotiũ* adv. Marc.
fecit, Epicuro nolente conſiliario Marcione. Et quia agens ordinate volens finem, 25.
dat media ad illum aſſequendum, DEUS cunctorum agentium perfectiſſimus Tert. Scor.
dat homini gratiã neceſſariã ad comparandã ſalutẽ. *Amavit qui vocaverat in* 6.
ſalutẽ invitare, & ad gloriã: & ſicut providentia DEI naturalis univerſum ordi-
navit ad hominis utilitatẽ, ſic ad ejus ſalutẽ providentia ſupernaturalis ordi-
navit myſticum Eccleſiæ mundũ; imo ipſam Verbi divini humanationem. Lib. 1. adv.
Quod Marcioni objectat Tertullianus. *Poſtremo te circumſer intus & foris:* Marc. 14.
conſidera hominem: placebit tibi vel hoc opus DEI noſtri, quod tuus
Dominus ille DEVS melior adamavit: propter quem in hac pauper-

 tima

juſſerat, ſed probanda, ut per eum faceret exemplum præcepto ſuo, quo mox præcepturus erat, neque pignora DEO cariora habenda. Et ob eandem rationem ut Jobi patientiam & obſequium probaret, permiſit DEUS, ut Iſmaelitæ ejus tollerent greges, ignis de cœlo combureret domos, filios mors ſuæ ſubderet tyrannidi, dæmon corpus univerſali plaga percuteret. *Modeſtia eſt enim, ablatum non deſiderate, & ablatum à Domino DEO; ſine cujus voluntate nec folium de arbore delabitur, nec paſſer aſſu unius ad terram cadit.* Tert. lib. de Exh. Caſt. 1 *Quam modeſtia illa vox eſt, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ut Domino viſum eſt, ita factum eſt.* Per hanc in adverſis obedientiam & patientiam glorificatur & lætatur DEUS. *O feliciſſimum illum, qui omnem patientiæ ſpeciem adverſus omnem vim diaboli expunxit! quem non abacti greges, non illæ in pecore divitiæ, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipſius denique corporis in ulcere cruciatus à patientia & fide Domino debita excluſit; quem diabolus totis viribus fruſtra cecidit. Neque enim à reſpectu DEI tot doloribus avocatus eſt ille, ſed conſtitit nobis in exemplum & teſtimonium tam ſpiritu quàm carne, tam animâ quàm corpore, patientiæ perpetrandæ: ut neque damnis ſæcularium, nec amiſſionibus chariſſimorum, nec corporis quidem conflictationibus ſuccidamus. Quale in illo viro feretrum DEUS diabolo exſtruxit! quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit, cum ille homo ad omnem acervum nuntiorum nihil ex ore promeret, niſi DEO gratias, cum uxorem jam malis delaſſatam, & prava remedia ſuadentem, execraretur! Quid? ridebat DEUS: Quid? diſſecabatur malus, cum Iob immundam ulceris redundantiam, magna æquanimitate deſtringeret, cum erumpentes beſtiolas inde in eoſdem ſpecus & paſtus reformoſæ carnis ludendas revocaret.* Tert. lib. de Pat. 14. Tandem 6. juſtum affligi patitur DEUS, ut adverſitatibus temporaneis, æternam acquirat fœlicitatem. *Perverſitas, quam putas, ratio eſt: quod ſævitiam exiſtimas, gratia eſt: ita DEO, de momentaneis, æterna medicante.* Tert. Scor. 5.

CONCIO QUINTA.

EST *Trinitas unius divinitatis: Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.* Tert. lib. de Pat. 21. Meminit Philoſophus fontis cujuſdam, in quo accenſæ extinguuntur faces, & è converſo extinctæ reaccenduntur. Auguſtiſſimum Trinitatis myſterium eſt abyſſus infinitæ magnitudinis, ſeu mare immenſum perfectionis, in quo cunctæ rationes & ſcientiæ extinguũtur luces: *Trinitatis recta confeſſio eſt ignorantia ſcientia;* D. Hier. in proœ. l. 18. in Iſai. at econtra extinctæ per obſequiũ fidei rationis lumina reaccẽduntur. *Nos credidimus & cognovimus:* hoc námque eſt diſcrimen inter cognitiones naturales, & ſupernaturales, quod in illis cognóſcendæ ſunt res ut credantur, in iſtis verò credendæ, ut intelligantur. *Intellige ut credas verbum meum: crede ut intelligas verbum DEI.* Joan. 6. In illis ſcientia præcedit, & fides ſequitur, in iſtis

Iſa.78. fides antecedit intellectum: *Niſi credideritis non intelligetis.* Quando nautæ
mare Germanicum, Gallicum ſeu Hiſpanicum ſulcant, ab ſtella polari in ſu-
is navigationibus diriguntur : verùm ſtatim ac progreſſi ſunt ultra lineam
æquinoctialem, alio indigent directore. In cogitationibus naturalibus ſuf-
ficiunt rationis diſcurſus & Philoſophiæ principia, at in cognitionibus ſu-
pernaturalibus, neceſſaria eſt fides; nec ſufficit ratio, niſi fide divina illuſtre-
D.Aug Ep. tur; & ut pediſſequa ſequatur. *Præcedente autem fide ratio poteſt ſyllogizare,*
66.ad Max. ut ait fidelis interpres Scoti Lichetus, & Trinitatem explicare, & quamvis
Praxeas & Sabelliani recuſent Trinitatis nomen, quaſi divinitatis importet
Tert.l.adv. diviſionem: *Numerum & diſpoſitionem Trinitatis, diviſionem præſumunt unitatis:*
Prax. 3. *Itaque duos & tres Deos jam jactitant à nobis prædicari, ſe verò unius DEI cultores*
præſumunt. Quaſi unitas non irrationaliter collecta, hæreſim faciat; & Trinitas
irrationaliter expenſa, veritatem conſtituat: rationaliter autem expenditur per
L.88 Quæſt. rationem fide illuſtratam, ut fatur D. Auguſtinus. *Oportet Trinitatem eſſe,*
Quæſt.18. *qua nihil præſtantius, & intelligentius, & beatius perfecta ratio poteſt invenire.*
Hæc Trinitatis facta per perfectam rationem explanatio, ſumitur ex DEI
I. PARS. 1. perfectione: 2. intellectualitate: 3. beatitudine.

Tert.lib.de *Regula eſt fidei qua creditur unicum omninò DEUM eſſe, nec alium præter*
Præſc. Her. 13. *mundi conditorem.* Unius autem DEI fides, eſt rationaliter cum Trinitate
Epiſt. 178. perſonarum componenda; &, ut bellè ait D. Auguſtinus, *credatur honorificè*
cont.Paſc. *unitati; ne fiat injuria Trinitati.* Illi autem injuriam faciunt Trinitati, qui
DEO fœcunditatem denegant, at quàm irrationaliter DEUM ſterilem ve-
Tert.l.adv. lint, hac patet ratione: Quia *DEUS univerſitatis conditor* non debet fœcundi-
Jud. 2. tate privari, cum creaturis largitus ſit producendi virtutem. Nulla etenim
perfectio poteſt reperiri in effectu, quin nobiliori modo in cauſa ejus æqui-
Tert. l. de voca reperiatur. Eſt autem *natura Dominus DEUS,* cunctarum auctor crea-
Cor.Mil.9. turarum; prima & æquivoca cauſa, à qua cuncta creata procedunt, non ſe-
Nicol. Cu- cus ac lux ſtellarum à ſole, calor ab igne, & rivuli à fonte. *Nihil eſt partici-*
ſan.l.Excit. *patione tale, niſi ab eo quod eſt tale per eſſentiam.* Si DEUS non eſſet ens, ele-
menta non eſſent entia: Si DEUS non viveret, neque vegetantia viverent:
Si nullus eſſet in DEO motus, ſenſitiva non moverentur : Si DEUS non in-
telligeret, neque Angeli intelligerent: Si DEUS beatus non eſſet, Sancti fœ-
licitate non potirentur: Si in Deo non eſſet fœcunditas, nullam haberent ani-
mantia fœcunditatem: quia omne principium, motus omnis, & terminus,
perit, ſi tollatur primū principiū, primū movens, & primū operans, à quo o-
mnis creaturarum dependet operatio. Poſſibile non eſt quod effectus aliquo
fruantur bono, quod formaliter & eminenter non ſit in cauſa eorū æquivoca
& univerſali; quod entia per participationē perfectiora ſint ente per eſſentiā,
& quod Deus ſit ſterilis, qui cunctis generatim rebus dedit fœcunditatē. *Im-*
Tert.Apol. 11. *perfectū non potuit eſſe, quod perficit omnia;* & conſequenter Deus qui creaturis
Iſa. 66. largitur fecunditatē nequit eſſe ſterilis: *Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe nō*
pariam?

eum fœlicitate luctari ne illiciat, ne corrumpat, ne ipſa ſubvertat fœlicitas. Magnæ D. Aug.
fœlicitatis eſt à fœlicitate non vinci. Quod ſi terrena fœlicitas etiam probos Ser. 13. de
multoties illicit, corrumpit & ſubvertit : nonne nimia fortuna bona. (eo Verb. Do.
quod ſuperfluunt, nocent? Sic ſegetem nimia ſternit ubertas, ſic rami onere Sen. Ep. 39.
franguntur, ſic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Idem animis
quoque evenit, quos immoderata fœlicitas rumpit, qua non tantùm in alio-
rum injuriam, ſed etiam in ſuam vertuntur. Ut periculoſa eſt ſecundùm
Hippocratem, ſummè bona corporis valetudo : ita rebus maximè proſperis
metuenda diverſa fortuna.) Neque ſolùm in hac vita infœlicitate ſæpè ſæ-
piùs mulctantur, ſed præſertim in inferno ſuorum ſcelerum impii luunt pœ-
nas. *Niſi forte vos decipit quod DEUM neſcientes divitiis affluant, honoribus flore-* Min. in Oct.
ant, polleant poteſtatibus. Miſeri in hoc altius attolluntur, ut decidant altius ; hi
enim ut victima ad ſupplicium ſaginantur, ut hoſtia ad pœnam coronantur. 6.
Verùm ut bene animadvertit Tertullianus, *admittite DEI diſpoſitiones*, & con- Apol. 41.
cipietis cur impii proſperitate floreant. *Qui enim ſemel æternum judicium de-*
ſtinavit poſt ſæculi finem, non præcipitat diſcretionem, quæ eſt conditio judicii, ante
ſæculi finem : æqualis eſt interim ſuper omne hominum genus, & indulgens & incre-
pans, communia voluit eſſe & commoda profanis, & incommoda ſuis, ut pari conſor-
tio omnes, & lenitatem ejus & ſeveritatem experiremur. DEUS cunctorum
hominum ſupremus judex, judicium æternæ pœnæ, vel ſalutis deſtinavit:
hoc autem ultimum judicium obeundum eſt poſt ſæculi finem ; tunc impro-
bos & præſcitos diſcernet ab electis, illos pœnis mancipabit æternis, hos in-
terminabili gloria coronabit : modo non præcipitat diſcretionem, ſed gra-
tis & ingratis, juſtis & injuſtis largitur fortunæ bona. Hæc ratio bene con-
ſiderata divinam providentiam cum juſti etiam adverſitate conciliat.

3. Ex adverſitate juſtorum DEUM reprehendunt nonnulli, *quia quem* Tert. l. 2.
conſtat eſſe, reprehendere magis poſſunt, quàm negare : & divinam providentiam adv. Marc. 2.
incuſant ſtatim ac aliquod patiuntur incommodum. *Si quid adverſi accidit,* D. Hil. in
prona in DEUM querela eſt. DEUM enim inter damna ſua avarus accuſat : DEO Pſ. 118.
cum invidia fletuum ſuorum orbatus iraſcitur. DEO injuſtitiam qui ad confeſſio-
nis gloriam perſecutionibus probatur exprobrat. Univerſim ſtultiſſima hæc quere-
la eſt, cum injuſtitia DEUM per impatientiam impii doloris accuſant. Hujuſce-
modi de divina providentia querelæ, de impatientia, de injuſtitia, de inſipi-
entia, de impio dolore procedunt ; *Proinde atque ſi cæcus vel fluitantibus oculis,* Tert. ibid.
ideò alium ſolem velit præſumere mitiorem & ſalubriorem : quia quem videat non
videt. Eodem modo impii in ſuis adverſitatibus DEUM de incuria aut in-
juſtitia, aut nimia ſeveritate accuſant, quia non perſpiciunt rationes cur
eos mala pati patitur. *Unicus ſol eſt ô homo, qui mundum hunc temperat, &* Tert.
quando non putas, optimus & utilis, & cum tibi acrior & infeſtior, vel etiam
ſordidior atque corruptior ; rationi tamen ſuæ par eſt. Non abſimiliter
ratiocinandum eſt de DEO, qui tum eſt juſtior cum injuſtior ſenſibus

pariam? ego qui generationem aliis tribuo, ſterilis ero? Abſit ut DEO tribuamus ſterilitatem. *Quod maximè bonum id maximè penes DEUM.* Eſt autem maximè bona & ſummè perfecta divina fœcunditas, ut conſtat ex 1. principii producêtis perfectione: 2. productionis perfectione: 3. termini producti perfectione. Tert.lib.de Pat. 1.

1. *Et ita bonus dum DEUS.* Bonum eſt ſui diffuſivum: *ſed alias cùm ſummum bonum conſtet eſſe, ut DEUS* ſeſe communicat ad extra & ad intra: Ad extra in tempore: ad intra ab æterno. Ad extra, producendo res creatas; ad intra, producendo divinas perſonas. Creaturæ à DEO productæ ſunt alterius ab eo eſſentiæ; perſonæ divinæ productæ ſunt ejusdem eſſentiæ cum principio à quo procedunt, licet ab eo perſonaliter diſtinguantur. *Quale eſt ut DEUS diviſionem & diſperſionem pati videatur in Filio & Spiritu ſancto, ſecundum & tertium ſortitis locum, tam conſortibus ſubſtantiæ patris?* Per ſecundum & tertium locum, quem ſortitos eſſe vult Filium & Spiritum ſanctum, nihil aliud vult, ut bene animadvertit Pamelius, niſi Filium eſſe ſecundam Trinitatis perſonam, & Spiritum ſanctum tertiam. Hæ duæ autem perſonæ divinæ à bono producuntur principio, quia principium totale ſeipſo ſubſiſtens, abſque ulla dependentia, & neceſſario operans: producit terminum ſibi coæqualem, at memoria fœcunda ſeipſa ſubſiſtit in Perſona Patris (idem dic de voluntate fœcunda, quæ in Patre & Filio ſubſiſtit) independenter adhuc, & neceſſario operatur, & conſequenter producit terminum ſibi coæqualem, nempe Filium. *In principio erat Sermo, in quo principio prolatus à Patre eſt.*

Tert.l.adv. Herm.11. Tert. — Tert.l.adv. Prax 3. — Paradox.31 — In 1.diſt.2. Quæſt.7. — Tert.l.adv. Prax. 19.

Tria ſunt quæ agentia creata impedire poſſunt, ne ſuos producant effectus. 1. Quia ſeipſis ſufficientem non habent virtutem ad illos producendos, indigentque comprincipio, ſine quo agere nequeunt: Sic vir ſolus, ſola mulier non valent naturaliter generare filiū, quia ſeorſim ſunt tantùm principia generationis partialia. 2. Quia agunt dependenter à cauſa prima, cui eſſentialiter in ſuis actionibus ſubordinantur; qua non agente & ſuum concurſum præbente, agere non poſſunt: Sic ignis non combuſſit tres pueros in fornace, quia DEUS ſuum ei denegavit concurſum. 3. Si libere agant, quia pro ſua libertate agere aut non agere poſſunt, imò agendo actionem etiam minuere aut incrementare valent. Nihil horum impedit æternum Patrem producere terminum ſibi coæqualem. Non primum, quia *DEUS in omnia ſufficit*: memoria namq; fœcunda (intellectum & eſſentiā divinam ejus objectum complectens) & ſubſiſtens in perſona Patris, eſt principium totale Notitiæ genitæ *conſubſtantialis ſuæ.* Non ſecundum, quia principium illud totale ſeipſo ſubſiſtens, & ſufficiens, independenter operatur; neque alicujus indiget cooperatione. Pater æternus non dependet neque ab ulla cauſa, neque ab ullo principio: Non à cauſa, quia ut DEUS, eſt prima cauſa; prima autem cauſa, à qua cuncta dependent, eſt independens, aliàs non eſſet prima cauſa: Neque à principio, quia eſt improductus, utpotè prima Trinitatis perſona: Non tertium, quia æternus Pater naturaliter, & non liberè, genera-

Tert.lib.de Pœn. 3. — Tert.l.adv. Herm.44.

generat Filium, & ita eſt determinatus ad producendum Verbum, ut illud neceſſario producat: Sicut non poteſt non contemplari divinã eſſentiam, ſic non poteſt non gignere divinum Verbum. Cognitio notitionalis ſeu dictio, quæ illud profert, quodam inſtanti rationis ſeu naturæ præcedit ſcientiam viſionis quâ Deus ab æterno cognoſcit creaturas exiſtentes in tempore, & terminatur ad creaturas contingentes. Qui potuerunt ab æterno non produci in eſſe volito, & in tempore, adhuc poſſunt deſtrui poſt ſuam productionem. Dictio etiam præcedit libera divinæ voluntatis decreta, & terminatur ad ens neceſſarium, immortale & immutabile, quod non eſt de nihilo productum, neque ad nihilum redigi poteſt. Filius namque de Patre procedit: idcircò Pater *Filium nominat, Filius autem alius non erit, quàm qui ex ipſo procedit*, per omnia Patri coæqualis. *Propter hoc magis Iudæi illum interficere volebant, quod Patrẽ ſuũ DEVM diceret, æquans ſe DEO* qui eũ perfectâ generavit productione.

Tert.l.adv. Prax.11. Tert.l.adv. Prax.21.

2. *Bonum & optimum definiens DEVM, omnia ab eo bona & optima, ſecundùm conditiones ipſius.* Quale eſt principium productivum, tales ſunt productiones ejus: Principium productivum eſt optimũm, & ſummè bonum; productiones ejus perfectiſſimæ ſunt. De divinis productionibus ad intra (per reſpectum ad productiones creaturarum) poſſumus loqui affirmativè aut negativè. Si de illis loquamur affirmativè, attribuendæ ſunt cunctæ perfectiones quæ in productionibus creaturarum reperiuntur: Si verò negativè, removendi ſunt defectus. Inter creaturas quæ ſunt productionum ſpecies, quarum quælibet perfectionem habet imperfectione mixtam; una eſt productio entium permanentium, quorum hæc eſt propria perfectio, quod tota eorum natura & eſſentia, poſt ſuam productionem integra ſubſiſtit & permanet. Verùm hoc defectu devenuſtantur, quod eorum natura non eſt dum producitur, quia ſunt non in facto eſſe, ſed in fieri, cùm productio nihil ſit aliud quàm via & tendentia ad terminum. Altera entium ſucceſſivorum, quæ hac decorantur perfectione, quod ſunt dum producuntur, quia eorum eſſentia in continua partium ſucceſſione conſiſtit: cum hoc tamen defectu, quod poſt productionem ſuam non exiſtunt, quia partes quibus componuntur perpetuò fluunt, nihilque reale habent præter inſtantia indiviſibilia quibus connectuntur. Harum productionum defectus removeamus à divinis proceſſionibus, attribuamus eis perfectiones productionum entium tùm permanentium, tùm ſucceſſivorum, & inveniemus productiones omnimodè perfectas; ubi terminus productus eſt totus dum producitur: quia in æternitate producitur: *totum conſortium Divinitatis, hoc erit, æternitas motus*, & adhuc poſt ſuã productionẽ in ſua natura invariabiliter permanet: quia eadẽ invariabilis & im̃utabilis divinitas in principio producẽte & termino producto reperitur. *Vbique teneo unã ſubſtantiã in tribus cohærentibus*: principiũ autẽ producens non eſt perfectiùs termino producto, qui eſt illi per omnia coæqualis.

Tert.l.adv. Herm.2. Tert.l.adv. Herm.42. Tert.l.adv. Prax.12.

3. *Itaque & bonitas perennis & jugis exigetur in DEO, quæ in theſauris naturalium proprietatum repoſita*; & quæ ab agentibus creatis multum diſcri-

Tert.l.1. adv. Marc. 24

minatur. In creaturis viventibus, inſignis ſane eſt perfectio quod proli genitæ communicent vitam, ſed grandis defectus quod ſufficientem non habeant virtutem ad illam totaliter producendam, ſed neceſſario ſupponant materiam primam, de cujus potentia materiales educunt formas: formæ autem ſubſtantiales ſpirituales, ut animæ rationales, creantur immediatè à DEO, & homines ad earũ productionẽ nullatenus attingũt. Hic autem animalium defectus ex ipſorum natura procedit, quæ tùm in ſuo eſſe, tùm in ſuis operationibus finita & limitata eſt: quapropter totum ſuum terminũ non producit totaliter, ſed partem ejus neceſſario ſupponit. Ad termini producti perfectionem ſpectat recipere in ſua productione entitatem & vitam, ſed magnus profectò eſt defectus accipere naturam finitam, dependentem, compoſitam, corruptibilem, & materialem. 1, Finitam, quia producta eſt ab agente finito, quod nequivit dare infinitatem, quam non habebat; 2. Dependentem, quia à prima cauſa eſſentialiter depẽdet, ſine cujus conſervatione nullatenus poſſet ſubſiſtere: 3. Compoſitam, quia duabus adunatur partibus, quarum una habet rationem potentiæ, & altera rationem actus. 4. Corruptibilem, quia defert in ſemetpſa materiam primam, quæ eſt principium corruptionis. 5. Materialem, vel totaliter, qualis eſt natura vegetantium & beſtiarum; vel ex parte, ſicut hominis natura conſtituta ex corpore materiali, & anima ſpirituali. In divinis autem emanationibus ſunt quidem præfatæ perfectiones, ſed non memorati defectus. Etenim principium producens termino producto perfectam communicat naturam, quam non educit de potentia materiæ, ſed de propria ſubſtantia producit. *Filium non aliunde deduco, ſed de ſubſtantia Patris.* Termini etiã producti natura eſt ſpiritualis, immortalis, ſimplex, independens, & infinita. 1, Spiritualis, *nam & DEUS Spiritus, & ita de Spiritu Spiritus, & de DEO DEUS.* 2. Immortalis, quia eſt ens per eſſentiam, neceſſarium, immutabile, & æternum. *Certe filius DEI ſemper.* 3. Simplex, quia eſt actus purus, omnem potentiã paſſivam excludens. 4. Independens, quia non procedit à cauſa; quod importat originem cum dependentia; ſed à principio, quod denotat originem, & non dependentiam. 5. Infinita, quia eſt ipſamet natura DEI, quæ in tribus ſubſiſtit perſonis. *Duos quidem definimus, Patrẽ & Filiũ, & jam tres cũ Spiritu ſancto, ſecundũ rationẽ œconomiæ quæ facit numerũ.* Idcircò, ut fatur alio rſum Tertullianus, *apud nos diſtinctè Pater & Filius*: adde, & Spiritus ſanctus, *demonſtrantur. Diſtincte, inquam, non diviſe.* Hoc namque eſt diſcrimen inter naturam, verbi gratia, humanam, & divinam: quod illa cùm ſit limitata & finita, multiplicatur numero in cunctis individuis hominibus: hæc verò cùm ſit infinita, eadem numero reperitur in tribus divinis perſonis, in quibus *manifeſtè diſtinctio Trinitatis exprimitur* abſque ulla naturæ divinæ diviſione, quia etſi perſonæ diſtinguantur adinvicem, unam tamen habent divinitatem indiviſam, ſuntque duntaxat unus DEUS. *Duos tamen Deos nunquam ex ore noſtro proferimus, non*

Tert. l. adv. Prax. 4.

Tert. Apol. 21.

Tert. l. adv. Prax. 21.

Tert. l. adv. Prax. 13.

L. adv. Prax. 11.

Tert. l. adv. Prax. 13.

Tert l. adv. Prax 19.

quaſi non & Pater DEVS, & Filius DEVS, & Spiritus ſanctus DEVS, & DEVS unusquiſque: ſed quia unam & eandem habent divinitatem, tres perſonæ ſunt unus tantùm DEUS. *Rationem reddidimus qua DEI non duo dicantur, ſed qua Pater & Filius duo, & hoc non ex ſeparatione ſubſtantiæ, ſed ex diſpoſitione: cum individuum & inſeparatum à Patre Filium pronuntiamus, nec ſtatu ſed gradu; qui etſi DEVS dicatur, quando nominaretur ſingularis, non ideò duos deos faciat, ſed unum, ex hoc ipſo quod & DEVS ex unitate Patris vocari habeat*: non quidem ex unitate perſonæ Patris, à qua realiter diſtinguitur, ſed ex unitate divinitatis & naturæ divinæ, quæ Patri, Filio, & Spiritui ſancto communis eſt, & in qua tres perſonæ realiter diſtinctæ identificantur, ſuntque unus DEUS. *Hæc erit probola veritatis, cuſtos unitatis, qua prolatum dicimus Filium à Patre, ſed non ſeparatum. Protulit enim DEVS Sermonem, ſicut radix fruticem, & fons fluvium, & ſol radium: nam & iſtæ ſpecies probolæ ſunt earum ſubſtantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere, & radicis fruticem, & fontis fluvium, & ſolis radium; quia omnis origo parens eſt; & omne quod ex origine profertur, progenies eſt; multò magis Sermo DEI, qui etiam propriè nomen Filii accepit: nec frutex tamen à radice, nec fluvius à fonte, nec radius à ſole diſcernitur, ſicut nec à DEO Sermo. Igitur ſecundùm horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere: DEVM & Sermonem ejus, Patrem & Filium ipſius. Nam & radix & frutex duæ res ſunt, ſed conjunctæ: & fons & fluvius duæ ſpecies ſunt, ſed indiviſæ: & ſol & radius duæ formæ ſunt, ſed cohærentes. Omne quod prodiit ex alio, ſecundum ſit ejus neceſſe eſt de quo prodiit, non ideò tamen eſt ſeparatum. Secundus autem ubi eſt, duo ſunt; & tertius ubi eſt, tres ſunt: tertius enim eſt Spiritus à DEO & Filio, ſicut tertius à radice fructus ex frutice: & tertius à fonte rivus ex flumine: & tertius à ſole apex ex radio; nihil tamen à matrice alienatur, à qua proprietates ſuas ducit. Ita Trinitas per conſertos & connexos gradus à Patre decurrens, & monarchiæ nihil obſtrepit, & œconomiæ ſtatum protegit. Hanc me regulam profeſſum, qua inſeparatos ab alterutro Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum teſtor, tene ubique, & ita, quid quomodo dicatur agnoſces. Ecce enim dico alium eſſe Patrem, & alium Filium, & alium Spiritum. Male accipit idiotes quiſque aut perverſus hoc dictum, quaſi diverſitatem ſonet, & ex diverſitate ſeparationem protentat Patris, & Filii, & Spiritûs. Non tamen diverſitate alium Filium à Patre, ſed diſtributione: nec diviſione alium, ſed diſtinctione: quia non ſit idem Pater & Filius, vel modulo alius ab alio: Pater enim tota ſubſtantia eſt; Filius verò derivatio totius.* Longiuſculè quidem Tertullianus, ſed profundè explanat Trinitatis myſterium, declarans quomodo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus identificentur & diſtinguantur, ſint unum & plures: quod trina comparatione pulchrè elucidat. Ut autem animadvertit ſupra laudatus Pamelius, Tertullianus vocat *ſtatum*, quod ſcholaſtici ſubſtantiam; gradum quod illi notionem; *formam*, quod illi, proprietatem; *ſpeciem*, quod illi habendi modum. His autem verbis, *Filio & Spiritui ſancto*

ſecun-

Tert. l. adv. Prax. 19.

Tert. l. adv. Prax. 8.

ſecundum & tertium ſortitu locum, tam conſortibus ſubſtantia Patris, id vult quod aſſerunt Scholaſtici, duabus emanationibus produci Filium & Spiritum ſanctum à Patre improducto: aut Filium eſſe ſecundam perſonam, Spiritum ſanctum, tertiam. Per *prolationem rei alterius ex altero*, intelligit perſonas realiter non eſſentialiter diſtinctas, *quia prolatum dicimus Filium à Patre, ſed non ſeparatum*. Dum autem ait: *Omnis origo parens eſt, & omne quod ex origine profertur, progenies eſt*; ſumit parentem & progeniem non ſtrictè pro origine viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ, ſed latè pro productione rei ejusdem naturæ cum producente: Dum ait; *Trinitas per connexos & conſertos gradus à Patre decurrens*, nihil aliud vult niſi Patrem eſſe proceſſionum divinarum ſcaturiginem, à quo Filius generatur, & Spiritus ſanctus à Patre Filioque producitur: Cùm autem ait: *Pater eſt tota ſubſtantia, Filius verò derivatio totius & portio*, totum accipit pro pleno ſeu plenitudine, non aliter ac Scholaſtici dum dicunt: Pater Deitatis poſſidet plenitudinem in primo ſigno originis, quia à ſe eam habet: à quo eam accipiunt Filius & Spiritus ſanctus per emanationem: Quomodo ſeſe explicat Tertullianus: *Ne videatur unaquæque perverſitas, non examinata, ſed præjudicata damnari, maximè hæc quæ ſe exiſtimat meram veritatem poſſidere, dum unicum DEUM non alias putat eſſe credendum, quam ſi ipſum eundemq; & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum dicat: Quaſi non ſic quoque unus ſit omnia, dum ex uno omnia, per ſubſtantiæ ſcilicet unitatem, & nihilominus cuſtodiatur œconomiæ ſacramentum, quæ unitatem in Trinitatem diſponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Tres autem non ſtatu, ſed gradu; nec ſubſtantiâ, ſed formâ; nec poteſtate, ſed ſpecie: unius autem ſubſtantiæ, & unius ſtatûs, & unius poteſtatis; quia unus DEUS, ex quo & gradus iſti, & formæ, & ſpecies, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deputantur.* Hæc fuſiùs retuli ut ex ipſiſſimis Tertulliani verbis admoneatur R. P. Claudius Fraſſen, qui immeritò eum accuſat Ariani erroris facem maximè prætuliſſe: Ariani namque Filium volebant, 1. creaturam non DEUM: Patrem minorem non æqualem: 3. ſimilem non conſubſtantialem: 4. temporalem non æternum: 5. liberè per voluntatem productum; non neceſſario per memoriam generatum: 6. eſſentialiter à Patre diſtinctum: Tertullianus verò ut ex ipſius verbis evidentiſſimè conſtat, vult Filium, 1. DEUM: 2. æternum, quia cum Patre ſemper: 3. Patri coæqualem: 4. conſubſtantialem: 5. per memoriam generatum: 6. eundem eſſentialiter DEUM: *Hunc ex DEO prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium DEI, & DEUM dictum, ex unitate ſubſtantiæ.* Quæ etiam eſt communis Spiritui ſancto à Patre & Filio producto.

Lib. adv. Prax. 2.

To. 1 Quæſt. 3. de Trin.

Apol. 21.

Verùm *Trinitati illa ſervitus debetur, quæ nonniſi uni DEO cum vera religione ſervitur.* Addit D. Auguſtinus: *Cum audivimus, Dominum DEUM tuum adorabis & illi ſoli ſervies*; hoc præcepto ad cultum ſanctiſſimæ Trinitatis provocamur. *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Trinitas unus DEUS*;

D. Aug. l. 3. cont. Max. 23.

cui uni jubemur ea qua nonniſi DEO debetur, ſervitute ſervire. Latria autem eſt ſupremus cultus ſoli DEO debitus & tribus perſonis exhibendus, quæ ſunt unus & ſolus Deus. *Dominus DEVS noſter cui ſoli per latriam ſervire debemus; non eſt Pater ſolus, nec Filius ſolus, nec ſolus Spiritus ſanctus: ſed ipſa Trinitas unus DEVS ſolus, Pater & Filius & Spiritus ſanctus.* Sanctā Trinitatem veneratur Eccleſia, ſive triumphans in cœlis, ſive militans in terris. Seraphini qui inter beatos Angelos digniores ſunt, ad ejus honorē ſacrum inceſſanter decantant triſagion. *Illa Angelorum circumſtantia non ceſſant dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Eccleſia militans triumphantis æmulatur cultum, & ut fideles beatorū ſpirituū imitarentur venerationē, ſūmus Pontifex Damaſus, in univerſam Eccleſiā induxit, ut ſacris initiati, ſeu in choro publico, ſeu in privatis officiis, ad ſingulos pſalmos pro coronide adjicerent, *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.* Brevis oratio, ſed quæ compendio breviore continet quidquid in cœlo terriſque ſanctum, adorabile, divinum: brevis oratio, ſed ſanctæ Triadi ſacrata, & Deo gratiſſima: brevis oratio ſed quā decantari à Cœlicolis audivit Ignatius Martyr. *Proinde igitur & nos Angelorum, ſi meminerimus, candidati, jam hinc cæleſtem illam in DEVM vocem, & officium futuræ claritatis ediſcimus.* Ut in cœlis cœleſtem illū hymnū valeamus decantare per totā æternitatē, decantemus illū quamdiu ſumus in hoc mortali corpore. Angelicā illā melodiā æmulabatur Venerabilis Beda, qui aſſuetus dū viveret dicere, *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*, divinā hanc decantans laudē cygnea voce animā efflavit. Sancti viri imitemur pietatē, ſæpe ſæpiùs dicētes: *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*: non voce tātùm, & inani labiorū ſono, ſed cordis affectu, & humili corporis reverentia.

D. Aug. Ep. 66. ad Maxim.

Tert. lib. de Orat. 3.

Tert.

Sur.

Hoc quantum ad gloriam DEI ſanctiſſimæque Trinitatis, in communi: in particulari autem ſingulæ perſonæ divinæ honorandæ ſunt, ſecundùm proprietates perſonales, vel perfectiones eis attributas. *Honoratur Pater ſecundùm quod Pater eſt: honoratur Filius ſecundùm quod Filius, honoratur Spiritus ſanctus ſecundùm quod Spiritus ſanctus.* Patri attribuitur potentia, Filio ſapientia, Spiritui ſancto bonitas: Criminoſi Chriſtiani has divinarum perſonarū perfectiones non honorant, ſed inhonorant: potentiā Patris, peccatis infirmitatis & fragilitatis: ſapientiam Filii, peccatis ignorantiæ ſceleroſæ: bonitatem Spiritûs ſancti, peccatis malitiæ. Patri adhuc attribuitur liberalitas & fœcunditas; quia ſeſe ad intra, & ad extra communicat: Filio puritas; quia ejus generatio, ſive æterna, ſive temporalis, puriſſima eſt Spiritui ſancto humilitas, quia ſuper humiles requieſcit. In mundo autē eſt trina eaq; maligna & diabolica trinitas, quæ divinæ Trinitati contradicit, eāq; peculiariter offendit: *Concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ.* Concupiſcentia oculorum, ſeu avaritia, Patris offendit fœcunditatem & liberalitatē: concupiſcentia carnis ſeu luxuria, Filii puritatem: ſuperbia vitæ, Spiritûs ſancti humilitatem, ſeu potiùs in humilibus habitationem. Miſeram hanc, execrandam & diabolicam trinitatem horreamus, à nobis removeamus, & ad

Tert.

D. Cyp.

1. Joann. 2.

ſan-

ſanctam & divinam ſuſpiremus cùm D. Bernardo Trinitatem. *O beata & beatificans Trinitas! ad te mea miſera trinitas miſerabiliter ſuſpirat: quoniam à te infeliciter exulat.* Imploremus potentiam Patris, quæ adjuvet infirmitatem noſtram: ſapientiam Filii, quæ illuminet tenebras noſtras: bonitatem Spiritûs ſancti, quæ expellat malitiam noſtam. Patris roborati potentia, Filii illuſtrati ſapientia, Spiritûs ſancti bonitate ſanctificati, gratias agamus ſanctiſſimæ Trinitati, & in gratitudinis monumentum, *benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu; laudemus & ſuperexaltemus eum in ſacula.* Laudemus Patrem Filiũ generantẽ, Filiũ ſimul cum Patre Spiritũ ſanctũ producentẽ: Spiritũ ſanctũ Trinitatẽ complentẽ, qua nihil intelligentiùs perfecta ratio poteſt invenire. Ser. 11. in

Nos verò nunc & ſemper unicum quidem DEUM credimus, ſub hac tamen diſpenſatione, quam œconomiam dicimus: ut unius DEI ſit, & Filius ſermo ipſius qui miſit à Patre Spiritum ſanctum ſanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Hanc fidei confeſſionem explanat perfecta ratio: eo quod Trinitate nihil intelligentius poſſit inveniri; in qua 1. Pater Filium generat: 2. Pater cum Filio Spiritum ſanctum ſpirat: 3. Spiritus ſanctus Trinitatem complet & terminat. II. PARS. Tert. l. adv. Prax. 2.

1. *Quodcunque cogitaveris ſermo eſt:* Intellectus noſter intelligendo, internum producit ſermonem ſeu verbum mentis, quod eſt expreſſa tum potẽtiæ tum objecti imago. Habes in mente tua imaginem Patris fato functi, vel domus quam ædificâſti: neutrum oculis objicitur; utrumq; tamen intellectus concipit velut præſens. Unde hoc niſi ex activitate intellectûs producentis imaginem objecti ſeu verbum mentis quod repræſentat objectum, non ſecus ac ſi eſſet præſens? Inde aſſurgamus ad Sermonem ab æterno Patre productum. *Quantò ergo pleniùs hoc agitur in DEO, cujus tu quoq; imago & ſimilitudo cenſeris?* Meritò dicit Tertullianus quod hoc pleniùs agitur in DEO, quia multiplex eſt diſcrimen inter Sermonem à Patre prolatum, qui eſt *repræſentator Patris*; & ſermonem internum ab intellectu humano productum: 1. Intellectus humanus eſt prior verbo quod producit: Pater autem æternus non eſt prior Verbo divino quod eſt illi coæternum, ut Pater ipſe teſtatur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* hoc eſt in æternitate, quæ eſt perpetuum hodie quod inviſibiliter coëxiſtit tribus temporis differentiis; præterito, præſenti & futuro: 2. Intellectus humanus non ſemper producit verbum mentis, tum ob imperium voluntatis, tum ob ſomnum corporis: tum ob ipſius intellectûs evagationem. Æternus Pater ſuum continuò producit Verbum; nec poteſt ab ejus productione ceſſare, quia illud neceſſario producit. *Semper Filius erat in DEI nomine*: 3. Intellectus humanus plura producit verba mentis, quia cùm ſit finitus & limitatus, una notitia nequit cuncta intueri objecta, memoria autem fœcunda Patris infinita, comprehendit omnia objecta cognoſcibilia, & unicum generat Verbum infinitum ſuo principio coæquale. Quare Tertullianus poſt Apoſtolum ſic fatur de DEI Filio: *Hic certè qui in effigie* DEI Tert. l. adv. Prax. 5. Tert. l. adv. Prax. 24. Tert. l. adv. Prax. 11. Tert. l. adv. Prax. 21. Lib. adv. Prax. 3.

DEI conſtitutus non rapinam exiſtimavit eſſe ſe æqualem DEO. 4. Verbum mentis ab intellectu humano productum, eſt accidens & non ſubſtantia: Verbum autem divinum non eſt accidens, ſed ſubſtantia. *Nec potuit carere ſubſtantiâ quod de tanta ſubſtantia proceſſit, & tantas ſubſtantias fecit.* 5. Verbum mentis non perſeverat in intellectu humano, ſed deſtruitur: tum ob finitatem utriusque, tum ob mutationem objecti: at Verbum divinum ſemper permanet & reſidet in ſuo principio, *Sermo DEI Filius dictus eſt, ipſe DEUS cognominatus eſt, & Sermo erat apud DEUM, & DEUS erat Sermo.* 6. Verbum mentis diſtinguitur eſſentialiter ab intellectu humano, quia intellectus eſt potentia eſſencialis animæ, verbum autem mentis eſt accidens illi inhærens: Verbum autem DEI non eſſentialiter ſed perſonaliter tantùm diſtinguitur à ſuo principio. Quare Tertullianus Filium nuncupat alium à Patre. *Alium autem perſona, non ſubſtantiæ nomine, ad diſtinctionem, non ad diviſionem.* 7. Verbum humanum non eſt perſona, per ſe etenim ſubſiſtere nequit: at Verbum divinum eſt ſecunda Trinitatis perſona: *Quæcunque ſubſtantia Sermonis fuit, illam dico perſonam*: 8. Verbum mentis ab homine productum non eſt ejus filius, quia non eſt vivens: at Verbo divino *nomen Filii vindico, & dum Filium agnoſco, ſecundum à Patre defendo.* 9. Verbum humanum non eſt homo: at Verbum divinum eſt DEUS: *DEUS Sermo, quia ex DEO DEUS.* 10. Verbum humanum non eſt productivum Amoris ſubſtantialis: at Verbum divinum procedens à Patre, ſimul cum Patre producit Spiritum ſanctum.

[Margin: Tert. ibid. — Tert. — L. adv. Prax 12. — Tert. l. adv. Prax. 7. — Tert. l. adv. Prax. 15.]

2. Pater æternus generans Verbum, *ut lumen de lumine accenſum*, ſimul cum illo producit Spiritum ſanctum. In intelligentiis purè ſpiritualibus duæ ſunt productionum ſpecies. Una intellectûs ſeu memoriæ fœcunda: quâ producitur verbum mentis: alia voluntatis quâ producitur amor: *DEUS eſt ſpiritus* & ſuprema intelligentia, quapropter duæ illæ productionum ſpecies ſunt in illo absque ullo defectu & cum omnimoda perfectione. Solus Pater eſt principium primæ productionis; Pater cum Filio eſt principium ſecundæ productionis; qui in prima proceſſioõe producens Filium *ut lumen accenſum*, communicavit illi voluntatem fœcundam productivam Amoris perſonalis. Ut enim Subtilis ratiocinatur Doctor; dum adſunt duo principia ſubordinata in ſuis operationibus, ſecundum nequit eſſe in potentia proxima ad operandum, niſi primũ quod neceſſario ſupponit, produxerit terminum productionis ſuæ, ut patet ex intellectu noſtro, & noſtra voluntate: voluntas enim intellectui ſubordinatur; ideoque neceſſe eſt ut intellectus ſuam producat notitiã antequã voluntas ſit diſpoſita ad producendũ amorẽ. Eodẽ modo ratiocinandũ eſt cæteris paribus de principiis proceſſionũ divinarũ Volũtas namq; ſubordinatur memoriæ fœcũdæ, & ita Pater generat Verbũ in inſtanti originis antequã volũtas ſit in potẽtia proxima ad producẽdũ Spiritũ ſanctũ; & conſequẽter neceſſe eſt ut in duab' perſonis ſubſiſtat, ut producat Amorẽ perſonalẽ, qui eſt termin' ſuæ fœcũditatis, Pater absq; Verbo nequit divinũ illum ſpirare

[Margin: Tert. Apol 21. — Tert. l. 1. adv. Marc. 9. — In 1. Diſt. 11. Quæſt 1.]

ſpirare Spiritum, quia in generatione communicat Verbo divinam naturam omneſque perfectiones eſſentiales; *Pater enim quod dedit mihi majus omnibus eſt*: At inter perfectiones Filio à Patre communicatas, eſt voluntas, quæ in inſtanti generationis Verbi, non produxit terminum ſuæ ſpirationis, neque valet illum producere niſi in inſtanti poſteriori adgenerationem Filii. Ut autem ratiocinatur D. Auguſtinus de Patre loquens, *Qui talem Filium genuit, gignendo dedit, ut etiam de ipſo procederet Spiritus ſanctus.* Quod ut melius concipiatur, ſupponenda ſunt tria inſtantia originis inter divinas perſonas. In primo inſtanti; Pater ex ſemetipſo binam habet fœcunditatem, intellectus unam, voluntatis alteram: utraque eſt in potentia ad producendum terminum; cum hoc tamen diſcrimine, quod fœcunditas intellectus eſt in potentia proxima ad generandum Verbum; ſufficit enim ad proximam intellectûs fœcunditatem, ut in una perſona ſubſiſtat: fœcunditas autem voluntatis eſt duntaxat in potentia remota ad producendum ſuum terminum; quia proximam nequit habere fœcunditatem niſi ſubſiſtat in duabus perſonis ob ſubordinationem voluntatis ad intellectum, & Amoris ſpirati ad Verbum genitum. In ſecundo inſtanti Pater generat Filium qui eſt terminus primæ fœcunditatis, nempe intellectus, & generando communicat illi principium ſecundæ fœcunditatis, ſcilicet voluntatem fœcundam, quæ nondum produxit ſuum terminum, ſed eſt in potentia proxima ad illum producendum. Quod pulchrè declarat D. Auguſtinus: *Genuit Filium: totum à toto, perfectum à perfecto, plenum à pleno*: non quidem plenum fœcunditate intellectûs, quæ jam exhauſta eſt per generationem Verbi, ſed plenum fœcunditate voluntatis, quæ nondum ſuum produxit terminum. In tertio inſtanti Pater & Filius eadem virtute ſpirativa producunt Spiritum ſanctum, qui eſt terminus voluntatis fœcundæ. Ut enim addit D. Auguſtinus: *A quo habet Filius ut ſit DEUS, ab illo habet utique, ut etiam procedat Spiritus ſanctus* qui Trinitatem complet & terminat.

> Tert. l. adv. Prax. 22.
> L. 3. cont. Maxim. 14.
> Serm. 125. de Temp.

3. Tertullianus Spiritũ S. nuncupat *tertiũ nomẽ divinitatis, tertiũ gradũ majeſtatis.* Spiritus S. eſt tertiũ divinitatis nomé, ideſt tertia Trinitatis perſona. Prima Trinitatis perſona dicitur Pater, ſecunda Filius, tertia Spiritus ſanctus: (Propriũ eſt Patris quod ſolus eſt Pater, & quod ab alio non eſt, niſi à ſe. Propriũ eſt Filii, quod à Patre genitus eſt, ſolus à ſolo, & coæternus & conſubſtantialis genitori. Propriũ eſt Spiritûs ſancti, quod nec ingenitus nec genitus eſt, ſed à Patre & Filio procedens. Nam ſi ingenitus diceretur, ſicut Pater, duo Patres, ſi genitus ſicut Filius, duo filii exiſtimari poſſent in Trinitate.) Repugnat auté quòd ſint in Trinitate plures aut pauciores perſonæ quã tres; Pater ſcilicet, Filius & Spiritus ſanctus. Non plures, quia quælibet perſona cùm ſit infinita, exhaurit fœcunditatem ſui principii, niſi enim ſufficiat ad complendã totã productioné, neceſſariò admittendæ erunt proceſſiones & perſonæ ejuſdé rationis numero infinitæ. Hac ratione Tertullianus

> Tert. l. adv. Prax. 30.
> D. Aug. to. 3 l. Quæſtiuncula de Trin.

nus oſtentat non poſſe admitti duos Deos ſeu duo ſumma magna. *Aut quæ ratio duo ſumma magna compoſuit? Primo enim exigam cur non plura? Si duo, quando locupletiorem oporteret credi ſubſtantiam, ſi competeret ei numerus? quæcunque ratio plura ſumma magna non potuit admittere, eadem nec duo, ut ipſa plura poſt unum: poſt unum enim numerus. Quæ potuit duo admittere, eadem potuit & plura: poſt duo enim multitudo; unione jam exceſſa.* Eadem ratiocinatione utitur

L. 2. cont. Maxim. 12. D. Auguſtinus, ut plures generationes & plures filios excludat à divina Trinitate. (Immoderata eſſet divina generatio, ſi genitus Filius nepotem gigneret Patri; quia ipſe nepos niſi avo ſuo pronepotem gigneret, impotens diceretur: nec impleretur generationis ſeries, ſi ſemper alter ex altero gigneretur: nec etiam ullus perficeret eam, ſi nō ſufficeret omnipotens unus.) Ne ejusmodi ſequantur abſurda, admitti nequeunt in divinis plures proceſſiones ejusdem rationis, plures ſcilicet generationes, ſed una duntaxat, qua generatur Filius: neque plures ſpirationes, ſed una ſpiratio activa, qua pro-

D. Aug. l. 11 de Civ. 24. ducitur Spiritus ſanctus: *Credimus & tenemus, & fideliter prædicamus quod Pater genuerit unigenitum Filium, unus unum, æternus coæternum, ſummè bonus æqualiter bonum.* Nequeunt etiam eſſe perſonæ divinæ minùs quàm tres, ſcilicet una improducta, in qua eſt neceſſariò ſiſtendum, vel admittendus proceſſus in infinitum, qui rationi & fidei repugnat; duæ productæ, quia tot ſunt perſonæ productæ quot ſunt principia productiva: Hæc autem ſunt tantùm duo, nempe memoria fœcunda, & voluntas. Prima perſona improducta

D. Aug. Ep. 178. cont. Paſcent. eſt Pater. *Eſt ingenitus Pater, quia à nullo eſt genitus.* Secunda perſona producta eſt Filius, quia generatur à Patre. *Suo jure DEUS omnipotens: quæ Sermo*

Tert. l. adv. Prax. 17. *DEI omnipotentis.* Tertia perſona producta eſt Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedens, *& ipſe conſubſtantialis & coæternus ambobus*, & licet ordine nu-

D. Aug. l. 11 de Civ. 24. meretur tertia, attamen *non eſt minor gradu, poſterior ordine*: Inter divinas il-

Chryſol. Ser. 59. las perſonas, producens non eſt producta perfectior, neque Pater qui eſt principium Trinitatis, eſt nobilior Spiritu ſancto, qui eſt *ſanctæ Trinitatis com-*

Cyr. Alex. l. 14. Theſaur. 3. *plementum.* Unus & idem cum Patre & Filio Deus: *Unus Pater & Filius cum eo, quo pariter uterque naturaliter ornatus ex Spiritu ſancto.*

Rup in c. 1. Gen. *Si te adhuc numerus ſcandalizat Trinitatis, quæ non connexa in unitate ſimplici, interrogo quomodo unicus & ſingularis pluraliter loquitur: Faciamus hominē*

Tert. l. adv. Prax. 12. *ad imaginē & ſimilitudinē noſtrā; cùm debuerit dixiſſe, Faciam hominem ad imaginem & ſimilitudinem meam; utpote unicus & ſingularis:* Non loquitur etiam in ſingulari, ſed in plurali, faciamus. *Fallit aut ludit, ut cùm unus, & ſolus, & ſingularis eſſet, numeroſe loqueretur. Aut nunquid Angelis loquebatur, ut Iudæi interpretantur: aut quia ipſe erat Pater, Filius, Spiritus, ideò pluralem ſe præſtans,*

Tert. l. adv. Prax. 11. *pluraliter ſibi loquebatur?* Nullum ex his poteſt dici. Non primum; tùm quia

Tert. l. de Reſ. 5. non deriſoriè ſed ſeriò loquebatur: tùm quia impiū eſt credere *DEUM mendacē, fallacē & deceptorē:* Eſſet autē mendax, fallax & deceptor, loquens in plurali ſi una duntaxat & ſingularis eſſet perſona. Non ſecundum: nam licet

Mar-

Marcus & Menander hæretici velint quod corpus humanum ſit *Angelorum operatio*: falſo tamen id aſſeverant: nam ut animadvertit Tertullianus, *plures & duriores quæque doctrinæ, totam hominis figulationem* DEO *noſtro cedunt.* Non tertium: *imò quia jam adhærebat illi Filius, ſecunda perſona, Sermo ipſius; & tertia, Spiritus in Sermone, ideò pluraliter pronuntiavit; Faciamus, & noſtram. Cum quibus enim faciebat hominem, & quibus faciebat ſimilem? cum Filio quidem, qui erat induturus hominem: Spiritu verò, qui erat ſanctificaturus hominem, quaſi cum miniſtris & arbitris, ex unitate Trinitatis loquebatur.* Tert. Tert l adv. Prax. 12.

Hæc ratio & confundit Judæos qui negant Trinitatem, perſonarum, & inſtruit Chriſtianos ut imitentur Trinitatem ad cujus imaginem & ſimilitudinem facti ſunt. (Mens imago DEI eſt, in qua ſunt tria; memoria, intellectus & voluntas. Per memoriam Patri ſimiles ſumus, per intelligentiam Filio, per voluntatem Spiritui ſancto.) Hæ tres animæ potentiæ, ſanctæ ſunt Trinitati conſecrandæ: Memoria, ut ejus meminerit; intelligentia, ut eam intelligat; voluntas, ut eam diligat. *Meminerim tui Domine, intelligam te, diligam te: Auge in me illa donec me reformes ad integrum,* & perfectam largiaris in cœlo ſimilitudinem Trinitatis, quæ eſſentiali fruitur beatitudine: *Oportet Trinitatem eſſe, quâ nihil beatius perfecta ratio poteſt invenire.* D. Bern. in Medit. c. 1.

Mandans ut tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, in perſonas ſingulas tinguimur. In forma baptiſmi & unitas eſſentiæ, & Trinitas perſonarum exprimitur: Unitas eſſentiæ dum dicitur, In nomine; ly enim nomen, denotat eſſentiam, quæ eſt communis tribus: Trinitas perſonarum quæ propriis notantur nominibus, quarum adhuc: 1. declaratur unitas: 2. teſtificatur Trinitas: 3. commendatur felicitas. III. PARS. Tert. l. adv. Prax. 27.

1. Chriſtus Dominus unitatem eſſentiæ declarat, dicens: *Ego & Pater unum ſumus; unum ſumus, non unus ſumus, unus enim ſingularis numeri ſignificatio videtur: unum dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad ſingularitatem ſed ad unitatem; unum ſumus dicens, ego & Pater, oſtendit duos eſſe quos æquat.* His verbis belle declarat Tertullianus unitatem Trinitatis: quia unum neutraliter ſumptum unitatem eſſentiæ ſignificat. Quapropter Filius nequit dici aliud à Patre: ly enim aliud alietatem naturæ denotat; dici tamen poteſt alius à Patre, quia ly alius maſculinè ſumptus perſonam ſignificat: Filius autē eſt alia perſona à perſona Patris, quia realiter ad invicē referũtur: nō poſſēt autem realiter opponi & referri ſi eſſent una & eadem perſona: *Habeat neceſſe eſt Pater Filium ut Pater ſit: & Filius Patrem, ut Filius ſit.* Duas autem perſonas Patris & Filii innuit Chriſtus loco memorato. Conſtat enim, *Ego & Pater, duorũ eſſe ſignificationē: Dehinc in noviſſimo ſum⁹, nō ex unius eſſe perſona, quod pluraliter dictũ eſt.* Declarata autē unitate divinitatis, perſonarũ aſſeritur Trinitas. Tert. l adv. Prax. 22. Tert. l. adv. Prax. 10. Tert. l. adv. Prax. 22.

2. *Alium autem quomodo accipere debeas, jam profeſſus ſum, perſonæ non ſubſtantiæ nomine, ad diſtinctionem non ad diviſionem.* Hanc autem trium perſonarum maſculinam alietatem, & realem diſtinctionem Tert. l. adv. Prax. 12.

Tert.l.adv. Prax.11. Scriptura ſacra teſtatur: *Quando ſcriptura omnes & demonſtrationem & diſtinctionem Trinitatis oſtendant.* Tædioſum foret cunctos referre locos, quos fuſe accumulat Tertullianus. *Animadverte Spiritum loquentem ex tertia perſona, de Patre & Filio, Dixit Dominus Domino meo, ſede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* In illo namque loco *manifeſtè diſtinctio Trinitatis exprimitur: Eſt enim ipſe qui pronuntiat Spiritus, & Pater de quo pronuntiat, & Filius ad quem pronuntiat.* Conſtat autem *non poſſe unum atque eundem videri qui loquitur, & de quo loquitur, & ad quem loquitur.* Alius eſt ergo Spiritus ſanctus qui loquitur: alius Pater de quo loquitur Spiritus ſanctus: alius Filius ad quem loquitur Pater: *Sic & cætera quæ nunc ad Patrem de Filio, vel ad Filium, nunc ad Filium de Patre, vel ad Patrem: nunc ad Spiritum pronuntiantur; unamquamque perſonam in ſua proprietate conſtituunt;* ideſt cõſtitutam declarant: Trinitas autem ex tribus coaleſcit perſonis, & *quia unum* Chryſol. Ser.60. *DEUM in Trinitate credit humana fides, ſcit Patrem, ſcit Filium, ſcit Spiritum ſanctum, Deos neſcit, Divinitas in perſonis trina eſt, ſed una eſt in perſonis Divinitas: perſonis Trinitas diſtincta eſt, non eſt diviſa ſubſtantia: Divinitas nec Trinitate dividitur, nec confunditur unitate: DEUS unus eſt ſed Trinitate: DEUS ſolus eſt, ſed non ſolitarius,* quia ſubſiſtit in tribus perſonis quarum commendatur felicitas.

Tert.l.adv. Prax. 5. 3. *Ante omnia etiam DEUS ſolus, ſolus autem, quia nihil aliud extrinſecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem ſolus, habebat enim ſecum quam habebat in ſemetipſo rationem ſuam ſcilicet: hanc Græci logon dicunt, quo vocabulo ſermonem appellamus.* Ab æterno non erat ſolus Pater, Sermo enim erat cum illo & in illo: Spiritus ſanctus erat etiam in Patre & Filio: Stupendum profectò paradoxon: Deus eſt ſolus & non eſt ſolus: ſolus quantum ad unitatem Tert l. 1. adv. Marc. 4. eſſentiæ, *ſolitudinem quandam de ſingularitate præſtantiæ ſuæ poſſidens:* Non ſolus quantum ad Trinitatem perſonarum, quod ipſemet aſſeverat Chriſtus: Tert.l.adv. Prax.22. *At ubi ſe negat eſſe ſolum? ſed ego, inquit, & qui me miſit Pater. Nonne duos demonſtrat: tam duos quàm inſeparatos?* imò & tres cum Spiritu ſancto, qui perfectâ fruuntur felicitate, quæ compati nequit cum ſolitudine perſonali. Boni namque poſſeſſio non poteſt eſſe grata, nec afferre jucunditatem, ſi conſortio & ſocietate ſit deſtituta, quapropter eadem ratio quæ Dei commendat felicitatem, perſonarum denotat Trinitatem & ſocietatem.

Poſnan.1. part. Inſtit. ſpeculat. de Trin. Ariſtoas Ptolomæi Philadelphi Secretarius refert Salomonem pretioſiſſimum habuiſſe annulum, cui annexæ erant tres coronæ: prima aurea, ſecunda ſpinea, tertia argentea alias duas uniens, hanc deferebat inſcriptionem, *victoria amoris.* Hic annulus myſterium innuit tùm Trinitatis, tùm Incarnationis. Prima corona Patrem ſignificat, qui eſt prima Trinitatis perſona, ſicut aurũ inter metalla primũ locum tenet: Secunda ſignificat Filium qui humanatus eſt, & ſpinis coronatus ut humanã operaretur ſalutẽ: Tertia Spiritum ſanctũ ſignificat, qui eſt nexus Patris & Filii. Hæ tres coronæ unico annexæ ſunt annulo, quia Divinitas quæ in tribus perſonis ſubſiſtit, eſt ſphæra admi-

admirabilis, cujus centrum ubique & circumferentia nusquam: Hæc inſcriptio *victoria amoris*, denotat vel quod amor perſonalis eſt Trinitatis complementum: vel quod divinus amor ſeſe ad extra diffundit, triumphans de nihilo de quo cuncta produxit: triumphans de peccato hominis, pro cujus ſalute Pater Filium ſuum unigenitum dedit; Flius ſuum ſanguinem, & Spiritus ſanctus ſuas continuò largitur gratias. Baptiſmus qui adminiſtratur in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ſanctiſſimam docet nos Trinitatem. *Diſcimus in Baptiſmo myſterium Trinitatis*: Nam in baptismate Pater adoptat nos in filios; Filius ſuos nos efficit fratres; Spiritus ſanctus ſua conſtituit templa: & tota Trinitas una & eadem potentia, ſacro nos inurit charactere, & ſibi peculiariter devovet. In hoc ſacramento nos Trinitati conſecramur, & Trinitas nobis ſalutē pollicetur ſi fideles ſteterimus: *Cum in tribus & teſtatio fidei, & ſponſio ſalutis pignorentur.* O felices qui promiſſam DEO in Baptismate ſervant fidem! O infelices qui datam frangunt fidem! *Tres ſunt qui teſtimoniū dant in cœlo, Pater & Filius & Spiritus ſanctus*: in gratiam ſcilicet juſtorum qui ſuâ fidelitate & pietate, promiſſam à ſancta Trinitate meruerunt beatitudinem. Verùm *tres ſunt qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, aqua & ſanguis*, adverſus criminoſos Chriſtianos qui acceptam in Baptiſmate perdiderunt puritatem, Spiritûs ſancti profuderunt gratias, pretioſum Chriſti conculcârunt ſanguinem, & Trinitatis irritaverunt juſtitiam. Vultis, Chriſtiani, experiri Trinitatis non odium ſed amorem? Servate diligenter gratiam, & fidentes ſperate in bonitatem Patris & Filii & Spiritûs ſancti: quoties cum ſigno crucis hæc profertis verba: In nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti, revocate ad memoriam Baptismum, & producite actus Fidei, Spei & Charitatis; attendentes, quod *ablutionem delictorum fides impetrat, obſignata in Patre & Filio & Spiritu ſancto. Nam ſi in tribus teſtibus ſtabit omne verbum, quanto magis dum habemus per benedictionem eoſdem arbitros fidei, quos & ſponſores ſalutis, ſufficit ad fiduciam ſpei noſtræ, etiam numerus nominum divinorum?*

D. Athan.

Tert. l. de Bapt. 6.

1. Joann. 5.

Tert. lib. de Bapt. 6.

CONCIO SEXTA.

DEI Filius poſtquam declaravit ſe eſſe unum in eſſentia cum Patre, & alium in perſona, *Paracletum quoque ſe miſſurum repromittit, & quidem aliū*: His verbis apertè declarat Chriſtus, ſe eſſe ſimul cum Patre principiū Spiritûs ſancti; quia niſi procederet à Filio, non poſſet mitti à Filio: perſona enim producta non mittitur niſi à perſona à qua procedit. Sic Pater non mittitur neque à Filio, neq; à Spiritu ſancto, quia eſt improductus: Filius mittitur à Patre, non à Spiritu ſancto quia à Patre non à Spiritu ſancto procedit: Spiritus ſanctus mittitur à Patre & Filio; quia ab utroque procedit Spiritus ſanctus con-

Tert l adv. Prax. 25.

conſiderandus eſt impræſentiarum: 1. productus: 2. miſſus: 3. deſpectus.

Tert. ibid. *Certum de meo ſumet, inquit, ſicut ipſe de Patris.* Filius & Spiritus ſanctus conveniunt & differunt: Conveniunt, tùm quia uterque producitur; tùm quia uterque accipit à ſuo principio: tùm quia uterque eſt idem Deus cum ſuo principio: tùm quia uterque realiter diſtinguitur à principio perſonali à quo producitur, & ad illud refertur. Differunt verò, tùm quia proceſſio Filii eſt generatio, proceſſio verò Spiritûs ſancti eſt ſpiratio: tùm quia Filius producitur à ſolo Patre, Spiritus ſanctus à Patre & Filio: tùm quia memoria fœcunda eſt principium formale generationis Filii, voluntas fœcunda eſt principium formale proceſſionis Spiritûs ſancti, qui producitur ſpiratione: 1. ardente: 2. vivente: 3. immanente.

Tert. Apol. 21. Tert. lib. de An. 9. D. Thom. Hug. Card. in 1. Cor. 13

1. *Solis eſt radius, nec ſeparatur ſubſtantia, ſed extenditur.* Filius à patre dimanat ut radius à ſole, & quia *ſol ignis*, Filius à Patre ignitam accepit voluntatem. Siquidem *Pater generat Verbum, non qualecunque, ſed ſpirans amorem.* Ineffabile illud myſterium poteſt elucidari ex eo quod Poëtæ de Narciſſo fabulantur. *Conſideravit Narciſſus imaginem ſuam qui amore illius interiit.* In hujuſmodi fabula tria poſſunt conſiderari, quæ inſerviunt ad veritatem Trinitatis indagandã: 1. Narciſſus qui ſemetipſum in aqua velut in ſpeculo intuetur: 2. imago Narciſſi quæ ex ejus intuitu formatur: 3. ardens amor quo ſuam Narciſſus diligit imaginem. Hæc tria longè nobiliori modo reperiuntur in Trinitate. 1. Æternus Pater divinam contemplans naturam generat Filium, qui eſt perfectiſſima ejus imago, *ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus*: & quia in Filio generato quem Regius Vates faciem generantis vocitat, conſpicit infinitam pulchritudinem, infinito eum diligit amore: *Ignis à facie ejus exarſit.* Tandem Pater generando Filium cõmunicavit illi voluntatem fœcundam & ardentem; Filius infinite diligit Patrem, & uterque producit Spiritum ſanctum tanquam terminum voluntatis fœcundæ & ſpirationis ardentis. (Hinc ergo, fratres, aliquid percipere de ſublimi myſterio poteritis: Nam Pater æternus in puriſſimo ſubſtantiæ ſuæ ſpeculo intuitus, perfectiſſimam impreſſit imaginem, id eſt Filium, qui apud Eccleſ. dicitur ſpeculum ſine macula & imago, cujus agnoſcens ſummam & æqualem ſibi pulchritudinem, ſumme quippe eum dilexit, quæ dilectio Spiritus ſanctus eſt ab utroque procedens:) ſpiratione ardente & vivente.

Heb. 1. Pſ. 17. Andr Cret de S. Trin.

Tert. l. de Idol. 24.

2. Tertia Trinitatis perſona *Spiritus S.* nuncupatur: ly autẽ *Spiritus* derivari poteſt vel ab ſpiritualitate, vel ab ſpiratione: Dũ derivatur ab ſpiritualitate, opponitur corporeo & materiali, & naturã purè ſpiritualẽ denotat: quo ſenſu Pater eſt ſpiritus, Filius eſt ſpiritus, Amor perſonalis ſpirit⁹, & totæ tres perſonæ unus & idẽ ſpiritus. Dũ autẽ ab inſpiratione deducitur, ſignificat terminũ voluntatis fœcundæ & ardẽtis, quo ſenſu ſola tertia perſona Trinitatis dicitur Spiritus, quia eſt *genitorũ genitiq; Spiritus*, Magnum ſanè eſt diſcrimen

D. Ambroſ. præfat. in Symb. Apo. c. 1.

men inter operationem intellectûs, & operationem voluntatis. Intellectus trahit velut infra ſemetipſum, objectũ, ſeu ſpeciem illud repræſentantem ut producat verbum mentis quod eſt imago utrùmq; repræſentans: Voluntas poſt objectum ſuſpirat, & velut egreditur extra ſemetipſam, ut ſe illi conjungat. Hoc diſcrimen reperitur inter generationem Verbi & proceſſionem Spiritûs ſancti. Pater æternus velut trahit eſſentiam divinam intra ſuum intellectum, qui ſummo illo fœcundatus objecto generat Filium qui eſt utriusque imago, & ut fatur Tertullianus, *repræſentator Patris.* Pater verò & Filius velut feruntur ad infinitam eſſentiæ bonitatem, & producunt Spiritum ſpiratione voluntatis ardente, vivente, & immanente. Tert.l.adv. Prax.24.

3. *Apud Patrem DEUM erat Sermo, unigenitus ſcilicet Filius, in ſinu Patris*: Tert.l.adv. Prax.15.
Idem aſſerendum de Spiritu ſancto qui in ſinu Patris & Filii reſidet & producitur ſpiratione activa in voluntate Patris & Filii im̃anente. Reſpiratio in nobis eſt operatio interna, vivificans, continua, quæ ſuam à calore ducit originem. Hæ ſunt proprietates ſpirationis qua Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum: quæ eſt 1. Operatio interna, quia immanet in divina voluntate, eſtque idem realiter cum ipſa: 2. Vivificans, quia per eam Spiritus ſanctus accipit vitam eſſentialem & divinam: Continua, quia Pater & Filius nunquam ceſſant ab ſpiratione, quemadmodum ab amore divinitatis nunquam deſiſtunt: 4. A calore procedens, quia voluntas eſt ejus principium, terminus verò Spiritus ſanctus, qui eſt charitas Patris & Filii. De quo duo inveſtigat D. Bernardus: *unde procedat, & quò procedat*: Unde procedat: *Proceſſio à Patre & Filio.* Quò procedat: *Proceſſio ad homines* ad quos mittitur. D.Aug.6. de Trin.1. Ser.1.Pent.

Spiritũ S. non indulget niſi ſolus DEUS. Pater & Filius mittunt Spiritũ ſanctũ, non per imperiũ, quia cũ unus & idẽ ſit cũ ipſis Deus, nullius ſubjicitur imperio; ſed per originẽ mittitur ad creaturã, in qua incipit eſſe novo modo. II. PARS, Tert.lib.de Bapt.10.
Anima nuncupatur à Triſmegiſto horizon æternitatis & temporis. Horizon eſt utriusq; particeps extremi: anima rationalis particeps eſt æternitatis ſaltẽ poſterioris: quia cũ ſit ſpiritualis & im̃ortalis, nunquã deficiet: particeps eſt temporis, quia producta eſt in tempore. Miſſio Spiritus ſancti, particeps eſt æternitatis & temporis. Æternitatis, quia eſt ſpiratio æterna qua refertur ad Patrẽ & Filiũ: Tẽporalis, quia absq; ulla ſui mutatione incipit eſſe novo modo in creatura, ad quã mittitur vel inviſibiliter vel viſibiliter. Inviſibiliter vel per infuſionẽ primæ gratię ſanctificãtis, vel per ejus augmentũ: viſibiliter dũ mittitur ſub aliquo ſigno ſenſibili habente quandã analogiã cum effectibus quos in anima producere intendit. Sic apparet hodie ſub forma venti, ut denotet hoc ſymbolo, gratiæ 1. neceſſitatẽ: 2. diverſitatem: 3. ſuavitatem.

1. De fide eſt DEI Filium *in cælos ereptum miſiſſe vicariam vim Spiritus ſancti, qui credentes agat.* Adeò neceſſaria eſt Spiritûs ſancti gratia, ut ſine ejus flatu, neque bonum concipere, neque velle, neque operari valeamus. Ideò *factus eſt repente de cælo ſonus tanquam ſpiritus vehementis*; non ſolùm ut oſtendat Spiritum ſanctum eſſe Amorem perſonalem Tert.lib.de præſc.hæret. 13. Act.2.

productum per impulſum quemdam voluntatis Patris & Filii in eſſentiam
Eccleſ. 11. divinam animatam: neque etiam quia ſicut ventorum origo nos latet; *neſcis*
D Hilar. de *quæ ſit via ſpiritus*: ſic proceſſio Spiritûs ſancti humanæ mentis fugit aciem.
Trin. *Non putet homo ſuâ intelligentiâ ſacramentum generationis & proceſſionis ſe poſſe conſequi*: ſed præſertim quia Spiritûs ſancti gratia non eſt minùs neceſſaria ad vitam ſupernaturalem animæ, ac ventus & aër, ad vitam naturalem corporis: Sine halitu & reſpiratione, corpus nequit vivere, neque anima ſine re-
D. Cyp. ſpiratione gratiæ: *ab Spiritu ſancto procedit omnis inſpiratio, ſuſpiratio, & aſpiratio ad divina.* Ventus neceſſarius eſt iis qui mare ſulcant: ventus gratiæ neceſſarius nobis eſt ut proceloſum hujus vitæ pelagus valeamus transfre-
Tert. lib. de tare: *Inter hos ſcopulos & ſinus: inter hæc vada & freta; veliſicata Spiritu DEI*
Idol. 24. *fides navigat tuta.* Non immeritò filii Iſrael maris rubri pertimeſcebant tranſi-
Exod. 14. tum, ne ejus ſubmergerentur fluctibus; at *abſtulit illum* nempe timorem. *Dominus, flante vento urente totâ nocte, & vertit in ſiccum.* Periculoſum ſanè eſt
Oſeæ 13. hujus vitæ mare, at ut ſecuram poſſimus facere navigationem, *adducet ven-*
In Bibliot. *tum urentem Dominus.* Hunc locum de adventu Filii intelligit Stephanus
Patr. Cantuarienſis: *ideſt Pater Filium peccata tollentem, & ad ſui amorem accendentem.* D. verò Ambroſius de Spiritu ſancto, qui eſt ventus urens, qui eſt divi-
Cant. 4. nus ignis igniens & ſufflammans, huc adducit, *Surge Aquilo, & veni Auſter.* Aquilo frigidiſſimus eſt, Auſter calidiſſimus: Aquilo diabolū ſignificat, Au-
D. Amb. in ſter Spiritum ſanctum denotat. *Iſte ventus aſpirat, ſi Boreas ille gravis ventus*
Pſ. 1. *flare deſierit.* Duo illi venti flant, ſed diverſo fine: diabolus ut naufragiū faciat, Spiritus ſanctus ut ad portum deducat. Ut ergo proſpera & tuta ſit no-
Tert. lib. de ſtra navigatio, flatu Spiritûs ſancti indigemus. *Rectè agitis vectante vos Spiri-*
Pud. 12. *tu ſancto*, qui ut faciliùs valeamus adire tranquillū cœli portum, diverſimodè flat, & gratiæ largitur varietatem.

Lib. adv. 2. Bellè Tertullianus de Spiritu ſancto ſic fatur. *Super aquas ferebatur*
Herm. 31. *librator, & afflator, & animator univerſitatis*: Non ſolùm ab initio mundi librabat aquas Spiritus ſanctus, ſed & nunc diverſimodè flat: quapropter à
Sap. 7. Sapiente *unicus & multiplex* nuncupatur. Unicus in divinitate, quæ eſt illi cum Patre & Filio cōmunis: unicus adhuc in ſua perſona, qua ab aliis perſonis diſtinguitur: Verū multiplex in largitione gratiæ, quæ ideò *multiformis* di-
1. Petr. 4. citur ideſt diverſitate plena. Igitur Spiritus ſanctus eſt *multiplex per diverſa*
Petr. Dam *charismatum dona quæ dat.* Divinus ille & unùs in ſemetipſo Spiritus ſeſe ad
Ep 6. extra propter homines multiplicat ob varias quæ eis largitur gratias. *Vere*
D. Ber. Ser. 3. *multiplex Spiritus qui tam multipliciter filiis hominum inſpiratur.* Et ob hanc
Pentec. cauſam, ut animadvertit D. Chryſoſtomus, in Scriptura ſacra vocitatur Spi-
Ser. de amo. Spir. ſancto. ritus vitæ, veritatis, ſapientiæ, fidei, promiſſionis, ſanctificationis, adoptionis, charitatis, virtutis, temperantiæ, revelationis, manſuetudinis, timoris. Non quod tanta nominum diverſitas Spiritûs ſancti conveniat naturæ, ſed hoc dicendi modo denotat ſacer textus varias Spiritûs ſancti operationes,

tiones, & varios gratiæ effectus; & ita dum animam à morte peccati revocat, dicitur ſpiritus vitæ; ſpiritus veritatis, dum erudit; ſpiritus ſapientiæ, dum mentem ad cœlum erigit; ſpiritus fidei, dum revelat veritatis myſteria; ſpiritus ſanctitatis, dum ſanctificat; ſpiritus adoptionis, dum in filios DEI adoptat; ſpiritus charitatis, dum ad amorem DEI ſufflammat, ſpiritus fortitudinis, dum ad patiendum pro DEO vires ſubminiſtrat; ſpiritus temperantiæ, dum à gula avocat; ſpiritus manſuetudinis, dum iram ſedat; ſpiritus timoris, dum juſtitiæ divinæ metum ingenerat. *Hæc omnia operatur unus atque idem ſpiritus*, qui pro hominibus tot exercet officia, ſeſeque eis multipliciter audiendum præſtat. *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis.* Nemo eſt quantumvis ſurdus, qui eam non audiat: nam, ut expendit D. Auguſtinus, *ſonat Pſalmus, vox eſt Spiritus ſancti: ſonat Evangelium, vox eſt Spiritus ſancti: ſonat ſermo divinus, vox eſt ſpiritus ſancti: multis itaque modis vocem Spiritûs ſancti audimus.* Loquitur namque interius & exterius: Exterius, morte proximorum, qui quotidie coram nobis efflant animam: miſeriis quas patiuntur ſimiles nobis homines; morbis, quibus torquentur corpora noſtra; adverſitatibus, quæ nos gravant; ſanctis juſtorum exemplis; pietatis converſationibus; librorum devotionis lectione; multis aliis modis quibus arcet à malo & allicit ad bonum. Multimodè adhuc loquitur interius. *Quis percipere poſſit aut enarrare per quot affectus viſitatio DEI animum ducat humanum?* Scilicet illuſtrationes, queis illuſtrat intellectum; pias affectiones, quibus inflammat voluntatem; motiones quibus corda tangit; gratiæ ſollicitationes, quibus ad ſe trahere nititur; artes quibus utitur, ut vitii horrorem, & virtutis ingerat amorem. *Et jubet, & ſuadet, & præcipit, & hortatur, & rogat, & comminatur.* Agit officium patris, fratris, amici, ſponſi, domini, judicis. Jubet ut pater, ſuadet ut frater, hortatur ut amicus, rogat ut ſponſus, præcipit ut dominus, comminatur ut judex. *Et alios alloquitur amice ut filios; alios ut fratres, alios ut amicos compellit, inſtigat, & ad ſe attrahit.* Blandis ſuis ſermonibus *inhortatur mentem, ut à malis deſiſtat, inhortatur animam ut DEO ſe uniat*, ſcilicet per odium vitii, & virtutis affectum. Et quia nihil adeò elongat à cœlo, ac nimia terrenorum ſollicitudo, *à terrenis transfert, ad cœleſtia vocat*: ab inordinato mundi amore *redire facit animam, & ad DEUM tranſire & volare, urget mentem, divino accendit deſiderio*, objicit oculis mentis peccati deformitatem, virtutis decorem, diaboli malitiam, DEI bonitatem; inferni pœnam intolerabilem, cœli fœlicitatem interminabilem. Hæc animæ proponens ſic eam ſtimulat: *Veni ad Patrem, veni ad ſupremam patriam, veni ad cœleſte regnum*, ad quod eam vocat, & allicit gratiæ diverſitate & ſuavitate.

[Margin notes: 1. Cor. 12. — Joan. 3. — D. Proſper. cont. Collat. — Tert. l. 2. ad Ux 4. — D. Chryſ.]

3. Suaviter trahit Spiritus ſanctus benignis *chariſmatum roribus.* Divus Ambroſius de gratia loquens ſic belle ad propoſitum fatur: *Sine conatu: ſunt enim donationes & gratia DEI.* Vel quia non neceſſario ſeu

[Margin notes: Tert. l. 3. adv. Marc. 22. — Præf. in Luc.]

ſeu coactè, ſed voluntarie, libere & gratis DEUS ſuas largitur gratias. Vel his verbis confutat Divus Ambroſius errorem Semipelagianorum, qui neceſſariam quidem exiſtimabant internam gratiam, ſed poſteriorem volebant naturali voluntatis conatu, in quo ſalutis conſtituebant initium. Vel potiùs, quia DEI gratia non infert vim hominis voluntati: nec ullam ei neceſſitatem imponit. DEI gratia absque hominis libertate eſſet violentia & non gratia: *Libertas ſine gratia non eſt libertas, ſed contumacia:* ſi homo polleret quidem libertate, ſed careret gratiâ, non poſſet eſſe perfectus. Homo etiam *non eſſet optimus, ſi DEI praeceptis, neceßitate & non libertate ſerviret.* Sine gratia homo nequit eſſe juſtus, neque valet conſequi ſalutem: ſi homo eſſet orbatus libertate, DEUS eum non judicare nec damnare poſſet: *Si non eſt gratia, quomodo ſalvat mundum? ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Quapropter Apoſtolus Chriſtianos hortatur: *Contemplantes ne quis deſit gratiae DEI.* Non ait, ne cui deſit gratia DEI: nam *gratia DEI humanam tranſcendit neceßitatem*; ſed, ne quis deſit gratiae DEI. *Poteſtatis noſtrae eſt divinae inſpirationi acquieſcere.* Quod probe ſciens Philippus Cancellarius Pariſienſis, hoc modo orabat: *A neglectu divinarum inſpirationum libera nos Domine*; quarum ſucceſſus aut fructus à libera voluntatis cooperatione dependet. Quando quis cooperatur gratiae, proſperatur Spiritus ſanctus, quomodo ex Hebraeo vertit Cajetanus, quod ſacer Textus de Samſone aſſeverat: *Irruit Spiritus Domini in eum, juxta Hebraeum; proſperatus eſt ſuper eum Spiritus Iehovah.* Spiritus ſanctus proſperatur in eis qui ejus ſuſcipiunt gratiam, multi ſunt tamen in quibus non proſperatur, illi ſcilicet apud quos deſpicitur.

(D. Aug. Ep. 83. ad Hilar c. 3. — D. Aug. l. de Agon. Chr. 10. — D. Aug. Ep. ad Valent. — Hebr. 12. — Orig. hom. 23 in Joan. — D. Bern. de Inter. Dom. — In c. 12. Joann. — Judic. 14.)

III. PARS. *Enuntiatio Spiritus ſancti ad omnem utilitatis occaſionem dirigi & ſuſpici debet:* & ob hanc cauſam feſtum Pentecoſtes celebratur, quod Spiritui ſancto ejusque gratiae dedicatum eſt. *Exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt: quo & Domini reſurrectio inter diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus ſancti dedicata.* Ut autem haec dies Spiritui ſancto ſacrata digne celebretur, tria ſunt neceſſaria: Ut 1. Spiritus ſanctus agnoſcatur: 2. recipiatur: 3. receptus ſollicitè ſervetur. Verùm quam pauci ſunt hac tempeſtate, qui hoc modo celebrent feſtum Spiritûs ſancti! Nam plures ſunt à quibus, 1. non agnoſcitur: 2. agnitus non recipitur: 3. receptus ejicitur.

(Tert. l. 2. de Cult. Foe. 1. — Tert. lib. de Bapt. 19.)

1. Spiritum ſanctum vocitat Tertullianus *tertium gradum majeſtatis*, nempe tertiam Trinitatis perſonam. At proh dolor! *Majeſtas Spiritus ſancti* non agnoſcitur ab haereticis, qui ejus majeſtatem & divinitatem negant, ſed falſo, quod fuſe ex Tertulliano probavimus Concione ſuperiori de Trinitate. Ne actum agamus, ſufficiat nunc D. Epiphanii auctoritas, qui ex ſermone Petri ad Ananiam Spiritûs S. declarat divinitatem: *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto?* Mox addit cui ſit mentitus, denotans: *Non es mentitus*

(Lib. adv. Prax. 30. — Tert. lib. de Reſ. 24. — Act. 5. — Haer. 74.)

titus hominibus, ſed DEO. Ex hoc loco rectè concludit D. Epiphanius: *DEVS ergo de DEO eſt, & DEVS Spiritus ſanctus, cui mentiti ſunt, qui de agri pretio interverterant.* Græci adhuc *Paracleto controverſiam faciunt:* qui Spiritum ſanctum à Filio nolunt procedere, verum ut benè ait D. Auguſtinus; *nec poſſumus dicere quod Spiritus ſanctus à Filio non procedat, neque enim fruſtra idem Spiritus, & Patris & Filii, Spiritus dicitur.* Verum Græci erroris ſui luerunt pœnas, quibus probè competunt quæ de ſceleroſis Judæis refert Tertullianus; quia Chriſtum & Spiritum ſanctum agnoſcere nolentes: *Abſtulit Dominus Sabaoth à Iudaa & ab Hieruſalem inter catera, & Prophetam, & ſapientem architectum: Spiritum ſcilicet ſanctum, qui ædificat Eccleſiam, templum ſcilicet, & domum, & civitatem DEI. Nam exinde apud illos deſtitit DEI gratia & mandatum eſt nubibus ne pluerent imbrem ſuper vineam Sorech; id eſt, cæleſtibus beneficiis, ne provenirent domui Iſraëlis.* Neque ſolùm præſentia ſpeciali Spiritûs ſancti, & templo privati ſunt Judæi; ſed civitate, ſed regno, & diræ adhuc ſervituti mancipati: *Ab illis enim incipit infamia & tempus medium à Tiberio uſque ad Veſpaſianum. Quæ cùm ita commiſiſſent, nec intellexiſſent Chriſtum in tempore ſuæ viſitationis inveniendum, facta eſt terra eorum deſerta, & civitates eorum igni exuſta: Regiones ipſorum in conſpectu eorum extranei devorantes: derelicta eſt filia Sion tanquam ſpecula in vinea, vel ut in cucumerario caſula; ex quo ſcilicet Iſraël Dominum non cognovit, & populus eum non intellexit, ſed dereliquit magis, & ad indignationem provocavit ſanctum Iſraël:* Idem accidit Schiſmaticis Græcis, qui Turcarum ſubſtrati ſunt dominationi; nam Civitas Conſtantinopolitana capitalis imperii, capta eſt à Mahometo Secundo anno 1452. die 28. Maji, ipſiſſimo die Pentecoſtes, & miſera illa civitas, quæ fuerat tot ſæculis Imperatorum ſedes, nunc eſt ſolium Ottomannæ tyrannidis, & ſubjecta eſt Turcis infenſiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus. Hanc temporalem pœnam meritò paſſi ſunt Græci, à quibus Spiritus ſanctus non eſt agnitus; æternam debent metuere illi, à quibus agnitus non recipitur.

Tert lib. de Jejun 1. L. 4. de Trin. 20.

Lib. 5 adv. Marc. 23.

Tert. lib. adv. Jud. 13.

2. *Quæ eſt ergo Paracleti adminiſtratio, niſi quod diſciplina dirigitur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur?* Homines autem vitiis dediti, Chriſtianam nolentes obſervare diſciplinam, neque reformari & converti a pravis ſuis moribus, nolunt etiam Spiritum ſanctum recipere: & quamvis eos hortetur Regius Vates: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra;* in ſua tamen perſeverant obſtinatione: quibus aptari poſſunt ſancti Stephani verba: *Dura cervice & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Superbus in ſua vanitate & ambitione perſeverans, avarus cupidine æſtuans, libidinoſus venereas voluptates captans, helluo poſt gulam ſemper anhelans, & quivis ſceleroſus Spiritui ſancto reſiſtit.

Tert. lib. de ve. Virg. 1.

Pſal. 94.

Act. 6.

Hujusmodi autem reſiſtentia denotat & Spiritûs ſancti amorem, & peccatoris malitiam. Amorem Spiritûs ſancti, qui tot ei largitus eſt gratias, qui tam longo tempore converſionem ejus eſt proſecutus. Peccatoris malitiam, qui tanto tempore Spiritui ſancto reſtitit, ſex annis, decem annis, viginti annis, & fortaſſe quadraginta annis, & ſua obſtinatione ſeſe ſalute privat: *Quadraginta annis proximus fui generatio huic & dixi: Semper hi errant corde, ipſi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Soli namque in æternam poſſunt introire requiem, qui Spiritum ſanctum inhabitantem recipiunt, in ejusque gratia perſeverant: nam ut ait dubius Auguſtinus: *Spiritus ſanctus ſuam gratiam nobis tribuit ſui ipſius arrham:* arrham tum præſentiæ ipſius, tum fœlicitatis promiſſæ: Hanc autem arrham non habent, 1. mundani, qui Spiritum ſanctum non agnoſcunt: *Quem mundus non poteſt accipere, quia non ſcit eum.* Spiritus namque ſanctus, eſt veritas, charitas, ſanctitas: in mundo eſt error, inimicitia, & iniquitas. 2. Criminoſi, in quibus malignus habitat ſpiritus. Siquidem peccator *plenus eſt ſpiritu immundo, & vacuus Spiritu ſancto:* 3. Relapſi, *in quibus Spiritus ſanctus non immoratur;* quia ab eis receptus contumelioſè ejicitur.

Pſal. 94.
Lib. de ver. & falſ. Pœn. c. 4.
Joann 14.
D. Aug. l. 5 Hær. c. 8.
Tert. lib. adv. Jud. 13.
Tert. lib. de Spect. 15.

3. *DEUS præcepit Spiritum ſanctum, utpote pro natura ſua bono tenerum ac delicatum, tranquillitate & lenitate, & quiete & pace tractare; non furore, non bile, non dolore inquietare.* Probe autem tractant Spiritum ſanctum gratia ſanctificati, amore DEI ſufflammati, dilectione proximi accenſi, virtutibus decorati; dolore autem afficiunt Spiritum ſanctum, DEI inimici, peccatis contaminati, ira exaſperati, vitiis & ſceleribus dehoneſtati; quia eum contumelioſè ejiciunt. Spiritus ſanctus, utpote immutabilis, impaſſibilis, & eſſentialiter ſanctus, nequit neque dolorem, neque triſtitiam pati: verùm ſi per impoſſibile eſſet utriusque capax, triſtaretur & doleret, dum eum à ſemetipſo ſuis ſceleribus ejicit peccator. Qualis quæſo triſtitia boni & legitimi regis, quem ingrati ſubditi de throno deturbant, & ſupra ſolium ejus ſublimant ſervum rebellem, inſolentem, infenſiſſimum principis inimicum? Spiritus ſanctus eſt ſupremus rex hominum, ideoque quoties poſtulant in oratione Dominica, *adveniat regnum tuum: quorum verborum loco, adveniat, inquit Lucas, Spiritus ſanctus tuus in nos, qui quidem omnibus imperat, non eſt autem imperio ſubjectus.* Anima juſti eſt ſolium ſummi illius regis, qui tamdiu regnat, & ſupra ſolium ſedet, quamdiu homo in juſtitia & ſanctitate perſeverat. *Seſſio hæc, regiæ in Spiritu ſancto dignitatis excellentiam deſignat.* Regiam Spiritûs ſancti dignitatem agnoverunt Apoſtoli, quia in eis fuit, & in eis manſit: quapropter poſtquam dixit Chriſtus Dominus, quod mundus Spiritum ſanctum non agnoſcit, ſermonem ad Apoſtolos dirigens, ait: *Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Animadvertit autem acutè Divus Auguſtinus; *Erit in eis, ut maneat; non mane-*

Math. 6.
Greg. Nyſ. to. 3. Bibl. Patr.
Greg. Naz. Orat. 44.
Joann. 14.
Tra. 74 Joann.

manebit ut ſit: prius eſt enim eſſe alicubi, quam manere. Date Chriſtiani operam ut ſit in vobis, & in vobis maneat Spiritus ſanctus. Verùm peccatores poſt acceptum Spiritum ſanctum, poſt recognitum ejus imperium, illum de throno deturbant, & ſupra ſolium ejus diabolum collocant, tyrannum legitimo regi præferentes, eoque meliorem judicantes. Quàm grave ſit ejusmodi facinus, belle oſtendit Tertullianus. *Cæterum non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentiâ renuntiaſſet, & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſus eundem regreſſu ſuo erigit, & exultationem ejus ſeipſum facit; ut denuo malus recuperata præda ſua adverſus Dominum gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem quoque proferendum eſt, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit; & judicato pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit.* Magna ſanè peccatoris perverſitas, comparare Spiritum ſanctum cum diabolo: major, judicare diabolum meliorem Spiritu ſancto; maxima, præponere tyrannidem diaboli, regno Spiritûs ſancti, quem de corde ſuo ejicit, ut regnet in eo diabolus. L. de Pœn. 5.

Magna equidem eſt triſtitia regis quem ſubditi rebelles deturbant de ſolio; ut in eo collocent tyrannum, ſed non minor ſponſi bene meriti, quem uxor adulterans ejicit de nuptiali thalamo, ut vile & infame recipiat mancipium. Spiritus ſanctus animam peccato originali dedecoratam, & maculatam, in baptiſmate mundavit, pulchram effecit; eamque ſibi elegit in ſponſam: *Proinde enim ad fidem pervenit, reformata per ſecundam nativitatem ex aqua & ſuprema virtute, detracto corruptionis priſtinæ aculeo, totam lucem ſuam conſpicit. Excipitur etiam à Spiritu ſancto, ſicut in priſtina nativitate à ſpiritu profano. O beatum connubium, ſi non admiſerit adulterium!* Plura ſunt quæ urgent animam ut cœleſti illi ſponſo fidem præſtet: 1. Gratitudo, quia illam effecit ex deformi pulchram, ex paupere divitem, ex captiva reginam: 2. Juſtitia, ut datam teneat pollicitationem: 3. Honor, quia nupſit divino Sponſo: 4. Immortalis vitæ comparatio, quæ dependet ex caſtitate, ſicut æterna mors ex adulterio: *Ea ſalus nec fœminarum modò, ſed etiam virorum, in exhibitione præcipuè pudicitiæ eſt. Nam cùm omnes templum DEI ſimus, illato in nos & conſecrato Spiritu ſancto, ejus templi æditua & antiſtita pudicitia eſt, quæ nihil immundum vel profanum inferri ſinat, ne DEVS ille qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat.* Per gratiam mundata fuit anima, fugatus immundus ſpiritus, exceptus Spiritus ſanctus: per peccatum verò ejicitur Spiritus ſanctus; rurſus excipitur immundus ſpiritus, qui ſacrum thalamum violat, & adulterantem animam contaminat. *Hoc agite mortales, ne unquam polluat domicilium malignus ſpiritus*, ne vobis afferatis irreparabile damnum, & graviter offendatis Spiritum ſanctum. Tert. lib. de An. 41. Tert. lib. de Cult. fœm. 1. D. Aug. l. 83. Quæſt. Quæſt. 12.

Tert. lib. ad Mart. 1. *Imprimis ergo, Benedicti, nolite contriſtare Spiritum ſanctum*, ejiciendo eum de corde veſtro ut ſuſcipiatis dæmonem : Imò ejicite diabolum per veram pœnitentiam : *Fugiat conſpectum veſtrum, & in imo ſuo deliteſcat,* D. Aug. l. 13. Confeſſ. 13. *contractus & torpens, tanquam excantatus, aut effumigatus.* Converſi ad DEUM per pœnitentiam nolite denuo cadere in peccatum, (ne quod adepti eſtis converſione, averſione amittatis.) Tert. *Et ideò date operam ut vobiſcum perſeveret Spiritus ſanctus, ita vos perducat ad Dominum.*

541

EUCHARISTIA.

SCHOLIUM.

Chriſtus panis noſter eſt *in Eucharistia Sacramento, in quo nos proprio corpore & ſanguine paſcit. Dominicus autem ille panis dicitur* panis facierum, *vel quia varia DEI perfectiones in eo elucent, vel quia varias Chriſti denotat virtutes : vel ob varia quæ ſortitur nomina : vel quia varios producit effectus : vel quia diverſimode conſideratur à Concionatoribus. In præſenti autem conſiderandus eſt ſub octo faciebus diverſis, ſcilicet ut Panis 1. induſtriæ & ſagacitatis : 3. Fidei & credulitatis : 3. Dejectionis & humilitatis : 4. Convivii & ſumptuoſitatis : 5. Vnionis & individuitatis : 6. Munificentiæ & liberalitatis : 7. Vitæ & immortalitatis : 8. Cœli & fœlicitatis.*

Tert. lib. de Orat. 6.

CONCIO PRIMA.

CARNEM nuncupat Tertullianus *ingenii DEI curam*; quia ſcilicet in ea formanda acutiores ingenii ſui adhibuit adinventiones : Divinus amor ad humanam carnem fabricandam totas ingenii inſumpſit artes. Amor etenim ingenioſus eſt, mira ſolertia pollet, ad magnos formandos conceptus, nec minori utitur induſtria ad eos executioni mandandos. Nullum non advocat artificium, ut paſſioni ſuæ faveat : nullum non adhibet medium ut propoſitum finem attingat: difficultates eum minimè impediunt, non frigeſcit ab obſtaculis, ſed incaleſcit, neque ceſſat quærere adinventiones quoadusque ſuæ ſatisfecerit inclinationi. Sicut nullus amor divino eſt comparandus, ita nullus eſt ei ſimilis in adinventionibus, quæ adeò ſunt ſtupendæ, ut eas ſacer Textus à Concionatoribus prædicandas velit : *Narrate in populis adinventiones ejus.* Verùm ſi divini Amoris eluxit unquam induſtria, maximè in

Lib. de Reſ. 8.

Plat in Simpoſ.

L. 1. Paral. 12.

in venerando Euchariſtiæ myſterio; ubi 1. veram corporis Domini præſentiam præſtat: 2. hanc præſentiam humanæ fragilitati contemperat: 3. huic præſentiæ ſpeciem quamdam immenſitatis & æternitatis ſubminiſtrat.

I. PARS. In Euchariſtia apparet *DEI Domini ingenium* veram corporis Dominici præſentiam præſtans. Non illepidè Gregorius Nazianzenus amorem dulcem vocitat tyrannum: *Dulcis tyrannus amor.* Tyrannus ut obtineat dominationem, jura naturæ ſolvit, juſtitiæ leges evertit, humanitatem deponit, concivibus, amicis, propinquis, cunctisque in univerſum, qui ſeſe temerario ejus propoſito opponere præſumunt, vim infert. *Dulcis tyrannus amor,* qui ut fiat voti compos, vim infert; ut patet ex Euchariſtiæ ſacramento, ubi Chriſtus *nihil omiſit quod amantem vehementer deceret.* Sed ut fieret præſens in hoc myſterio, trinam vim intulit cordi, corpori, & naturæ: 1. Cordi, teneriores ejus motus debellando: 2. Corpori, ipſum ſituatione privando: 3. Naturæ, Accidentia, absque fulcro ſubſtantiæ conſervando.

Tert. lib de Idol. 2. Orat. 27.

D. Chryſo. hom. 66. in Joann.

Lib. adv. Judic. 10.

1. *Bellipotens & armiger Chriſtus eſt*; non ſolùm quia dæmonem debellavit, mortem detriumphavit, peccatum proſtravit; verùm etiam quia intra ſemetipſum pugnavit per *traductionem cordis*; ut fatur Tertullianus. Rebecca certantes antequam natos in utero ſentiebat filios: Chriſtus etiam priusquàm aſcenderet cœlum, non abſimilem in corde ſuo vim patiebatur: in ſuo namque pectore duos deferebat amores, quorum contrarii erant motus. Ipſum urgebat unus, ut exiret de mundo, alter ut remaneret: unus ad cœlum deducere volebat, alter in terra retinere: ſuadebat unus, ut adiret Patrem, conſulebat alter ut degeret cum Matre: optabat ille, ut in empyreo humanitatis ſuæ aſpectu bearet Angelos, deſiderabat iſte ut à ſuis diſcipulis non diſcederet. Ecce internum Chriſti certamen, quod ejus pacificat induſtria, quæ tanto artificio cordis Dominici componit & dividit motus, ut cœlum & terra Salvatore potiantur: Cœlum fruitione, terra ſacramento; Angeli præſentia ejus naturali, homines præſentia ejus ſacramentali. *Hoc novum genus adinveniens in conſolationem receſſus ſui, ut ſi diſcederet ab eis ſpecie corporis, maneret non ſolum cum eis, ſed etiam in eis virtute ſacramenti.*

Guarr. Ser. de Aſcenſ.

Magnam convenientiam invenit D. Auguſtinus, inter ingreſſum Verbi in mundum ejusque egreſſum. Quando voluit deſcendere in terram, duo fuêre ad invicem contraria, ex una parte neceſſe erat ut veniret, aliàs DEUS non fuiſſet executus quod pro humana redemptione decreverat: aliunde conveniens erat ut remaneret cum Patre, qui continùo eum per memoriam generat, & per voluntatem infinitè diligit: Utrumque exequitur mira dignationis ſuæ inventio: cum Patre etenim remanet ſecundùm naturam divinam quam accipit ab eo in æterna generatione: remanet etiam cum hominibus ſecundùm naturã humanã quam accepit ab eis in incarnatione: In Euchariſtia eodem ferè utitur Salvator artificio: ejus namq; amor homines deſerere non valens absq; aliquo teneritudinis & benevolentiæ fœdere, modum adinvenit abeundi

abeundi & remanendi. Abeundi, ut paternæ obſequeretur voluntati: remanendi, ut amicitiæ ſatisfaceret: abeundi, ut ſuum Angelis oſtentaret decorem, remanendi ut ſuâ homines conſolaretur præſentiâ: abeundi, ut in ſolio gloriæ electis pararet manſionem; remanendi, ut perſecutionibus obnoxios & dimicantes juvaret fideles: abeundi, ut in cœlo regnaret; remanendi ut ad ſuũ nos conduceret regnum: abeundi, ut voluptatis torrente ſatiaret Beatos; remanendi, ut magnifice tractaret viatores, eiſque ſuĩ corpus manducandũ, & ſanguinem potandum præberet. *Totus erat apud Patrem quando venit ad Virginem: implevit eam, non receſſit ab illo: veniebat in carnem ut eum homines manducarent, & remanebat integer apud Patrem, ut Angelos paſceret.* D. Aug.

Ejuſmodi ingreſſus & exitus Verbi vocitatur à D. Bernardo, abſentia præſens, & præſentia abſens: quia præſentia naturalis quã habet in cœlo, non impedit præſentiã ſacramentalẽ quã habet in altari: neq; præſentia ſacramẽtalis Euchariſtiæ, excludit & negat præſentiã naturalẽ patriæ: Corpus ejus in cœlo occupat ſpatiũ ſuæ magnitudini naturaliter debitũ, in ſacramẽto locali caret extenſione: Ingenioſus Chriſti amor cordi ejus vim inferens, vim etiam corpori infert, exuendo illud ſituatione, ut indiviſibiliter exiſtat abſque ulla extenſione locali.

2. *Specta portentoſam Archimedis magnificentiam, organum hidraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia ſonorum, tot commercia modorũ, tot acies tibiarũ, & una moles erunt omnia.* Artificioſa ſane Archimedis induſtria, in parva machina tot compendiâſſe partes, ſed longè majus DEI ingeniũ in formandis minutioribus animalibus, *qua maximus artifex de induſtria ingenii aut viribus ampliavit, ſic magnitudinẽ in mediocritate probare docens.* Magnitudo ſupremi artificis elucet quidẽ in parvis illis beſtiolis, ſed multò magis in Euchariſtiæ myſterio, ubi corpus Chriſti cum tota ſua quantitate & ſuis partibus apte diſpoſitis in puncto indiviſibiliter exiſtit. Miratur meritò S. Zeno Veronenſis ingenioſam DEI charitatem, quæ Verbũ imẽnſũ novẽ menſibus in utero Virginis, velut in ergaſtulo detinuit: *O charitas quàm potens es! tu DEUM in hominẽ commutare potuiſti: tu virginali utero novẽ menſibus relegâſti.* Guerricus Abbas hanc pœnã exiſtimat maximã, & audacter pronuntiat quod ex cunctis violentiis, quas à nativitate usque ad mortẽ paſſus eſt Dominus, major eſt remanſiſſe per novẽ menſes in utero Virginis: *Omniũ divinarũ infirmitatũ, quas pro nobis pertulit divina dignatio, ſicut tempore primã ſic etiã humilitate fere maximã exiſtimo, quod in utero novẽ menſiũ tempore majeſtas illa circumſcriptive paſſa eſt contineri. Nihil loquitur illa ſapientia: nihil illa virtus manifeſtum operatur: nullo ſigno viſibili majeſtas qua noſtri cauſa latet, declaratur.* Per omne tempus quo remanſit in utero Matris ante nativitatẽ, anhelabat ut ab hac liberaretur pœna. *Naſci ſe DEUS patitur in utero Virginis & expectat.* Verũ hæ paſſiones non ſunt comparandæ iis quas in altari patitur: Uterus Virginis erat locus divina majeſtate dignus, at indi-

Tert. lib de An. 14.

Tert. l. 1. adv. Marc. 14.

Serm. 5. Paraſc.

Serm. 3. de Annunt.

Tert. l. de Pat. 3.

gnum videtur ſub accidentibus occultari. Per novẽ menſes duntaxat in utero remanſit Virginis, at exiſtere debet ſub ſpeciebus usque ad finem mundi. In utero Virginis occupabat locum ſibi naturaliter debitum, in Sacramento non occupat ſpatium, nec habet extenſionem localem quantitati ſuæ convenientem. In utero Virginis eſt velut in ſitu naturali absque ulla coactione, in Sacramento eſt extra ſuum centrum, neque niſi violenter & miraculoſe remanet: In utero Virginis eſt vivens & obit munera humanæ vitæ ſaltem vegetantis & ſentientis; in Sacramento eſt quidem vivens, ſed non vegetat neque ſentit. *Vere corpus ſuum fecit hoſtiam vivam, quia vivit occiſus.* Non immeritò aſſeverat dilectus Diſcipulus, ſe in medio altaris vidiſſe Agnum velut occiſum: quia quamvis corpus ejus ſit vivum, nullum tamen vitæ ſentientis elicit actum: oculos habet, & non videt: aures & non audit: linguam & non loquitur: manus & non operatur: pedes & ſe non movet: quia etſi perfectæ ſit magnitudinis, ſpatio tamen debito & neceſſario caret, ut ſenſibiliter agat. Non enim exiſtit in hoc myſterio ſecundùm leges naturales corporum, quia non habet impenetrabilitatẽ, ſed omnes ejus partes ſunt penetrativè in eodẽ loco. Artificioſus Chriſti amor denudat illud præſentia circunſcriptiva, & tertiam adhuc vim inferendo naturæ, Accidentia ſine ſubjecto conſervat.

Chryſol. Serm. 108. Apoc. 5.

3. *De DEI artificio & arbitrio & jure torquemur,* ut conſtat ex hæreticis hujusce ætatis: qui fruſtra torquetur de modo quo Chriſtus exiſtit in Euchariſtia, & de exiſtentia Accidentium ſine ſubjecto, quam repugnare aſſeverant. Quibus probè competunt verba, queis Marcionem redarguit Tertullianus. *Quid naturam adverſus Dominum temere defendis? quaſi non liceat mutare & legem non ſervare?* Duplex eſt enim in DEO potentia: ordinata una, abſoluta altera. Illa naturæ leges ſervat, agitque juxta ordinem quem in univerſo ſtatuit: hæc attendit ad ordinem in mundo poſitum, & ad omne poſſibile & nõ repugnans ſe extendit. Quia *DEUS non aliâ lege credendus eſt, quàm ut omnia poſſe credatur.* Hac abſoluta potentia ſolem immobilem reddidit, ut de ſuis Joſue triumpharet hoſtibus: ignis activitatem ſuſpendit, ut de fornace tres pueri egrederentur illæſi: aquis ſoliditatem dedit, ut gravia corpora ſuſtinerent: & in Sacramẽto panis & vini conſervat accidentia, poſt deſtructã panis & vini ſubſtantiã. Quare ut ratiocinatur Doctor Angelicus, *hoc Sacramentum cùm ſit miraculum, pertinet ad articulum omnipotentiæ, Credo in DEUM Patrem omnipotentem.*

Tert. lib. de Reſ. 50.

Tert. lib. de Reſ. 12.

12. Quæſt. Art. 1.

At fides abſolutæ potentiæ DEI, miracula patrantis in Sacramento non ſufficit; amoris dominici æmulandæ ſunt adhuc adinventiones, charitatis producendo actus, qui vim inferant cordi, corpori, & naturæ: Natura corrupta prona eſt ad malum, coercendæ ſunt ejus inclinationes, & quodamodo cogendæ ut ferantur ad bonum. Corpus ſenſibiles perquirit voluptates, mortificandi ſunt appetitus ejus, & per pœnitentiam comprimendi: Cor inordinatè inhiat poſt fortunæ bona, dimovendi ſunt motus ejus, & conſecrandi amo-

ãmori Chriſti, qui præſentiã ſuam debilitati noſtræ contemperat, & exiſtit in
Euchariſtia modo non majeſtati ſuæ convenienti, ſed infirmitati noſtræ pro-
portionato.

Propter hominem Dominus DEVS in hac paupercula elementa de tertio cælo II. PARS.
deſcendere laboravit. At quomodo deſcendit & quomodo exiſtit in Sacramẽ- Tert. l. 1.
to Chriſtus? Non prout decet majeſtatem, & gloriam, ſed prout expedit in- adv. Marc.
firmitati noſtræ. *Dat ſe tibi DEVS ut ferre potes, quia ut eſt tu nõ potes ſuſtinere.* 14. Chryſol.
In quo admirãda eſt prorsᵘˢ ejus induſtria, quę ſuã gloriã ſub ſpeciebᵘˢ occultat Ser. 23.
ne 1. ingerat horrorẽ: 2. incutiat timorem: 3 mortem vel cæcitatem afferat.

1. *Dicimur ſceleratiſſimi de Sacramẽto infanticidii, & pabulo inde:* Chriſtianos Tert. Apol.
accuſabãt Gentiles, quod ſuis in cœtibus antelucanis enecarẽt puerulos eorũ- 7.
q; carnes crudas manducarẽt & ſanguinẽ biberent: Hanc calumniam multis
cõfutat Tertullianus. Capharnaitæ etiã verba Chriſti quibus carnẽ ſuã man-
ducandã & ſanguinem bibendũ promittit, *acceperunt ſtultè, carnaliter cogita-* D. Aug.
verũt. Nã ut refert D. Cyrillus Alexandrinus: *ad immanes ferarũ mores vocari* Lib. 4. in
ſe arbitrati ſunt, excitariq; ut vellẽt crudas hominũ carnes manducare, & ſangui- Joan. 14.
nem bibere, quæ vel auditu horribilia ſunt. Horribile profectò carnes crudas & Theophyl.
adhuc ſanguinolẽtas manducare: horribiliùs carnes crudas humanas & pur- in c. 6 Joan.
puratas manducare: caro namq; humana non eſt alimẽtũ homini conveniẽs. Tert. l. 1.
Idcircò horrẽtur Scitharũ *gentes ferociſſimæ, quæ parentũ cadavera cũ pecudibus* adv. Marc. 1
cæſa convivio convorant: qui non ita deceſſerint ut eſcatiles fuerint, maledicta mors
eſt. Verùm omiſſa Maſſagetũ barbarie, horribiliſſimum eſt comedere carnes
hominis adhuc viventis: Hic elucet ſolertia Salvatoris, qui corpus ſuũ nobis
ſub ſpecie panis manducandum præbet: tum 1. ut Chriſtianorum honori ad-
verſus gentilium calumnias conſultat: *Ne nos judicent crudeles & inhumanos,* Alg. l. 2. de
& humani corporis comeſtores, & ſanguinis bibitores: tùm 2. ut Capharnaitarũ Corp. &
animalitatem erudiat. Nam, ut ait D. Cyprianus, *inter dominicæ cœnæ convi-* Sang. Do. 3
vas animalis homo non admittitur, quidquid caro & ſanguis dictat, ab hac mẽſa ex- Ser. de Cœn
cluditur: tùm 3. ut tollat horrorem quem habent naturaliter homines man- Dom.
ducandi carnes crudas & humanas. *Ne horreamus carnem & ſanguinem, conde-* D. Cyril.
ſcendens DEVS noſtris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, convertens ea in veri- Alex. Epiſt.
tatem propriæ carnis. Sub ſpecie herbacea noluit ſuũ nobis præbere corpus; adColliſit. Epiſc.
quia herba pecuinũ alimentũ eſt: nec ſub ſpecie pomi, pomũ etenim eſt eſca
aviũ: nec ſub ſpecie animalis, brutarum ferarũ edulium eſt: ſed ſub elementis
panis & vini; *Quia panis & vinũ proprius cibus & potus eſt hominũ, ideò Chriſtus* Agl. l. 2. de
utriuſq; eſt uſus myſterio, ut ſingularis ac propria hominum crederetur refectio. Sacram. 5.

Neque ſumant anſam Calviniſtæ negandi veritatem præſentiæ ſa-
cramentalis, eo quod dicat Dominus: *Caro non prodeſt quidquam, Spiritus eſt* L. de Reſ.
qui vivificat; Nam ut belle expendit Tertullianus; *etſi carnem, ait, nihil* 37.
prodeſſe, ex materia dicti dirigendus eſt ſenſus. Intendebat enim redargue-
re Capharnaitarum brutalitatem, qui *durum & intolerabilem exiſtima-*

 verunt

Tert.l. de Orat. 6. *verunt ſermonem ejus*, quod carnem ſuam illis determinaſſet edendam: *ſed & quia carnaliter admittitur iſta vox, non ſine religione poteſt fieri, & ſpiritali diſciplina.* Siquidem corpus ſuum dat in Euchariſtia comedendum, non carnali modo ut ipſi exiſtimabant, ſed verè, & religioſo modo, quod ſub ſpeciebus

D. Ambr. l. de Sacra. 4. panis definitivè occultat; *ut nullus horror cruoris ſit, pretium tamen operetur redemptionis.* Cardinalis Philippus Spinola benignos ſolis influxus ſub ſymbolicis his verbis acutè repræſentat: *non cernuntur & adſunt.* Idipſum aſſeverandum eſt de Chriſti corpore, quod ſub elementis panis & vini vere eſt præſens, etſi non videatur. Chriſti ſolertia illud occultat tum ut horrorem excutiat: tùm ut terrorem impediat.

Lib. 2. adv. Marc. 72. 2. Belle animadvertit Tertullianus: *DEUM non potuiſſe humanos greſſus inire, niſi humanos & ſenſus & affectus ſuſcepiſſet, per quos vim majeſtatis ſuæ intolerabilem utique humanæ mediocritati, humilitate temperaret.* Ob eandem rationem qua Verbum divinum occultatum eſt in Incarnatione, Verbum humanatum in Euchariſtia tegitur: utrobique eſt vere DEUS abſconditus.

D. Hilar. in Pſ. 68. In Incarnatione quidem: *in forma enim ſervi veniens, evacuavit ſe à DEI forma.*

Job. 16. In Euchariſtia etiam, ubi regia ejus velatur majeſtas, *qui tenet vultum ſolii ſui.* Si in Incarnatione apparuiſſet hominibus cum divina illa majeſtate quã in cœlo conſpiciendam præbet Angelis, fulgorem ejus haud ſuſtinere valuiſſent mortales; quare fragilitati eorum ſeſe contemperans, divinitatem ſuam tegit ſub velo carnis, amorisq; ejus induſtria tanto magis ſcintillat, quãto gloriæ ſuæ impedit ſplendores. Unde D. Bernardus, *Ubi te exinaniſti, ubi te naturalibus radiis lumen indeficiens exuiſti, ibi pietas magis eluxit.* Si in Euchariſtia cum tota humanitatis fulgeret gloria, hominibus incuteret timorem: at *dignum fuit ut hæc inſtitutio ſacramentalis, potius ad charitatis promotionem, quàm timoris ordinaretur fidelium.* Salvator in altari mihi videtur Rex qui cum ſubditis converſatur incognitò, ut vel ſic tolerabilis ſit illis regia ejus majeſtas: Vel potiùs tanquam ſol obnubilatus nube quæ impedit ne lucis ſuę effundat radios. *Nube tegitur ut non obſcuretur ſol, ſed ut attemperetur.* Eodem modo Sol juſtitiæ ſuum in Sacramento occcultat lumen ut ſeſe debilitati noſtræ contemperet: *Corpus Chriſti in præſenti nobis dari debuit non manifeſtum, ſed in ſacramento velatum: Dixit Dominus ut habitaret in nebula.*

Ser. 46. in Cant.

Laur. Juſt. lib. de Sac. Comm.

D. Aug. Tract. 35. in Joan.

D. Thom. Opuſc. 58. Cap. 8.

Miratur meritò D. Chryſoſtomus quod Magdalena ſit coram Chriſto, & eum non agnoſcat. Stupendum profectò, quod filia ſuum nõ agnoſcat Patrem, ſponſa ſponſum, diſcipula magiſtrum, ancilla Dominum, Magdalena JESUM, quem toties in ſua domo receperat, quocum toties converſata erat, cui addictiſſima erat, quem ardentiſſimè diligebat, & cujus ſpecies erat in corde illius profundiſſimè exarata; & tamen ex Evangelio *converſa eſt retrorſum & vidit IESUM ſtantẽ & neſciebat, quia IESUS eſt.* Nec mirum, quia in propria ſpecie non apparet ei JESUS, ſed ſub forma extranea hortulani: *Ne prima eam aſpectu perterreret, vili ac communi ſpecie apparuit. Hoc ex eo conſtat,*

Joan. 20.

Hom. 58. in Joan.

quod

quod hortulanus ei viſus eſt. Bone DEUS, quàm admirabilis es in tuis adinvétionibus, qui ne nobis ingeras terroré, proprio tete exuis indumento, ut ſub veſte appareas peregrina: *Vere enim hoſpes es ſub ſpeciebus iſtis, quaſi ſub veſte peregrina,* & gloriã tuã occultas in ſacramẽto, ne nobis morté vel ſaltẽ cæcitaté afferat. Hug. Card. in c. 6. Joan

3. DEUS *lucem habitat inacceſſibilem*: hanc enim mortales videre nequeunt abſque jactura vitæ: *DEUM enim nemo videbit & vivet.* Neque DEUS tantum in ſua natura divina, eſt viatoribus inviſibilis, ut fatur Apoſtolus, *regi ſæculorum inviſibili, ſoli DEO*; ſed etiam gloria dominici corporis nequit videri abſque detrimento. *Quanquam & illam neque ipſemet Apoſtolus ſine periculo luminis expertus eſt.* Ideoque illam occultat Chriſtus in Sacramento, ne vel morté afferat, vel cæcitatem. Moyſi olim præcepit DEUS, ut binum pararet altare: holocauſtorum unũ, thimiamatũ aliud; illud diſcoopertum, occultatum iſtud. Altare holocauſtorum obumbrabat mortem, quam in aperto ſuſtinuit Chriſtus; altare thimiamatum repræſentabat Euchariſtiam, ubi ſuam Chriſtus occultat gloriam. *Celabatur alterum, quia occultata atque recondita eſt gloria Chriſti: alterum vero patebat, quia mors ejus omnibus patet.* Chriſtus in Sacramento poſſidet immortalitatem, ſubtilitatem, agilitatem, & charitatem, quæ ſunt quatuor dotes quæ ad corpora glorioſa pertinent: has tamen ita ſub ſpeciebus occultat, ut nullo modo viſui & rationi fulgeant. Immortalitas non apparet, quia nullum dat vitæ indicium: neque impaſſibilitas, quia in altari Chriſtus expoſitus eſt impiorum deſpectui & vi hæreticorum: neque agilitas, quia non movetur niſi ad motum ſpecierum: neque claritas, qui ſub accidentibus occultatur: At cur ſuam lucem occultat? ut nobis præſtaret *acceſſibilitatem*, ut fatur Tertullianus.

Tert. l. adv. Prax. 15. Tert. Tert. Tert. D. Cyr. Alex. lib. 4 in Joann. 28.

DEUS eſt ubique ratione ſuæ immenſitatis: *Plena & occupata ſunt omnia ſuo auctore*: attamen Vates Regius decantat, *Cœlum cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum.* Non quòd non ſit præſens viatoribus qui degunt in terra, non ſecus ac comprehenſoribus qui regnant in cœlo, ſed quia non eodẽ modo præſens eſt. In cœlo gloriã ſuã oſtentat Angelis: & quia homines qui ſunt in mundo, tantùm non poſſunt ſuſtinere fulgoré, quia vel morerentur vel obcæcarentur ſi divina illis appareret majeſtas: *Propterea ſecundùm maximã ſuã benignitaté, DEUS velũ propria ſua divinitatis, cœlũ extendit ne periremus.* Et ob eandẽ rationé volens DEUS converſari cum hominibus, ſub forma ſervi ſuã occultavit majeſtaté, neque ſuum manifeſtavit ſplendoré. *Si enim ſic veniſſet, univerſa interiiſſet creatura, & ſi nudã ſubſtantiã oſtendiſſet, Sol utique extingueretur, Luna non appareret, mare exiccaretur.* Imò ut ait Angelicus Doctor. *Maria non potuit ſuſtinere gloriam, claritatem præſentia filii & niſi eſſet obumbrata.* Etenim ſi Iſraëlitæ Moyſem deprecati ſunt: *Non loquatur nobis DEUS, ne forte moriamur*: Si Manue Samſonis pater viſo Angelo DEI majeſtatem ſenſibiliter repræſentante, ſe morti deſtinatum credidit: *Morte moriemur quia vidimus DEUM*; ſi in monte Thabor intuentes Chriſtum transfigura-

Tert. l. 1. adv. Marc. 11. Pſ. 117. D. Cyrill. Hieroſ. Cathec. 9. D Chryſoſt in Pſ. 50. Opuſ. 58. c. 8. Exod. 24. Jud. 13.

Tert.l.adv. Prax. 15 guratum ceciderunt *Petrus, Iacobus, & Ioannes, non ſine periculo rationis & amentia, non paſſuri filii gloriam; ſi patrem vidiſſent, credo morituri ibidem*; fuerunt namque proſtrati, fere excæcati & exanimes. Quod ſic belle declarat

Orat. 49. Gregorius Nazianzenus: *Cùm ſe in monte paulatim extra hominem exuiſſet, fulgore luminis ejus, pene obcæcati Apoſtoli ſunt: in terram quippe homines ceciderunt, periclitati de vita; niſi Dominus compreſſo rurſus majeſtatis ſua honore, ut miſericors ſubveniſſet*. Idē nobis accideret absq; dubio ſi Salvator in Sacramēto majeſtatis ſuæ gloriā, & humanitatis ſplendorē manifeſtaret. Idcirco cùm poſt reſurrectionem apparuiſſet diſcipulis, noluit eis oſtentare ſplendentem corporis ſui lucem: oſtendit quidem ſubtilitatem, ingrediendo januis clauſis in atrium ubi aderant: agilitatem etiam, adeò velociter apparendo, quod

D. Aug. l. 13 Civ. 20. phantasma crediderunt, at non manifeſtavit fulgorem, quia *eum ferre non potuiſſent diſcipuli, ut in Transfiguratione*. Acutè enim animadvertit D. Damaſcenus, *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol, non quod ſole ſplendidior non ſit, ſed quantum intueri poterant ſpectatores, nam ſi univerſam gloria claritatem oſtendiſſet, illi penitus exarſiſſent.*

Chriſtus ſub velis Sacramenti ſuā occultans gloriam, ne intuentibus horrorē, terrorē vel mortē ingerat; erudit mulieres præſertim decoras, tegēdam eſſe nuditatē ne ſpectatoribus ſcandalū, periculum vel interitū afferant.

Tert. lib. de vel. Virg. 15 Nuditas enim fœminei corporis eſt ſcandaloſa, periculoſa, & mortifera. 1. Scandaloſa: *Sed enim vera & tota & pura virginitas confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat adverſus ictus tentationum, adverſus jacula ſcandalorū.* Mulieres autem corpus nudantes ſcan-

Tert. lib. de vel. Virg. 3. dala jaculant: quapropter pudoratæ fœminæ meritò *querūtur ſcandalo ſibi eſſe petulantiam, impudentiam oſtentatitia virginitatis.* 2. Nuditas eſt periculoſa:

Tert. l. 2. de cult. Fœ. 2. *Cùm igitur & noſtra, & aliorum cauſa verſetur in ſtudio periculoſiſſimi decoris, jam non tantùm confictæ & elaborata pulchritudinis ſuggeſtum excuſandum, à vobis ſciatis: ſed etiam naturalis ſpecioſitatis oblitterandum diſſimulatione & incuria, ut perinde oculorum incurſibus moleſtum.* Mulieres autem quæ nudantur ut vi-

Tert. lib. de vel. Virg. 14 ris placeant, pudicas non cenſet Tertullianus: *Ipſa concupiſcentia non latendi non eſt pudica, patitur aliquid quod virginis non ſit, ſtudium placendi utique & viris.* Illas adhuc redarguunt mulieres caſtæ;

Tert. l. 2. de cult. Fœ. 2. *Quid autē alteri periculo ſumus! quid alteri concupiſcentiam importamus?* tandem nuditas mortifera eſt: ſiquidem mulieres indecore decorem oſtentantes, & ſibi & aliis mortem afferunt.

Tert. lib. de vel. Virg. 10. Sibi, quia honorem ſuum perimunt. *Meritò itaque dum caput non tegunt, ut ſollicitentur gloria cauſa: ventres tegere coguntur, infirmitatis ruina.* Aliis verò, quorum interficiunt animas, quia ut philoſophatur Tertullianus impu-

Lib. 2. de cult. Fœ. 2. dentem alloquens fœminam: *Perit enim ille, ſimul ut tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi.* Quantum verò fucus adverſetur charitati, pul-

Lib. 2. de cult. Fœ. 2. chrè declarat Tertullianus: *Expingamus nos ut alteri pereant: ubi eſt ergo, Diliges proximum tuum ſicut teipſum? nolite veſtra tantum curare, ſed & alterius:*

ad

ad inſtar Chriſti qui ſuâ occultat majeſtatē & gloriā, ne nobis noceat. & tertia adhuc induſtria, Euchariſtiæ quandam imēnſitatis & æternitatis largitur ſpeciem.

Æternitas & imēnſitas ſunt perfectiones Dei. Utramq; recognoſcit Tertullianus. Æternitatem quidem: *Quantum humana conditio de DEO definire poteſt, id definio, quod & omnium conſcientia agnoſcet, DEUM ſummum eſſe magnum, in æternitate conſtitutū*: Imēnſitatem etiam: eſt namq; Deus *intentus ſemper operi ſuo, & vadens per omnia, & vivificans univerſa, & conſpiciens tota, & ob hanc cauſam ſemper immenſus, quia nihil illo majus.* Deus ratione æternitatis cunctis coexiſtit tempori: *Non habet tempus æternitas, omne enim tempus ipſa eſt.* Deus ratione imēnſitatis eſt ubique præſens: *DEUM credimus ubique eſſe & ubiq; apparere.* Tamen Chriſtus quādā æternitatis & imēnſitatis ſpeciē largitus eſt Sacramēto, & ubiq; & ſēper 1. habeatur dominicæ paſſionis memoria: 2. ſuâ nos Dominus conſoletur præſentiâ: 3. ſuâq; nos adhuc ditet gratiâ. III. PARS. Tert. l. 1. adv. Marc. 3. L. de Trin. 2. Tert l. 1. adv. Marc. 8. Tert. l. adv. Herm 44.

1. *Modica memoria eſt homo*, & facilè obliviſcitur divina beneficia, ut patet in protoparente, qui tot gratiarum DEI immemor, acceptam ab eo transgreſſus eſt legem. Quod ſi innocuus Adam oblivioſus fuit; quanto magis nepotes ejus, qui nonniſi cum crimine naſcuntur? Unde Tertullianus: *Agnoſcimus animam à primordio exorbitationis capacem, & inde etiam oblivionis affinem*: ut conſtat ex Iſraelitis quos toties oblivionis accuſat ſacer Textus: & *cùm tanta ſit injuria, oblivio, quanta eſt gloria ejus, cujus injuria eſt, memoria ſcilicet?* Deus Iſraelitas debitæ gratitudinis erudiens, & gloriæ ſuæ conſulens, præcepit Moyſi, ut vas repletum mannâ, quo eos aluerat in deſerto, poneret in Tabernaculo, diligenterque cuſtodiret tanquam monumentum ſuæ benignitatis: *Cuſtodiatur in futuras generationes, ut noverint panem, quo alui eos in ſolitudine.* Manna eſt expreſſa Euchariſtiæ figura, cujus memoria cordibus noſtris debet firmiter eſſe impreſſa; quam ideò Regius Vates nuncupat *memoriale in generationem & generationem*; quia cunctis generationibus præſentibus & futuris, revocat memoriam cruciatuum, quos pro nobis pertulit in cruce Chriſtus. Quapropter Dominus nocte priusquam crucifigeretur in ipſo inſtitutionis Euchariſtiæ momento præcepit diſcipulis, & in eorum perſona cunctis ſacerdotibus, ut quoties tremendum offerrent Altaris myſterium, in ſui memoriam offerrent: *Hoc facite in meam commemorationem.* Verſio Syriaca habet, *In mei memoriam*: Vatablus legit, *In mei recordationem.* Non præcepit ut ſacrificent in ſui memoriam die cœnæ tantùm, aut ſemel in anno, vel menſe, vel hebdomada, ſed quotidie, & toties quoties ſacroſanctū Miſſæ offerunt ſacrificium: *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*: nullum excludit locum vel tempus. Neque ſolùm ad hanc paſſionis recordationem tenentur Sacerdotes dum ſacrificant, ſed etiam laici dum ad ſacrā accedunt menſam: *Quia corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis noſtris, & ſideribus illaturus; neceſſarium erat,* Tert. lib. de Idol. 4. L. de An. 14 Tert. Exod. 16. 1. Cor. 11. Euſeb. Emiſ. Hom. 5 de Paſcha.

ut

ut nobis ex hac die, Sacramentum corporis & ſanguinis ſui conſecraret, ut perennis illa victima in memoria.

At cur Euchariſtia non eſt memoriale aliorum myſteriorum Chriſti? Cur non repræſentat ejus humanationem, nativitatem, circumciſionem, reſurrectionem, aſcenſionem? Cur ſilet Apoſtolus quod Domini gloriam & honorem ſpectat, & ejus duntaxat meminit, quod ad ejus ignominiam pertinet? Scilicet ut firmius inferatur cordibus noſtris, quantus fuit amor Chriſti patientis, & ut tantæ charitatis memoria nos magis ad illius amorem ſuf-
D. Thom. Opuſc 57. flammet. (Recolitur memoria illius quam in ſua paſſione Chriſtus monſtravit excellentiſſimæ charitatis: unde ut arctiùs hujus charitatis immenſitas fidelium cordibus infigeretur, in ultima cœna Sacramentũ inſtituit tanquã paſſionis ſuæ memoriale perenne.) Et ob eandem rationem Doctor Angelicus Euchariſtiam vocitat Sacramentum paſſionis Dominicæ, quia perficit Chriſtianum, dum eum per amorem unit Chriſto patienti & morienti: Hujuſmodi autem ardens unio fit per memoriam dolorum, quos pro illo pertulit in
3 p. Quæſt. 73. art. 3. ad 5. cruce Salvator. *Euchariſtia eſt Sacramentum paſſionis Chriſti, prout homo perficitur in unione ad Chriſtum paſſum: innuens per hanc Chriſti patientis memoriam, nos illi intime uniri*, & ita recordatio paſſionis producit in anima Chriſtiani, Chriſti patientis amorem, & Chriſti morientis amor conſervat in memoria, recordationem mortis ejus. Cur quæſo hac tempeſtate Chriſtiani non
Rup. l. 20. Offic. 10. ardent charitate? Quia paſſionis Dominicæ non recordantur. *Refrigeſcente namquam memoria ſanguinis Salvatoris, refrigeſcet univerſa charitas.*

Tria ſunt in inſtitutione Sacramenti, quæ denotant perfectam Chriſti charitatem, & quantum exoptet, ut ejus ſemper ſervemus memoriam: 1.
Rupert. l. 10. in c. 16. Ep. 118. c. 6. Tempus hujus inſtitutionis, quando ſcilicet Salvator erat morti proximus; in fine autem vitæ morientes ardentiorem oſtentãt amorem. *Sacramentum hoc quo mors ejus annuntiatur quando debuerit condi vel dari convenientius, niſi ſub ipſius articulo paſſionis?* Quod etiam animadvertit D. Auguſtinus: *Namque Salvator quo vehementius commendaret myſterii illius celſitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoria diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus*
D Chryſoſt ho. in 1. Cor. *erat.* At quanto major eſt Chriſti charitas, tanto magis exoptat, ut memoriam illius conſervemus. *Quoniam illorum maximè meminimus, quæ pater quo tempore expirabat nobis præcipit.* 2. Inſtituit nobiſque illud myſterium dedit
D. Anſelm in 1. Cor. 11 Chriſtus velut amoris ſui perenne monumentũ, valens emollire corda quæq; duriora: *Veluti ſi quis moriẽs relinquat ei quẽ diligit pignus aliquod, quod ille quandocũq; viderit, lacbrymas continere nõ poſſit ſi eũ perfectè dilexerit.* 3. Semetipsũ Teſtamẽto dedit, quomodo teſtamentũ irrevocabile demonſtravit, & ita ad
Sen. l. 3. de Benef. majorẽ nos adſtrinxit gratitudinẽ. Primus autẽ gratitudinis gradus eſt accepti beneficii recordatio: quapropter impios vocitat D. Bernardus, Paſſionis
L. de Vit. Sol. Dominicæ per Euchariſtiã repræſẽtatæ immemores, quia debitã nõ habẽt gratitudinẽ. Etenim ſi ingrati ſunt qui amici non recordantur paſſionis Chriſti;

Inſtitur

Inſtituta eſt Euchariſtia, tum ut ſemper habeatur ejus memoria: tum ut ſua Chriſtus homines conſoletur præſentia.

2. *DEUM exiſtimo ubique præſentem.* Myſterium altaris ubique offertur, ut ipſemet aſſeverat DEUS: *In omni loco ſacrificium nomini meo offertur.* Exoptant perfecti amantes plura habere corpora offerenda objecto amato, ut ubique ei valeant ſervire. Id quidem deſiderare, ſed non aſſequi poſſunt mortales, ſolus hoc efficit Chriſtus; qui ut ſuum nobis demonſtret amorem, toties & tot in locis, corporis ſui multiplicat præſentiam, quot ſunt hoſtiæ conſecratæ in univerſo orbe. Amorem dominicum in adinventione Eliæ obumbratum cenſet D. Chryſoſtomus: *Elias enim melotem diſcipulo reliquit, Filius autem DEI aſcendens ſuam nobis carnem dimiſit: ſed Elias quidem exutus, Chriſtus autem & nobis ſuam carnem reliquit, & ipſam habens aſcendit.* Elias ut de ſua abſentia Elizæum conſolaretur, reliquit ei pallium: Chriſtus verò ut ſuum hominibus oſtentaret amorem, ſuum eis corpus & ſanguinē reliquit: Exuitur Elias, ut induat diſcipulum, neque ſecum defert veſtimentum quod tradit Elizæo: Chriſtus verò carnem ſervat in cœlo, quam in terra largitur hominibus: Elias abeſt ab Elizæo quem ſuâ penitùs præſentiâ fruſtrat, Chriſtus dum hominibus adimit præſentiam ſuam naturalem, dat præſentiam ſacramentalem, ut eos de ſua conſoletur abſentia. Quod belle expendit Drogo, Cardinalis Hoſtienſis: *Ecce ſublatus es, amplius te tuus non videbit Eliazus: remanſit ei tamen pallium tuum in memoriam tui; ut præſentia abſentia tua, dolorem ejus ſemper & augendo leniat, & leniendo augeat.* Chriſtus nobis eſt abſens & præſens; abſens præſentia naturali, præſens præſentia ſacramentali, cujus pignus eſt Euchariſtiæ myſteriū. *Verùm iſtud eſt hæreditariū munus Teſtamenti novi: quod nobis de nocte qua tradebatur, tanquam pignus ſuæ præſentiæ dereliquit.*

Tert l. 2. ad Nat. 8.
Tert. l. 3. adv. Marc. 22.
Hom. 2. ad Pop.
Ser. de Paſſ.
D. Gauden. Serm. 2. de Manduc. Agn. Paſchal.

Non mediocris fuit Simeonis lætitia, vidiſſe Dominū interque brachia illum detuliſſe: Verùm non minori gaudio conſolantur Chriſtiani: Simeon vidit Chriſtū in tēplo, Chriſtiani illū intuētur in altari: Simeon inter brachia detulit, Chriſtiani in pectore recipiunt: Simeon ſemel tāta potitus eſt gratia, Chriſtiani millies: Simeon quodam momento Chriſti præſentiâ gaviſus eſt, Chriſtiani de hac usque ad conſūmationē lætabuntur. Magnus profectò favor Simeoni collatus, ſed absq; comparatione major eſt Apoſtolis præſtitus, de quo ipſimet gloriantur: *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ.* Non eſt tamen invidenda Apoſtolorum gratia. *Ecce ipſum vides, ipſum tangis, ipſum manducas.* Apoſtoli Chriſtum viderunt oculis corporeis, quia in mundo præſentiam habebat ſenſibilem & naturalem, nos illum intuemur oculis fidei, quia in altari præſentiam tantùm habet inſenſibilem & ſacramentalem. *Verè unica eſt perfecte hoſtia, fide æſtimanda non ſpecie, non exteriori cenſenda viſu, ſed interiori affectu.* Hæc cognitio eſt illa multò perfectior: tùm quia ſupernaturalis: tùm quia certior: tùm quia à nobiliori oritur principio; tùm quia

1. Ep. Jo. 2.
D. Chryſo. hom. 61. ad Pop.
Euſeb. Emiſſ. 5. de Paſch.

non timet factã Thomæ exprobrationem: tum quia majoris gratiæ merito-
Euſe. Emiſſ. ria, ad hoc namq; inſtitutũ eſt ſacramentũ, *ut coleretur jugiter per myſteriũ quod*
ibid. *ſemel offerebatur in pretiũ, & perennis illa victima ſemper præſens eſſet in gratia.*
Tert. lib. de 3. Chriſtus Euchariſtiam inſtituens eſt *gratiam pollicitus quam per*
Pœn 2. *Spiritum ſanctum univerſo orbi illuminaturus eſſet.* Mira ſane Domini ſolertia,
quia nequaquam contentus crucifixum fuiſſe pro hominum ſalute, aliunde
rationi conſentaneum non judicans immortale corpus morti denuò tradere,
modum adinvenit cõmunicandi nobis ſemper & ubique fructum paſſionis
ſuæ. Quare, ut ſupra dictum eſt ex Apoſtolo: quotiescunque manducamus
Chriſti corpus & ſanguinem bibimus, mortem ejus annuntiamus ſeu prædi-
camus, ut habet Hebraica lectio; quaſi Euchariſtia ſit excellens paſſionis
In 1. Cor. 11 Chriſti concio. Verùm magis arridet Theophylactus, *ipſam mortem annun-
tiamus, id eſt demonſtramus.* Non ſolùm quia Euchariſtia eſt invincibile ar-
gumentum amoris dominici in paſſione; neque etiam quia eſt ſignum re-
memorativum mortis Chriſti, & demonſtrativum gratiæ quem continet:
ſed potiſſimum quia paſſionis Chriſti fructum applicat eis qui dignè acce-
dunt ad altare. Itaque Chriſti induſtria modum adinvenit fundendi ſan-
guinem absque ſectione venæ, ſacrificandi corpus absque vulnere, immo-
landi victimam absque ejus deſtructione, erigendi tot calvaria quot ſunt al-
taria, & inſtituendi incruentum Miſſæ ſacrificium, ubi divinus amor magis
elucet quàm in cruenta Chriſti paſſione: 1. Cruenta crucis immolatio intra
D. Aug. l. 1. limites Calvarii oblata fuit: at fideles *vident tale ſacrificium nunc offerri toto*
cont. Adv. *orbe terrarum.* 2. In paſſione ſemel oblatus eſt Chriſtus, *at Chriſtus qui ſemel*
Leg & Pro- *immolatus eſt in ſeipſo, in ſacramento quotidie populis immolatur.* 3. in cruce
phe. 1.
D. Aug. Ep. Chriſtus pro nobis generatim ſatisfecit, at *ſingulariter ad abſolutionem noſtrã*
23. ad Bo- *ſacri altaris hoſtia ſuffragatur.* 4. Chriſtus in cruce ſufficienter & abundanter
nif. nobis meruit gratiam, at in Euchariſtia ejus nobis merita applicantur: *Nam*
D. Greg. *quoties & hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram, paſ-*
lo 21. in *ſionem illius reparamus:* 5. Crucis ſacrificium eſt redemptio perpetua, quæ ad
Evang.
D. Greg. cunctos ſeſe homines extendit. Verùm Echariſtia inſtituta eſt, *ut quia quo-*
Euſe. Emiſſ. *tidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua eſſet etiam*
ibid. *perpetuæ redemptionis oblatio.* 6. Sat quidem erat ſemel pro noſtra redemptio-
ne fudiſſe ſanguinem Chriſtum: at quod ſufficiebat ſaluti, non ſufficiebat
amori; qui mirè in Euchariſtia incrementatur, quæ eſt ſimul ſacramentũ &
1 Cor. 11. ſacrificiũ, in quo Chriſtus ubique & millies ſingulis diebus immolatur. *Hæc*
Alg. lib de *quotiescunque feceritis.* Nullum determinat locum vel tempus: ſacroſan-
Corp. & ctum illud myſterium ſacerdotum voluntati committit: ſacram Synaxim
Sang Chr laicorum præbet devotioni, ubi toties redimuntur, quoties digne accedunt:
c. 9. *Quando ſacramentum paſſionis illius cum ore ad redemptionem ſumitur.*

Chriſtus eſt 1. verè in Euchariſtia præſens: 2. Ejusmodi præſentia non
eſt conveniens ejus majeſtati, ſed noſtræ infirmitati conformis: 3. Præſen-

tia

tia hæc eſt quodamodo imẽnſa & æterna. Præſentia corporis Chriſti, præſentiam noſtræ mentis expoſtulat. Euchariſtia eſt *convivium inſpectionis.* Accedentes ad altare & Miſſæ adſtantes inſpiciunt oculis fidei Chriſti humanitatem & divinitatem in ſacramento præſentem: *Credamus & oculo cordis id perſpiciamus.* 2. Chriſti præſentia infirmitati noſtræ contemperata, venerationẽ majeſtati ſuæ convenientẽ à nobis expoſtulat: *& ita DEUS tunc maximè magnus, cum homini puſillus.* 3. Præſentia imẽnſa & æterna, cultũ meretur ad omne ſpatium & locũ extenſum. Alexander ſextus, ut imẽnſitatẽ Euchariſtiæ veneraretur, hoſtiã conſecratã intra globũ aureum incluſam, collo appenſam ubique deferebat, & ut ejus honoretur æternitas, non ſolum Moniales Benedictinæ ſancti Sacramenti nuncupatæ, ſingulis horis tum diei tum noctis Euchariſtiã ex voto honorant, ſed etiã plures ſæculares utriusque ſexûs, ex confraternitate diſtribuunt tempus, ut nullũ ſit momentũ in quo ſpecialis Sacramento non reddatur cultus. Si non poſſumus deferre Euchariſtiam in collo, ut ſumus ille Pontifex, deferamus eã in corde: *Chriſti bajulus ipſum ferat in pectore, ipſum gerat in mente.* Ut autem ait D. Cyrillus Alexandrinus: *Sic efficimur Chriſtiferi, hoc eſt Chriſtum in corporibus noſtris ferentes:* ſimus Chriſtiferi non ſolum die comunionis, ſed habitualiter, ſed ſemper, ſed ſingulis vitæ noſtræ diebus. *Chriſtus ergo per myſterium ſuum tibi ſemper videatur in ore Chriſtus per ſui amoris incendium tibi ſemper vivat in mente.*

D. Dion. de Cœl. Hier. 6. D. Chryſ. ho. 18. in Matth. Tert. l. 2. adv. Marc. 2. Carriaco in Vit. Paul. 4 D. Cypr. de Cœn Dom Catech 4. Petr. Darr. Ep. 50. c. 3.

CONCIO SECUNDA.

Tert. lib. de Pud. 10.

EUchariſtia eſt *Sacramentum fidei*, ſeu ut in Miſſa legitur, *myſterium fidei.* Myſterium autem duo importat: Unum, ut ſit res magni momenti: aliud, ut ſit res occulta; quantumvis enim res ſit occulta, ſi non ſit magni momenti, vel ſit occulta, ſi non eſt magni momenti, non eſt myſterium. Hæc duo ad myſterium requiſita, perfectiſſimè in Euchariſtia reperiuntur, quæ eſt 1. res magni momenti, & ut ait Albertus magnus; *Sacramentum ſacramentorum.* 2. Eſt res occulta ſenſibus, rationi, ſcientiæ, & ſoli nota fidei; *cum omnibus myſteriis fides debeatur*; quia fides eſt *argumentum non apparentium.* Ut autem animadvertit Paſchaſius, *ſic debuit hoc myſterium temperari, ut & arcana ſecretorum celarentur infidis, & meritũ creſceret de virtute fidei.* Infidelibus detegi non debuit Euchariſtia, *ſed arcana iſta, nec omnium noſſe*: tùm ne contemneretur tanti myſterii dignitas: tùm quia infidelium indignitas, eos à divino illo arcet myſterio. Fidelibus etiam occultari debuit, ut crederent, & fide credendo, in virtute proficerent. Quare magnum illud myſterium, non immeritò nuncupat aliorſum Tertullianus, *Sacramentum fidei.* Tùm quia eſt præcipuum fidei objectum; tùm quia eſt occultum, neque niſi per fidem poteſt cognoſci: Tùm quia ad illud accedendum

Tract. 1. de Euchar. c 1 Tert. Apol. 7. Hebr. 11. L. de Corp. & Sang. c. 13 Tert. l de Pall 3. Lib 1. adv. Marc. 28.

eſt cum fide, tum quia nota religionis & veræ Eccleſiæ, eſt Euchariſtiæ fides, 1. victrix & triũphans: 2. ſatisfaciens & reparans: 3. erudiens & illuminans.

I. PARS. Hæreſis nunquam eſt magis pertimeſcenda, quam dum veritas unitur Tert. lib. de An. 3. cum Philoſophia gentili, quæ belle à Tertulliano *concuſſio veritatis* dicitur: quapropter idem Tertullianus hortatur fideles ne ullá habeāt ſocietatē cum L. de An. 3. paganis Philoſophis, quos hæreticorum nuncupat Patriarchas: *Nihil omnino cum Philoſophis, Patriarchis, ut ita dixerim, hæreticorum*, Philoſophi ſunt ſane Patriarchæ Calviniſtarum, quos Chriſto temerariè anteponunt, eorumque principiis innixi, Euchariſtiæ veritatem impugnant, & labefactare nituntur: ex miraculis namque quæ divina potentia operatur in hoc myſterio, illi pro ſua perverſitate ſumunt argumenta, quibus negent realem præſentiam corporis dominici. 1. In ſacramento Chriſtus deſtruit ſubſtantiam panis & vini, non deſtructis accidentibus, & ipſi docent quod neque divinitus accidentia poſſunt exiſtere ſine ſubjecto: 2. Chriſti corpus eſt in ſacramento ſine ſitu, & ipſi clamitant quod implicat quod corpus ſit in ſpatio absque extenſione locali: 3. Præſentia corporis dominici multiplicatur in tot locis quot ſunt hoſtiæ conſecratæ, & ipſi aſſeverant repugnare quod unum & idem corpus ſit in pluribus locis. Ecce præcipua tela quæ vibrant Calviniſtæ adverTert. lib. 2. adv. Marc. 6. ſus Sacramenti veritatem. *O canes, quos foras Apoſtolus expellit, latrantes adverſus DEUM veritatis: hæc ſunt argumentationum oſſa, quæ abroditis.* Tantam temeritatem ferre non valens D. Auguſtinus exclamat: *Ecce qualibus argu-* L. 22. Civ. 11. *mentis omnipotentiæ DEI humana contradicit infirmitas, quam poſſidet vanitas.* Cæſar Dux Modenæ ſolē expreſſit egredientem de nube, & ſuis radiis diſſolventē cũ hoc lēmate: *Obviantia nubila ſolvit*, & ut pateat quā debiles ſint Philoſophicæ Calviniſtarũ rationes, diſſolvendæ ſunt: ſic Fides Euchariſtiæ Philoſophiā detriũphabit; credens 1. exiſtentiā accidentiũ ſine ſubjecto: 2 quantitatē corporis Chriſti definitivo modo: 3. ejus præſentiā multiplici in loco.

Tert. l. de Præſ. hær. 7. 1. *Eadem materia apud hæreticos & Philoſophos volutatur*: diſputant namque Philoſophi an accidentia poſſint exiſtere ſine ſubjecto. Eandem quæſtionem agitant Calviniſtæ, & partē negativam mordicus ſuſtinent. VeTert. ibid. rũm *quid Athenis & Hieroſolymis? quid Academiæ & Eccleſiæ? quid Hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum, viderint qui Stoicum, & Platonicum, & dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt.* Poſtquam Apoſtolus Philoſophiæ damnavit fallacias, ejus ſeductiones non ſunt aſſumendæ ad impugnanda myſteria fidei, & ſimplices decipiendos & pervertendos. *Apoſtolus nominatim* Tert. *conteſtatur Philoſophiam caveri oportere, ſcribens ad Coloſſenſes; videte ne quis vos circumveniat per Philoſophiam & inanem ſeductionem.* Poteſt in rebus naturalibus inſervire vera, non fucata Philoſophia, non autem in rebus ſuperTert. l. de An. 28. naturalibus. *Igitur quantum ad fidem noſtram depulſata eſt Philoſophi opinio auctoritate prophetiæ.* Si neganda eſſent cuncta religionis myſteria quæ Philoſo-

loſophia nequit attingere, in quot errores laberemur? Neganda eſſet in Deo perſonarum Trinitas, quia Philoſophia docet repugnare quod eadem ſingularis & individua natura ſubſiſtat in tribus perſonis realiter diſtinctis: neganda erit Verbi humanatio, quia Philoſophia judicat impoſſibile quod duæ naturæ infinitè ab invicem diſtantes in eadem perſona uniantur: neganda erit mortuorum reſurrectio, quia Philoſophia docet quod à privatione ad habitum non datur regreſſus. *Vt carnis reſurrectio negetur, de ſchola omnium Philoſophorum ſumitur.* Plures adhuc inferri poſſent conſequentiæ quas libens prætereo, ut concludam cum Tertulliano: *Malè DEVM norunt, qui non putant DEVM poſſe quod non putant*: qui exiſtimant Deum non poſſe quod ipſi impoſſibile cenſent, & repugnans clamitant, quidquid eorum intellectum ſuperat. Melius de DEO ſentit Tertullianus: *Crucifixus eſt DEI Filius: non pudet quia pudendum eſt: mortuus eſt DEI Filius, prorſus credibile eſt, quia ineptum eſt: & ſepultus reſurrexit, certum eſt, quia impoſſibile eſt.* Eſt pudendum, ineptum & impoſſibile, non in ſemetipſo, neque in rationali DEI ſapientia, ſed in ſtulto Philoſophiæ & humanæ rationis judicio. Tert. lib. de Reſ. 5. L. de Reſ. 38. Tert. lib. de Car. Chr. 5.

Verùm oſtendendum eſt Calviniſtis quòd nullo modo implicat quod accidentia exiſtant ſine ſubjecto. Quomodo etenim convenient cum magno Baſilio, qui vult lucem, quæ eſt qualitas accidentalis, factam fuiſſe prima die creationis mundi, & remanſiſſe abſque ullo ſubjecto usque ad quartum diem, in quo Deus ſolem produxit? At quid reſpondebunt Prophetæ Job, cujus teſtimonio *DEVS extendit aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum*? Deus ſua potentiâ intolerabilem mundi ſuſtinet molem, & non valebit ſuſtinere debilia accidentia? Profectò ſanâ menſe neque cogitari, neque effari poteſt. Ulterius quæro à Calviniſtis, an individua ſubſtantia minùs dependeat à ſubſtantia ſeu ſuppoſito, quam accidens ab actuali inhærentia. Deus abſque ulla contradictione privavit humanitatem Chriſti propriâ & naturali perſonalitate: poterit ergo abſque ulla repugnantia conſervare accidentia abſque actuali inhærentia, & adhuc corpus quantitativū ſine extenſione locali: *& utique hoc à divinis viribus, non à naturalibus legibus perfici, præſtarique conveniet.* L. 2. de Oper. ſex dier. Cap. 26. Tert. lib. de Reſ. 47.

2. Ægrè tert Tertullianus temerariâ Philoſophiæ audaciam, quæ pro ſua voluntate *formas rebus imponit, eas nunc peræquat, nunc privat, de certis incerta præjudicat, omnia præſcribit, nihil divinæ licentiæ ſervat, leges naturæ opiniones ſuas facit*: Et quia, ut addit Auctor, *ipſæ hæreſes à Philoſophia ſubornantur*; Calviniſtæ à Philoſophia ſubornati, ejusq; vanitate inflati, leges ſtatuunt, & abſolute decernunt quòd implicat corpus eſſe in loco abſque ſitu & extenſione locali, cum ejusmodi extenſio ſit de eſſentia quantitatis: & quia Philoſophia per ſæpè ſib. cōtraria eſt, deſtruēs ex una parte quod ex altera ſtruxit, inde meritò exclamat Tertullianus: *Miſerū Ariſtotelē, qui illis dialecticam inſtituit artificem ſtruendi & deſtruendi, verſipellem in ſententiis, coactam in conjecturis, duram* L. de An. 2. L. de Præſc. hær. 7. Ibid.

in

in argumentis, operariam contentionum. Calviniſtæ ab Ariſtotele diſſentiunt, docente: *ſicut ſe habet extenſio ad magnitudinem, ſic gravitas ad corpus.* DEUS abſolutè potuit auferre, imò de facto abſtulit, gravitatem à corpore, dum Salvator ſiccis pedibus ambulavit ſuper aquas, & conſequenter poteſt privare corpus ſitu & extenſione locali. Deinde corpora glorificata non habent ſituationem in loco, quia indiviſibiliter in illo ſunt ad modum ſpirituum: negare autem non poſſunt Calviniſtæ corpus Chriſti eſſe glorioſum, niſi ejus negent reſurrectioné; eſſeque ſpirituale niſi de mendacio arguant Apoſtolũ

1. Cor. 15. aſſeverantem: *Seminatur corpus animale, reſurget ſpirituale.* Plus audeo & dico DEUM ſuâ abſolutâ potentiâ poſſe ſeparare extenſionem localem à corpore mortali & paſſibili: Nonne Verbũ in humanatione corpus mortale & paſſibile aſſumpſit? Nonne Chriſtus natus eſt de Virgine abſque ulla læſione uteri virginalis? Sicut in reſurrectione egreſſus eſt de tumulo lapide minime revoluto, ſicut poſt reſurrectionem ingreſſus eſt januis clauſis in atrium in quo erant diſcipuli congregati, ſic natus eſt ſigillato Mariæ utero. Pro-

Tert. lib. de Ref. 58. fectò *Dominus potentior credendus eſt omni corporum lege.*

Quæro autem à Calviniſtis quomodo Elizæus potuit coménſurare ſuũ corpus cum corpuſculo pueri, tanta cum proportione, ut haberet os ſupra os, pectus ſupra pectus, manus ſupra manus, pedes ſupra pedes. Dicent ſine du-

Matth. 19. bio ſe neſcire, quia ſupra ſe clauſit oſtium Propheta. Quomodo explanabũt Chriſtum aſſeverantem faciliùs eſſe camelũ intrare per foramen acûs, quàm divitem in regnũ cœlorũ? Fateantur neceſſe eſt cum S. Zenone Veronenſi:

Ser. de Ref. *Hæc eſt proprietas DEI, id operari, quod non poteſt credi*; & recognoſcant præ-

Tert. l. de An. 1. ſtantiã doctrinæ Chriſtianæ ſupra paganã & hæreticãPhiloſophiã. *Quanto dignior Chriſtiana ſapientia aſſertio*, quæ binã in uno corpore diſtinguit extenſionem: unã quantitativam, aliã localem? Extenſio quantitativa dicit ordinem partiũ quæ non confunduntur, ſed ordinatè uniuntur. Hoc ordine caput non unitur iṁediatè manibus vel pedibus, ſed collo, medio collo, humeris & ſic de cæteris: extenſio localis importat ordinem corporis ad locũ; ita ut totũ corpus ſit in toto loco circũſcriptivè, & qualibet pars corporis in qualibet parte loci. Prima extenſio eſt de eſſentia corporis quanti, à quo etiã divinitus eſt inſeparabilis. Secunda extenſio non eſt de eſſentia corporis quanti, ſed ab eo ſupernaturaliter poteſt ſeparari, & de facto ſeparatur in Sacramento, ubi corpus Chriſti caret ſitu, & exiſtit adhuc pluribus in locis.

3. EjectâPhiloſophiâ velut exitioſã à multis populis, refert Tertullianus:

Apol. 47. *In quibuſdã quoq; ejectaPhiloſophia: à Thebanis dico, à Spartiatis & Argivis.* Verùm quantũvis ſit periculoſa fidei gentilisPhiloſophia, hanc tamẽ diligũt Calviniſtæ, eaq; utũtur ad labefactandas religionis veritates; Nã Ariſtotelis mordicus adhærendo principiis, affirmãt repugnare quod idẽ corpus ſit pluribus in locis. Ad hunc errorẽ confutandum, ſatis eſt ſimpliciter proponere fidem Eccleſiæ, quæ eſt columna veritatis inconcuſſa, & credit præſentiã corporis Chriſti

Chriſti in cunctis hoſtiis conſecratis. *Satis eſt nobis ſola veritate à veſtra poſitione diſcerni.* Neq; ex multiplici illa præſentia deperditur corporis dominici unitas. Corporis unitas non deſumitur ex unitate loci quem replet, ſed unitate propriæ naturæ quam conſervat indiviſam pluribus in locis. Variæ præſentiæ corporis Chriſti in Sacramento nihil aliud ſunt niſi relationes quæ fundantur & ſubjectantur in ipſo corpore, & ad varios terminantur locos: non ſecus ac una albedo in ſua unitate exiſtens poteſt eſſe fundamentum plurium relationum ſimilitudinis ad alias albedines terminata. L.1. ad Nat 7.

Verùm omiſſis Philoſophiæ argutiis, quæ fidei myſterium non decent, Calviniſtæ neque cum Patribus Eccleſiæ, neque cum ſcriptura ſacra conveniunt. Non cum Patribus: non equidem cum D. Chryſoſtomo, qui præ ſtupore DEI miratur bonitatem. *O bonitatem! ille qui in alto cum Patre ſedet, eodem inſtanti manibus noſtris tractatur.* Neque etiam cum D. Auguſtino, cujus teſtimonio *ferebatur Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait: Hoc eſt corpus meum.* Erat ergo in pluribus locis, aliàs non ſe detuliſſet in ſuis manibus. Quod confirmat D. Auguſtinus ex ſermone ipſiusmet Chriſti, qui Philippo & Nathanaeli ſic loquitur (Videbitis cœlum apertum & Angelos DEI aſcendentes & deſcendentes ſupra Filium hominis.) *Non diceret, aſcendentes ad Filium hominis, niſi ſurſum eſſet: nec diceret deſcendentes ad Filium hominis niſi deorſum eſſet: ipſe ſurſum, ipſe deorſum.* Calviniſtæ diſſentientes à Patribus quarti ſæculi, in quo ut ipſimet fatentur Eccleſiæ vigebat puritas, diſſentiunt adhuc ab Scriptura ſacra: nam uno loco affirmat ſanctus Lucas Chriſtum remanſurum in cœlo usque ad finem mundi: *Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere usque in tempora reſtitutionis omnium*: alio autem in loco aſſeverat Chriſtum poſt aſcenſionem ſuam in cœlum, Saulo apparuiſſe in terra: *Sequenti autem nocte, aſſiſtens ei Dominus, ait: Conſtans eſto ſicut teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari.* Ipſemet quoq; Paul' teſtatur ſe vidiſſe Dominum, eadem veritate ac certitudine ac Petrus, Jacobus, cæteri diſcipuli, quingentique fratres, qui verè eum viderunt: *Quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim, deinde viſus eſt plusquam quingentis fratribus ſimul: deinde viſus eſt Iacobo: deinde Apoſtolis omnibus: noviſſime autem omnium, tanquam abortivo viſus eſt & mihi.* Inde ſic argumentor: Poſt reſurrectionem ſuam vere viſus eſt Chriſtus ab Apoſtolis, *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno DEI*: Atqui logno tempore poſt Aſcenſionem eodem modo viſus eſt à Paulo quo viſus eſt à Petro, Jacobo, aliiſque Apoſtolis poſt reſurrectionem Ergo vere viſus eſt à Paulo. Itaque ſi Chriſtus in cœlo exiſtens Saulo apparuit in terra ut ſuam exprobraret perſecutionem: ſi converſo Paulo adhuc ei apparuit in Jeruſalem, evidens eſt quod Chriſti corpus eſt in cœlo, & in altari: in cœlo videtur ab Angelis: in altari creditur ab hominibus: qui illud venerantur per fidem ſatisfacientem, injurias ei factas reparantem.

L. 3. de Sacerd. Conc. 2. in Pſ. 33. Joan. Ser 4. de Verb. Do. Act. 3. Act. 23. 1. Cor. 15. Act. 6.

II. PARS.

Chriſtiani ſunt *vera religionis homines*; quia verè DEO ſuos deferunt cultus, Tert. Apol 34

cultus. Colitur DEUS cunctis virtutibus, verùm fides quæ eſt cunctarum virtutum fulcrum, eſt divini cultûs initium, *Fides ſupremæ majeſtati piæ credulitatis reverentiam impendit.* Divinam majeſtatem reveretur fides in cunctis religionis myſteriis, ſed potiſſimùm in ſacramento altaris, quod inſtitutum vult Angelicus Doctor, ut credentium exerceatur fides. Chriſtiane *eſto religioſus in DEUM.* Crede indubitanter altaris myſterium, & tuâ fide 1. repara iniquam protoparentum credulitatem: 2. impudentem ethnicorum impietatem: 3 temerariam hæreticorum perverſitatem.

Caſſiod. l. 5 Var. Ep. 40

Opuſc. de Sacra c. 7.

Tert. Apol. 34.

1. *Homo acceperat à Domino DEO ſuo ſatis utilem diſciplinam ſecundùm legem vivendi: ut omnia quidem ederet, ab una ſolummodo arbuſcula temperaret:* quem ad obſequium præſtandum adſtrinxit ſub metu mortis. *Cujus legis obſervandæ conſilium bonitas pariter adſcripſit: Qua die autem ederitis, morte moriemini.* In quo ſuam Deus Adamo demonſtravit bonitatem, ut transgreſſionis pœna obligaret eum ad legis obſervationem: *Benigniſſime enim demonſtravit exitum tranſgreſſionis, ne ignorantia periculi, negligentiam juvaret obſequii.* Dæmon & Dei infenſiſſimus inimicus & favoris homini collati invidus: *Malitia mendacii, & fallacia in homines, & infamia in DEUM,* adit fœminam, eam alloquitur; decepta mulier, Adamũ ſuæ deceptionis facit participem, utrumque ſimul convenit diabolus, & malitia mendacii Deum calumniatur. *Diabolus, id eſt delator, deferendo de DEO & quidem falſum: primo quòd DEUS illos ex omni ligno edere vetuiſſet; dehinc quod morituri non eſſent, ſi ederent: tertio quod DEUS illis invidiſſet divinitatem.* Adamus habet ex una parte Deum præcipientem, ex alia diabolum tentantem: Deus minatur mortem, niſi obſequatur; diabolus pollicetur divinitatem, ſi ſit inobſequens; Dei auctoritas præferenda erat tentationi diaboli, & tamen potiùs credidit diabolo mendaci, quàm Deo veraci; ideoque protoparentis culpa fuit fidei deordinatio. *Tentati ſunt primi parentes à diabolo dicente, Comedite & eritis ſicut Dii, & crediderunt ei plusquam DEO dicenti, In quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini.* In hoc autem ſcelere notatur & mala incredulitas, & iniqua credulitas: Mala incredulitas, non credendo Deo veraci, aſſeveranti occultatam mortem intra pomum, cujus ſpecies oculis corporis pulchra apparebat: Iniqua credulitas credendo mendaci diabolo affirmanti vitam & divinitatem ſub ejusdem pomi decore latitantem, quapropter Salvator ut illatam Deo reparet injuriam, ſacramentum inſtituit, corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini occultat, ut Chriſtiani credentes quod non vident, inſonti credulitate criminoſam protoparentũ expient credulitatẽ. *Iuſta ergo lege, ut expietur iſte reatus malis credulitatis, exigitur à vobis, ut credatis quod non videtis.* Chriſtus à nobis experimentum quærit, ſuamq; tentationẽ dæmonis opponit tẽtationi, ut ſicut parentes ceciderunt credentes diabolo dicenti: Comedite & eritis ſicut Dii; ita eorũ nepotes erigantur à lapſu credentes humanato Verbo dicenti; Comedite carnem meam & bibite ſanguinem, & eritis ſicut Dii.

Tert. Scor. 4.

Tert. l. 2. adv. Marc. 4.

Tert. ibid.

Tert. lib. 2. adv. Marc. 20.

Tert. ibid.

Rupert. l. 3. in Exod.

Rupert. in c. 1. Cant.

Tentamur

Tentamur à Filio DEI dicente: Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus: Comedite, & eritis Dii. Corporata veritas dicit nobis: Comedite, non ut ſeducat, ſed ut erudiat: non ut noceat, ſed ut faveat: non ut ad beſtiarum ſimilitudinem dejiciat, ſed ut Deitatis donet honore. Hæc propoſitio: Comedite & eritis ſicut Dii, in ore ſerpentis blaſphemia fuit horribilis, in ore Chriſti eſt infallibilis veritas: ibi dæmonis malignitate facta eſt ſacrilega, hic Salvatoris bonitate ſanctificatur: ibi decepit incautos, hic conſolatur fideles; Ibi ſeſe oppoſuit ſapientiæ DEI. quem mendacem prædicavit, hic ſeſe dæmonis calumniæ opponit, cujus falſitatem oſtentat. Princeps tenebrarum ut protoparentum obtenebraret mentes, eoſque ad inobedientiam induceret; divinitatem eis pollicitus eſt: at tantum abeſt ut promiſſam aſſecuti ſint divinitatem: quin potius fuerunt gratiæ donis denudati, & infauſta metamorphoſi, beſtiis ſimiles effecti. Salvator autem è contra ut fideliũ illuſtret animas eosq; divinitatis efficiat participes, Euchariſtiã inſtituit, & fidẽ à nobis exigit ob ſuũ honorẽ & noſtrũ. Ob ſuũ honorem, ut noſtrâ credulitate de dæmone triũphet, qui nimis credulos ſuperavit protoparentes; Ob noſtrũ, ut per fidẽ, divinitatis efficiamur participes. Igitur *iniquã credulitatẽ parentũ, pia credulitate in nobiſmetipſis evacuemus*, & impudẽtẽ ethnicorũ reparemus impietatẽ. Rupert. l. 3. in Exod. — Rup.

2. Medici aliquando contraria contrariis curant, aliquando ſimilia ſimilibus: *ſed medicum quoq; miraberis etiam in illo, quod fere pares adhibet qualitates medelarum adverſus qualitates querelarum, cum quaſi de perverſo auxiliatur, per ea ſubveniens per quæ laboratur: Nam & calores caloribus amplius onerando compeſcit, & ardores ſitis potius macerando reſtinguit, & fellis exceſſus amaris quibusque potiunculis colligit, & ſanguinis fluxum deſuſa inſuper venula revocat.* Hac methodo uſus eſt Chriſtus, ut homines à morbo liberaret. Mulier enim fuit malorum origo, mulier eſt origo bonorum: mali Angeli aſtutia lapſi ſumus, boni Angeli nuntio erigimur: vetitus fructus induxit mortem, fructus à Deo datus confert vitam: mortales homines ſceleroſos, tanquam Deos venerati ſumus: immortalis Deus fit homo mortalis, ut ſupremum ei deferamus honorem: gentiles ſub imaginibus ligneis vel lapideis, latitantes crediderunt divinitates, Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini corpus & ſanguinem ſuum occultat: ut credentes ejus divinitatem & humanitatem impiam gentilium reparemus fidem: *Meritò ſe pro ſuo homine depoſuit, pro imagine & ſimilitudine ſua non aliena: ut quoniam homo non erubuerat lapides & ligna: eadem conſtantia non confuſus de Chriſto, pro impudentia idololatriæ ſatisfaceret DEO per impudentiam fidei.* Voluit Chriſtus pudorem pudore reparari, ut non erubeſceret homo verum adorare Deum, cùm non erubuerit deferre cultum idolis: crederetque Chriſtum ſub ſpeciebus panis & vini occultatum, poſtquã credidit occultatas ſub ſtatuis ligneis vel lapideis divinitates: *ut pro impudentia idololatriæ ſatisfaceret DEO per impudentiam fidei.* Tert. Scorp. 5. — Tert. l. 4. adv. Marc. 21.

Quàm admirabilis Dei ſapientia, poſt diluvium permittens hominibus

pecorum eſum, ut eos ab idololatria dimoveret! *Providens DEUS homines in*
Theodore. quæſt. 5 in Geneſ. *extremam dementiam lapſos, & omnia animalia pro diis habituros, permiſit illorū*
eſum, ut impietatem illam cobiberet: ſumma enim inſania eſt, colere quod comeditur. Verùm Dei cautelam inutilem reddidit hominum malitia, qui innata abutentes libertate, impudenter animalia quibus veſcebantur, tanquam ſuprema Numina venerati ſunt. Ut autem reparetur injuria per abominandū illum cultum Deo facta, humanatur divinum Verbum, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini, manducandum & bibendum præbet homini, *ut pro impudentia idololatria ſatiſfaceret DEO per impudentiam fidei.*

D. Aug. Ep 102. D. Athan. Orat 2 adv Arian. In Incarnatione ſuo docet nos Dei Filius exemplo, quod à nobis exoptat fieri in Euchariſtia: Etenim *abjectam humana natura ſocietatem non exhorruit*, ſeſeque exinanivit, *non ad ignominiam divinitatis, ſed ad gloriam DEI Patris*: ut in quantum homo Patrem adorans reparet offenſam quam intulerunt Deo gentiles per idololatriam: Idipſum fere intendit humanata Sapientia in inſtitutione Euchariſtiæ ſeſe occultans in Sacramento: *Vt homo per*
Tert. l. de Jejun. 3 *eandem materiam cauſa ſatis DEO faciat per quam offenderat*, reparet vanum idolorum cultum, per adorationem vero Deo exhibitam, & ſuâ fide ſatisfaciat Deo pro temeraria hæreticorum perverſitate.

3. *Redde Chriſto fidem ſuam*, credendo verbis ejus quibus carnem ſuam
L. de Car. Chr. 11. Tert. l. de Car. Chr. 13 ſe daturum repromiſit, *Panis quem ego dedero pro ſalute mundi, caro mea eſt*: quā de facto nobis dat in Euchariſtiæ Sacramento; quod non inſtituit Patriarcha, Propheta, vel quivis alius Sanctus tum veteris, tum novi Teſtamenti: neq; etiam Angelus, Archangelus, Cherubin atq; Seraphin, ſed ipſemet Chriſtus:
Laur. Juſt. l. de Euchar. *Cujus Sapientia falli nullatenus poteſt: cujus ſententia mutari nequit: cujus eloquia veriſſima ſunt.* Voluit Salvator ſacroſanctum inſtituere Sacramentum, ut ejus authoritas tanti myſterii fidem mentibus hominum facilius ingeneraret: Quædā ſunt religionis veritates, quas fides docet & ratio demonſtrat: At Euchariſtiam non ratio, ſed fides duntaxat attingit: & corpus & ſanguinem Chriſti eſſe credimus in Sacramento, non ob experientiam ſenſuum: oculi enim nihil intuentur præter ſpecies ſacramentales; neque ob diſcurſum rationis: in illo namque myſterio plura ſunt miracula quæ vires naturæ
Cæſar. Are. Dialog. 3. ſuperant; ſed ob infallibile Domini teſtimonium. *Credimus propter ſermonē divinum id eſſe quod in divina menſa ſancte conſecratur*: Duo ſunt quæ nos ad credendum adſtringunt: unum, veritas Dei qui nequit mentiri: aliud, fides
D. Gauden Tract. 2. in Exod. Eucher. quam in baptiſmo promiſimus: *Credamus quaeſo cui credidimus, neſcit mendacium veritas.* Chriſtus verax nobis teſtamento donat ſuum corpus & ſanguinem: *Recedas ergo omne infidelitatis ambiguum; quandoquidem qui author eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt veritatis dicens: Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis*
L. de Spect. 30. *meus.* Nam ut belle ad propoſitum ratiocinatur Tertullianus: *Hac eſt veritatis integritas, & qua ei debetur diſciplina plenitudo, & aequalitas timoris & fidei obſequium, non immutare ſententiam, nec variare judicium*: Maximè

teſta-

teſtamenti,quod 1. perſpicuis verbis expreſſum eſt , ut omnis hæredibus tollatur litigandi occaſio , litigandi autem occaſionem præſtitiſſet Chriſtus,ſi *contra illam ſuam ſimplicitatem pronuntiaſſet dubitativè.* Quod 2. Chriſtus inſtituit in fine vitæ : morientes autem omnem fallaciam vitare nituntur & omnem ſermonum ambiguitatem : [Tert. l. de Car. Chr. 23.] *At ego DEVM malo decipere non poſſe, de fallacia ſolummodo infirmum, ne aliter documenta præmiſiſſe , quam rem diſpoſuiſſe videatur.* [Tert.lib.de Reſ. 38.] In quo 3. Sacramentum inſtituit cujus natura clare explananda erat : *Nec hic mendacium aut infirmitas DEO competit : Mendacium, ſi aliud corpus quàm quod erat demonſtravit : infirmitas, ſi id quod erat, demonſtrare non valuit :* [Tert.lib.de Car.Chr. 11] In quo 4. de magna re agitur, ſcilicet de corpore & ſanguine Domini. At Chriſtus *nudam & abſolutam & ſimplicem pronuntians carnem, omnes diſceptatores ejus ferit.* [Tert.lib.de Car.Chr. 24.]

Calviniſtæ tamen teſtamentum Chriſti immutant ejusque authoritatē deſpiciunt ; in quo temeritatem, impietatem , & injuſtitiam oſtentant. 1. Temeritatem, agendo contra voluntatem teſtatoris,ejusque pervertendo ſermones. *Tamen teſtamentum hominis nemo ſpernit aut ſuperordinat : exemplo enim humani teſtamenti permanentis, divinum tuebatur.* [Tert. l. 5. adv. Marc. 4.] Nunquam Chriſtus majori loquutus eſt claritate,conſentiunt Matthæus,Marcus,Lucas & Paulus,quatuor ſeorſim abſque ulla additione,diminutione & transmutatione , hæc referunt verba:*Hoc eſt corpus meum.* Idipſum fatentur primatesMiniſtri. [Ult.Monit. ad Luther.] Non nego, aitCalvinus,Chriſtum clariſſimè locutum fuiſſe ; Zwinglius,nihil evidentius illis verbis exiſtimat : [Vueſpha.] Beza cum Serveſerio diſputans, agnoſcit nihil eſſe inScriptura clarius. [In Expoſit. Art.18.] EnChriſti teſtamentum clarè conceptum, conſentiunt Apoſtoli, nec diſſentiunt Miniſtri, & tamen non obſtante perſpicuitate verborum Chriſti,Evangeliſtarum depoſitione, Miniſtrorum cōfeſſione, Calviniſtæ adhuc teſtamenti adeò authentici audent im̄utare verba, nec Prophetæ maledictionem formidant : *Væ qui faciunt dulce amarum, & tenebras lucem : iſtos ſcilicet notat , qui nec vocabula iſta in luce proprietatum ſuarum conſervant.* [Tert.lib.de Car.Chr. 14.] Hæc quatuor verba, *Hoc eſt corpus meum,* quatuordecim duntaxat continent litteras & ducentas explanationes à Calviniſtis confictas refert Claudius deXaintes. Quis non agnoſcat temeritatem *ipſam quoque in ſuas hæreſes multiplicatam varietate ſectarum ad invicem repugnantium?*

Calviniſtarum temeritati accedit 2, impietas,qua Apoſtolorum auctoritati ſeſe opponunt;propriā doctrinā evertunt, Chriſto contradicunt. Apoſtolis ſeſe opponentes hæreſim ſapiunt.*Vnde extranei & inimici Apoſtolorū hæretici, niſi ex diverſitate doctrinæ,quā unuſquiſq; de ſuo arbitrio,aut protulit , aut recepit?* [Tert.lib de Præſ. hær. 38.] Scripturā ſacrā ſine additione,diminutione & im̄utatione intelligēdā,optimè docent Calviniſtæ : quod ante illos docuerunt Apoſtoli. [Act.5. Con Tert.ibid.] *Etenim quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei, quod eſſet in Scripturis deprehenſum,detractione,vel adjectione,vel transmtatione,remediaremus?* Calviniſtæ tamen Apoſtolorū exemplū perverſè imitantes, contra propriam fidei con-

Tert. l. de Reſ.30. feſſionem, Scripturam ſacram pro libito minuunt, augent, immutant: nec attendũt quod *magis religioſum eſt, veritatẽ de ſua aucteritate ſimpliciter defendi, quã ſenſus divinæ propoſitionis expoſtulat.* Tandẽ Chriſto contradicunt, qui *acceptũ panẽ & diſtributũ diſcipulis corpus illum ſuum fecit Hoc eſt corpus meum dicendo.* Ut autem animadvertit Alger poſt Tertullianũ, cujus verba jã allata ſunt: *dum Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei, proprio ore omnes hæreticos interfecit*: palamq; demonſtrat Calviniſtarùm injuſtitiam qui legitimã hæreditatem teſtamento authentico datã nobis eripere nituntur.

Tert lib. adv. Marc. 11. Lib. 2. de Sacra. Do. Corp.

Nullus rationabiliter & juſtè proprio debet ſpoliari bono, niſi ille qui id exequi molitur validiores afferat titulos iis quibus alter jus ſuum tuetur: Eccleſia & præſumpta religio, de realitate Euchariſtiæ litigant. Eccleſia jus ſuum tribus præſertim fulcris firmat: 1. Teſtamentum Chriſti producit; qui ſuum eis donat corpus: *Accipite & manducate: hoc eſt corpus meum.* 2. Succeſſionem prodit à tempore Apoſtolorum non interruptam. *Habeo origines firmas ab ipſis auctoribus quorum fuit res: ego ſum hæres Apoſtolorum, ſicut caverunt teſtamento ſuo, ſicut fide commiſerunt, ſicut adjuraverunt, ita teneo.* 3. Poſſeſſione inſpoliata, plusquam mille & ſexcentis annis continuata gloriatur: *Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo.* Calviniſtæ poſſeſſionem conteſtari nequeünt, cùm ſectam ſuam de novo ſuſcitatam fateantur; & ſi eos interrogemus, *Qui eſtis vos? unde? & quando veniſtis?* Reſpondebunt ſi verum dicere velint, Nos ſumus vel lanifices ut Petrus Clericus, ſociiq; ejus, vel Monachi apoſtatæ ut Lutherus & aſſeclæ, vel Eccleſiaſtici ab Eccleſia exorti & in hæreſim lapſi, ut Calvinus, qui fuit Canonicus Noviodunenſis. Quoſnam verò titulos proferunt? Titulos haud acceptabiles, quoſdam videlicet Scripturæ textus aut falſò allatos, aut perperam explanatos. *Alius manu Scripturas, alius ſenſus expoſitione intervertit;* Nunquam Calviniſtæ ullum Scripturæ afferent locum in quo Chriſtus dicat, Hoc non eſt corpus meum. At quando venerunt Calviniſtæ? à centum quadraginta annis. Etenim ante Lutherum & Calvinum nulla fuit Lutheranorum & Calviniſtarum ſocietas: quos ſatis ſuperque injuſtos, temerarios & impios demonſtravimus. Injuſtos, volentes eripere bona Eccleſiæ hæreditario jure poſſeſſa: temerarios, im̃utantes verba Teſtamenti Dominici: impios, denegantes credulitatem Deo infallibiliter veraci. In cunctis artibus & diſciplinis credendum eſt auctoribus & magiſtris, ſubmiſſeque ſuſcipienda principia ab eis ſtabilita. Apud Mathematicos elementa Euclidis tanquã oracula honori habentur: apud Medicos Aphoriſmi Hippocratis infallibiles exiſtimãtur; Judices quas ferũt ſẽtẽtias Principũ & Imperatorũ legibus fulciũt, Philoſophi cunctas fere quæſtiones Ariſtotelis auctoritate reſolvunt; & dũ Chriſtus in ſuo Evangelio loquitur, Calviniſtæ de ejus veritate dubitant, Secretariorũ ejus nempe Evangeliſtarum teſtimoniũ recuſant, & myſteriis ab ipſo Domino propoſitis fidem denegant: *Quanta vis eſt perverſitatis ad fidem labefactandam vel in toto non recipiendam*

Matth 26. Marc. 14. Luc. 21. 1.Cor. 11. Tert. lib de Præſc: hær: 28. Tert. Confeſſ: Calviniſt. Tert. Tert. Tert. lib de Bapt. 1.

endam, ut ex his eam impugnet, ex quibus conſtat. Tantam perverſitatem meritò obplorat Salvianus: *O miſeria! ô perverſitas! Creditur homini ab homine, & non creditur* DEO. Creditur homini mendaci & erroribus obnoxio, & non creditur DEO, qui neque mentiri, neq; falli, neq; decipere poteſt. *Quis ergo diſcendi magis affinis, quàm præſumēdi, & credendi diligentior quàm contendendi; & divinæ potius ſapientiæ religioſus quàm ſuæ libidinoſus?* Non Calviniſta qui de ſe temerariè præſumit, qui curioſè diſputando non credit: qui ſapientiā ſuam divinæ ſapientiæ præponit, & religionis myſteria deſtruere contendit. Catholici in DEUM religioſi, DEI ſapientiā omnibus ſcientiis anteponūt: *Modeſtia fidei*, pro Calviniſtarū perverſitate DEO ſatisfaciūt, ſubmiſſe credētes ſacramētū, quod illi inſolēter negāt. *Talia tātaq; documēta, quorum magnitudo penes nationes quidē detrectatio fidei eſt, penes nos verò ratio & ſtructio.* Etenim Euchariſtię myſteriū fideliū fidē firmat ſūmētū, *ſomēta fides de Scripturarum interjectione*, dū Calviniſtæ realitatem Euchariſtiæ negantes cæcitate mulctantur.

L.2.de Eccleſ. — Tert.lib de Reſ. 32. — Tert.l.de Orat.1. — Tert.l.de Pat.3. — Tert.l.2.ad Uxor. 6.

Horum perverſitas & cæcitas optimè denotatur per eos, qui ad convivium Evangelicum vocati, *invitantes acceperunt, Prophetas legerunt, cœnam repudiaverunt; Chriſtum occiderunt; & tunc nobis cœnam neſcientes paraverunt.* Nonne his verbis D. Auguſtinus fideliter pungit Calviniſtas, qui *invitantes acceperunt*, Apoſtolos ſcilicet, qui eos ad Euchariſticā menſam invitaverunt; *Prophetas legerunt*, nimirùm Evangeliſtas converſationis Dominicæ comites & teſtes, Chriſti ſecretarios, qui unanimi conſenſu ipſius referunt verba? *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum:* Tam clarè aſſeveratam in Evangelio Euchariſticam *cœnam repudiaverunt* Calviniſtæ, reddentesque mala pro bonis, *Chriſtum occiderunt* in ſimplicium cordibus quarum fidem perverterunt: *proinde hæreſes ad languorem & interitum fidei productas.* Tandem Calviniſtæ poſt repudiatam impiè Sacramenti veritatem, *cœnam neſcientes paraverunt:* nam cæcorum inſtar, qui quo Incedendum eſt iter ignorant, phantaſticam finxerunt cœnam, depicto Heliogabali convivio per ſimilem: quapropter Henricus Tertius Galliarum Rex non illepide eos repræſentat, velut veſpertiliones in meridie errantes & titubanres cum hoc lemmate; *Non cognoverunt lucem præſentem.* Calviniſtarum impia & pertinax perverſitas duplici plectitur cæcitate, de qua loquitur Tertullianus: *Sed cæcitatis duæ ſpecies facile concurrunt, ut qui non vident quæ ſunt; & videre videantur, quæ non ſunt.* Nam in Euchariſtia realem Chriſti non vident præſentiam tot fundamentis ſolidatam, & cœnam phantaſticam in ſola imaginatione exiſtentem aſſeverant. Idem eis accidit quod Ægyptiis qui denſiſſimis noctis obvolvebantur tenebris, dum Iſraelitæ ſplendidis diei fruebantur luminibus: & ſicut crux Chriſti morientis obtenebravit incredulos, & irradiavit fideles: *Decuit enim ſplendorem crucis obcæcare infideles, & illuminare credentes;* ſic Calviniſtæ Sacramenti negantes veritatem obcæcantur: fideles verò Chriſtiani illuminantur: *Illi de crucifixo tenebrati ſunt, nos manducando & bibendo crucifixum illumina-*

D. Aug. Ser 33. de Verb. Do. — Tert.l.de Præſc. hær. 2. — Luch. in Numiſm. — Apol.10. — D Chryſoſt hom.3. de Cruc.&Lat — D.Aug.in Pſ 38.

I. PARS.

Tert. Apol. 16.

illuminamur : Fide erudiente & illuſtrante. *Diem Solis lætitiæ indulgemus, alia longè ratione, quam religione Solis.* Gentiles & Chriſtiani lætabantur die Solis, ſed diversâ ratione : Illi quia Solem tanquam ſupremum Numen adorantes, die cultui ejus ſacrato, demonſtrabant lætitiam : iſti verò quia gaudebant de reſurrectione Chriſti die Solis facta, & ob hanc rationem, ut

Hom. 5. de Reſ.

animadvertit D. Chryſoſtomus, reſurrectio Salvatoris nuncupabatur in primitiva Eccleſia dies dominicus, dies regius, dies panis, dies lucis. Dies dominicus, quia domin⁹ propriâ virtute ſuſcitatus eſt: dies regius, quia gloriosè de morte triumphavit: dies panis, quia in eo fideles ſacra reficiebantur Synaxi : dies lucis, quia ad ſacram accedentes ad menſam illuminabantur : *Iam nos in luce ſumus: tenemus corpus Chriſti, tenemus ſanguinem Chriſti.* Chriſtiane, ſi dignè divinū illum manducas panem, *implebit Dominus ſplendoribus animam tuā*: ſplendoribus dimanantibus 1. à fide ſacramenti : 2. à charitate & gratia, quæ eſt effectus Sacramēti: 3. à carne luminoſa Chriſti, quæ eſt res Sacramēti.

D. Aug. in Pſ. 39.

Iſai. 58.

1. Cæcus de quo loquitur Evangeliſta, credens Dei Filium, in remunerationem fidei, viſum corporis ſuſcepit; Chriſtus etenim *qui ab omnibus cognoſci voluit, fidem hominis etſi melius oculatam, etſi veri luminis compotem, exteriore quoque viſione donavit, ut & nos regulam ſimulque mercedem fidei diſceremus.* Regula fidei eſt credere quod non videtur, merces fidei eſt cognoſcere quod creditum eſt. *Sed qui credit, intelligit etiam altius aliquid*: iis etenim qui in ſimplicitate cordis credunt, lucis ſuæ radios communicat Deus. *Si quis eſt parvulus, veniat ad me* : ubi Hugo Cardinalis : *Advocantur parvuli, ut ſapientes fiant*, ut conſtat ex fide Euchariſtiæ quæ tantam largitur credentibus lucem, ut Patres Eccleſiæ fide hujus myſterii, præcipua religionis myſteria propugnent, & hæreticorum errores impugnent. D. Chryſoſtomus ex veritate Euchariſtiæ cōfutat Valentinianos & Marcionitas, qui veram Chriſto denegabant carnem. D. Irenæus ex Euchariſtia contra Saducæos probat carnis reſurrectionem, quibus ait : *Aut ſententiam mutent, aut abſtineant ab Euchariſtia.* Et alior ſum Chriſti infert divinitatem ex eo quod ſubſtantiam panis & vini in corpus & ſanguinem ſuum potuit convertre. D. Hilarius à ſacra menſa ad Trinitatem aſſurgit, & ex unione quam habent fideles cum Chriſto media Euchariſtia, colligit unitatem eſſentiæ Filii cum Patre : Egmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis, de Trinitate cum hæreticis diſputaturus, nocte ante diſputationem, in ſomnis vidit columbam ſanctiſſimum Sacramentum ſibi offerentem, & die ſubſequenti, tanto ingenii acumine diſputavit, ut hæreticos proſtraverit. Idem accidit cæteris Eccleſiæ Patribus qui ob Euchariſtiæ fidem tantis illuſtrati fuerunt ſplendoribus. Sanè *nihil ultra ſcire, omnia ſcire eſt*, Chriſtiane indubitanter crede Sacramenti veritatem, *& fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit, diſces.* Hujusmodi cognitio erit merces præſertim credulitatis ſacramenti, *cujus intellectum fides mereretur*; nam credentes Euchariſtiam erudit Chriſtus, tùm fidei illuminatione, tùm charitatis & gratiæ ſplendore.

Tert. l. 4. adv. Marc. 36.

Tert. l. 4. adv. Marc. 35.

Prov. 9.

Hom 83 in Joan.

Lib. 3. c. 35.

Cap. 22.

L. 8. de Tri.

Eborac. de ſacr. comm. 10. 2.

Tert. l. de Præſc. hær. 14.

Tert. l. de Cor. Mil. 4.

Tert. l. 2. adv. Marc. 25.

2. *Ad*

2. *Ad Perſas ſi forte deputabimur, licet Solem non in linteo depictum adoramus, habentes ipſum in ſuo clypeo.* Per Solem in clypeo depictum paſſim Euchariſtiam intelligunt Neoterici; quæ eſt clypeus Eccleſiæ quo ſeſe ab hæreticorum telis defendit. Quos adhuc aggreditur, & *Solis lancea* confodit, & quia *Sol ignis eſt*, Chriſtus in Euchariſtia illuſtrat, quos igne ſuæ charitatis accendit: Euchariſtiam comparat Guerricus Abbas currui Eliæ lucenti ſimul & ardenti, Euchariſtia eſt currus lucidus ob notiones quas largitur fidelium mentibus: eſt currus ardens ob ignes quibus eorum accendit voluntates: & quod eſt prorſus ſtupendum, Euchariſtia erudit tum per illuſtrationes, quas fides hujus myſterii effundit in intellectum, tum per ardores quibus charitas corda ſufflammat: *In Sacramento fide DEVS adeſſe creditur, benedictione ſentitur.* Si cæco nato dicas Sol eſt, credet quia tu dicis, ſi autẽ illum Solis exponas ardoribus, calor quem ſentit melius eum Solis docet exiſtentiam. Credimus Euchariſtiam, quia ejus veritatem DEI verbum prædicat, & fides adhuc Sacramenti nos illuminat, at dum dignè accedentes ad Euchariſtiam unimur Chriſto, qui eſt *Sol unde fluunt radii amoris*, tunc flammæ quæ ex ſacro illo ebulliunt igne: myſterii oſtentant veritatem, ſuntque velut novi ſplendores qui nos circumdant: *Poſteaquam comedimus panem in conſpectu DEI, meliora tunc ſentire, tunc loqui didicimus.* Columna nubis & ignis, quæ ducebat Iſraelitas in ſolitudine, binum ex S. Zenone denotabat judicium. Aquæ unum, quod jam diluvio adimpletum eſt: ignis alterum in fine mundi adimplendum, tunc enim univerſa quæ ſunt in mundo igne comburentur. Verùm melius ad propoſitum Laurentius Juſtinianus nubem illam Euchariſtiæ figuram exiſtimat, habetque velut duplicem faciem, obſcuram unam velut nubes, lucidam alteram, ut ignis: Vel potius quia ignis DEI amorem, & nubes gratiæ ſignificat aquam, ex Sacramento fluentem, & fideles illuminantem. Fuit aliàs in Judæa fons, *cujus aquâ lucernæ ardent*: & D. Chryſoſtomus poſtquam dixit quòd gratia Sacramenti *mentem igne reddit ſplendidiorem, auro clariorem animã facit*, confert Euchariſtiam cũ fonte terrenum paradiſum irrigante, de quo lucis dimanant fluvii, *fons lucis, lucis fluvios emittens.* Et fortè de his aquis intelligendus eſt Regius Vates, ad fontes Iſrael nos mittens: *Guſtate & videte, in Eccleſiis benedicite DEO Domino de fontibus Iſrael.* Iſrael, id eſt, videns Deum, aquæ gratiarum quæ ab Euchariſtia fluunt, ſunt fontes Iſrael, qui bibentibus Dei notitiam præſtant: Verùm hujusmodi aquæ bibendæ ſunt antequam ſumus Iſrael, & agnoſcamus Deum. Adite Chriſtiani fontes illos luminoſos: accedite Chriſtum in Euchariſtia exiſtentem. *Accedite ad eum, & illuminamini, quia lux eſt*; & illuminat tùm ſplendoribus gratiæ & charitatis: tùm ſplendoribus quos de carne ſua lucida producit.

[Margin: Tert. Apol. 16. — Tert. lib de Pud. 6. — Tert. lib. de An. 8. — Ser. 1. de Reſ — Euſeb. Cæſar. — Idiot. de div. Amor. c. 31. — D. Cyrillus Alex. l. 3. de Ador. — Ser. 3. de Exod. — L de Caſt. Connub. c. 12. — Plin. l. 31. c. 2. — Hom. 61. ad Pop. — Pſ. 67. — D. Ambroſ. Ser. 18. in Pſ. 181.]

3. Aſſeverat Tertullianus, *à nullis magis intelligi Chriſtum quam ſæpe jejunis*; Etenim cibi & potûs abundantia vapores mittit ad cerebrum, qui

[Margin: L de Jejun. 8.]

qui mentis obſcurant lucem,& Dei impediunt notitiam,quod nequaquã de manna dici poteſt,quod abunde manducatum Dei afferebat cognitionem. *Mane ſaturabimini;ſcietisq́ quòd ego Dominus DEVS veſter:* Nonne Deus ſe manifeſtaverat Iſraelitis per tot miracula quæ patraverat inÆgypto? nonne Abrahamo,Iſaaco,& Jacobo religionis revelaverat myſteria ut de his ſuos erudirent nepotes? Nonne Prophetæ Judæos docuerant cultum:cur ex manducatione mannæ cognoſcent Deum,quaſi antea non cognoviſſent? Quia ſcilicet manna Euchariſtiã ſignificabat,& ſimplex hujus myſterii figura majorẽ de Deo conferebat notitiam quam neque patrata miracula, neque factæ Patriarchis revelationes, neque Prophetarũ documenta. Et ideò manna nũcupatur panis Angelorũ,*quia lumen divinum,quo cælicolæ reficiuntur, erat incorporatum in manna.* Quod ſi figuræ tantam de Deo largiebantur notitiam, quãto magis res figurata? Si manna Judæos illuſtravit, quales ſunt luces quas mutuantur Chriſtiani ab Euchariſtia,quæ eſt verus Angelorũ panis,inſtituta ad recuperandum deperditum per originalem culpam animæ viſum *Ecce habes eſcam, habes etiam per eſcam viſus recuperationem, & DEI agnitionem: quem per eſcam ignorarant protoplaſti.* Adamus peccando à ſua dignitate degeneraverat;beſtiis ſimilis effectus fuerat:ut bellua *fænum & bos comedet.* Quapropter DEI Filius ut deperditum reddat honorem,naſcitur in præſepio, ſuper fœnum recumbit inter duo bruta. *Reconditur in præſepio, ut qui currunt ad paleas, frumentum nanciſcantur, panemq́ manducent,alimentum vitæ,cænam lucis.* Bethleem ubi naſcitur Chriſtus, domus panis interpretatur: altare ubi reproducitur Chriſtus,domus panis,*panis vitæ & intellectûs*; & ut ait Richardus à ſancto Laurentio, *qui dat intellectum*: quia ſcilicet continet lumen ſubſtantiale Angelorum,& hominum irradiat mentes. *DEVS porrò iis qui circa ipſum aut prope ipſum ſunt,ſuæ naturalis claritatis lumen impertitur,ut lumen ad objectum aliquod corpus appulſum, reflectitur,& ſuo ſplendore quidquid objectum eſt illuminat.* Quod ſi eos qui vel circa vel prope ipſum ſunt,Deus illuminat, quanto magis eos qui ſumendo Euchariſtiam,intra ſemetipſos recipiunt? Si flatus ex Chriſti ore exhalatus aſinum & bovem ad ejus cognitionẽ adduxit: *Vterq́ agnovit, quia uterq́ ad unum præſepe epulaturus acceſſit*: Si Thomas ex Chriſti contactu *unum & eundem Dominum noſtrum cognovit cum carne*: ſi dilectus diſcipulus quieſcens ſupra pectus Domini, velut ſpongia ſacra fuit undequaq; divinis notionibus imbutus; ſi Diſcipuli euntes in Emaus cognoverũt Dominũ in fractione panis,id eſt in ſuſceptione corporis dominici,quod cõſecrato pane dedit eis mãducandũ:*comederunt illum & aperti ſunt oculi eorum, & exinde viderunt DEVM*: Quanto magis,qui ſanctè accedũt ad panem intellectûs,qui ut ait Honorius III. eſt *cãdor lucis æternæ*: quia ut vult Nicetas, *Divinꝰ panis velut cæleſtis carbo divinæ gratiæ radios ſpargebat.* Diabolꝰ etiã agnoſcens quã ſit illuminatrix Euchariſtia;& ſciens aliunde quod Judas quãvis indignè eam in cœna ſuſceperat, timens ne ab illo candore lucis illuminaretur, & carbone

Clem. Alex l. 2. Pædag. 1.
Exod. 16.
Paul. Burg. apud Lor. in
Anaſt Sinait. l. 10. in Hexam.
Dan. 4.
Chryſipp. l. de Laud. B. V.
Eccleſ. 15.
L. de B. V. c. 12.
Cyr. Alex. l. 9. de Ado.
Chryſol. Ser. 159.
D. Cyr. Alex. l. 12. in Joan. 50.
Greg Nyſſ. Orat. 1. in Cant.
D. Aug Ser 140. de Temp
Rupert. l. 6. in Joan
Cap. cum. olim.

carbone cœleſti ſufflammaretur: hac de cauſa ait D. Cyrillus Alexandrinus, feſtinat & impellit ut citò ſuam adimpleat proditionem. *Nam & Iudam cùm poſt panem omnino ſeparaverit, tum panem, tum benedictionis virtutem, timens ne ſcintillam in animo ejus accenderit, ac inde illuminaverit, & ad meliora retraxerit, magna præcipitem agit celeritate.*

L. 9. in Joan. 19.

Chriſtiani, deſideratisne cognoſcere Deum? *Diſcite ubi Dominū quæratis? diſcite ubi Dominū habeatis: diſcite ubi Dominum agnoſcatis.* Mortui eſtis per peccatū, & ſediſtis in tenebris & in umbra mortis, reſurgendū eſt per pœnitentiam: rogate Deum ut vos illuminet: *Illuminare iis qui in tenebris & in umbra mortis ſedent.* Amiſiſtis Deum per peccatum, recuperate eum per gratiam: cæcitas fuit velut ſequela abſentiæ Dei; luces & notiones erunt indicia præſentiæ Dei: idem vobis eveniet quod Apoſtolis non credentibus: *Quod tulerat infidelitas, reddidit hoſpitalitas*: eos illuminavit quando corpus ſuū manducandum eis tradidit: *Fit ex ipſa ſumptione intellectus illuminatio*: Pœnitentiâ quæritur Deus, gratiâ habetur, & Euchariſtiâ cognoſcitur: *Tene hoſpitem ſi vis agnoſcere Salvatorem.*

D. Aug. Ser 40. de temp.
Luc. 1.
D. Aug. ib.
Laur. Juſti. l. de Perfect. manducat.
D. Aug.

Trinum invenio Chriſti habitaculum: uterum Virginis, præſepe, & Sacramentum. Hæc autem tria illuminat habitacula: 1. Humanatus Dei Filius in utero Virginis: *In ejus mente ſolem poſuit: Solem qui lucem divinæ cognitionis faceret.* Naſcens in præſepio, ſtabulum pecuinum in thronum Cherubicum immutavit: *Thronus revera & hic erat Cherubicus: thronus regalis.* Poſitus in Sacramento, ſecū defert Solis ſplendorem. *In Sole poſuit tabernaculum*, ideſt, ut explicat Hugo Cardinalis, *in Sole poſuit corpus ſuū*: quod qui in ſacra menſa dignè ſuſcipiunt, illuſtrantur, quia *verbum eſt naturalis mentis motio, velut lux ipſius & ſplendor*: quare cœleſtes mentibus infundit cogitationes, ut conſtat ex primis Chriſtianis, de quibus ſic fatur Tertullianus: *Oratio convivium dirimit. Inde deſcenditur non in cavernas cæſionū, neq; in claſſes diſcurſationū, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eandē curā modeſtiæ & pudicitiæ; ut qui non tā cœnā cœnaverint, quam diſciplinam.* Utinam Chriſtiani hujuſce ætatis tanta fide & devotione accederent ad Sacramentum; tanta modeſtia ſtarent ante altare, & tanta cura recederent à ſacra menſa, zelantes diſciplinam Chriſtianam, fugientes vitia, quæ obſcurant intellectum, cuſtodientes gratiam quæ illuminat animam.

D. Bern. 1. de Annunt.
Gregorius Thaumat.
Pſ. 18.
D. Damaſc. l. 1. de Fid. 18.
Apol. 39.

CONCIO TERTIA.

Tertullianus Spiritum ſanctū nuncupans *tertium gradum majeſtatis*, ſupponit tres eſſe in divinis majeſtatis gradus, ſeu potius tres perſonas divin: & quamvis tribus ſimul una & eadem eſſentialis competat majeſtas, tamen uti quælibet perſona ſeorſim ſumpta, eſt verè Deus, ita & majeſtas:

Lib. adv. Prax. 30.

quare non magis dubitandũ de majeſtate Filii DEI ac ejus divinitate. In illo
autẽ trinã adinvenio majeſtatẽ: 1. dominã & imperantẽ: 2. ſubſtantialem &
D. Bern. Ser. 64. in Cant. ſplendeſcentẽ: 3. venerandã & adorabilẽ. Et quia *amor dignationis neſcius*, DEI
Filius omnium amantium perfectiſſimus; omni ſe humilitate dejecit: *Chriſtus*
Tert. l. de Car. Chr. 4. *dilexit hominem, propter eũ deſcendit, propter eũ omni ſe humilitate dejecit*: In In-
carnatione exinanivit ſemetipsũ formã ſervi accipiẽs, in Nativitate in præſe-
pio inter duo bruta animãtia naſcitur, in vita & converſatione, *ille Dominus in*
Tert. l. de Idol. 18. *humilitate & ignobilitate inceſſit*; in morte inter duos ſceleroſos crucifixus eſt;
tãdẽ in Euchariſtiæ Sacramẽto, majeſtas ej⁹ 1. imperãs & domina dejicitur: 2.
ſubſtãtialis & ſplẽdẽs ſub velis tegitur: 3. admirabilis & venerãda deſpicitur.

DEUS ſigna majeſtatis ſuæ edidit, præſertim in creatione & conſervatione
I. PARS. mundi. In productione mundi *DEUS molem iſtam cum omni inſtrumento elemẽ-*
Tert. Apol. 18. *torum, corporum, ſpirituum, verbo quo juſſit; ratione qua diſpoſuit; virtute qua po-*
tuit, de nihilo expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ. Cunctæ creaturæ quæ ſunt
Tert. Apol. 17. in mundo, enarrant majeſtatem divinæ potentiæ, qui eas de nihilo produ-
xit; majeſtatem divinæ ſapientiæ, quæ adeò pulchrè diſpoſuit;
majeſtatem divinæ bonitatis, quæ ſeſe ſuper eas effudit. 2. Creaturarum
Tert. l. 2. adv. Marc. 25. converſatio eſt adhuc *argumentum divinæ majeſtatis*. Creaturæ enim ita à DEO
dependent; quòd niſi ab eo conſervarentur, redirent in nihilũ; de quo produ-
ctæ ſunt: & ob hanc cauſam conſervatio dicitur continuata productio. Verũ
ſi DEUS in productione & conſervatione creaturarũ ſuã oſtentat majeſtatem;
in Sacramento ſuã demonſtrat humilitatem, ubi majeſtas ejus imperans &
domina dependet; 1. in ſui productione à voluntate Sacerdotis, cujus impe-
rio ſubſtratur: 2. in ſui conſervatione ab ſpeciebus, ſub quibus occultatur.

Tert. l. de Reſ. 3. 1. In creaturarũ productione ſuã oſtentavit DEUS majeſtatẽ; etenim *ut*
famula juſſu & imperio & ſola vocabuli poteſtate univerſa proceſſerant. Verùm ſi
DEUS ſuã manifeſtat majeſtatem imperiali voce cuncta producens, ſuã adhuc
denotat humilitatem, dũ in Sacramento à ſacerdote imperiali voce produci-
tur. Nihilũ eſt in potentia obedientiali ad DEI imperiũ: non obſequiũ, ſed
Tert. Apol. 35. dominatio ad DEUM pertinet. Quod probè ſciens *Auguſtinus imperii formator,*
ne Dominum quidẽ dici ſe volebat: & hoc enim DEI eſt cognomẽ. O quã profunda
Chriſti humilitas, qui titulũ Domini deponens, & dependentiã ſuſcipiens, ſa-
D. Thom. Opuſc. 58. cerdotibus obſequitur imperio: *quaſi homo ſit DEI DEUS*. Stetit olim Sol ad
imperiũ Joſue, *obediente Domino voci hominis*. Hujus figuræ veritas adimpletur
Tert. l. 1. adv. Marc. 4. in Euchariſtiæ ſacramẽto, ubi Sol juſtitiæ, qui eſt *Rex Regum ob ſummitatẽ ma-*
gnitudinis, & ſubjectionem cæterorum graduum, obſequitur voci ſacerdotis, *quaſi*
homo ſit DEI DEUS. Mirandũ ſanè quod rex ſiderũ ſiſtat ſuũ motũ, ut Joſue
præſtet obſequiũ: ſed ſtupendũ magis quod Rex regũ, & Dominus dominãtiũ
perſæpe crimino ſo obtemperet ſacerdoti. Joſue erat dominico nomine hono-
Lib. de Jejun. 10. ratus, victoriis coronatus, & tanta virtute præditus ut eũ *parem Solis* exiſtimet
Tertullianus: at ſacerdos ſceleroſus, eſt ſacro illo charactere indignus,
vitiis dehoneſtatus, cujus miſſa eſt culpa, ſacrificiũ ſacrilegiũ. At

At cur ita obſequitur Dominus? *Suſcepit in ſe obedientiã ut nobis eã trãsfunderet*; & ſuo exemplo nos ad obediendũ Deo ſtimularet, quo nihil juſtius: *Nihil enim tam expedit animæ quam obedire, & ſi expedit animæ obedire in ſervo Domino ſuo: in filio, ut obediat Patri: quanto magis in homine, ut obediat DEO?* quia eſt ejus Pater & ſupremus Dominus, ſumma pollens auctoritate? *Nec pluribus de obſequii exhibitione debita à nobis Domino DEO. Satis enim agnitio DEI, quid ſibi incumbat intelligit.* Ratio & fides quæ divinæ dominationis dant notitiam, nos etiã de debito obſequio erudiunt. Ad quod adhuc nos allicit obſequentis Chriſti exemplum: *Nulla tibi obedientia videbitur gravis vel importabilis, ſi Chriſti exemplum perfectè æmularis.* Chriſti autem obedientia tribus præſertim commendatur: 1. Voluntate: 2. promptitudine: 3. ſubjectione. 1. Voluntate, quia non eſt coacta, ſed libera: Promptitudine, ſtatim namque ac ſacerdos protulit verba conſecrationis, fit præſens in ſacramento. 3. Subjectione, quia obſequitur non ſolùm probo, ſed etiam improbo ſacerdoti. Obedientia noſtra ut Chriſti æmuletur obſequium, debet eſſe libera & voluntaria, quia *oblatio obſequii in voluntate* ſita eſt. 2. Prompta, quia *fidelis obedientia neſcit moras.* 3. Submiſſa, attendens ad imperantis auctoritatem, non ad ejus qualitatem, an ſit origine illuſtris, ingenio pollens, virtute commendabilis necne. *Siquidem artificium promerendi obſequium eſt; obſequii verò diſciplina morigera ſubjectio eſt.* Si quis non liberè ſed coactè; non promptè ſed tardè; non ſubmiſſe, ſed cum ſuperioris contemptu obſequitur, *Iſta non competunt vero obſequio in verum DEUM*, nec Chriſti imitantur dejectionem, qui in ſui conſervatione ab ſpeciebus ſacramentalibus dependet.

D. Ambr. in Pſ 61. D. Aug. Con. 2. in Pſ. 70. Tert. lib. de Pat. 4. Richard. Vict. de diff. ſacrific. Abr & David. Tert. lib. de Orat. 9. D. Bern. Ser. de SS. Pet & Paul. Tert. lib. de Pat. 4. Tert. lib. de Spect. 1.

2. *DEUS propter hominem in hæc pauperrima elementa, de tertio cœlo deſcendere laboravit.* Apoſtolus ſacramenta legis Moſaicæ *egena & vacua elementa* nuncupat, quia ſcilicet ex opere operato non conferebant gratiam. Verùm ſpecies ſacramentales ſunt non tantum elementa egena, ſed adhuc pauperrima. Sacramenta legis Moſaicæ erant ſigna ſenſibilia, in quibus erat ſubſtantiã rerũ cum ſuis accidentibus, & ita erant quidem elementa vacua gratiâ, quam non conferebant, ſed non vacua ſubſtantia quam continebant: At ſpecies ſacramentales ſunt elementa pauperrima, quia ſunt vacuæ ſubſtãtia; ſuntque mera accidentia abſque ulla ſubſtantia exiſtentia, à quibus tamen Chriſtus in ſuo eſſe Sacramentali dependet. *Sed ille quidem nec reprobavit panem quo ipſum corpus ſuum repræſentat:* deſtructa namque ſubſtantia panis & vini, corpus illius ſub accidentibus fit præſens & repræſentatur.

Tert. l. 1. adv. Marc. 14. Tert. ibid.

Hoc eſt diſcrimem inter alia Sacramenta legis gratiæ & Euchariſtiam, quòd alia Sacramenta conſiſtunt in uſu, nec ullum habent eſſe permanens: Tota eſſentia, verbi gratia, baptismi ſita eſt in ablutione facta cũ præſcripta forma verborum: at Euchariſtia habet eſſe permanens, & poſt factam conſecrationem corpus Chriſti exiſtit in hoſtia conſecrata quamdiu remanent ſpecies ſacramentales, à quibus in ſuo eſſe ſacramentali de-

 pendet

pendet, quibus *ipſum corpus ſuum repræſentat.* Et ratio eſt, quia cùm homo pro quo inſtituta ſũt ſacramenta, ſit cõpoſitus ex corpore viſibili & ſenſibili, & anima ſpirituali & inviſibili, natura ſacramentorũ reſpondet naturæ hominis, in quibus debet eſſe aliquid ſpirituale & inviſibile, conveniens animæ ſpirituali & inviſibili, aliquid ſenſibile & viſibile quod ſit corpori proportionatum: ideò Euchariſtia conſtitui debuit ex duabus partibus; una ſenſibili, altera inſenſibili. Corpus Chriſti eſt inſenſibile, quia caret ſitu & exiſtit ad modum ſpiritûs; ſpecies ſacramentales ſunt ſenſibiles, quibus deſtructis deſtruitur Sacramentum, & à quibus dependet corpus Chriſti in ſuo eſſe ſacramentali. *Etiam in ſacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris.* Triplici de cauſa accidentia mendicitates nuncupantur; 1. quia ſunt minimæ entitates, & ut loquuntur Philoſophi *entis entia*: nimirùm entia ſubſtantiæ, quæ eſt multò nobilior accidentibus; 2. quia cum de ratione accidentis ſit ineſſe, ſicut de ratione ſubſtantiæ per ſe exiſtere, naturaliter mendicat ſubſtantiam cui inhæreat, neque exiſtere valet absque fulcro ſubſtantiæ, cujus longè diverſa eſt ratio, nã exiſtere poteſt absque accidente quod *adeſt & abeſt ſine ſubjecti corruptione*: 3. quia licèt ſupernaturaliter exiſtant in ſacramento absq; fulcro ſubſtantiæ, mendicant tamen DEI potentiam ad ſui ſuſtentationem: Chriſtus tamen eſt *etiã in ſacramentis propriis egens mendicitatibus*: nimirũ his mendicitatibus quæ in ordine naturali indigent fulcro ſubſtantiæ ut exiſtere valeant, quæ in ordine ſupernaturali indigent divinæ potentiæ ſuſtẽtaculo ut poſſint conſervari. His mendicitatibus indiget Chriſtus in Sacramento, in quo tandiu eſt præſens quandiu exiſtunt ſpecies ſacramentales, quibus non exiſtentibus ceſſat ſacramentalis Chriſti præſentia. *Etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris.*

Tert.

Res mira! Ille qui non indiget neque Angelorũ obſequio, neque hominũ ſervitute: *Non indiget noſtra ſervitute, nos indigemus ejus dominio*: Ille qui idcircò Dominus eſt, quia nullius eſt egens creaturæ: *Dixi Domino, DEVS meus es tu, quoniã bonorum meorum nõ eges*: Ille qui in æternitate eſt independens à Patre à quo generatur, in Euchariſtia accidentibus eget, & ab ſpeciebus ſacramentalibus in ſuo eſſe ſacramentali dependet; *Etiã in Sacramẽtis propriis egẽs mendicitatib⁹ Creatoris.* Hæc Chriſti humilitas & dependentia dãnat hominũ inſolentiã qui à DEO independentes eſſe volũt. Dependentia ita eſt propria hominis, ut neq; eſſe neq; conſervari poſſit absq; dependentia. Nõ eſſe, quia dependentia identificatur realiter cũ ejus eſſentia, eſtq; ab ea inſeparabilis: Non conſervari, quia nõ ſubſiſtit niſi quia DEUS eũ ſuâ potentiâ cõſervat. Cujusvis conditionis ſit homo, dependens eſt & DEUS ſuâ abſolutâ potentiâ, nequit eũ à dependentia eximere. *Servus nõ habet negandi poteſtatẽ.* At proh dolor! homo neceſſario & eſſentialiter dependens, ſuâ temerariè negat dependentiã, dixitq; inſolenter apud Prophetã; *Ego memetipſum feci*: Impiã hãc vocem protulit Lucifer, quem in perſona regis loquentem inducit Ezechiel. Impieta-

D. Aug in Pſ. 15.
Pſ. 15.
Sen. l. 2 de Benef. 20.
Tert. lib. de Pat. 15.

pìetatem ejus imitantur, qui *impatientes DEI vivunt*; quia ab illo dependere
nolũt, neque in proſperis neque in adverſis. Non in proſperis, quia fortunæ
& naturæ bona à Deo accepta non recognoſcũt, neque ullũ unquã gratitudi-
nis præſtãt monumentũ. Non in adverſis, quæ ægrè ſuerũt & ex eis Deum
blaſphemãdi anſã ſumunt. Cæterũ *impatientia in hujuſmodi fidem prævarica-* Tert. lib. de
tur, & oſtendit inſolentes ejusmodi qui à Deo independentes fieri volunt, nõ Pat. 15.
eſſe Chriſtianos, neq; fideles; ſi etenim haberent fidem, ſe dependentes à Deo
cognoſcerent, & collata à Deo naturæ vel fortunæ dona nõ arrogãter oſten-
tarent, ſed Chriſti æmularentur humilitatem qui dependet à ſpeciebus ſacra-
mentalibus, & acceptũ à Patre ſplendorem ſub velis Sacramenti occultat.

Dei Filius nuncupatur à Tertulliano tũ *DEI radius*, tũ *repræſentator Pa-* III. PARS.
tris. Idipsũ docet Apoſtolus, à quo vocitatur *ſplendor Patris & figura ſubſtantiæ* Tert. l. adv.
ejus. Eſt 1. ſplendor gloriæ, quia à Patre procedit ut radius à Sole, & ſicut ra- Prax 24.
dius eſt ſplendor Solis, ita Filius eſt ſplendor Patris. 2 Figura ſubſtantię & re Hebr. 11.
præſentator Patris, quia eſt ejus imago, & notitia genita, cùjus propriũ eſt
repræſentare principiũ à quo producitur; & ita Filius in ſinu Patris eſt maje-
ſtas ſplendeſcens & ſubſtantialis, paternos characteres deferens. Verùm ſi
illũ in altari conſideremus, præ ſtupore dicemus: *Ergo DEI Filius in tantum hu-* Tert. lib de
militatis exhauſtus? Nã in Sacramento, 1. majeſtatem ſuã ſplendeſcentem ſub Car. Chr. 17
ſpeciebus obnubilat: 2. majeſtatem ſuã ſubſtantialem characteres paternos
præ ſe ferentem ſub figura accidentali occultat.

1. *Secundùm hac enim, vicarium ſe Patris oſtenderat, per quẽ Pater & videre-* Tert. l. adv.
tur in factis, & audiretur in verbis, & cognoſceretur in Filio, verba & facta Patris Prax. 24.
adminiſtrante. Chriſtus converſans cũ hominibus, patravit miracula, quibus
ſe verũ demonſtravit Deum. Nã ut ait D. Ambroſius, *dominica carnis actus di-* In c 4 Luc.
vinitatis exemplum: at in Euchariſtia nihil operatur quod ejus oſtentet divini-
tatem. Si unquã dictũ eſt ei: *Verè tu es DEVS abſconditus*, maximè in Sacra- Eſa. 45.
mento. Hebræa lectio habet: *DEVS abſcondens ſe*, quia ibi ſuũ occultat ſplen- Abac.
dorem. *Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus*. Septuaginta vertunt in
plurali: *Splendores in manibus ejus*. In Chriſto nãque duplices ſunt ſplendores:
alii ei cõpetũt in quantũ eſt Deus, alii in quantũ homo. Illos accepit in ſinu
Patris; iſtos vero in ſinu ſepulchri; quando reſurrexit, corpus ejus fuit imor-
talitate & gloriâ donatũ. In Sacramento autem occultat ſplendores tũ divi-
nos tùm humanos; & ut loquitur Job, *in manibus ſuis abſcondit lucem*, quam Cap. 36.
occultavit in Euchariſtia in die cœnæ portans ſe ſuis manibus. *Ipſe ſe por-* D. Aug in
tabat quodammodo cùm diceret, Hoc eſt corpus meum. Pſ. 33.

Chriſtus duob⁹ in locis exiſtit: in cœlo & in Sacramento. Exiſtens in cœlo,
in Sole poſuit tabernaculum ſuum: quia Beatis gloriæ ſuæ manifeſtat ſplendorem Pſ. 18.
at in Sacramento *poſuit tenebras latibulum ſuum*. In Incarnatione in utero Marię
majeſtatem ſuã occultavit Verbũ divinũ; & ob hanc cauſam exultavit Joan- Iſidor. Clar
nes in ſinu Elizabeth; *eo quod ſenſiſſet majeſtatem Filii DEI in Virginis utero deli-* Orat. 5. in

 teſcen- Luc.

teſcentem. In altari quoque eam occultat; non ſecus ac in utero Matris. *Iacet panis in ſacra menſa, tanquam in utero Virginis*: quare qui digne ad ſacram menſam accedunt, luminibus ſatiantur, ſed abſconditis. *De abſconditis tuis ſaturatus eſt venter*. Non dicit de abſcondito in ſingulari, ſed de abſconditis in plurali; quia ſaturantur de abſconditis ſplendoribus tùm divinis tùm humanis. In Incarnatione DEI Filius erat tantùm ex parte abſconditus, quia etſi ejus non appareret divinitas, apparebat tamen humanitas: at in Euchariſtia eſt totaliter abſconditus, quia neque divinitas neque humanitas apparet. *In cruce latebat ſola Deitas, hic latet & humanitas*: quia neque Divinitatis majeſtatem, neque humanitatis manifeſtat gloriam, ſed utriusque ſplendorem ſub velis obnubilat.

D. Damaſ. Ep. ad Zach cap. 1. Pſ. 16. D. Thom.

Tria ſunt in Euchariſtiæ myſterio: 1. Sacramentū: 2. res Sacramenti: 3. effectus Sacramenti. Sacramentum ſunt ſpecies ſacramentales: res Sacramenti, eſt corpus Chriſti unitum Verbo divino: 1. effectus ſacramenti eſt gratia ſanctificans, cujus augmentum confert digne accedentibus. Gratia non videtur quia eſt ſpiritualis. Divinitas & humanitas Chriſti non videntur, quia eſt, ut vult Paſchaſius, Theſaurus abſconditus. *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: qui nec ager, videlicet corpus Chriſti, ſine theſauro, id eſt, divinitate; nec theſaurus divinitatis emitur ſine agro carnis: qui theſaurus abſcondi dicitur, quia in hoc myſterio ab aſpectu oculorum ne caro videatur, ſubſtrahitur*. 3. Solum Sacramentū videtur: quapropter in altari Chriſtus eſt *veſtitu incultus, vultu deniq; & aſpectu inglorius*: quia videntur duntaxat ſpecies ſacramentales quibus majeſtas ejus ſplendeſcens velatur, & formæ accidentales quib⁹ occultatur majeſtas ejus ſubſtātialis, paternos characteres prę ſe ferēs.

L. de Corp. & Sang. Dom c. 17. Matth. 13. Tert. lib. de Idol. 18.

2. *DEUS & quidem ſublimior, tanta humilitate faſtigiū majeſtatis ſuæ ſtravit*; ut figuram ſubſtantiæ occultare voluerit ſub forma accidentali panis. In entibus creatis nihil eſt adeò dependens & ſubordinatū ac panis, quia ad hominis ordinatur nutritionē, neq; niſi ob hunc finē ſubſiſtit, & ſuum eſſe amittere debet, ut hominis conſervet vitā. Et hæc eſt ratio cur Chriſtus in Sacramento figurā ſubſtantiæ paternæ abſcondit ſub figura accidentali panis, ſcilicet ut poſſit eſſe alimentū hominis: *declinavit ad eum ut veſceretur*; ut homo valeat corpus Dominicū manducare & bibere ſanguinem. *Hæc eſt exinanitio facta ad uſum noſtrum, ut poſſimus capere eum*, in quo ejus humilitas mire commendatur. *Unde commendavit corpus & ſanguinem ſuum de humilitate ſua: niſi enim eſſet humilis, non manducaretur nec biberetur*.

Tert. l. 2. adv. Marc. 27. Oſeæ. 11. Dion. Alex Ep ad Paul. Samoſat. D. Aug. in Pſ. 32.

Verùm Chriſtus donādo nobis corpus ſuū manducandū ſub figura panis, *contumelioſus inſuper ſibi eſt*: quia inde ſumunt anſam Calviniſtæ negandi realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia, docentes eum duntaxat dediſſe figurā ſub forma panis. *Nihil adeò eſt quod obduret mentes hominum, quàm ſimplicitas divinorum operum quæ in actu videtur, & magnificentia quæ in effectu repromittitur*. Calviniſtæ nihil intuentes in altari præter ſpecies ſacramentales,

Tert. lib. de Pat. 3. Tert. lib. de Bapt. 2.

les, negant corpus Chriſti verè & realiter eſſe in Sacramento; ſed tantū in fi-
gura & repræſentatione. Nec mirum, nam *ſi animum præoccupaverit alicujus* D Aug. l. 3.
erroris opinio, quidquid aliter aſſeruerit Scriptura, figuratū homines arbitrantur. de Doctr. Chr. 10.
Sic Manichæi iſtud Joannis: *Verbum caro factum eſt*, de imaginaria carne in- Cap. 1.
telligebant: ſic Ariani hæc verba: *Hic eſt Filius meus dilectus*, explanabant: hic
ſignificat filium meum dilectum. Sic Calvinus hæc Chriſti verba, *Hoc eſt corpus*
meum expendit; hoc eſt figura corporis mei; cui dicendū eſt idipſū quod Pra-
xeæ Tertullianus; *Adverſus definitivam Evangelii ſententiā niteris*, quæ tanta Lib. adv.
claritate pronuntiata eſt: *Age jam quod ipſius Solis radiis putes ſcriptum, ita claret.* Prax. 25.
Aut negare debet Calvinus Evangelii veritatem, aut fateri Sacramenti ve-
ritatem. *Aut nega ſcripta, aut quis es, aut non putes accipienda, quemadmodum* Tert. lib. de
ſcripta ſunt? Maximè quæ non in allegoriis & parabolis, ſed in definitionibus & cer- Reſ. 47. Tert. l. adv.
tis & ſimplicibus habent ſenſum. Sicut contradicere definitionibus fidei per- Prax. 13.
ſpicuè in Scriptura contentis, impietatis eſt ſignum, ita eis aſſentiri eſt pieta-
tis indicium. *Magis religioſum eſt veritatem de ſua auctoritate ſimplicitatis de-* Tert. lib de
fendi, quam ſenſus divinæ propoſitionis expoſtulat. Et ut ad hypotheſim deſcen- An. 30.
dam, niſi hæc propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, intelligatur propriè & non fi- Tert. l. 4.
gurate; Chriſtus *erit auctor erroris & prævaricator veritatis*? Quia ſuppoſito adv. Marc.
quod Catholici credentes realitatem corporis Domini in Euchariſtia errent, 34.
nonne ipſe eſt auctor erroris illorum, dicendo affirmativè: Hoc eſt corpus
meum? At *neq; perverſitas, neq; fallacia DEO congruit.* Impie Calvine, *tu por-* Tert. l. adv.
ro eum mendacem efficis & fallacem, & deceptorem fidei hujus. Nam qui non ſtat Prax. 11.
promiſſis, neque dat id quod pollicitus eſt, fallax & deceptor eſt: Atqui ſe- Tert.
cundùm Calvinum Chriſtus non ſtat promiſſis, neque dat quod pollicitus eſt:
ergo ſecundùm Calvinum Chriſtus fallax & deceptor eſt. Major conſtat.
Probatur minor, Chriſtus pollicitus eſt ſe verè daturum ſuam carnem: *Panis* Tert. l. de
quem ego dedero pro ſalute mundi, caro mea eſt. At ſecundùm Calvinum Chri- Car. Chr.
ſtus non dat ſuam carnem, ſed duntaxat figuram ejus: Ergo non dat quod 13.
pollicitus eſt, & conſequenter eſt fallax & deceptor. Abſit ut tale feramus
de DEO veraci judicium: *Quanquam habeamus ipſum DEUM idoneum pollicitato-* Tert. l adv.
rem, & fidelem ſponſorem. Fecit quod promiſit; promiſerat daturum verè ſuā Jud. 1.
carnem: ergo verè ſuā dedit carnē. Chriſti caro cruci affixa eſt pro ſalute mū-
di: Atqui habemus in Euchariſtia id quod pro nobis crucifixū eſt: ergo habe-
mus in Euchariſtia carnē Chriſti: *Aut ſi propterea corpus ſibi finxit, quia corporis* Tert. l. 4.
carebat veritate: Ergo panem debuit tradere pro nobis. Inde concludit contra adv. Marc.
Marcionem Tertullianus: *Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifige-* 31.
retur. Hæc concluſio rectè colligitur contra Calvinum.

At ne ullus ſuperſit dubitandi locus, oſtendendum eſt quando Scri-
ptura vel proprie vel figurate ſit intelligenda: Deinde vindicandus eſt Ter-
tullianus qui de Chriſto ſic fatur: *Profeſſus itaque ſe concupiſcentia concu-* Lib. 4. adv.
piſcere edere paſcha, ut ſuum (indignum enim ut quid alienum concupiſceret Marc. 40.
DEUS) acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus illum ſuum fecit,

Hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt figura corporis mei. Circa primum hanc tradit Auguſtinus regulam: *Nihil eſt obſcurè dictum in Scripturis, quod ſpectat ad fidem vel mores, quod non ſit pleniſſimè dictum aliis locis.* Ideò quoties Salvator aliquid obſcurum pronuntiabat, ſtatim explicabat diſcipulis Sic, *Recedite à fermento Pharizaeorum*: quid ſit illud fermentum explanat addens, *quod eſt hypocriſis.* Sic poſtquam dixit: *Solvite templum, hoc & in triduo readificabo illud*; quomodo templum intelligat, declarat Evangeliſta: *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Imò dum unus Evangeliſta dicit aliquid vel obſcurum, vel intellectu difficile, alter obſcuritatem clarè explicat, & difficultatem enodat: ut iſtud ubi Chriſtus ait apud Lucam: *Si ego in digito DEI ejicio dæmonia*; hoc de Spiritu DEI intelligendum aſſeverat Matthæus: *& tamen nullam parabolam non aut ab ipſo inventas ediſſeratam, ut de ſeminatore in verbi adminiſtratione: aut à commentatore Evangelii præluminatam, ut judicis ſuperbi, & viduæ inſtantis ad perſeverantiam orationis: aut ultro conjectandam, aut arboris fici dilata in ſpem ad inſtar Iudaicæ infructuoſitatis.* At in præſenti materia neque Chriſtus explicat ſemetipſum: neque aliquis Apoſtolus Dominum: neq; unus Evangeliſta alterum; & conſequenter in parabola aut figuratè loquutus eſt Chriſtus. *Quod ſi nec parabolæ obumbrant Evangelii lucem: tanto abeſt ut ſententiæ & definitiones quarum aperta natura eſt, aliter quàm ſonant ſapiant, definitionibus autem & ſententiis Dominus edicit* corporis ſui veritatē in ſacramēto.

L. 1. de doct. Chr. 6.
Luc. 12.
Joann. 2.
Cap. 11.
Cap. 12.
Tert. lib. de Reſ. 33.
Tert.

Quantum ad 2. Tertullianus referens ſacramentalia Chriſti verba: *Panem corpus ſuum fecit, hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt, figura corporis mei*; vindicatur trina expoſitione. Nam 1. dum ait Euchariſtiam eſſe figuram corporis Dominici, non ideò excludit aut negat veram & realem corporis præſentiam in ſacramento: aliud enim eſt eſſe ſignum ſeu figuram corporis, aliud figuram corporis abſentis: Sacramentum eſt figura non abſentis, ſed præſentis. Nam ut ſeſe expendit Tertullianus: *Figura autem non fuiſſet niſi veritatis eſſet corpus. Cæterum vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.* Eodem modo ratiocinandum eſt de veritate corporis Chriſti in Sacramento (cæteris paribus) ac de veritate Filii in Trinitate, & de vera humanitate Chriſti in Incarnatione. DEI Filius in Trinitate vocatur ab Apoſtolo *figura ſubſtantiæ Patris*, & adhuc *imago DEI*: hoc tamē loquendi modo non negat Paulus DEI Filiū eſſe verè DEUM & conſubſtantialē cum Patre: deinde in Incarnatione loquens Apoſtolus, ait quòd DEI Filius eſt *in ſimilitudinē hominū factus & habitu inventus ut homo*: non negat tamē eſſe vere hominē. Sicut ergo figura & imago non excludit verā divinitatē Filii, neque ſimilitudo hominis verā humanitatē; ita nec in Sacramēto figura corporis negat veritatē corporis. Audiatur hac ſuper re Tertullianus profundè diſſerens. *Planè de ſubſtātia Chriſti putant & hic Marcionitæ ſuffragari Apoſtolū ſibi, quod phātaſma carnis fuerit in Chriſto, cū dicit, quòd in effigie DEI conſtitutus, non rapinam exiſtimavit pariari DEO, ſed exhauſit ſemetipſum accepta effigie ſervi, non veritate; & in ſimilitudine*

Lib. 4. adv. Marc. 40.
Hebr. 1.
Coloſ. 1.
Philip. 2.
Lib. 5. adv. Marc. 12.

litudine hominis, non in homine; & figura inventus homo, non ſubſtantia, id eſt non carne, quaſi non & figura, & ſimilitudo, & effigies, ſubſtantiæ quoque accedant. Bene autem quod & alibi Chriſtum, imaginem DEI inviſibilis appellat. Numquid ergo & hic qua in effigie eum DEI collocat, aquè non erit DEVS Chriſtus vere, ſi nec homo vere fuit in effigie hominis conſtitutus? Vtrobique enim veritas neceſſe habebit excludi, ſi effigies & ſimilitudo & figura phantaſmati vindicabitur. Quod ſi in effigie & imagine, qua Filius Patris vere DEI prædicatus eſt, etiam in effigie & imagine hominis, qua Filius hominis, vere hominem inventum: nam & inventum ratione poſuit, ideſt, certiſſimè hominem, quod enim invenitur, conſtat eſſe. Sic & figura corporis vere erit corpus. 2. Sacramentum dicitur figura, ſymbolum, ſimilitudo, repræſentatio: Tum ratione ſpecierum quæ Chriſti corpus repræſentant, *nec reprobavit panem quo ipſum corpus ſuum repræſentat*: Tum ratione gratiæ inviſibilis, quam ſacramentum ſignificat, & ritè accedentibus largitur. Quo ſenſu ait Tertullianus, *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de DEO ſaginetur.* Tum quia eſt ſignum rememorativum corporis Chriſti in cruce ſuſpenſi, & cruciatuum quos in paſſione pertulit; quare dicitur à ſancto Gaudentio *exemplar paſſionum Chriſti*; Tum quia eſt ſignum prognoſticum gloriæ: *Vtique cœna paratura, vita æterna ſaturitatem figurat.* Tum quia repræſentat Chriſti corpus olim in terra exiſtentis, & nunc in cœlo regnantis. Quomodo D. Auguſtinus ait, *carnem carnis & ſanguinem ſanguinis eſſe ſacramentum*; eadem ratione Gregorius Magnus hoc præſens paſcha vocat: *ſignum & figuram illius alterius quod in cœlo manducabimus.* Chriſtus etenim exiſtens in Euchariſtia modo myſtico & inviſibili, eſt figura ſui ipſius ut exiſtentis modo viſibili, quemadmodum transfiguratus in monte erat figura ſui ipſius ut in gloria exiſtentis. Hoc modo explicandus eſt D. Auguſtinus dicens: *Iudam adhibuit Dominus ad convivium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis ſuis commendavit & tradidit.* Deinde dum ait: *Non dubitavit Chriſtus dicere, Hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui.* Nam ſymbola externa vocat ſignum, & tamen ratione rei contentæ dicit etiam illud eſſe corpus Chriſti. Igitur figura non excludit veritatem corporis Chriſti: nam ut belle docet Algerius, *ſicut res antiquæ legis, erant figuræ ſine veritate, res alterius vitæ veritas ſine figura, ita res præſentis ſtatus ſunt figura & veritas.* 3. Et maximè Tertullianus panem vocat figuram corporis ſui: quia in veteri Teſtamento corpus ſuum tradendum per panem eſt figuratum; imò & panis à Prophetis nuncupatum. Poſtquam enim oſtendit Judæis ex Prophetis Chriſtum regnaturum à ligno, addit: *De hoc enim ligno etiam DEVS inſinuat per Hieremiam quod eſſetis dicturi: Venite, mittamus in panem ejus lignum, & conteramus eum à terra virorum, & nomen illius non memorabitur amplius. Vtique in corpus ejus lignum miſſum eſt; ſic enim Chriſtus revelavit, panem corpus ſuum appellans, cujus retro corpus in panem Prophetes figuravit.* Lignum eſt crux, panis in lignum miſſus,

Tert. l. 1. adv. Marc. 14.

L. de Reſ. 8.

Tract. 2. in Exod.

Tert. l. 4. adv. Marc. 31.

In Pſal. 9.

L. adv. Jud. 11.

exemplo humilitatem doceret: *Quantus ibi erat & quàm magnus! quàm parvus fuit: Parvus factus, parvos quærebat*: nam cùm parvulis bene concordat, cùm veraciter altus ſit: *parvulus factus eſt pro nobis, cum ſolis nimirùm parvulis concordat hic parvulus.* Quapropter quoties in hoſtia conſecrata viſibiliter apparuit, ſub forma pueri apparuit. 4. Ut doceat humilitatem eos qui accedunt ad ſacram menſam. *Edent pauperes & ſaturabuntur*; quia ut expendit Hugo Cardinalis: *Non comedent eum ſpiritualiter niſi humiles*, qui per pauperes denotantur. Chriſtus etenim in ſuperbis mentibus non requieſcit. Quomodo iſtud explicat magnus Gregorius: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*, ideſt, *humilitas mea requiē in ſuperba mente non invenit.* 5. Ut diſcamus bona noſtra abſcondere. (Ratio quare corpus ſuum dat velatum, eſt inſtructio morum: diſcit enim homo abſcondere virtutum & bonorum operum intentionē ab humano favore.) Angelico Doctori arridet Oleaſter. (Summus benefactor eſt, & nihilominùs tectus, ut te doceat bene facere & nolle videri.) Verùm hujusmodi Salvatoris humilitas quæ homines ad ſui amorem & venerationem debebat allicere, eorum attraxit animadverſionem & deſpectum in Sacramento, ubi majeſtas ejus adoranda & venerabilis deſpicitur.

D. Aug. ſer. 20. de Tem. Guerr. ſer. 5. Nat.

Matth. 8.

L. 19 Mor.

1. D. Tho. Opuſc. 58. c. 8.

In cap. 25. Exod.

III. PARS

DEUM exiſtimo ubique præſentem, omnibus colendum, omnibus demerendum. At in Sacramento ſupremus ei latriæ debetur cultus, *Nobis quia Verbum caro factum eſt, ut DEUS & homo Chriſtus colendus & adorandus eſt.* At proh dolor! adoranda illa Chriſti majeſtas humilitate occultata in Sacramento deſpicitur, 1. ab hæreticis: 2. à Sacerdotibus pravis: 3. ab impiis Chriſtianis.

Tert. l. 1. ad Nat. 8.

1. Numquid Chri adorandæ majeſtati *etiam contumeliis opus fuerat?* & tamen Calviniſtæ eo quod illam in ſacramento occultat, Chriſtum contumeliis afficiunt. Templa diruta, altaria everſa, ſacerdotalia indumenta igne combuſta, trucidati ſacerdotes, ſublatæ pixides, hoſtiæ conſecratæ pedibus conculcatæ, Calviniſticam demonſtrant impietatem. Quibus probè competunt quæ Donatiſtis objectat Optatus Millevitenſis. *Fregiſtis etiam calices ſanguinis Domini portitores. Quid tam ſacrilegum quàm altaria DEI, in quibus aliquando & vos obtuliſtis, frangere? quid eſt altare niſi ſedes corporis & ſanguinis Domini?* Sacerdotes ſive regulares ſive ſæculares in apoſtaſiam & hæreſim lapſi everterunt altaria in quibus alias obtulerant *Sacrificium horrore & reverentia plenum*; & furore & impietate armati acriter pugnàrunt adverſus reges, Eccleſiam, ipſúmque DEUM. Adverſus reges quos bello de ſolio deturbare conati ſunt: adverſus Eccleſiam quàm hoſtiliter devaſtarunt: adverſus DEUM ſacramento velatum, cujus præſentiam negaverunt, majeſtatē deſpexerunt, cultū profanaverunt. Quibus & aptari poteſt idipſum quod Romanis Gentilib⁹ exprobrat Tertullianus. *Porrò bella & victoria, captis & everſis plurimū urbibus conſtāt. Id negotiū ſine deorū injuria non eſt. Eadem, ſtrages mœniū & templorū, pares cædes civiū & ſacerdotū: nec diſſimiles rapinæ ſacrarū divitiarū & prophanarū. Tot igitur ſacrilegia Romanorū quot Trophæa; tot de deis quot de gentibus*

Tert. lib. de Pat. 4.

L. 2. cont. Parmen.

D. Chryſ. hom. 61. ad Pop.

Apol. 25.

 bus

bus triumphi: tot manubia quot manent adhuc ſimulachra deorum. Quot triumphos adverſus Catholicos retulerunt Lutherani, Calviniſtæ, Zwingliani, in Dania, Suevia, Germania, Hollandia, Anglia, Francia, tot Sacrilegia commiſerunt: Superſunt adhuc impietatis hæreticæ monumenta, Eccleſiæ ſcilicet vel prophanatæ, vel dirutæ, quas olim fidelium pietas ædificaverat.

Apol. 30. 2. Neque impietatis ſunt immunes ſacerdotes afferentes ad altare *conſcientiam ſpurcam*, & nonniſi ſacrilegè ſacroſanctum Miſſæ ſacrificiũ offerentes. Ridet meritò Tertullianus gentilium ſtultitiam, qui ſacerdotibus vitioſiſſimis victimas tradebant examinandas. *Vt mirer cur hoſtiæ probantur penes vos à vitioſiſſimis ſacerdotibus, cur præcordia potiùs victimarum quàm ipſorum ſacrificium examinantur* Prædixerat olim DEUS: *In omni loco ſacrificium nomini meo offertur, & ſacrificium mundum, ſcilicet de conſcientia munda.* Tremendum Miſſæ myſterium eſt abſque dubio ſacrificium illud de quo loquitur DEUS: quod quidem eſt ex ſemetipſo mundum: tum quia mundiſſimum Chriſti corpus & ſanguinem continet: tum quia gratiam & ſanctitatem confert, quæ eſt animæ mundities & venuſtas. Sed ultra munditiam ſacrificii, deſiderat adhuc ſacrificantis munditiem, quâ deficiente prophanatur & contaminatur quodammodo ſacrificii mundities: *Eo apponitur irreverentia crimen, etiam ipſis nationibus ſi quid ſaperent, intelligendum*; nimirùm quantum ſit ſcelus ſacerdotis criminoſi qui irreverenter adorandum tractat Myſterium, & cum conſcientia contaminata ad mundũ accedit ſacrificium.

Tert. lib. 4. adv. Marc. 1.

Tert. l. de Orat. 12.

3. Sunt fortè nonnulli ſacerdotes ſceleroſi, erga Euchariſtiam contumelioſi; ſed multo plures laici qui DEI majeſtatem in ſacramento velatam contemnunt. Probi Chriſtiani ſic fantur: *DEVM colimus per Chriſtum, per eum & in eo ſe cognoſci vult DEVS & coli.* DEUS eſt ubique colendus: at duobus potiſſimùm in locis adorari deſiderat: in cælo ſcilicet & altari. In cælo adoratur ab Angelis: *Et adorent eum omnes Angeli DEI.* In altari adhuc ſupremum Chriſto reddunt cultum: *Elata enim hoſtia Chriſtoque immolato tunc tecum reputa cœlum ipſum deſcendere, & Angelos è cœlo delabi in terras* Quomodo autem componantur cœleſtes ſpiritus circa altare, declarat os aureum: *Angelorum multitudo fulgentibus veſtibus indutorum, altare ipſum circundat capite inclinato, ut ſi quis milites ſtantes videat ſtante rege.* In Chriſto adorant Angeli Chriſti magnitudinem: *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* In Sacramento ejus venerantur parvitatem: *Parvus Dominus & laudabilis nimis.* Addit D. Bernardus: In cœlo adorant majeſtatem Chriſti manifeſtatam, in Sacramento majeſtatem ejus colunt velatam. Quod ſi Angeli tantam reverentiam præſtant Chriſto in Sacramento abſcondito, quanto magis homines, pro quibus contumelias ab hæreticis & impiis Chriſtianis patitur Dominus? *Totum DEI mei penes vos dedecus, Sacramentum eſt humanæ ſalutis.* Quomodo adire debeat Chriſtianus, Beatus Nilus docet. *Eccleſiam ut cœlum adi, nihilque in ea aut loquere aut age, quod terram ſapiat.* Divus verò Auguſtinus deſiderat cultum

Tert. Apol. 21.

Hebr. 1

D. Chryſ. hom 5. Epiph. Lib. 6. de Sacerd.

Pſ. 47.

Tert. l. 2. adv. Marc. 27.

ſtum coram altari Angelicæ reverentiæ æmulum : *Angelica reverentia opus eſt, cum ad altare accedit, Chriſtus enim immolatur & ſumitur.* Ser. 58. de Temp.
Tertullianus vult adhuc *ut DEI omnipotentis conſpectum & auditum, ſub tectis & abſconditis etiam adeſſe conſideret.* L. de Orat. 1
Impii autem Chriſtiani adeunt Eccleſiam non ut cœlum ſed ut forum, Angelicam non æmulantur reverentiam, ſed diabolicam imitantur impietatem. Non ante DEI conſpectum & auditum, ſed quaſi DEUS ſit cæcus & ſurdus, ſic agunt. Quod Ezechieli voluit declarare DEUS. *Sic enim ſcriptum eſt: Et dixit Dominus ad me; Fili hominis, vidiſti quæ ſeniores Iſraël faciunt? Vnusquisque eorum in tenebris, unusquisque in cubiculo abſconſo. Quoniam dixerunt: Non videt nos Dominus, dereliquit Dominus terram. Et dixit ad me: Adhuc converſus videbis facinora majora quæ iſti faciunt. Et introduxit me ad limina januæ domus Domini quæ aſpicit ad aquilonem; & ecce illic mulieres ſedentes, & plangentes Thamnus. Et dixit Dominus ad me; Fili hominis vidiſti? nunquid modica domus Iuda, ut faciant facinora quæ fecerunt? Et adhuc viſurus es affectiones majores eorum. Et introduxit me in ædem domus Domini interiorem, & ecce in liminibus templi Domini, inter medium clàm & inter medium altaris, quaſi viginti quinque viri poſteriora ſua dederunt ad templum Domini, & facies ſuas contra Orientem, hi adorabant Solem. Et dixit ad me. Vides fili hominis? nunquid puſilla domus Iuda, ut faciant facinora quæ fecerunt hic? Quoniam impleverunt impietates ſuas, & ecce ipſi quaſi ſubſannantes.* Tert. l. adv. Jud. 11.
Nonne querelæ quas de Judæis facit DEUS, fieri poſſunt de impiis Chriſtianis, qui certe punguntur iiſdem telis: quæ adversùs Gentiles vibrat Tertullianus? *Cæterum ſi adjiciam quæ conſcientia omnium recognoſcent, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerumque ædituorum & ſacerdotum tabernaculis, ſub iiſdem vittis, & apicibus, purpuris, thure fragrante libidinem expungi.* Apol. 14.
Qui tam impia perpetrant facinora, neque DEI colunt majeſtatem, neque venerantur puſillitatem, neque formidant ſeveritatem: *Quanta igitur perverſitas veſtra erga utrumque ordinem Creatoris? judicem eum deſignatis, & ſeveritatem judicis ſecundùm merita cauſarum congruentem, pro ſævitia exprobratis, DEUM optimum exigitis, & lenitatem ejus benignitati congruentem, pro captu mediocritatis humanæ converſatam, ut puſillitatem depretiatis, nec magnus vobis placet, nec modicus, nec judex, nec amicus.* Tert. lib. 2. adv. Marc. 27.
Imò impii illi per Chriſti contemptum & irreverentiam oſtendunt manifeſte ſe non habere fidem: *Qui talem DEUM dedignaris, neſcio an fide credas DEUM.* Tert. Apol. 39.
Chriſtianus fidelis certus de Chriſti præſentia & DEI *conſpectu* illum humiliter colit dicens cum Regio Vate, *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum.* & venerabor majeſtatem tuam abſconditam in Sacramento, ut poſſim eam manifeſtatam adorare in cœlo. Pſ. 117.

CONCIO QUARTA.

Tert. l. 4. adv. Marc. 31. *HOmo quidam fecit cœnam magnam.* Euchariſtia eſt cœna illa magna: quapropter cuncta convivia quæ magna in Scriptura ſacra vocitantur, ideò hoc donantur nomine, quia altaris repræſentant Sacramentum. Quod ſi figuræ de magnitudine commendantur, qualis Euchariſtiæ magnitudo quæ eſt res figurata? Et ut belle fatur ad propoſitum Hugo Carenſis, dicitur cœna magna triplici potiſſimùm ratione: *Hæc cœna dicitur magna, 1. quia DEUS magnus, ſcilicet Chriſtus: 2. quia fercula appoſita ſunt magna, ſcilicet corpus & ſanguis Chriſti Domini: 3. quia conviva magni, ſcilicet omnes fideles qui dignè accipiunt.* Hæc tria cœnæ Euchariſtiæ magnitudinem demonſtrant: 1. infinita DEI majeſtas: 2. ferculorum divinorum dignitas: 3. divina convivarum nobilitas.

In c. 14. Luc.

I. PARS. Tert. l. 4. adv. Marc. 31. *Si is mittit ad convivas qui cœnam paravit, ſic Creatoris eſt cœna.* Ad cœnam ſuam vocat DEUS non ſolùm per ſuos miniſtros, ſed per ſemetipſum vocat; & quod eſt omni conſideratione digniſſimum: 1. DEUS ad grande convivium invitat: 2. invitatos DEUS in ſua menſa collocat: 3. convivis DEUS miniſtrat.

Tert. l. 2. ad Ux. 4. Rup. l. 13. in Exod. 11. 1. Ut appareat quantum ſit *convivium dominicum*; ſufficit dicere, quod in illo DEUS *oſtendit quid ipſe poſſit.* Inter convivia, quædam commendantur convivarum multitudine; ut convivium Julii Cæſaris, qui in Campo Martio viginti & tres millenas erexit menſas, & fere cunctos Romæ cibavit cibos: nonnulla alimentorum varietate, ut convivium Vitellii, qui ſeptem millia carnium appoſuit fercula: quædam ciborum valore, ut convivium vel Heliogabali, qui poſt exquiſitas & pretioſas quaſque dapes, panes miniſtravit ex auro confectos: vel Cleopatræ, quæ margaritam trecentis mille aureis nummis appretiatam Marco Antonio hauriendam præbuit: vel illius prodigi cujus meminit Tertullianus: *Filius ejus poſt tale pulmentum potuit aliquid ſumptuoſius eſurire: margaritam namque vel ipſo nomine pretioſam dehauſit: credo ne mendicius patre cœnaſſet:* vel tandem cujusdam Clodii, qui *ut experiretur in gloria palati quid ſaperent margaritæ, atque ut mire placuere, ſingulas uniones convivis abſorbendas præbuit.* Hæc cunctaque alia quantumvis magna convivia, longè ſuperat Dominicum convivium; 1. in convivarum multitudine, quia cunctos in univerſum vocat homines: 2. in ferculorum varietate, quia præbet ſuam humanitatem, in qua cunctæ creaturæ coadunantur: & divinitatem, in qua eminenter continentur: 3. in ciborum pretio & valore, quia infinitos ſubminiſtrat theſauros. Aſſuerus fecit convivium magnum, *ut oſtenderet divitias regni ſui, & magnitudinem atque jactantiam potentiæ ſuæ.* Sed neque Aſſueri, neque cunctorum Regum terræ convivia quantumvis magna, aliquid ſunt comparata ad illud

L. de Pall. 5

Plin. lib. 9. cap. 35.

illud *cæleſte convivium*, in quo DEVS exhaurire videtur theſauros ſapientiæ Tert. l. 4.
ſuæ, virtutem potentiæ ſuæ, & liberalitatem bonitatis ſuæ. *Audeo dicere quod* adv. Marc.
DEVS cum ſit omnipotens, plus dare non potuit: cùm ſit ſapientiſſimus, plus dare ne- 31.
ſcivit: cùm ſit ditiſſimus, plus dare non habuit. Quid amplius poteſt facere Deus D. Aug. Tract. 8. in
in gratiam hominis, quàm eum ad omnium convivium maximum invitare, Joan.
& in ſua menſa collocare?

2. *Non in publico liberalibus diſcumbo, quod beſtiariis ſupremum cœnantibus mos eſt*: ſed in menſa DEI ſedeo, qui conſiderandus *non quaſi vocaturus convivas, ſed jam collocaturus.* Subditos ad ſuam menſam non vocant reges; rarò hunc favorem largiuntur Principibus; neque ſemper ex familia regia oriundi comedunt cum rege, hæc eſt ſumma quam familiaribus amicis ſolent concedere gratia: Sacer textus ut demonſtret in quanta æſtimatione erat Daniel apud regem Babylonicum, ait: *Erat autem conviva regis & honoratus ſuper omnes amicos ejus.* De tali gratia tumens Aman gloriatur: *Regina quoque Eſther nullum alium vocavit ad convivium cũ rege præter me.* David ut officia ſibi à Berzellai præſtita dum Abſalonem fugeret compenſaret, præcepit Salomoni, ut ejus filios ad ſuam vocaret menſam. *Sed & filiis Berzellai reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua.* Quantò glorioſior Chriſtianorum gloria qui invitantur non ab homine mortali, ſed à DEO immortali? quantò majora eorum privilegia, manducare in menſa non terreni regis, ſed regis regum & Domini dominantium? quali fruuntur honore accedentes ad Euchariſtiam quæ *eſt menſa regalis curia*: & ut ait Laurentius Juſtinianus, *ſingulare conviviũ in quo diſcumbit DEVS cũ hominibus*? Quis de tali favore audebit dubitare poſt teſtimonium ipſiuſmet DEI? *Ego diſpono vobis regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam.* Ad tantam gratiam dignè exiſtimandam cognoſcenda eſſet DEI magnitudo: at *quis poteſt capere quantus ſit DEVS*? & cum divinam nequeamus attingere magnitudinem, cœleſtis illius beneficii ſimus memores, & in ſignum gratitudinis mutuemur verba quæ Miphiboſeth habuit ad David: *Poſuiſti me ſervum tuum inter convivas menſæ tuæ: quid ergo habeo juſtæ querelæ, aut quid poſſum ultra vociferari ad regem*? Princeps ille ut Davidi ſuam oſtentaret innocentiam adverſus calumniam ſervi ſui Siba, qui falſò eum accuſaverat, ſic alloquitur Davidem; O rex, poſtquam regia tua majeſtas ad ſuam me menſam invitavit, nihil de me pertimeſcere debet, neque ego quidquam amplius deſiderare: Favor ille tantus mihi videtur, ut ego illum ſpectem tanquam præcipuum meæ celſitudinis & gloriæ fundamentum. Quid dicere debemus nos quos DEUS ad ſuam vocat menſam, quos non ut vilia tractat mancipia, uti Adonibeſech ſeptuaginta reges qui alligati ſub ejus menſa proſtrati jacebant, ſed tanquam familiares aut dilectos filios? Conſtat etenim *extraneos & nullius juris affines invitari ad cœnam non ſolere: certè facilius ſolere domeſticos & familiares*; quibus non præbet ſuperfluas panis micas, ſed quod eſt exquiſitum magis in menſa, ipſemet Deus miniſtrat.

Tert. Apol. 42. — Tert. l. 4. adv. Marc. 31. — Dan. 14. — Eſth. 5. — L. 3. Reg. 2. — Rupert. l. in Gen. 9. — L. de trium. Agon. Chr. cap. 12. — Luc. 22. — Theophila. — L. 2. Reg. 19 — Tert. l. 4. adv. Marc. 31.

3. Si attente conſideremus *cœnæ iſtius vocationem*: profectò gloriabi- Tert.

mur non ſolùm quod nos ad ſuam DEUS invitet menſam: ſed adhuc quod nobis miniſtrare dignetur. *Diſcumbit autem non ut ſibi miniſtretur, ſed ut ipſe miniſtret, ut frangat panem, porrigat calicem, diſtribuat agnum, & poſtremo ſacramentaliter prabeat ſemetipſum.* Magnus ſane honor redditus D. Martino invitari ab Imperatore: major cum Imperatore in ſua manducare menſa; ſed maxim' miniſtrari ab Imperatrice & comedere dapes regiis illius manib' præparatas. Verùm quantò glorioſiùs miniſtrari à ſupremo Imperatorũ Domino? Cibavit olim Iſraelitas DEUS in deſerto, ſed miniſterio Angelorũ. Cibat nos DEUS in Sacramento, non per miniſterium Angelorum, ſed per ſemetipſum: *Deſcendit ad Eccleſiam Dominus Angelorum, & ei Angeli miniſtraverunt miniſtranti nobis, quid nobis miniſtrat, niſi quod hodie manducamus & bibimus?* Judæis miniſtraverunt Angeli manna leviſſimum: at nobis DEUS *panem vinumque pretioſum ſua de menſa largitur.*

Laur. Juſt. l. de triumph. Agon Chr. 11. — D. Auguſt. Conc. in Pſ. 137. — S. Zen. ſer. 1. de Neophit.

Ambitioſi ſunt homines ſuamque oſtentant ambitionem, non ſolùm in captandis dignitatibus, in primis ſedibus occupandis, in veſtium luxu, in furore certaminis, ſed etiam in conviviis; ubi elucet, ait Tertullianus, *Ciborum ambitio.* Verùm ſi ciborum ambitione æſtuare debent homines, maximè dominici convivii, tunc enim licet. Verùm præbeamus aurem conſilio ſapientis, qui docet quomodo in cœleſti convivio debeamus nos componere. *Quando ſederis ad menſam, ut comedas cum Principe, diligenter attende qua appoſita ſunt ante faciem tuam.* Hebræa lectio habet: *conſiderando conſiderabis:* Septuaginta vertunt, *ſapienter intellige:* D. verò Auguſtinus legit, *attendens intellige.* At cur tanta ſapientia, intelligentia, cautela, conſideratio, attentio, circunſpectio? Ut erudiamur quali mentis attentione, modeſtia corporis, animæ puritate ad ſacram debemus accedere menſam. Hanc intellectus attentionem & corporis modeſtiam præſtare debemus DEO & nobis. DEO ut nihil faciamus majeſtate ejus indignum; nobis, ne cœleſti illo convivio videamur indigni. Nihil magis ſtimulat ad virtutem quam honor: Homo honoris æſtuans amore, omnes ſuos conceptus, ſermones, actiones, juxta regulas honoris concinnat. Chriſtiane, *cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris.* Vocatus es ad DEI menſam, ut cum ipſo divinos comedas cibos.

Lib. 2. contra Marc. 18. — Prov. 23. — Tract. 38. in Joan. — D. Chryſ. ho. 60. ad Pop.

II. PARS.

Hæreticis probè conveniunt quæ de Judæis loquitur Tertullianus, qui *ignorantes & panem de cœlo repromiſſum, & aquam animæ vigorantis ex vite Chriſti,* ſed chimericã tantũ præſumentes cœnam, ex illius ſumptione magnũ non captant honorem. *Hæc quia agitis quantum abeſtis à conviviis Chriſtianorum,* qui honorantur DEI præſentia, qui eos ad divinam vocat menſam & ſplendidè paſcit? *Menſa regalis apparatus ditiſſimus probatur: quia tanta Dominus poſſidere creditur, quantis novitatibus epulatur.* In convivio autem dominico admiranda prorſus & ſingularis eſt hæc novitas, quod idem DEUS ſit conviva & cibus, *Magna menſa eſt ubi epulæ ſunt ipſe Dominus menſæ. Nemo paſcit convivas de*

L. de Reſ. 26. — Tert. Apol. 9. — Caſſiod. L. 12. Var. Ep. 4. — D. Aug. ſer.

de ſemetipſo hoc facit Dominus Chriſtus, ipſe invitator, ipſe cibus & potus: ipſe de novitate & *ſingularitate famoſus*, præbet cibos, 1. regios: 2. angelicos: 3. divinos. 24. de Mar. Tert. l. de

1. *Apoſtolus Ioannes fidem aqua ſignat, Spiritu ſancto veſtit, Euchariſtia paſcit.* Reſ. 13. Tert. l. de Vult lex naturæ ut parentes alant quos genuerunt filios. *Quidquid generavit* Præſ. hær. *ei quod generatur alimentum præbere conſentaneum eſt.* Ideò natura in matrum 36. uberibus ſanguinem in lac immutat, ut maternus ſanguis qui conduxit ad filiorum generationem, ad eorum adhuc nutritionem concurrat: Chriſtus autẽ Clem. Alex l. 1. Pæd. 6. *quos genuit, per ſemetipsũ enutrit:* & ut fatur aliorſum D. Chryſoſtomus: *Chriſtus non erubeſcit fieri nutrix qui factus eſt mater.* D. Chryſo. hom. 61. ad Pop. Duplex conſideranda eſt in homine juſto nativitas. Naturalis una, ſupernaturalis altera. Illam habet ab Hom. 28. in hominibus; iſtam habet à Deo: in illa factus eſt ſervus, in iſta factus eſt rex: Matth. ab illa mutuatur ignominiam, ab iſta gloriam. *Licet DEO gloriari bono patre,* Clem. Alex *atque bono ſanguine me glorior eſſe.* l. 1. Pæd. 6. Deus cujus providentia cunctis viventibus alimenta victui neceſſaria ſubminiſtrat: *Oculi omnium in te ſperant Domine, &* Pſal. 144. *tu das illis eſcam in tempore opportuno;* præſtat juſto neceſſaria ad vitam ſive naturalem & humanam, ſive ſupernaturalem & divinam. Ad conſervationem vitæ naturalis dat illi agrorum ſegetes, arborum fructus, volucres cœli, piſces maris, animantia terræ, & ut ait D. Ambroſius, cunctas in univerſum creaturas. In Hexam. Ad conſervationem vitæ ſupernaturalis lacte eum regio nutrit. *Mammilla regum lactaberis & erunt reges nutritii tui.* Iſa. 58. A DEO regiam accepit nativitatem: *Nam & reges nos DEO & Chriſto ſuo fecit Chriſtus IESVS.* Tert. l. de Cor. Mil. 15 Conveniens eſt ut regium accipiat alimentum quod regiæ reſpondeat nativitati. Baptiſmus & Euchariſtia ſunt duo ſacramenta inſtituta à Chriſto ad nativitatem & nutritionem. Chriſtianus naſcitur in Baptiſmate, nutritur in Euchariſtia, in ſacroſancto illo myſterio eundem ſanguinem præbet ei Chriſtus, quem effudit in Calvario, & poſtquam fluxit in Baptiſmate, ut regiam ei conferret nativitatem, immutatur in lac in ſacramento ut eum cibo regio nutriat: *Lacte, dominico ſcilicet nutrimento, ſtatim ac nati ſumus, alimur.* Clem. Alex l. 1. Pæd. 6. Princeps Apoſtolorum denotat regiam illam tum nativitatem, tum nutritionem, & exoptat ut eadem aviditate qua natu recens infans matris appetit papillas; nos quoque lac regium concupiſcamus: *Quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite.* 1. Epiſt. 2. In initio naſcentis Eccleſiæ poſt acceptum Baptiſma, renatis dabatur Euchariſtiæ myſterium, quod prænotatum vult Tertullianus in ſanguine aqua mixto, qui fluxit ex latere Chriſti: *quatenus qui in ſanguinem ejus crederent aqua* L. de Bapt. *lavarentur; qui aqua laviſſent, etiam ſanguinem potarent:* 16. & quamvis hac ætate renati non communicent, quia ut plurimum Baptiſma confertur pueris uſum rationis non habentibus, attamen *per Baptiſmum ordinatur homo ad* D. Thom. *Euchariſtiam, & ſic pueri ſicut in fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam,* Quæſt. 73. art. 2. ut regio alantur pane, imò & Angelico.

3. *Iſrael in eremo Angelorum panibus manna cibatus.* Manna Ange- Tert l. adv. lorum panis nuncupatur, vel quia Angelorum miniſterio formabatur: Jud 3.

L. Quæſt. Vet.&Nov Teſt.Qu.2. Matth.Vor mac.ho. de Cœ. Dom.

vel quia præfigurabat Euchariſtiam qua aluntur Chriſtiani, quos per Angelos denotatos vult D. Auguſtinus, quia eodem alimento quo nutriuntur Angeli in cœlo, nutriuntur in Sacramento, quod eſt *Eccleſia militantis cum triumphante ſuave glutinen, dum eandem dulcedinem, qua illa fruitur ſine velamento, iſta habet ſub ſacramento.* Aves paradiſi nuncupatæ ſunt in duplici differentia. Aliæ ſemper in aëre volitant, aliæ continuo arboribus affixæ remanent, licet ſpecie differant & diverſis in locis exiſtant, rore tamen cœli nutriuntur. Aves ejusmodi Angelos & homines perſpicuè denotant. Deus qui eos ſpecie diverſos produxit, utroſque ad paradiſum ordinavit: Angeli ſunt expediti à materia, quia ſunt purè ſpirituales; homines corpore gravantur à quo eorum animæ nequeunt niſi per mortem ſeparari. Angeli in cœlo habitant, homines in terra degunt: Angeli beatitudine fruuntur, eam homines ſperant: utrique tamen eodem nutriuntur alimento & Divino Verbo quo aluntur Angeli in cœlo, homines cibantur in Sacramento. *Dulcedine corporis Dominici quâ hic paſcimur in Sacramento, eâ fruuntur Beati in manifeſta viſione in cœlo.*

D. Thom. Opuſc. 58. cap. 4.

Gen. 45.

Joſephus volens fratribus ſuâ demonſtrare benevolentiam eos ad convivium vocavit, ut ſimul cum Ægypti primatibus in ſua menſa comederent: & quia non licebat Ægyptiis cum Iſraëlitis manducare, neque iidem cibi erant utriſque convenientes, Joſephus ut tale tolleret obſtaculum, duas menſas parari juſſit ad modum anguli in quo ſuum elegit locum, habens Ægyptios ad dexteram tanquam domeſticos, Iſraëlitas ad ſiniſtram, velut extraneos: utriſque eosdem miniſtravit cibos, variè tamen diſpoſitos juxta cujusvis gentis conſuetudinem. Eodem ferè modo agit divinum Verbum erga Angelos & homines. Utroſque ad ſuam menſam vocat, eodemque alimento diverſimodè præparato nutrit, absque ullo velo paſcit Angelos, velut patriæ cives, eisdem ſuam eſſentiam clarè videndam præbet, quæ, ut ait Rupertus, *victus eſt & vita Angelica ſubſtantiæ*: paſcit verò ſub velis homines, eisque humanitatem & divinitatem ſubminiſtrat ſub ſpeciebus panis & vini, ad inſtar matris, quæ ut animadvertit D. Auguſtinus, *Ipſa panem mater incarnat & per humilitatem mammilla, & lactis ſuccum de ipſo pane paſcit infantem.* Mater duos habens filios, grandævum unum, parvulum alium, utrumque nutrit: grandævo ſolidum exhibet cibum, quia dentes habet ad eum terendum & calorem ſufficientem ad digerendum: & quia iſte debilis eſt, neque dentes, neque ſat habet caloris naturalis ad ſolidum digerendum cibum, mater manducat panem quem in uberibus ſub forma lactis præbet puerulo. Divinum Verbum ſe videndum exhibet Angelis in cœlo, quia intellectus eorum lumine gloriæ illuſtratus, poteſt clarè intueri divinitatem absque aliquo velo quod ejus majeſtatem attemperet: At quia homines mortales nequeunt DEUM intuitivè videre, Verbum humanatur in utero Virginis, ſuamque humanitatem ad modum lactis præbet in ſacramento manducandam ſub ſpeciebus panis & vini: *Ecce cibus ſempiternus, ſed manducant Angeli, man-*

Lib. 3. in Exod.

in Pſ. 33.

D. Aug. in Pſ. 33.

da-

ducant ſupernæ virtutes, manducant & ſaginantur: opportebat ergo ut menſa illa
lacteſceret, & ad parvulos perveniret: O quàm felices qui divinum illud hau-
riunt lac à divino Verbo; quod belle Clemens Alexandrinus vocitat mam-
millam Patris. *Effudit pro nobis ſuum ſanguinem per quem ad mammillam Patris,* L.3.Pædag 6.
nempe Verbum confugimus: Vere beati qui hanc lactant mammillam! Beati Ange-
li qui cibo illo ſempiterno aluntur in cœlo! beati Chriſtiani qui divino lacte
nutriuntur in Sacramento. *Beatus qui manducabit panem in regno DEI*: Bea- Luc. 14.
tus, terque beatus Chriſtianus: 1. Beatus, quia in Euchariſtia regium man- D. Paulin.
ducat panem. *Regum panis eſt, quo nos ſaginamur.* 2. Beatus, quia manducat Ep.9.
panem Angelicum. *Panem Angelorum manducavit homo.* 3. Beatus, quia pa- Pſ.77.
nem adhuc manducat divinum.

2. Poteſtne major eſſe Chriſtiani in hac vita felicitas, quam *Carnem* Tert.lib.de
DEI edere? Horrorem ingenerat Vedius Pollio, qui *ſervos ſuos murenis inva-* Spect. 12.
dendos objectabat, utque ſtatim coquendis, & in viſceribus earum aliquid de ſervo- Tert. l. de
rum corporibus & ipſe guſtaret. Sed in admirationem rapit divini Verbi amor, Pall. 5.
quod corporatur in ſinu Mariæ ut nobis ſuum corpus manducandum præbeat
in Sacramento. *De carne Mariæ carnem accepit, & ipſam carnem Mariæ nobis* D. Aug. in
manducandam ad ſalutem dedit. Servi Job magno concupierunt deſiderio do- Pſ 98.
mini manducare carnes. *Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus*
ejus ut ſaturemur? Id agunt verè Chriſtiani in Sacramento quod domeſtici Cap. 31.
Job habuerunt dumtaxat in votis. *Quomodo de ipſo pane paſcit nos ſapientia*
DEI? Verbum caro factum eſt. Vere divinus *panis eſt in caſtis Deiparæ viſceribus,* D. Aug. in
igne ſancti Spiritus coctus. Miratur ſanctus Ephrem quod Abrahamus in ſua Pſ. 15.
menſa cibet Angelos, & cœleſtibus ſpiritibus terrenum & materiale præbe- D.Bern.
at alimentum. *Sed hoc profectò omnem excedit admirationem, omnem mentem,* Ser.2.de Nat.Do.
omnemque ſermonem, quod nobis fecit unigenitus Filius Salvator noſter, corpus Lib.de non
quippe & ſanguinem manducandum atque bibendum præſtitit nobis. Omni pror- curanda
ſus memoria & laude digna *pia illa filia patris in carcere fame defecti, uberibus* naturaDei
ſuis educatrix. Quanto majori laude dignus DEI Filius, qui hominibus ne
deficiant, præſtat idem alimentum quo ipſemet nutritur? *Idem eſt qui cœnat* Tert. l. 1.
& qui cœnatur: qui comedit ipſe eſt panis, qui ab eo comeditur? Res mira, ſed res ad.Nat. 9.
vera: quia Chriſtus non alio pane quàm ſeipſo paſcitur. Eſſentia divina eſt panis, Guerr. Ser.
quo Verbum divinum alitur: hanc unitam carni nobis largitur in Sacramen- 3.de Annu.
to. Quod probe ſciens D. Ambroſius præ ſtupore ait: *Iam menſa cæleſtis ho-* In Pſ. 118.
nore ſuſcipior: Epulis meis non pluvia undatur, non terra partus laborat, neque ar-
borum fructus: potui meo non flumina quærenda, non fontes: Chriſtus mihi potus,
Caro DEI, cibus mihi, & DEI ſanguis eſt potus. Quomodo autem divinus ille pa-
nis præparatus ſit, eloquenter declarat Petrus Chryſologus. *Iſte eſt panis qui* Ser. 67.
ſatus in Virgine, fermentatus in carne, in paſſione confectus, in fornace coctus ſepul-
chri, in Eccleſiis conditus, illatus altaribus, cæleſtem cibum quotidie fidelibus ſubmini-
ſtrat: Tot condenſata Patrum elogia cæleſtis illius panis præſtantiam prædi-

 cant.

cant. Hanc tamen magis adhuc commendat Petrus Cellenſis aſſeverans quod
habemus in altari eundẽ panem quem ſibi perſonæ Trinitatis ſubminiſtrant.
L. 1. de Pœ. *Menſa illa Trinitatis ſuum habet panem abſconditum ſemper novum: fercula æter-*
2. *na & beata: miniſterialem aliquam creaturam non admittit, ſibi invicem mini-*
ſtrant, Pater Filio, Filius Patri, Pater & Filius Spiritui ſancto, Spiritus ſanctus Pa-
tri & Filio. Eſſentia divina eſt panis quo aluntur ab æterno perſonæ divinæ:
Fulbert. hoc pane nutriuntur Chriſtiani in Sacramento. Chriſtiane *ſume panem, non*
Carnot. Ep. *arte piſtoria fermentatum, ſed incarnata Deitatis vitale pulmentum*: quod præ-
1. bet DEUS in Sacramento ut nos divinos efficiat, *Eſculentum ſe nobis propo-*
Greg Nyſſ. in cap. 13. *ſuit is qui ſemper eſt, ut accipientes illum in nos, illud efficiamur quod ipſe eſt*: Ali-
Eccleſ. mentum & præcipuè lac, multum conducit ad formandum temperamen-
tum. Titus infirmæ fuit valetudinis, quia à nutrice ægrotante lactatus fuit.
Commodus ebrioſus, quia à Germana vino dedita fuit nutritus. Domitia-
nus crudelis, quia nunquam ei nutrix præbebat mammillas quin prius ſan-
guine tinxiſſet. Catonis uxor non ignorans pueros haurire ſimul cum lacte
Plut. probos vel depravatos nutricum mores, mancipiorum lactabat filios; *ut com-*
mune nutrimentum eos filio benevolos redderet: Quod ſi commune & humanum
alimentum ſuas largitur qualitates eis qui illud accipiunt; quanto magis di-
D. Dion. de vinum quod nobis largitur in ſacramento? *Ita nos per cibum hunc ſacratiſſi-*
Cœl. Hie. 2 *mum in ſuam Chriſtus traducit effigiem, Deiformesque facit.* Quare D. Chry-
Hom. 61. ad Pop. ſoſtomus Dominum Chriſtianos ſic alloquentem inducit: *Ego vos carnibus me-*
D. Aug. in *is alo: ego meipſum vobis appono: vos omnes generoſos eſſe volens*: Generoſi abſ-
Pſ. 32. que dubio eritis, *quid manducetis, quid bibatis, ſi tamen digne cogitatis.* Mores
veſtri debent eſſe conformes alimento quod comeditis. Alimentum eſt di-
D. Cypr. de vinum, vitam debetis ducere divinam: æquiſſimum namque eſt, *ut qui DEI*
Orat. Dom. *cibo paſcitur, DEO vivat*: ſitque Deus ut digne divinum valeat ſumere cibum.

III. PARS. *Ad prandium vel ad cœnam quales vocari jubet?* quales decet cœnam ad
Tert. l. 4. adv. Marc. quam vocantur. Cœna magna eſt 1. magnitudine vocantis & invitantis,
31. nempe DEI: 2. Magna magnitudine ciborum qui apponuntur; ſunt enim di-
Guillel. Pa vini: 3. *Magnitudine cœnantium, quia omnes ſunt magni*: Debet namque eſſe
riſ. de Re- proportio inter cibos & convivas. Cibi ſunt regii, Angelici, & Divini:
tribut. San. convivæ debent eſſe reges, Angeli, & Dii. 1 Reges per charitatem: 2. An-
Tert. Apol. 40. geli per caſtitatem: 3. Dii per ſanctitatem.

D. Chryſ. 1. *Cœna noſtra id vocatur quod dilectio penes Græcos.* Dilectio autem
ho. 65. ad Pop. & charitas eſt virtus regia, quæ regalem confert vel denotat dignitatem.
Renati in baptiſmate reges ſunt conſtituti & purpura induti, quia ſunt gra-
D. Thom. 3 p. quæſt. 80 tia ſanctificati & charitate ornati. *Qui hujus ſanguinis ſunt participes, ipſam*
art. 8. *regiam Chriſti ſtolam induti, imò ipſum induti ſunt regem*, à quo regiam mutu-
D. Chryſ. antur dignitatem. *Ubique ſuorum regnum Chriſtus, ſed maximè in Euchari-*
hom. 45. ad *ſtia ſolio.* In baptiſmate regiam accipimus dignitatem, verum *hic*
Pop. *ſanguis facit ut imago in nobis regia floreat.* Quia regia dignitate or-
nati

nati ad ſacram accedunt menſam ineffabili fruuntur dulcedine: *Aſer, pinguis panis ejus, & prabebit delicias regibus*, ideſt ut explicat Rupertus, *Eis qui ſemetipſos ſtudent regere ut ſint digni menſa regalis curia, delicias prabebit vitalis alimonia Eucharistiam porrigendo.* Quod ſi quæras, *quid ergo tanta charitas convivatur?* ſcilicet ut digne accedatur ad regale alimentum. *Regno digne guſtato, ore modeſto & clauſo benevolentiam animi oſtendamus.* Regia dignitas adeò pertinet ad eos qui digne accedunt ad ſacram menſam; quod olim accedentes ſacramentum ſertis coronabantur: *Elevant baptizatos ad altare, eisque dant myſticam Eucharistiam, & ſertis coronat eos Sacerdos.* Nicetas refert ſuo tempore fuiſſe Conſtantinopoli parvas coronas ſupra ſacram menſam ſuſpenſas; Imperatoremque Alexium poſt acceptam communionem in Eccleſia ſanctæ Sophiæ poſuiſſe ſuum caput ſupra unam ex his coronis, quam usque ad palatium detulit. Petrus Arragoniæ rex, demonſtravit ſe pluris facere regiam dignitatem quam acceperat in baptiſmate & Euchariſtia, illâ quam à ſuis mutuarat parentibus. Romæ enim coronandus noluit deferre diadema aureum margaritis & unionibus ditatum, ſed coronam ſpicis frumenti intextam in honorem Euchariſtiæ, quæ eſt diadema regium quod regiam dignitatem ornat, denotat, incrementat & illuſtrat. Diadema regalem indicat dignitatem, & qui cum gratia & charitate ad ſacram accedit Sinaxim, *ipſe pariter coronat & coronatur.* Ab Euchariſtia coronatur quæ eſt pretioſum diadema quod regalem ſuam dignitatem illuſtrat: ipſe coronat Euchariſtiam cum diſpoſitionibus regalibus accedens ad menſam. *Et calix bene ſibi conſcius, & de diligentia miniſterii commendatus, de coronis quoque potatoris ſui inaurabitur.* Ubi vides calicem ſemel & iterum coronatum. Semel ex ſemetipſo, quia ſibi eſt conſcius: iterum, à corona potatoris diligenter & digne ſumentis. Præcepit Deus olim Moyſi: *Facies & menſam de lignis Setbim, & inaurabis eam auro puriſſimo, facieſque illi labium aureum per circuitum, & illi labio coronam interraſilem, ideſt interpellatam celaturis: & ſuper illam alteram coronam aureolam.* Tabula panum propoſitionis duabus erat decorata coronis, ut diſcamus Euchariſtiam per illam menſam figuratam, bis eſſe coronatam: Semel ſemetipſa, quia regem regum continet, iterum de manu regum qui regiè ad illam accedunt: nam *illa celatura quaſi imagines regum.* Ut Euchariſtia dedecoratur dum accedentes animam habent ſervilem & vitiis mancipatam, ita honoratur & comendatur ab iis qui eā ſuſcipiunt cum charitate quæ regiā confert dignitatē, & cum puritate quæ ad Angelicam ſublimat puritatē.

2. Euchariſtia eſt *cœna pura*: non ſolùm quia continet Chriſtum qui eſt puer virginalis & virginitatis filius, ſed quia qui ad illā vocantur, debent eſſe Angeli non natura, ſed puritate, *Angelicā in terris vitā ducamus, quatenus caſtitatis munditia, corde & corpore, munditia Chriſti conformes, ne cœleſti alimonia indigne reficiamur.* Dei Filius qui ab æterno de Patre virgine, & in tempore de Matre virgine naſcitur, caſtos requirit accedētes ad Euchariſtiā. *Qui paſcitur inter lilia.*

Gen. 49. Tert. lib. 4. adv. Marc. 31. Clem. Alex l. 3. Pædag. 3. Sever. Alex l. de Bapt. 19. D. Cyp. Ep. 9. Tert. lib. de Reſ. 16. Exod. 25. Comeſtor in cap. 48. Exodi. Tert. l. 1. adv. Nat. 13. Alg. l. 1. de Sacram. 21. Cant. 2.

lia.

Ser. 71. in Cant. *lia.* Addit D. Bernardus: *paſcit dum paſcitur.* Paſcitur à liliis, nimirùm ab ho-
minibus caſte viventibus: paſcit lilia, ideſt homines cum puritate animi &
corporis communicantes. Romani à conviviis arcebant virgines, ne inter
Varro. pocula & dapes virginalem perderent puritatem, *Virgo de convivio abdicatur;*
ad cœnam verò dominicam virgines & caſtos Chriſtus invitat homines; tan-
tùm abeſt ut fercula cœleſtis hujus convivii adiment caſtitatem, quin imò
Zachar. 9. eam conſervant & adaugent: *Vinum germinans virgines.* Ubi Paſchaſius:
L. de Corp. *Fœlix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur. Nam in hoc noſtri germinis*
& Sang. Do. *vino caſtitas corrumpitur, ſed in illo virgines procreantur.* Etenim (ſicut diabo-
c. 21. lus execrando cœno libidinis ſaginatur, ita Chriſtus DEI Filius caſtimoniæ
Appon. l. 4. in Cant. liliis paſcitur:) Sanguis Chriſti in Sacramento *datus eſt hominibus ut fiant An-*
Hug. Card. *geli.* Ut autem fatur D. Ambroſius, *qui caſtitatem ſervavit Angelus eſt, qui per-*
in c. 31. Pro. *didit diabolus eſt.* In exordio naſcentis Eccleſiæ Chriſtiani Angelica fulge-
L. 3. de Virg. bant caſtitate *Antea ſicut cœleſtes Angeli vivebamus.* In iſto verò corruptionis
D. Chryſ. hom. 16. in ſæculo plerique Chriſtiani tanquam dæmones in libidinis volutantur cœno;
Gen. & quod eſt deflendum magis, laſcivæ mulieres ſub ſpecie pietatis turpitudi-
nem ſuam occultant; & ne de impudicitia arguantur, Euchariſtiam frequen-
Petr. Bleſ. tāt, nec attendunt quod *quicunq; ad altare Domini accedit inquinatus luxuria,*
Ser. 38. *juxta filiū Virginis idolū ponit Veneris:* æmulās Imperatoris Adriani impietatē qui
in Bethleemitico præſepio in quo natus eſt Chriſtus Adonidis ſtatuam erexit.

Utinam qui accedunt ad divinam menſam æmularentur Machabæorum
pietatem, qui poſt fugatos de Hieruſalem hoſtes, poſt proſtratam Jovis Olim-
pici ſtatuam, quam rex Antiochus in templo erexerat juxta arā fœderis; poſt
ejectas de templo cunctas quibus pollutum fuerat ſpurcitias, multis purifica-
tionibus mundaverunt, ut eſſet divino cultui apte diſpoſitum. *Machabæi poſtea*
Pet. Bleſ. ib. *prævalentes invenerunt locum pollutum, & poſt ejectas ſpurcitias, multis purgatio-*
nibus locum mundaverunt. Vel imitanda eſt Jacobi religio, qui volens offerre
ſacrificium DEO gratiſſimum, domeſticos ſuos ad tria adſtrinxit, primum ut
idola abjicerent; ſecundum, ut ſeſe ab immunditiis mundarent: tertium, ut
veſtimenta mutarent. *Abjicite deos alienos qui in medio veſtri ſunt: mundamini*
Gen 35. *ac mutate veſtimenta veſtra.* Simili diſpoſitione Chriſtianus accedere deberet
ad ſacram Synaxim, 1. tollere de corde idola & poſtulare à DEO lumen ad
cognoſcendum an ſuperſit via alicujus idoli: *Vide ſi via iniquitatis in me eſt:*
Pſ. 138. Simmachus legit, *ſi via idoli in me eſt.* 2. Cor ſuum per veram pœnitentiam
mundare & ut ait Hilarius Arelatenſis, *ſanctificatione repetita.* 3. mutare ve-
Hom. 5. de Paſch. ſtimenta, & deferre veſtem divinam, ut divinos valeat comedere cibos.

3. Si *honeſta cauſa eſt convivii*, accedendum eſt cum veſtibus convivio con-
Tert. Apol. 42. venientibus. Auguſtus grande fecit convivium, & ut nihil deeſſet ad ſuam
Suet. oſtendendam magnificentiam, decrevit ut cuncti convivæ deorum induerentur
tur veſtibus, & gravi mulctavit pœna eos qui cum aliis indumentis acceſſe-
Heraclit, l. 2. rant: Apud Perſas nullus regiæ miniſtrabat menſæ, niſi eſſet priùs aqua mun-
datus, & pretioſis veſtibus indutus. Ennæi ſacras exiſtimabant veſtes quibus

in conviviis utebantur. Et ipſemet Salvator die cœnæ propriis exutus veſtibus & indutus veſte cœnatoria, ſuo nos voluit erudire exemplo induendam eſſe gratiæ veſtem priusquam Euchariſtica ſumatur cœna: *Hic panis factus eſt eſca Sanctorum.* Debet eſſe quædam proportio inter cibos & convivarum indumenta: *quales ſunt epulæ, talia ſint & veſtimenta.* Epulæ divinæ veſtem divinam expoſtulant. Chriſtiani in baptismate induti ſunt veſte nuptiali *contexta ex vellere Agni*; imò Chriſtum ſunt induti. *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Illa autem veſtis nuptialis, erat purpurea, candida & cærulea; & denotat tùm dignitatem Chriſti regiam, angelicam & divinam: tùm Chriſtianos à Chriſto indutos accedere debere ad Euchariſtiam, tanquam reges ob charitatem, tanquam Angeli ad puritatem, & tanquam Dii ob ſanctitatem. *Veſtita es byſſo & polimito, & multis aliis coloribus: ſimilam & mel & oleum comediſti.* Qui absque divino illo indumento ad ſacram audent accedere menſã, metuere debent ne idem eis eveniat quod homini qui absque veſte nuptiali veniens ad cœnam Evangelicam, graviter à Domino increpatus, pedibus & manibus ligatus in ignem projectus eſt in pœnam ſuæ temeritatis. Eſt parabola, fateor, ſed ab ore Chriſti prolata ut doceat Chriſtianos quale merentur ſupplicium ſacrilegi, qui absque gratia & ſanctitate ad ſacram menſam accedunt. At proh dolor! *Multi quidem non laborant qua puritate, & pœnitentiâ, ad ſacram mensam adeant*: diebus communionis curant exteriùs, & interiùs negligunt: corpus mundant, animam contaminatam relinquunt, veſtes pretioſas ſumunt quibus pulchrè ornati appareant coram hominibus, nec quærunt gratiam quæ eos venuſtè ornatos demonſtret coram DEO: Similes quibusdam hæreticis Cataris nuncupatis veſtes candidas & mundas deferentibus, & animam immundam & vitiis denigratam habentibus. Ut autem lepide ait D. Auguſtinus, ſi verum fateri velint, *Non ſe mundos dicant*: quia non ex pietate & animi puritate, ſed ex ſuperbia & vanitate, veſtes albas & mundas deferebant. Curanda quidem eſt corporis munditiès, ſed multò magis animi puritas. Accedentes ad ſacram Synaxim auditum Apoſtolo præbeant, qui ſic eos hortatur: *Deponite veterem hominem & induite novum, qui ſecundùm DEUM creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Exuendum eſt per veram pœnitentiam peccatum, & induenda gratia & charitas. Qui probe pœnitent, eodem fruuntur favore quo Moyſes, qui ſublatis calceamentis accedens ad rubum ut homo, regreſſus eſt tanquam DEUS: *Moyſes aſcendit homo, deſcendit habens DEUM.* Sic Chriſtiani accedentes ad pœnitentiæ tribunal ut homines criminoſi, recedunt ab ea ut juſti, facti divinitatis participes. *Si ad communionem ejus aſpiramus, ſanctam ipſius impeccantiam imitando, debemus ad DEI formam & immaculatum ſtatum contendere.* Plotina Trajani imperatoris uxor aſcendens ad Capitoliũ cum magno populi applauſu ſiſtens gradũ alta voce dixit: *Talis huc ingredior qualis me exire cupio.* Chriſtiane, talis accedo ad ſacrã menſam qualis ab ea recedere deſideras. Cupis recedere ut DEUS, accede ut DEUS per gratiam, & eris in cœlo DEUS per gloriam.

Euſe. Cæſar l. 9. de præpar. Evang. Baron. to. 1 Ann 34. D. Ambr. l. de benedi. Patriarch. c. 9. Coloſ. 3. Paſch. Paul. 3.

Ezech. 16.

Anaſt Sinait. Orat. de ſacr. Synaxi.

Epheſ. 4.

D Machar. Antioche. hom. 12.

D. Dion. de Cœl. Hie. 3

Xophilin.

CONCIO QUINTA.

Tert.l adv. Valent. 29. Tert.Apol. 21. ÆTerno Patri *adeſt conſubſtantiva virtus*: nempe Filius, qui dicitur virtus Patris, quia per eum pater molitus eſt mundum. *Iam ediximus DEVM univerſitatem hanc mundi virtute molitum*: Divina illa virtus eſt ſubſtantialis, non accidentalis. *Nos etiam virtuti per quam omnia molitum DEVM ediximus, propriam ſubſtantiam ſpiritum inſcribimus.* Neque ſolùm ſubſtantialis DEI Filius, ſed Patri adhuc conſubſtantialis, quia unam & eandem habet cum Patre ſubſtantiam & divinitatem. Hac unitate quam habet cum æterno Patre utitur Chriſtus, ut perfectam nobis ingerat Euchariſtiæ notitiam. Non eodem modo loquitur Salvator de Sacramento Altaris ac de aliis Religionis myſteriis. Ut Paſſionis ſuæ quandam largiatur cognitionem, proponit ſerpentem æneum quem erexit Moyſes in deſerto: ut diſcipulis corporum reſurrectionem credibilem reddat, adducit Jonæ exemplum, qui in ventre Ceti tribus diebus & noctibus ſepultus permanſit. Dum autem aliqualem Euchariſtiæ dare vult notionem, ad Trinitatem aſſurgit, & ex unitate quam habet cum Patre, colligit unitatem quam habet cum nobis in Sacramento. Hoc loquendi modo docuit nos Chriſtus quomodo debeamus fari de Euchariſtia: quapropter ne de tanto indigne diſſeramus myſterio, eadem utamur comparatione qua uſus eſt Chriſtus, & ex his quæ habet cum Patre communia, inferamus ea quæ nobis mediâ Euchariſtiâ largitur. Cum Patre Filius habet, 1. conſubſtantialitatem: 2. unitatem: 3. circuminſeſſionem. Filius etiam cum iis qui digne ad Euchariſtiam accedunt, habet 1. conſubſtantialitatem: 2. unitatem: 3. circuminſeſſionem.

I. PARS. Tert.Apol 21. *Sermonem ex DEO prolatum didicimus & prolatione generatum, ex unitate ſubſtantiæ.* Pater æternus generans Filium dat illi ſubſtantiam divinam, viventem, & perfectam ſui imaginem. In Euchariſtia aliquid quodammodo ſimile largitur nobis Chriſtus; ſcilicet panem, 1. conſubſtantialem: 2. viventem: 3. divinos characteres repræſentantem.

1. Belle oſtentat Tertullianus divinum Verbum eſſe Patri conſubſtantiale, quia *nec poteſt carere ſubſtantiâ quod de tanta ſubſtantia proceſſit.* Patres Nicæni Concilii, ut hanc Filii cum Patre declararent conſubſtantialitatē, vocabulo *omouſios* uſi ſunt, quod Marius Victorinus inventū divinitus aſſeverat, quia denotat Patrem & Filium, unā & eandē habere ſubſtantiā: At mediâ Euchariſtiâ ſumus quodamodo Chriſto conſubſtantiales; quam ideò Petrus Laodicenſis panē *omouſion* nuncupat, quia qui ad illā accedunt, participes ſunt ſubſtantiæ DEI. Eam adhuc Marius Victorinus vocitat panē ſuperſubſtantialē, non ſolùm quia DEI ſubſtantiam continet, ſed quia ſanctè illum manducat ut ſit Chriſto conſubſtantialis, Cyrillus Hieroſolymitanus digne communicantes

Lib. adv. Prax 7. Lib. 3. adv. Arr. To.1. Bibli. Pat. in expoſ. Orat. Dom.

cantes ſunt *concorporei ac conſanguinei Chriſti*, & hæc conſubſtantialitas non tantùm Chriſtum, reſpicit ut hominem, ſed etiam ut Deum. Etenim *ſumpto corpore & ſanguine Chriſti, efficimur ei comparticipes, & divinæ naturæ conſortes efficimur.* De tanta gratia tumens Paſchaſius, audacter proclamat: *O Devs ſubſtantia mea!* non quod panis ille divinus in comedentem convertatur; nam ut ait D. Auguſtinus, *mutat veſcentem, non ipſe in veſcentē mutatur.* Virtute caloris naturalis alimenta com̃unia in noſtrá im̃utamus ſubſtantiá: at quia caro Chriſti animæ & carni prædominatur, ipſa non im̃utatur, ſed immutat utramque: *Non enim aliud agit participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quam ut in id quod ſumimus tranſeamus.*

Catech. 4. D. Cyp.

L. de Corp. & Sang. Dom. 4. Tract. 41. in Joan. S. Leo Ser. 14. de Paſſ.

Ordo naturæ expoſtulat, ut alimenta inferioris ordinis convertátur in ſumentem ſuperioris ordinis: & hac immutatione novum aliqué perfectionis mutuátur gradū. Terra & aqua quibus nutriuntur plantæ, ab eſſe inanimato ad vivens tranſeunt: Herbæ quibus aluntur pecora, ab eſſe vegetanti ad ſenſitivum aſcendunt; pecora quibus cibantur homines in naturam humanam convertuntur: & quia Euchariſtia eſt panis ſuperſubſtantialis, quia ut explicat D. Hieronymus eſt ſupra cunctas ſubſtantias creatas, eos qui illam digne comedūt ad eſſe ſublimat divinū: *O eſca ſacratiſſima! quàm vere comedēs Devs efficitur;* fiuntq; participes naturæ Chriſti ſubſtantialis & viventis.

D. Hier. l. 3. cont. Pelag

2. *Sicut Pater habet vitam à ſemetipſo, ita & filio dedit habere vitā in ſemetipſo.* Ex cunctis titulis quos accepit Chriſtus ab hominibus, nullus ſané glorioſior titulo Filii Dei vivi quem prædicavit Petrus: & ex variis nominibus quæ ſortitur Euchariſtia, nobiliùs eſt nomé panis vivi quod ſibi arrogat Chriſtus: *Ego ſum panis vivus.* Æternus Pater eſt Deus vivus; tùm quia à ſemetipſo habet vitá eſſentialé & diviná: tùm quia Filio com̃unicat vitá eſſentialem & diviná. Non abſimiliter Chriſtus in Euchariſtia eſt panis vivus: tùm quia in hoc myſterio vivit vita divina; tùm quia digné com̃unicantibus vitá diviná com̃unicat. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: ſic qui manducat me & ipſe vivet propter me.* Alimenta communia manducantibus non dant vitá, quia cùm ſint inanimata, nequeunt dare quod non habent: at cum Euchariſtia ſit panis vivus, accêdentibus ad ſacram Synaxim vitam com̃unicat. D. Hilarius diſtinguit velut tres gradus, in quibus vita divina com̃unicatur. In primo Pater æternus per generationé Filio vitá com̃unicat: in ſecundo per Incarnationé Verbū vitá com̃unicat humanitati Chriſti: in tertio Chriſtus per Euchariſtiá vitá com̃unicat iis qui digne illá ſuſcipiūt. *Ille in Patre naturā divinitatis; nos in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rurſus in nobis per Sacramenti myſteriū.* Et ne de tali donatione valeamus dubitare, eam Chriſtus munire voluit teſtamento authentico, proprio ſigillato ſanguine. Binum fecit Chriſtus teſtamentū: Unū in cruce; aliud in inſtitutione Euchariſtiæ. In utroq; ſanguiné fudit. in illo crudeliter injuſtitiá Judæorū & ſævitia carnificū: in iſto myſtice, mira charitatis adinventione; In primo teſtamento

Tert. l. adv. Prax. 21.

L. 8. de Tri.

dedit ſuam mortem; in ſecundo nobis dat ſuam vitam. *Qui teſtamentũ utrũque ſuo confirmavit ſanguine, ut mortis beneficiũ, & vitæ habeamus conſortiũ.* Quid glorioſius pro homine qui in ſua diſpoſitione habet vitã ſibi teſtamento authẽtico donatã? *Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat: vivat in DEO, vivat de DEO:* accedat ad Euchariſtiã quæ eſt panis viv⁹ divino ſigillo munitus.

D. Aug. Tract. 21. in Joen.

Tert lib. de Reſ. 5.

Joann. 6.

L 7. in Joan. 29.

3. *Sermo DEI in effigie DEI conſtitutus*, & paternis characteribus ſigillatus. *Hunc enim Pater ſignavit DEVS.* Textus Græcus habet *ſigillavit*; Declarat quidem Evangeliſta Patrem ſuum appoſuiſſe ſigillũ, non tamen cui ſubjecto characteres impreſſit: *Hũc Pater ſignavit DEVS.* D. Cyrillus Alexandrinus ly *hũc* refert ad DEI Filiũ, qui in æterna generatione ſignatus eſt, ideoque vocitatur ab Apoſtolo *imago Patris & figura ſubſtantiæ ejus.* D. Hilarius intelligit de Chriſto qui in Incarnatione ſignatus eſt gratiæ & ſanctitatis characteribus: Rupertus verò, de Euchariſtiæ Sacramento, quod eſt panis ſigillatus & divinis characterib⁹ ab aliis cibis diſcriminatus: Cæteri cibi ſunt cõmunes juſtis & injuſtis, probis & improbis, ſanctis & ſceleroſis; at quia Euchariſtia ſigillata eſt, eſt alimentũ non injuſtis, improbis & ſceleroſis, ſed juſtis, probis & ſanctis deſtinatũ: & ita in quocunq; ſtatu conſideretur DEI Filius, ſive generatus, ſive humanatus; ſive, ſi ita fari liceat, ſacramentatus, ubiq; paternos defert characteres, ut nobis eos imprimat. In æterna generatione eſt perfecta Patris imago & ſimilitudo, & cũ his æternis characteribus in Euchariſtiã deſcendit, ut in nobis DEI imaginẽ ſplendidiorẽ reddat: *Hic ſanguis facit ut imago in nobis regia floreat.* In Incarnatione ſuſcipit in ſua anima inviſibiles gratiæ & ſanctitatis characteres; & in Paſſione in corpore cicatrices vulnerũ; & in Euchariſtia tũ animæ tum corporis defert characteres, & cor noſtrũ debet eſſe tanquã cera liqueſcens, *ut ſemper ſit aptum, molle & facile, ad imprimẽdũ ei quamcunq; effigiem divinã.* In Euchariſtia eſt panis ſigillatus & divinis characteribus ab aliis alimentis diſcriminatus, & ad nutritionem juſtorũ duntaxat ordinatus. Qui indignè ſanctũ illũ manducat panẽ, DEUM graviter offendit: *non dijudicans corpus Domini:* ſeu ut explicat D. Chryſoſtomus, *nequaquam cæleſtem illum cibum, à communium eſcarum vilitate ſecernens, nec talẽ eſſe dijudicãs, quẽ nonniſi purâ liceat mẽte, vel carne præſumere.* Impii qui indignè ad menſã accedũt, geminatũ cõmittunt crimẽ, ſuntq; ſemel & iterũ rei: Rei non diſcernentes divinum illũ panem ab aliis cibis, rei adhuc ſemetipſos diſcernentes per verã pœnitentiã à peccatoribus, ſed conſcientiã maculatã & corpore imundo purũ & ſanctũ mãnducantes cibũ, quid dignè accedẽtibus, ſanctitatis adauget & perficit characteres, & ita unitur juſtis, qui ſũt filii DEI per gratiã, ut ſit unũ cũ illis in ſacramẽto, ſicut eſt unũ cũ Patre in Trinitate.

Lib. 8. de Trin.

D Chryſoſt hom. 45. in Joan.

D. Ambr. l. de Iſaac & Jacob c. 8.

1. Cor. 11.

Tert. l. adv. Valent. 37.

In Trinitate eſt *unio, unitas, & ſingularitas*, In Patre & Filio eſt eſſentiæ divinæ, 1. unitas: 2. inſeparabilitas: 3. ſingularitas. In Euchariſtia cæteris paribus, eadem habemus cum Filio, quæ Filius habet cum Patre in Trinitate, nimirùm unitatem, inſeparabilitatem, & individualitatem

Hæ

Hæc tria belle exprimit Algerus; 1. Unitatem, dicens: *Concorporales ſumus*; L. de Corp.
ideſt unum & idem habemus cũ Chriſto corpus. 2. Indiſſolubilitatem, ajens: & Sang Do.
Conſacramentales ſumus; id eſt idem componimus cum Chriſto Sacramen- c. 3.
tum. 3. Individualitatem, addens: *Et Chriſtus ſumus*. In Euchariſtia igitur
habemus cum Chriſto, 1. unitatẽ: 2. inſeparabilitatem: 3. individualitatem.

DEI Filius dicens: *Ego & Pater unum ſumus, unum dicit neutrali verbo* Tert. l. adv.
quod pertinet ad unitatem. Ly unum ad unitatem eſſentiæ intelligendum de- Prax. 22.
notat: Magnum agnoſcit diſcrimen Doctor Angelicus inter alia dona, & Eu-
chariſtiæ donum. In aliis donis non eſt unitas doni & accipientis donum, in
Euchariſtia verò perfecta reperitur unitas. *Tamen tale datum eſt in aliqua ſe-* Opuſc. de
paratione ab eo cui datur, ſed cùm datur in cibum, datur non ad aliquam ſepara- Sac c. 5.
tionem, ſed ad omnimodam unitatem: uniuntur enim in unitate corporis cibus &
ſumens. DEI Filius geminum habet corpus: Naturale unum, Myſticum aliud:
Corpus naturale formatum fuit in utero Virginis virtute Spiritûs ſancti: cor-
pus myſticum ex cunctis conflatur fidelibus: corpori naturali unitur perſona-
liter, corpori myſtico conjungitur, non hypoſtatice, ſed fide & gratiâ. *Ipſe* Alger. l. 3.
eſt caput corporis Eccleſiæ, non unitate perſonæ, ſed gratiâ. In Euchariſtia autem de Sacr. 3.
unimur Chriſto *tanquã corpus capiti coaptatũ*, nõ unitate perſonæ ut in Incar- D. Chryſo-
natione, ſed quadam unionis ſpecie, majori ea qua myſtico Eccleſiæ corpori ſtomus ho. 61. ad Pop.
conjungitur Chriſtus: *Non fide tantum, ſed re ipsâ nos ſuum corpus efficit.* Hanc D. Chryſo-
unionem Cyrillus Hieroſolymitanus appellat concorporationem. Cyrillus ſtom. ibid.
Alexandrinus incorporationem: D. Hilarius mixtionem; Tertullianus cõ- Cathec. 4.
carnationẽ: Paſchaſius inviſcerationẽ, *Caro quidẽ carni ſpiritualiter conviſcera-* L. 4 in Joan 15.
tur, transformatur, ut & Chriſti ſubſtantia in noſtra carne inveniatur, ſicut & ipſe Lib. 8. de
in noſtrã ſuã conſtat aſſumpſiſſe Deitatẽ. Unio Sacramenti hypoſtaticã æmulatur Trin.
unionẽ, quia caro noſtra imẽdiate unitur carni dominicæ, ſicut Chriſti corpus Lib de Car.
imẽdiatè unitur perſonæ Verbi: *Invenit enim amor divinus alterum amorem ſibi* Chr. 20.
maximè ſimilem, per quem ſingulis uniretur hominibus; ut unio illa hypoſtatica ex- Paſch. l. 5.
tenderetur ad omnes pariter & ad ſingulos. DEI Filius non debuit ſibi perſona- de Sac. 17.
liter unire ſingulas humanitates, in Incarnatione particularem aſſumpſit hu- Gibert. in 2 Corinth.
manitatem, cui nos unimur in Sacramento unione adeò perfecta, ut imitetur
indiſſolubilitatem & humanitatis Chriſti cum Verbo divino, & Filii cum
æterno Patre in Trinitate.

2. DEI Filius *ubi ſe negat eſſe ſolum, nonne duos demonſtrat, tã duos quàm inſe-* Tert. l. adv.
paratos? DEI Filius qui in Trinitate eſt unũ eſſentialiter cũ Patre, eſt etiã per- Prax. 22.
ſonaliter ab illo inſeparabilis, licet realiter ab eo diſtinguatur, idcirco ſe dicit
alium nõ quaſi ſeparatum, ſed diſpoſitione alium, non diviſione: DEI Filius qui in In- Tert. l. adv.
carnatione hypoſtaticè & indiſſolubiliter unitur dominicæ humanitati, no- Prax. 21.
biſcum inire unionẽ indiſſolubilẽ exoptat, quæ æternaliter perſeveret. *Qui &* D. Hil. l. 8.
naturã carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi aſſumpſit, & naturã carnis ſuæ, ad na- de Trin.
turam æternitatis, ſub Sacramento communicanda carnis admiſcuit. A no-

bis illa inſeparabilitas dependet,ſi volumus ſemper permanſura,incipiens in tempore per gratiā, duratura in æternū per gloriā; neq; omnes inferni vires illā unquā absq; noſtro conſenſu diſſolvent. Sacramentū duas res complectitur adinvicē adunatas: Sacramentū quod ex Chriſto & nobis conflatur, conſiſtit in unione Chriſti cū nobis;Quid non facit Salvator ut conſtituat hoc Sacramentū, & ut illa unio ſit indiſſolubilis? 1. carnē ſuā imortalē unit cum noſtra carne mortali: *Vt unione cum eo quod eſt immortale fi et etiā particeps incorruptionis.* 2. Suam nobis largitur divinitatem,gratiā, amorē,ut arctiùs nos ſibi adſtringeret:*O quàm admirabilis eſt dilectio tua, Domine,qui tuo corpori totaliter nos incorporari voluiſti, ut tecum unum cor & unum animum haberemus inſeparabiliter colligatum.* Chriſtianus qui ex ſua parte Chriſti propoſitum adimplere deſiderat,omnia debet tentare ut illam unionem indiſſolubilem reddat,dicens cum Apoſtolo: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Nihil horum poterit me ſeparare à Chriſto. *Certus ſum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neque profundum,neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate DEI.* Chriſtianus Chriſti amans fatur adhuc cum Sponſa: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam*: quantumvis fortuna me adverſis exagitet & proſpera polliceatur,etſi mundus ſua mihi offerat bona, & minetur mala, licèt tyranni erga corpus meum omnem ſuam exerceant inhumanitatem, & dæmones cunctā inferni inſumant malitiam, non dimittā dilectum, ſed illi inſeparabiliter adhærebo. Dominus probè oſtentat quantum velit ut hæc unio ſit indiſſolubilis erudiens nos quotidianum poſtulare panem. Ut autem animadvertit Tertullianus, *petendo panem quotidianum, perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & individuitatem in corpore ejus.* Hac verò individuitate quam habemus cum Chriſto in Euchariſtia, individuitatem imitamur quam Filius habet cum Patre æterno in Trinitate.

Greg. Nyſſ. — Laur. Juſt. l. de Incend. div. Amor. — Rom. 8. — Cant. 3. — L. de Orat. 6.

DEI Filius eandem habet cum Patre eſſentiam *per individuitatem*,ut fatur Tertullianus,quia natura divina ſingularis & individua in Patre & Filio reperitur. Gloriatur Paulus Chriſtum vivere in ipſo, quaſi ſint una & eadē perſona, *Vivo ego jam non ego,vivit verò in me Chriſtus.* Grandis equidem Pauli favor,ſed non minor eorum gratia qui dignè Euchariſtiam ſumunt:*Ergo & nos proceſſum habemus vitæ hujus ſicut habuit & Paulus.* Chriſtianus qui ſuſcepit Chriſtum in Sacramento & in gratia exiſtit,poteſt dicere, *In me vivit panis ille vivus, vivit ſapientia, vivit gratia.* Multum ſanè eſt, & utinam dicere valeamus. Sed hoc non ſufficit ad explanandam individuitatem quam habemus cum Chriſto per Sacramentum: hanc melius expendit D. Anſelmus dicens: *Oculi tui, oculi Chriſti ſunt: aures tuæ,aures Chriſti ſunt; os tuū,os Chriſti eſt.* Inde duo ſunt colligenda. Unum, membra corporis Chriſti non eſſe inſumenda ad uſum qui Chriſtum dedeceat, caput videlicet ad ſuperbiam, oculi,

Lib. adv. Prax. 22. — Gal. 2. — D. Ambr. apud Lipp. pom. in Caten. — L. 1. Medit. 5.

oculi ad impudicos aſpectus, aures ad audiendos detractionis vel impudicitiæ ſermones: lingua ad juramenta & blaſphemias & ſic de cæteris. Secundum, inſumenda Chriſti membra ad uſum qui eum deceat: Caput concipere debet cogitationes, os proferre ſermones; manus facere operationes Chriſto conformes. *Serva igitur corpus & membra ea dignitate qua decet, ne ſi ea injurioſe tractaveris quanto potiori præmio coronareris ſi ea dignè tractaſſes, tantò majori ſubjiciaris ſupplicio, ſi eis indigne abuſus fueris.* D.Anſelm. Magno præmio digni ſunt qui corpore Chriſti utuntur *dignè* DEO: ſed gravi puniendi ſunt ſupplicio, qui eo abutuntur, ſuntque rei injuſtitiæ & iniquitatis, ſævitiæ & crudelitatis, prophanationis & impietatis. 1.Theſſ. 2.

Injuſtitiæ, abutentes corpore Chriſti. Et hæc iniquitas tanto eſt major quod probè ſciunt corpus eſſe Chriſti ad quem pertinet & ratione incarnationis & ratione Euchariſtiæ: *An neſcitis quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* 1.Cor.5. Et tamen contra fidei notitiam; *malo vivendo tollunt Chriſti membra, & faciunt membra diaboli*, in quo duplicem committunt injuſtitiam: D.Thom. Opuſc. 58. cap.14. Doctor Angelicus binū diſtinguit myſticū corpus: Unū Chriſti, alterū diaboli: Illud cunctos comprehendit juſtos, qui vinculis gratiæ & charitatis Chriſto velut capiti conjuncti ſunt: iſtud complectitur peccatores qui ſuis ſceleribus conjuncti ſunt diabolo tanquā capiti. Incrementū corporis Chriſti eſt diminutio corporis diaboli, & econtra augmentum corporis diaboli eſt diminutio corporis Chriſti. Chriſtus ut ſuū augeret corpus myſticū, dat hominibus corpus ſuū naturale in Sacramento, in quo per dignā cōmunionem illi uniuntur juſti. Diabolus ut myſticū ſuū incrementet corpus, rumpit vincula gratiæ & charitatis quibus homines Chriſto uniūtur eosq; à divino illo capite ſeparat. Sceleroſi Chriſtiani diaboli corpus Chriſti corpori præferunt; à quo ſe ſeparant ut ſeſe diabolo conjungant. D.Thom. *Sic diminuunt corpus Chriſti, quod enim diabolo in animabus accreſcit, Chriſto decreſcit.*

Poteſtne concipi major injuſtitia? cui addūt ſævitiā & inhumanitatē, corpus à ſemetipſo ſeparātes & crudeli anatomia partes ſtrictiori nexu unitas dividētes. Quāta ſit hæc crudelitas, belle declarat Tertullianus. Lib. de Car. Chr. 10. *Quod avellitur niſi quod inhæret, quod infixū innexūq; eſt ei, à quo ut auferatur, avellitur?* Una res ab alia nequit divelli niſi rumpatur unio quâ ad invicē conjungūtur, & quo major eſt unio eo violētior eſt ſeparatio. Tert. *Cum quid extraneū extraneo adglutinatur ita concarnatur & cōviſceratur cū eo cui adglutinatur, ut cū avellitur rapiat ſecū aliquid à corpore à quo avellitur quaſi ſequelā quandā abruptæ unitatis.* At quādo ejusmodi fit cōcarnatio & cōviſceratio per unione cibi & comedētis, ex utraq; reſultat per cōverſionē una & eadē ſubſtātia. Tyrāni quantūvis crudeles nunquā potuerūt dividere hominē à ſemetipſo, neque ſeparare alimentū à corpore in quod jam per nutritionem fuerat immutatum. Valuerunt quidē avellere oculos à capite, mamillas à pectore, cor ab ſtomacho, à digitis ungulas: & ſceleratū Chriſtiani, ipſis tyrannis crudeliores ſeparant Chri-

ſtum à ſemetipſis, rumpentes nexus gratiæ & ſanctitatis qui eos uniebant: ſæva & barbara crudelitate, dividunt oculos ab oculis Chriſti, aures ab auribus, carnem à carne, cor à corde, & tantæ inhumanitati impietatem & prophanationem annectunt.

Species panis & vini ſunt ſacræ, & ſacramentales nuncupantur propter unionem corporis Chriſti, cum quo idem conſtituunt Sacramentum; Ratione hujus unionis venerationi ſunt, neque ullus eas audet attingere niſi ſacerdos, cujus ad hoc munus obeundum conſecratæ ſunt manus; ſi quis laicus eas auderet attingere, impius & prophanator haberetur. Chriſtiani ſunt in baptiſmate abluti, & altaris myſterio conſecrati. *Baptiſmate diluimur, & poſtea myſterio dedicamur.* Adeò ſtrictè Chriſto unimur, & ut fatur Algerius, *ita conſacramentales ſumus Chriſto, ut dicamur panis dominicus.* Conſecratio carnis noſtræ efficit eam veneratione dignam: *Venerare eam honore quo Dominus ipſam honoravit: nec ad peccati uſum ipſam deducas.* Peccator tamen carnem conſecratam inhonorat; & carnem cum Chriſto conſacramentalem prophanat. Noli Chriſtiane tantam committere impietatem: *Memento cujus capitis & cujus corporis ſis membrum.* Noli adeò ſanctam dividere unionem, ſed eam indiſſolubilem diligenter ſerva; ſic æmulaberis unitatem & circuminſeſſionem quam habet Filius cum Patre in Trinitate.

D.Chryſoſtomus to 5 hom. ad Neophit.
D.Chryſoſtomus ho. 31. ad Pop.
S. Leo. Ser. 1. de Nat. Dom.

III. PARS. *Apud DEUM erat Sermo, unigenitus ſcilicet Filius in ſinu Patris;* ſcilicet per circuminſeſſionem, quâ perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis ſibi mutuo inexiſtũt: *Per hanc totus Pater in Filio & Spiritu ſancto eſt; totus Filius in Patre & Spiritu ſancto eſt; totus quoque Spiritus ſanctus, in Patre & Filio: nullus horum extra quemlibet ipſorum eſt.* Circuminſeſſio autem qua Pater eſt in Filio, & Filius in Patre, eſt 1. mutua: 2. accenſa; 3. fœcunda.

Tert.l.adv. Prax. 15.
Fulgent.l. de Fide ad Petr.c.1.
L.adv.Prax 24.

1. *Ego in Patre & Pater in me eſt.* Inter eos qui ad ſacram accedunt Synaxim, alii ſunt criminoſi, alii juſti. 1. Illi ſumunt quidem Euchariſtiã ſacramentaliter, quia recipiunt Sacramentũ: ſed non ſpiritualiter, quia non recipiunt augmentũ gratiæ quæ eſt effectus Sacramenti: & licet Chriſtus ſit in eorũ ſtomacho quamdiu durant ſpecies ſacramentales, non habitat tamen in eorum corde. *Nec ullo modo ſe abſentat divina majeſtas myſteriis, quamvis ab indignis ſe ſumi ſacramenta permittant; non poſſunt tamen ſpiritus eſſe participes, quorũ indignitas tanta ſanctitudini contradicit.* Iſti verò Euchariſtiã ſumũt ſacramentaliter & ſpiritualiter: quia recipiunt & Sacramentũ & effectũ Sacramenti. 2. Illi non habent mutuã cum Salvatore inexiſtentiam; nam neque manent in Chriſto à quo ſuis ſceleribus ſeparati ſunt; neq; Chriſtus manet in eis; nam ſtatim ac ſpecies conſecratæ conſumptæ ſunt, *non vult Dominus manere in ſentina diaboli.* Illi manent in Chriſto & Chriſtus manet in eis. *Qui mãducat meã carnẽ & bibit meũ ſanguinem, in me manet & ego in eo.* At quomodo manet juſtus in Chriſto? *Tanquã membrũ in capite.* At quomodo Chriſtus manet in juſto? *Sicut dominus in hoſpitio, ſacerdos in templo, ſponſus in thalamo.*

D. Cyp. Ser. de Cœna Dom.
Hugo Car. in c.6. Joan.
Joan. 6
Hugo Car.

Inde

Inde conciliantur Patres qui circa Judæ communionem ſibi adverſari videntur. Nam nonnulli negant ſumpſiſſe corpus & ſanguinem Domini: alii econtra recepiſſe aſſeverant. Verùm *ne tanti Patres in quibus erat unus ſpiritus non diſſenſionis, ſed pacis, à ſe diſſentire videantur; reſpondetur accepiſſe quidem ſacramentaliter, ſed non ſpiritualiter*. Tantum abeſt ut Judas gratiã receperit; quin imò *poſt buccellam introivit in eum ſatanas*. Non quod in illo non fuerit antea diabolus, ſed quia per indignam cõmunionem locum ampliorem maligno dedit. *Nonne vides quomodo Iudas indigne corpus dominicum ſumens locum ampliorem maligno dedit*? Tam horrendum videtur Abbati ſacrilegium, quod illum confert cum proditione quã Judas Dominum ſuis tradidit inimicis. *Sicut Iudas tradidit Dominum membris diaboli, ita iſte quantum in ipſo eſt tradidit corpus dominicum in vas diaboli quod eſt corpus ſuum*: & ita indigne accedens non imitatur circuminſeſſionem Filii mutuam & accenſam. Hilar. in c. 12. Matth. D. Aug. Tract. 26. in c 12. Joan. D Cyrill. Alex l. 9. in Joan. 19. Alger. l. 1. de Sacram. 21. Joan. 13. Anaſt. Sinait. Diſt. 3 Tit. 1. c. 6.

2. DEI Filius *ſe diligi à Patre profitetur*: & viciſſim diligit Patrem. Ecce exemplar mutuæ dilectionis Chriſti & juſti in Sacramento. Et ut magnitudinem amoris dominici valeamus percipere, audiamus illũ ad Euchariſtiã teneritudinis ſermonibus nos allicientem. *Comedite amici & bibite chariſſimi.* Verſio Aquilæ habet, *Sodales*. Septuaginta vertunt; *Fratres*. D. Ambroſius legit; *Patres*. Hebraica lectio ſcribit, *Amores*. Et ita Chriſti amor in Sacramento coadunat in ſemetipſo varios amores diſperſos inter homines; & continet amorem amici, charitatem fratris, benevolentiam patris, & teneritudinem ſponſi. Varios hos amoris gradus oſtentat dum nos ad Euchariſtiam vocat. Urbanitas, gratitudo & æquitas expoſtulant, ut adeò ardenti reſpondeamus amori. Verùm quomodo? accedendo ad Sacramentum *pede amoris*. Amor iter noſtrum debet dirigere & conducere ad ſacram menſam. *Frigida ad Euchariſtiã acceſſio periculoſa eſt*. Vis Chriſtiane, tale vitare periculum, & ſecurus accedere ad Sacramẽtũ? *Ama amorem illius qui amore tui deſcendit in ſubſtantiã panis, & ibi amorem ſuũ amori tuo copulavit.* Sat non eſt exceſſum amoris conſiderare, de ejus excellentia loqui, adhuc requiritur ut corda noſtra amantis Domini amore ſint accenſa, & fœcunda operatione Filii cum Patre circuminſeſſionem imitemur, Tert. l. adv. Prax. 23. Cant. 5. Hug. Card. D. Chryſoſto. ho. 24. in 1. Cor. D. Aug. l. de Catech. Rud.

3. *Pater meus uſq; modo operatur & ego operor*: nam continuò eadem ſpiratione producit cum Patre Spiritũ S. Æmulanda eſt hæc divina fœcunditas ante & poſt cõmunionem. *Ante, ut dignus fias accipiendi: poſtmodum, ne indignus videaris, qui acceperis.* Ante cõmunionẽ; præparationẽ perfectiſſimã paucis docet Euſebius Emiſſenus. *Cùm ad reverendum altare cibo potuq; reficiendus accedis, ſacrum DEI tui corpus & ſanguinem fide reſpice, mente continge, honore mirare, cordis manu ſuſcipe, & maximo hauſtu interiori aſſume.* Quinq; deſiderat actus: nimirum 1. fidei; 2. præſentiæ DEI; 3. adorationis; 4. ardentis deſiderii cõmunionis. 5. Sufflamati amoris Chriſti in Sacramento contenti. Poſt communionem verò, *Oportet eum qui ſemel communicavit Chriſto ardenti animo, ad omnem virtutem contendere.* Qui abſque prævia & ſub- Tert. l. adv. Prax. 21. D Chryſoſto. ho. 27. in 1. Cor. Hom. 5. de Paſch. D. Cyr. Alex. l. 2 Glaphi.

ſequenti fœcunditate ſumit corpus dominicum, DEI debet metuere judiciū. [D. Baſil l. 3 de Bapt. 3.] *Non enim terribile tantùm judicium habet, qui in carnis ac ſpiritûs inquinamento, ad ſancta accedit indignè: ſed & otioſe & inutiliter edens & bibens, & qui absq; ulla gratiarum actione accedit ad myſterium, judicium habet ſegnitiei.*

DEI ſanè judicium timere debent accedentes & recedentes, qui nullum eliciunt actum virtutis, nec ante neque poſt communionem, qui absque ulla pietatis diſpoſitione quaſi perfunctoriè vel celebrant Miſsā vel ad menſam accedunt. [Anaſt. Sinait. de Sac. Synax.] *Alii venientes ad Eccleſiam, non dignantur, donec res ſacra compleatur, ſed per alios interrogant, num tempus communionis adſit, tunc præpropere canum inſtar inſiliunt; & rapto myſtico pane exeunt.*

At quid agunt poſtquam egreſſi ſunt de Eccleſia? Ipſis communionis diebus in omne ſcelus diffluunt: [D. Cyp. Serm. 5. de Lapſis.] *Sanctificata ora cœleſtibus cibis* vel impietatis, vel blaſphemiæ, vel detractionis, vel maledictionis, vel impudicitiæ verba proferunt. [D. Aug. Ser. 215. de Temp.] *Videte fratres chariſſimi ſi juſtum eſt ut eo ore Chriſtianorum, ubi corpus Chriſti ingreditur, luxurioſum canticum, quaſi venenum diaboli proferatur.* Neque injuſtum ſolum, ſed & exitioſum valde cenſet D. Chryſoſtomus ad id [Hom. 21 ad Pop.] munus adhibere linguam. *Pernicioſum eſt linguā tali ſanguine purpuratam ad convitia & contumelias & ſcurrilitates transferre.* Accepto cœleſti & divino [D. Chryſoſt. hom. 61 ad Pop.] alimento, poſt epulas & dapes anhelant. *Menſâ regiâ frueris, & menſā ſpirituali, & rurſus luto contaminas & fœ ore rurſum imples.* Et ut ſemel dicā, ſunt depravati moribus, turbulenti paſſionibus, im̄undi affectibus & obſtinati in [Steph. Cant apud Timan. in c. 5. Gen.] ſuis ſceleribus, Avare *Ubi eſt frater tuus? non incongruè dicitur ei qui ſumpto Chriſti corpore redit continuò ad ſordes priſtinas & ſæculi vanitates.* Ubi eſt frater tuus impudice, qui venereas captas voluptates; Superbe vanitate tumens? Quare poſt bona terrena inhias? Imitandā vobis propono primorū Chriſtianorum pietatem, qui in conviviis etiam com̄unibus erant fœcundi in bonos ante convivium, tempore convivii & poſt convivium, ut inde inferatis quales erant in cō-vivio dominico. [Tert. Apol. 36.] *Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit; non prius diſcumbitur quàm oratio ad DEUM diguſtetur: ita ſabulantur ut qui ſciant DEUM audire: æquè oratio convivium dirimit: inde diſceditur ad eandem curam modeſtiæ & pudicitiæ.* Chriſtiane ſive accedens ſive diſcedens à Sacramento, ſis ſtudioſus virtutis & Chriſtianæ ſis obſervator diſciplinæ.

CONCIO SEXTA.

[Tert. l. adv. Prax. 30. D. Aug. l. 4 de Trin. 20.] HIc *interim acceptum à Patre munus effudit Spiritum ſanctum.* Ratio doni ita Spiritui ſancto competit ut nullo modo poſſit convenire Filio in Trinitate, ſicut nec natum eſſe proprie competere poteſt Spiritui ſancto. *Natum eſſe, eſt Filium à Patre eſſe, ſicut Spiritui ſancto donum DEI*

eſſe,

eſſe, & à Patre & Filio procedere. Verùm ratio doni quæ eſt Spiritûs ſancti propria, & nequit competere Filio in Trinitate, ei mirum in modum convenit in Euchariſtiæ Sacramento, *Filius datus eſt nobis*, adeò perfectè ut æmuletur rationem doni quæ ad Spiritum ſanctum pertinet in Trinitate. 1. Spiritus ſanctus in Trinitate eſt donum divinæ & internæ liberalitatis; Filius in Euchariſtia, eſt donum externæ liberalitatis: 2. Spiritus in Trinitate internā Dei liberalitatem exhaurit; Filius in Euchariſtia externam liberalitatem exhaurit. 3. Spiritus ſanctus in Trinitate eſt donum amoris quod Pater dat Filio & Filius Patri; Filius in Euchariſtia eſt donum quod Deus dat ex charitate hominibus, & quod homines Deo dare debent ex gratitudine. Iſa.

Quædam ſunt divinæ liberalitatis, quædam noſtræ operationis. Quando Deus remunerat bona opera, mercedem meritis contemperat & juſtitiam diſtributivam exactè ſervat. Inde procedit inæqualitas felicitatis, quæ Sanctorum meritis commenſuratur: At dum Deus gratuitè & liberaliter aliquid dat, non attendit ad noſtra merita, ſed ad ſuam magnitudinem; ut pater in Euchariſtia quæ eſt donum divinæ liberalitatis. *Panem de cœlo dedit quem nullis meritis dedit.* Gratuitā hanc Dei liberalitatem vaticinatus Regius Propheta præ admiratione clamat: *Secundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.* Hebræa lectio habet, *Secundùm altitudinem tuam epulatio filiis hominum.* Ly autem *multipſicaſti* non denotat multitudinis incrementum, ſed magnitudinis & dilectionis perfectionem, quæ completur in Euchariſtia quam Deus dat 1. liberaliter hominibus; 2. hominibus non deſiderantibus neque petentibus: 3. hominibus indignis & non merentibus. I. PARS. Tert. l. 1. ad Uxor. 8. D. Aug. in Pſ. 100. Pſ. 11. D. Aug.

1. Anima naturaliter Deum agnoſcit bonum & beneficum; quare illam Tertullianus alloquitur: *DEVS bonus, DEVS benefacit, tua vox eſt.* Quod ſi ex Caſſiodoro *beneficialem principem liquet*, quia liberalitas eſt proprius regum character, & magna & nobilis munificentia quæ animi non redoleat vilitatem: etenim *Clementia principis non habet legem*; quanto major Dei liberalitas, qui infinitè reges tū in magnitudine tùm in munificentia ſuperat? Multis beneficiis Deus ſuam demonſtravit liberalitatem, cunctas nobis largitus eſt creaturas; corporeas noſtro ſubjecit imperio, ſpirituales noſtro miniſterio deſtinavit; & poſt tot & tanta amoris & liberalitatis monumenta Euchariſtiam inſtituit, in qua nobis dat Deum, ut tali dono liberalitatem divinæ magnitudini congruentem oſtendat. *Sicut magnus es tu, ita magna donalia tua.* Annon omni ſtupore dignum, poſtquam Deus ſemetipſum dedit in peregrinationis noſtræ ſocium, indigentiæ ſervum, ægritudinis medicum, redemptionis pretium, poſt tot beneficia Euchariſtiam inſtituit, ut ejus munificentia magis ſplendeat: *Quia ſolummodo ibi magnificus Dominus noſter*; & ut expendit Hugo Cardinalis, *magnificus ſecundùm magnificentiam*; perveniens ad ultimum magnificentiæ & munificentiæ terminum, donans Deum liberaliter hominibus, & hominibus neque deſiderantibus neque poſtulantibus. L. de Teſt. An. 2. L. 2. Va. ep. 30. Caſſiod. D. Aug. Solil. 21. Eſa. 33.

Tert. Apol. 29. 2. Divinæ liberalitatis benevolentiam *poſſunt implorare qui eam ſciunt petere.* Homines neque poſtulabant, neque ſciebant petere Euchariſtiæ myſterium, quod largitur ex ſua liberalitate Deus non deſiderantibus neq; poſtulantibus. Plinius Trajani encomiaſtes tantum Imperatorem ſic comendat: *Civibus tu alimenta daturus, hoc maximè præſtitiſti ne rogarent.* In hoc maximè fulget munificentia largitatis, largiri dona indigenti, nec poſtulanti. *Perfecta miſericordia eſt, ut ante occurrat eſurienti cibus, quam roget mendicus.* Ecce tibi, Chriſtiane, aliquod divinæ liberalitatis ſpecimē. Etenim. *Deus extendit ſuper ſpes noſtras munera ſua: & quod rariſſimum eſt, dona illius etiam tua vota vicerunt.* Plures juſti in lege tùm naturali, tùm Moſaica, poſtulârunt à Deo, vel fortunæ bona, vel numeroſam familiam, vel corporis ſanitatē, vel animi ſanctitatē; at nullus unquam poſtulavit ut ſe in cibū & potū daret, nemo tale deſideravit donū: quapropter divina liberalitas magis emicat in Sacramento, quàm in Incarnationis myſterio. In humanatione Verbi *pretioſa ſunt quæ commendant Patris charitatem*; attamen æternus Pater Filium non dedit niſi poſtquā homines illū poſtulaverunt & ardenter deſideraverunt; ideò *deſideratus cunctis nationibus* nuncupatur. At quis poſtulavit Euchariſtiā? quis eam deſideravit? quis eā in mente habuit? *Fuit iſtud Sacramentum, inopinabilis liberalitas, & inſperata charitas*, ut belle animadvertit Euſebius Emiſſenus, qui ob hanc rationē Deum ſic alloquitur: *Alia beneficia feciſti deſiderari & præcipuè Incarnationē: at inſtitutionē venerandi myſterii corporis & ſanguinis tui, omninò gratuitò voluiſti fieri, abſq; ſumptu deſiderii cunctarū gentiū*: & munificentia tua eo eſt perfectior quo das divinū illud myſterium hominibus indignis & non merentibus.

D. Aug. l. 50. ho. hom 29.

Salv. l. 4. ad Eccl.

D. Hilar. l. 6. Trin.

Aggæi. 2.

L. 7. c. 11.

Tert. l. de Pat. 2. 3. Magna profectò Dei liberalitas, *qui rorem lucis hujus ſuper juſtos & injuſtos æqualiter ſpargit: qui temporū officia, elementorū ſervitia, totius geniture tributa dignis ſimul & indignis patitur ſimul occurrere.* Sed longè major Dei munificentia, qui Euchariſtiā patitur occurrere hominibus indignis & non merentibus. *Ex congruo meruerunt ſancti Patres Incarnationē, deſiderando & petendo; congruū enim erat, ut eos exaudiret qui ei obediebant.* At tantū abeſt ut homines in lege gratiæ exiſtentes meruerint Euchariſtiā, quin imò plerique ſuis ſceleribus demeruerunt. *Multū quidē meruit de nobis, qui immeritis dedit ſeipsū nobis.* Multū quidē fuiſſet, quod Deus juſtis duntaxat largiretur Sacramentum, ſed abſq; ulla comparatione majus, quod à ſacra menſa non arceat criminoſos, & indignos. Prævidebat Deus contumelias quas paſſura erat Euchariſtia ab indevotione fideliū, irreverentia impiorū, blaſphemia hæreticorū. Quod Deus dimittat peccata, convertat peccatores, largiatur gratiam, promittat gloriā, hæc omnia Dei liberalitatē prædicāt; ſed quod Euchariſtiā inſtituat poſt præſcientiā indignitatū quas pati debet, incomprehenſibilis liberalitatis & charitatis eſt monumentū. Tantā bonitatē cū ſtupore cōtemplatur Doctor Angelicus: *O copioſa bonitas, & benignitas, & liberalitas nobili-*

D. Tho. 3. p. q 2. art. 11

D. Bern.

bilitatis DEI, quæ inimicis & multum contra eum peccantibus, corpus ſuum ſumere permittit! Sed ſi ſceleroſi Chriſtiani adverſus DEUM adeò beneficum ſuam demonſtrant ingratitudinem & malitiam, erga eos ſuũ DEUS oſtentat amorem largiendo donũ, quod externam exhaurit liberalitatem.

II. PARS. Tert. Apol. 28.

Munificus eſt DEUS erga homines *cùm illis aliquid liberalitatis aut privilegii confert*: At quantũ eſt liberalis in Euchariſtia, in qua DEI Filius externã exhaurit liberalitatẽ totũq; confert quod 1. à Matre in tempore habuit; 2. à Patre ab æterno accepit: 3. in vita & paſſione meruit.

L ad Judæ. 9. D. Bernardin. tom. 3. Ser. de Joſe.

1. Belle Tertullianus prædicat Chriſtũ *ex ſtirpe Ieſſe deputatum, per Mariam ſcilicet, & inde cẽſendũ*: quia à ſola Matre generatus omnẽ humanã perfectionẽ à Matre accepit. *Vnde patet quòd Dominus IESVS Chriſtus, qui ſine Matre fuit in cælis, & abſq; Patre in terris, totã à Virgine humanitatẽ recepit, atq; dignitatẽ quæ ad humanitatẽ ſequitur.* Chriſtus autẽ nobis donat in Sacramẽto totã humanitatẽ quam à Matre recepit. Licet enim in Euchariſtiæ inſtitutione loquatur duntaxat de corpore & ſanguine, quia corpus & ſanguis tantũ directè & ex vi verborũ adducuntur ſub ſpeciebus panis & vini: quia tamẽ corpus eſt vivens, concomitanter adeſt anima, quæ corpus informat, & conſequenter tota humanitas ex corpore & anima compoſita; Quod innuit Tertull. dicẽs: *Corpus ejus in pane cenſetur.* Alludit ad cenſorẽ Romanũ, cujus officiũ erat æſtimare bonũ cujuslibet civis, ita ut eſſet perfecta æqualitas inter bonũ civis & æſtimationẽ magiſtratûs. Eodẽ modo Chriſtus donans corpus ſuum ſub ſpecie panis, totã largitur humanitatẽ: *Corpus ejus in pane cenſetur*, quod nobis dat teſtamento, proprio ſanguine ſigillato, *ſic & in calicis mentione teſtamentũ conſtituens ſanguine ſuo obſignatũ, ſubſtantiã corporis confirmavit.* Reges ſuis ſucceſſoribus relinquũt diademata, uxorati cõjugibus largiũtur fortunæ bona, parentes filiis dant patrimoniũ: at nullus unquã corpus ſuũ teſtamẽto donavit, ſolus Chriſtus hæc exequitur teſtamento ſuo ſanguine ſubſcripto, donans & quod habet in tempore à Matre, & quod ab æterno accepit à Patre.

L. de Orat. 6. Tert. l. 4. ad. Marc. 40.

Tert. lib de Reſ. 9. D. Thom. Opuſc. de Beatit.

2. Hominẽ nũcupat DEUS, *liberalitatis ſuæ haredẽ*: quia ei ſuo teſtamento *Redemptor totũ quod ipſe eſt & habet in ſummo, dedit.* Omnes ſubſtãtiæ quæ ſunt in mundo, reducendæ ſunt ad ſubſtãtias materiales, ſpirituales & divinas; Chriſtus autẽ in Sacramento trinũ illũ ſubſtantiarũ ordinẽ nobis donat. Subſtantiã materialem, donando corpus & ſanguinem; ſubſtantiam ſpiritualem donando animam: ſubſtantiam divinam, donando divinitatem, quam ab æterno accepit à Patre. Dilectus diſcipulus, paterni amoris præſtantiam colligit ex dono omniũ rerũ quas dedit Filio. *Pater diligit Filium & omnia tradidit in manu ejus.* Evangeliſta autem intelligendus de Chriſto, non ut DEO, ſed ut homine: in quantum DEUS omnia quidem ab æterno accepit à Patre, non viã voluntatis & amoris, ſed viã intellectûs & cognitionis; quia eſt terminus non voluntatis, ſed intellectûs, ſeu potius memoriæ fœcundæ: in quantum homo omnia in tempore accepit à Patre viã dilectionis, & dona-

Tert. l. adv. Prax. 22.

tio: illa dilectionis paternæ oſtentat perfectionem, *Pater diligit Filium & omnia tradidit in manu ejus: Vtique à primordio diligit, & à primordio tradidit.* (Tert.l.adv. Prax.16.) At Chriſtus dat nobis in Euchariſtia quod accepit à Patre ab æterno per modum intellectûs & cognitionis, & in tempore per modum voluntatis & dilectionis. (Tert.l.adv. Prax.24.) *Ante autem ſolemnitatem Paſcha, ſciens IESVS omnia ſibi tradita à Patre eſſe, & ſe ex DEO exiſſe*, cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos inſtituendo Euchariſtiam, in qua largitur hominibus & divinitatem quam accepit à Patre in æterna generatione, & gratiam & ſanctitatem quam ab illo accepit in tempore. Sunt quædam donationes in quibus donans bona dat, ſed non ſemetipſum: nonnullæ in quibus datur perſona, ſed non fortunæ bonum; ſic S. Paulinus ſemetipſum dedit cuidam matri; ut ſuâ captivitate filii libertatē compararet: aliæ in quibus datur natura, ſed non perſona: ſic æternus Pater dat Filio ſuam naturam, ſed non ſuā paternitatem: at DEI Filius dat nobis in Sacramento divinitatē, perſonam, & adhuc quod in vita & in morte meruit.

3. *Chriſtiani nominis pondus & fructus mors Chriſti.* (Tert. l. 2. adv. Marc. 8.) Chriſtus meruit quamdiu fuit viator, ſed potiſſimùm paſſionis tempore: At in Euchariſtia nobis ſuā merita largitur. Quædam liberalitatis divinæ dona ſunt communia tribus perſonis, ut fortunæ bona, naturæ beneficia, gratiæ auxilia, gloriæ dona; at Euchariſtia eſt liberalitas propria Chriſti, in qua nobis dat quod ſibi eſt peculiare, nec eſt comūne aliis perſonis; ſcilicet corpus, ſanguinem, animam, perſonam: & quaſi hæc non ſufficiant ad ſuam exhauriendam munificentiā, dat adhuc quod ſuis operationibus & doloribus meruit. (Hugo Car. in c.2.Matt.) *Eccleſiam Chriſtus de ſalario paternæ majeſtatis adamavit.* Toto tempore quo converſatus eſt Chriſtus cum hominibus, Patris procuravit honorem, ei fuit obſequentiſſimus, cultui ejus addictiſſimus: quare Mariæ & Joſepho de ejus abſentia querulis (Luc.) reſpondit Salvator: *Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Quod ſi ſervus fidelis ſalarium meretur à domino; nonne ſalarium à Patre meruit Chriſtus? & ſi quælibet actio Chriſti eſt infiniti valoris meriti, ob infinitam dignitatem Verbi divini, quale erit meritum cunctarum actionum quas operatus eſt Salvator triginta tribus annis, & cruciatuum quos in curſu (Eſa. 2.) paſſionis toleravit? Profectò *non eſt finis theſaurorum ejus*: & tamen Dominus tot & tam pretioſa nobis largitur in Sacramento. (D.Chryſoſto.hom.14 in 1.Cor.) *Dicendo Euchariſtiam, omnem benignitatem, DEI theſaurum aperio, & magna illius munera commemoro.* Quanto majora ſunt dona, tanto majorem expoſtulant gratiarum actionem, & ut ea dignè valeamus recognoſcere, debemus idipſum reddere DEO ex gratitudine, quod ipſe nobis ex liberalitate largitur.

III. PARS. (Tert.l.2. adv. Marc. 31.) *Ad prandium vel ad cœnam vocari jubet, qui ſcilicet humanitatis iſtius vocem rependere non poſſunt*: & hoc duplici de cauſa. Tùm ut oſtendat curandos eſſe egenos & pauperes: unde per Eſaiam ſic fatur: *Confringe panem tuum eſurienti: & mendico & qui ſine tecto ſunt, induc in domum tuam.* Tùm ut redarguat captantes ab egenis munera & retributiones. *Cui non placent amantes munera,*

munera, ſectantes retributiones? Ob hæc tamen verba diſpenſare ſe non debent Chriſtiani à debita gratitudine quam meritò expoſtulat Chriſtus: *Facile de eo debuit impetrare, quem quotidie paſcit.* At quomodo grati erimus erga Chriſtum pro ineffabili Euchariſtiæ dono? Uno ex his tribus modis, 1. Chriſtus dedit nobis bona ſua, demus ei bona noſtra: 3. Chriſtus ſemetipſum dedit nobis ex amore, demus Chriſtum Chriſto ex gratitudine. Tert. lib. de Idol. 11.

1. *Populum ſibi congregavit DEUS, & multis bonitatis ſuæ largitionibus fovit, & ingratiſſimum toties expertus, ad pœnitentiam ſemper hortatus eſt.* Liberalitatibus ſuis nos ad pœnitentiam vocat Deus duplici potiſſimum ratione: Ut à peccatis mundemur, & peccatis mundati Deo ſerviamus, largitionumque ejus gratitudinem referamus. Nam ut addit Tertullianus: *Quod homini profecit, DEO ſervit.* Ut ergo ſimus grati ob *donativum Chriſti* quod nobis largitur in Euchariſtia, pœnitentiam agamus, & ut dignè poſſimus accipere ſua bona, offeramus ei mala noſtra; Chriſtus in Incarnatione *ſuſcepit mala noſtra ut nobis tribueret bona ſua*: & nos è converſo per pœnitentiam tribuamus ei mala noſtra, ut in Euchariſtia valeamus recipere bona illius. Jacob nihil aliud expoſtulavit à Laban pro laborum ſuorum ſalario, niſi oves vel capras maculoſas: *Quodcunque maculoſum fuerit, tam in ovibus, quàm in capris erit merces mea.* En ſpecimen gratitudinis quam à nobis expoſtulat Chriſtus. Exoptat ut ſuperbi ſuam ei offerant vanitatem, laſcivi fœditatem, avari cupiditatem, guloſi ingluviem, detractores linguæ venenum, & poſt immolata per verã pœnitentiã vitia, contrarias ei adhuc offerãt virtutes: *Toties tibi vitiorum artes moriantur, quoties à te DEO viſcera fuerint immolata virtutum.* Et quoniã Chriſtus dat nobis in Sacramẽto cũcta ſua bona, demus ei cũcta bona noſtra. Tert. lib. de Pœn. 2. Tert. lib. de Cor. Mil. 1. Euſe. Emiſſ hom. 6. de Paſch. Gen. 30. Chryſol. Ser. 108.

2. *Meliorum donativorum ſectatores ſumus.* Erimus autem ſi Chriſto cũncta bona noſtra demus. *Quantum dedit nobis DEUS ut ipſius eſſemus, & ipſe ſit noſter.* Semetipſum dat nobis, ut ipſi noſmetipſos donemus: cuncta ſua nobis largitur bona, ut cuncta noſtra ei offeramus, quo nihil juſtius. *Ne ſit manus tua ad accipiendum porrecta, ad erogandum contracta:* multũ accipis? multũ da: totũ accipis, totũ da? nam *qui totum dat, totum petit, vel accommodat ſibi.* Quatuor nobis dat Deus in Sacramento: nimirũ divinitatem, animã, corpus, merita: quatuor à nobis expoſtulat, ſcilicet animam, corpus, fortunæ bona, & opera virtutis. Vult animam noſtram pro dono ſuæ divinitatis: corpus noſtrũ pro dono animę ſuę: bona fortunæ pro dono corporis ſui: virtutes noſtras in gratitudinem meritorum ſuorum. Ineamus ejuſmodi amoris cõmercium; adimpleamus gratitudine quod Chriſtus inchoavit liberalitate: tandem demus Chriſtum Chriſto, ut ſuam digne valeamus compenſare munificentiã. Tert. l. 1. ad Uxor. 3. D. Aug. D. Ambroſ. Serm. 8. de manu arida Sen. D. Bern. Sen. to. 2. Ser. 1. art. 1. c. 3.

3. *DEUS ſolus docere potuit, ut ſe vellet orari,* & Chriſtus ſolus docere valuit perfectum gratitudinis modum. Chriſtus in corporatione *ex nobis accepit quod offerret pro nobis, ut nos ex noſtris redimeret.* Accipiamus Tert. lib. de Orat. 9. D. Ambr.

mus ab illo Euchariſtiam, ut ex ſuis, collata nobis beneficia recognoſcamus:

D.Iſid.l.6. Ethym. 19. Phil.Carpat.in c.1. 1. Cant.

nihil enim dignius poſſumus offerre in gratitudinis monumentum. *Quid melius & corpore & ſanguine Chriſti?* Sacramentũ autẽ corporis & ſanguinis ſui non inſtituit Salvator, niſi poſt gratias æterno Patri redditas, erudiens Chriſtianum, *ut quod ab ſponſo gratis accepit, id aliquando rependat eidem.* Chriſtus dando ſemetipſum in Euchariſtia nobis ſuppeditat modum tantam recognoſcendi munificentiam, offerendo illi cœleſte illud quod nobis largitur myſterium.

Clem Rom. l.Inſt. 37.

Dominus IESVS Chriſtus Euchariſtiam offerri hortatur, quæ magnitudine ſua omne beneficium operuit. Hanc gratitudinem ominatus Regius Vates ait:

Pſ. 115.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam: ſeu, ut legit D.Hieronymus: *Calicem IESV accipiam*: non quem potavit in cruce, ſed quo nos potat in Sacramento: Nam ut expendit Hugo Carenſis, per calicem Salutaris, ſeu Domini, *Euchariſtiam intelligit*: & ſi agnoſcimus *cenſum nominis* quomodo dignius poſſumus recognoſcere Chriſti liberalitatem, quam dignè ſumendam Euchariſtiam, *quia Euchariſtiam gratiarum actio nuncupatur*? Sic enim ut fatur D. Hieronymus erit quaſi æquus reditus, & juſti æqualitas inter retributionem & largitionem. *Hæc eſt ſola digna retributio cum ſanguis ſanguine compenſatur.* Euchariſtiæ donum non niſi Euchariſtia poteſt compenſari, quia donum infinitum, retributionem expoſcit infinitam ut ſibi perfectè reſpondeat: *Super hîs etiam communicationem corporis & ſanguinis ſui, clementiſſimus redemptor indulſit: quatenus pietas Creatoris hinc maximè poſſit intelligi, cùm nos tantis beneficiis, ſi tamen cum puro corde quæramus, feciſſet abſolvi.* Delicta & crimina in pœnitentiæ abſolvuntur Sacramento, beneficia & dona in Euhariſtiæ abſolvuntur myſterio; ubi benefactor dat modum recognoſcendi beneficium: corpus & ſanguinem ſuum largitur, ut offerentes ei quod dignè accipiunt, hac oblatione accepta cuncta abſolvant beneficia. Euchariſtia quaſi dividitur inter DEUM & homines, Servit etenim ad hominũ nutritionem & DEI honorem: ex ea homines utilitatem captant, DEUS gloriam; in illa homines ſuſcipiunt beneficia, DEUS gratiarum actiones. Eſt Sacramentum quod hominum incrementat gratiã, & DEI recognoſcit munificentiam: eſt ſacrificium in quo DEUS velut hoſtiã ſemetipſum largitur hominibus, & homines DEO innocuam illam & cœleſtem offerunt victimam.

Tert.Apol. 21.

D.Chryſoſto.ho.26. in c.8.Matt

Epiſt.22.ad Euſt.

Caſſiod.de Divin. lect. c.33.

D.Bern. Tract. de dili.Deo. c.5.

Quid retribuam tibi DEVS meus pro te, qui es benefactor & beneficium, donator & donum? Idipſum tibi reddam quod mihi das. Mihi das corpus tuum, tibi offeram corpus tuum: mihi das ſanguinem tuum, tibi offeram ſanguinem tuum: mihi das animam tuam, tibi offeram animã tuam: mihi das merita tua, tibi offeram merita tua: das mihi divinitatem tuam, offeram tibi divinitatem tuam; & cum dono tui ipſius offeram tibi m eipſum; ut ſim tuus in tempore & in æternitate.

CON-

CONCIO SEPTIMA.

Chriſtus panis noſter eſt, quia vita Chriſtus & vita panis. Arbor vitæ quam in paradiſo plantaverat Deus, figurabat Euchariſtiam quæ eſt panis vitæ. Ut autem acutè animadvertit Cajetanus, Hebræa lectio habet *lignum vitarum* in plurali, *quia vitas omnes vegetationis, ſenſationis, & rationis conſervabat.* Euchariſtia eſt panis vitarum, quia trinam perficit & conſervat vitam in iis qui dignè eam ſuſcipiunt. Homo in trino poteſt conſiderari ſtatu. In ſtatu naturæ, in ſtatu gratiæ, & per reſpectum ad ſtatum gloriæ. In ordine naturæ eſt rationalis: in ordine gratiæ eſt juſtus: & per reſpectum ad ordinem gloriæ, eſt candidatus æternitatis. Ut homo, vitam ducit rationalem: ut juſtus, vitam ſupernaturalem & divinam: ut candidatus æternitatis, ſpectat in cœlo vitam immortalem & beatam. Euchariſtia eſt panis vitarũ, quia 1. vitam rationalem perficit: 2. vitam gratiæ ſupernaturalem augeſcit: 3. ad vitam immortalem & beatam conducit. Tert. lib de Orat. 6. Gen. 2.

I. PARS.

Sumus qui retrò luridati deliquentiæ maculis, & denigrati ignorantiæ tenebris. Nihil adeò rationi adverſatur, ac peccatum, paſſio, & concupiſcentia: Peccatum eam excæcat, paſſio obnubilat, & concupiſcentia obſcurat. Verũ nihil ita ſuffragatur rationi, ac Euchariſtia; quæ 1. peccati tenebras diſſipat: 2. concupiſcentiæ ardores temperat: 4. inordinatos paſſionis motus ſedat. Tert. l 4. adv. Marc. 81.

1. Dei Filius potuit ſibi unire hypoſtaticè naturam à noſtra diſtinctã; imò & ſumendo carnem potuit aſſumere non ex corrupta Adami maſſa oriundã. Verũ *neq; ad propoſitum Chriſti faceret evacuantis peccatũ carnis, non in ea carne evacuare illud, in qua erat natura peccati: neq; ad gloriã: quid enim magnum ſi in carne meliori & alterius; id eſt non peccatricis natura, peccati nævum redemit?* Medici ſagacitate & experientiã pollentes, proportionẽ quandã ſervant inter medicinã & morbũ. *Chriſtus remediator valetudinum,* omniũq; Medicorũ ſapientiſſimus, hanc ſervavit inter remediũ & ægritudinẽ convenientiam. Caro Adami corrupta humanã toxicarat naturã: Chriſtus velut Medicus peritiſſimus, de ſua carne fecit antidotum illius veneni, non ſecùs ac de vipera theriaca conficitur ad ſanandũ venenoſũ viperæ morſum. Caro Chriſti eſt victima & medicina: victima, ad expianda noſtra delicta: medicina, ad noſtros ſanandos morbos. Cœleſtem illam victimã obtulit in cruce Dominus. *Ipſe etiam effectus hoſtia pro omnibus nobis,* divinã illã medicinã ſumendã præbet in Sacramento. *Antidotum facta eſt caro, quæ erat venenum antè peccati: quia erat illecebra peccatorum. Audi quomodo antidotum caro; DEI verbum factum eſt caro, miſit manum in cavernam aſpidum, venenum evacuavit, peccatum abſtulit, id eſt de peccato damnavit peccatum.* Et hæc eſt una ratio inſtitutionis Tert. lib. de Car. Chri 16. Tert. lib. 4. adv. Marc. Tert. l. adv. Jud. 14. D. Ambr. in Pſ. 37.

Eucha-

Opuſc. 58, c. 1. Euchariſtiæ,ut docet Angelicus Doctor. (Tertia inſtitutionis cauſa eſt,cibus hominis,cibus, inquam, medicinalis contra pomi mortiferi corruptionem, quæ tam prava infuſa eſt per primos parentes humano generi, ut eſſet incurabilis, niſi ſubveniſſet medicina optima, quam poſſet facere ſapientia Dei.) Cibus ab Adamo manducatus ita ſuo veneno humanam infecit naturam,ut cunctas facultates animæ,& omnes corporis toxicaverit partes:quapropter neceſſaria erat medicina penetrans has facultates & partes in quibus hærebat venenum. Hujuſmodi autem medicina eſt caro Chriſti;*ſimul medicamẽtũ & holocauſtũ,ad ſanãdas infirmitates,& purgandas iniquitates exiſtẽs*;Et quia venenum fuit cibus vetitus,antidotum datur per modum alimenti in Sacramento,ubi carnem ſuam tanquã medicinam maximæ virtutis,mãducandã exhibet Chriſtus. (Quia prior carnis noſtræ natura corrupta eſt à peccato, dedit nobis Chriſtus ſuam impeccabilem ſimilem in nobis carnem, ut eam aſſumentes, in eam permiſceamur, & vivamus citra peccatũ, quantũ licet.)

D. Cyp. l. Ser. Cœn. Dom. Theophila. in 1. Cor. c. 5.

Inter remedia alia ſanant morbum, alia præſervant à morbo:*Euchariſtia medica* duplicem illum præſtat effectum:nam eſt *medicamentum purgãs vitia & omnia expellens mala.* Tùm quia per ſe purgat à venialibus,tùm quia per accidens tollit mortalia; (ut ſi quis lethalis ob[illegible] vel involuntariè ignarus, ad ſacram menſam accedat.) Tùm quia [illegible]et veſtigia peccatorum & purgat ab humoribus peccantibus & perverſis inclinationibꝰ quæ ex diuturno & ſceleroſo habitu remanſerant; & ut fatur D. Cyprianus, *animos à voluptatum face avellit.* Fuſo vino è dolio remanet adhuc fæx,evacuato per pœnitentiam peccati veneno, remanet adhuc fæx quædam peccati; nempe veſtigia quædam peccati,propenſiones ad malum. Peccator pœnitens recipiens ſanctitatem,non confirmatus in gratia,pertimeſcere debet peccatum; habet circa ſe mundum ad avaritiam trahentem; intra ſe carnem ad venereas voluptates allicientem; contra ſe diabolum de ſuperbia tentantem: *Sicut parturientis cor tuum phantaſias patitur,niſi ab Altiſſimo miſſa fuiſſet viſitatio.* Ubi Hugo Cardinalis:Phantaſias patitur,id eſt *à phantaſmatibus immutatur, & trahitur in errorem.* Ab omnibus his nos liberat Euchariſtiæ remedium, *Hæc benedictio perfecta, omnes morbos depellit, ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ab omni nos eripit caſu.* Nam faſtidium mundi ingenerat, carnis petulantiam ſedat,diaboli tentationes propulſat,phantaſias vitiorum præteritorum fugat. 1. Mundi faſtidium ingenerat; *Corpus Chriſti ſatiat ad faſtidium mundi faciendum.* 2. Carnis petulantiam ſedat: *Ex hujus ſumptione vitia diſplicent, diligitur pudicitia.* 3. Tentationes diaboli propulſat: quare S. Gaudentius ad ſacram menſam nos invitat, *ut contra venena diaboli, dulcem medicinam ſempiterni tutaminis conſequamur.* Tandem præteritorum vitiorum memoriam & phantaſias fugat. *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant nos.* Ubi D. Chryſoſtomus: *Qui ſunt iſti, qui nos tribulant: Suggeſtiones inimici, exagitationes, cupiditates, delectationes, ſæculi honores.* Ex D. Cy-

Tert. lib. de Trin. D. Ign. Ep. ad Epheſ. Ser. de Paſſ. Eccleſ. 34. D. Cyrillus Alex. l. 4. in Joan. 17. D. Thom. Opuſc. 58. c. 7. Greg. l. 1. de ſac. Do. Paſſ. Pſ. 22.

D. Cypriano, cuncta concupiſcentiæ deſideria omnes cupiditatis æſtus fugati ſunt à domo beatiſſimæ Virginis, *Tanti habitatoris reverentia concupiſcentiarum ludibria abigebat.* Idem Chriſtus qui fuit novem menſibus in utero Virginis, qui à domo Mariæ concupiſcentiarum ludibria abigebat, eſt in pectore comunicantis, quem à veſtigiis delictorum purgat, & ne cadat in peccatum præſervat.

Nam ut docet Concilium Tridentinum, *DEUS ſumi voluit hoc Sacramentum tanquā antidotum quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur*: Non eſt prætermittendus Innocentius III. audacter pronuntians: *Myſterium crucis eripuit nos à poteſtate peccati: myſterium Euchariſtiæ eripuit nos à voluntate peccandi*; quia gratias largitur fortes & efficaces, quæ arcent ab intellectu peccandi cogitationes, & tanto igne charitatis voluntatem accendit, ut peccatum abhorreat, & ſoli Deo placere ſtudeat: *Laboras ſuperbia? ſume Euchariſtiam, ideſt Chriſtum ad carnem, imò ad panem humiliatum: & panis ſic humilis humilem te faciet.* Eodem modo ratiocinandum eſt de aliis vitiis, quæ ex Chriſti in Euchariſtia contenti ſanantur virtutibus.

Seſſ 13.c.2. L.4. de Myſtica Miſſa 44. D. Cyr. Alex. in c. 6. Joan.

Verùm, ſi Euchariſtia à pravis purgat inclinationibus & à peccatis præſervat: cur hac tempeſtate Chriſtiani depravatis adeò ſunt moribus & tam crebro in peccata cadunt? Hoc evenit non ex defectu medicinæ, ſed vel quia non ſumitur, vel quia abſque diſpoſitione & non bene ſumitur. Uti corpus quod nullum ſumit remedium, multos humores peccaminoſos accumulat, qui morbum inducunt, & perſæpe mortem accelerant; ſic Chriſtianus non ſumens Euchariſtiam quæ reliquias peccatorum delet, peccataque venialia tollit, tantam venialium congregat multitudinem, ut inſenſibiliter ad lethalia diſponatur, quæ animæ mortem afferunt: *Qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus adeſt, quia ſub peccato ſumus; medicina eſt cæleſte ac venerabile Sacramentum.* Neque graviter ægrotant & moriuntur, quia medicinam non ſumunt, ſed adhuc quia abſque ulla præparatione illam accipiunt. *Miſeri qui quotidie corpus Domini tractamus & ſumimus, & noſtris vulneribus non curamur: non Chriſtus infirmantibus, ſed fides deeſt.* Quoties infirmis Chriſtus dabat ſanitatem, prærequirebat ab illis fidem, velut diſpoſitionem praviā & neceſſariam: A Chriſtiano exigit ſanctitatem & gratiam, ut eum Euchariſtiā à veſtigiis peccatorum ſanet, & à morte præſervet. Quemadmodum neceſſe eſt ut corpus ſit vivens, ut remedia valeat accipere; (mortuo enim nullum præbetur remedium,) ita neceſſe eſt ut anima vivat vitā gratiæ, ut poſſit ſumere cœleſtem illam medicinam. Hic deflenda eſt multorum perverſitas, qui medicinam immutant in vulnus, antidotum vertunt in venenum, quos exemplo mulieris fluxu ſanguinis laborantis redarguit Chryſologus. *O quàm docuit mulier quantum ſit corpus Chriſti, quæ in Chriſti fimbria tantum eſſe monſtravit. Audiant Chriſtiani qui quotidie corpus Chriſti attingunt, quamnam de ipſo corpore poſſunt accipere medicinam, quando mulier rapuit de ſola Chriſti fimbria ſani-*

D. Thom. 1 2. Qu. 85. art. 3. D. Aug. Ser 28 de Verb. Dom. Chryſol. Ser. 34.

nitatem: ſed quod nobis flendũ eſt, mulier de vulnere medicinã tulit, nobis medicina ipſa retorquetur in vulnus. Recipientes enim Euchariſtiam cum conſcientia criminoſa, ſacrilegiũ perpetrant, ſcelerum ſuorum numerum incrementant, morbũ adaugẽt & mortẽ arceſcunt pravo uſu bonę medicinæ, quæ ex ſe virtutẽ habet tùm ſanandi à morbo, tũ à morte liberandi impediendiq; ne qui eam dignè ſuſcipiunt in lethale labantur peccatũ; nam extinguit ignes, temperat concupiſcentiæ æſtus, ne deſtruant gratiam, & obtenebrent rationem.

2. Actuale peccatum eodem fere modo producitur ac originale. Tres perſonæ ad cõmittendũ originale conſenſerunt: Dæmon, Eva & Adamus. 1. Dæmon tentavit Evam, [Tert. l. 5. adv. Marc. 17.] *Naturam & diabolus jam infecit, delicti ſemine illato.* 2. Eva tentata & ſuaſa à diabolo Adamũ ad peccandũ induxit. [Tert. l. de Pat. 5.] *Statim Eva ſemine diaboli concepto, non ſuſtinuit ſola conventa, ſed apud Adam nondum maritum, nondum aures illi debentem, impatiens etiam tacendi eſt, ac traducem ejus, quod à malo hauſerat, fecit.* 3. Adamus Evæ ſermonibus illectus delicto aſſenſum præbuit. [Tert. l. de Pœn. 2.] *Delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auſpicata.* Hæc tria ad peccata actualia concurrunt: 1. Dæmon aggreditur concupiſcentiã, quæ *Eva noſtra interior* nuncupatur à D. Auguſtino, [In Pl. 48.] & terrenorum ardore ſufflamat, & [Steph. Cant in l. 1. Machab.] *quaſi praſtigiator phantaſmata movet.* 2. Concupiſcentia à dęmone tentata, & inordinato amore accenſa, adoritur voluntatẽ eamq; ſtimulat, ut ei ſuum præbeat conſenſum. [Jacob 1.] *Vnuſquiſq; tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Tandem 3. voluntas & dæmonis tentationi & concupiſcentiæ perſuaſioni liberè conſentit, & [Tert. l. de Pat. 5.] *malitiæ fœcunditate* parit peccatum. [D. Bern.] *Si quis tantas affectiones concupiſcentiæ non ſentit, gratias agat corpori & ſanguini Chriſti.* Euchariſtia namque roborat liberum arbitrium ne ſuccumbat tentationi & labatur in peccatum, ingenerans voluntati horrorem eorum quæ ſibi à concupiſcentia offeruntur amanda. [D. Cypr. Ser de Cœ. Dom.] *Qui de ſacro calice bibit, ad unum DEVM erigens deſiderium, ita ſingulari fame, illo uno appetitu tenetur, ut deinceps omnia peccatorum horreat pocula: & omnis ſapor delectamentorum carnalium, ſit ei rancidum radensq; palatum aucta mordacitatis acetum.* Neque minus potens eſt Euchariſtia ad dæmonem expellendũ, quã ad temperandos concupiſcentiæ ardores. Tùm quia ejus detegit inſidias: [S Zeno Ser. de Suſan.] *Tremuit diabolus, quod ipſius commenta nudantur.* Tùm quia illum fugat: [D. Chryſoſto. ho 60. ad Pop.] *Hic myſticus ſanguis dæmones arcet, & procul eſſe ſinit,* fugit diabolus à conſpectu ſanguinis dominici; quo victus & proſtratus fuit. [Pet. Dam. de Inſt. monach. c. 3.] *Terretur adverſarius cum Chriſtiani labia videt Chriſti cruore rubentia, agnoſcit enim ſuæ perditionis indicium, & divinæ victoriæ, qua captivatus eſt adſtrictus, non tolerat inſtrumentum.*

Idem accidit iis qui dignè ſuſcipiunt, quod pueris in fornace, qui 1. [Dan 3.] *ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati:* 2. Miniſtri Regis projiciunt cõtinuò in fornacem materias combuſtibiles. *Et non ceſſabant qui miſerant eos miniſtri Regis ſuccendere fornacem naphta, ſtupa, pice, & malleolis & effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta novem.* 3. Pueri nullatenus ſunt

ab

ab igne læſi, quia Angelus conſervavit eos. *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neque contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit.* Angelus ille faciem hominis habebat, quia repræſentabat Chriſtum, imò erat ipſemet Chriſtus, ut vult Tertullianus. *IESVS erat viſus Babylonio regi in fornace cum Martyribus ſuis, quartus; tanquam Filius hominis.* Viſus eſt in carne nondum nata, uti antea apparuerat Abrahæ. *Atquin tunc quoq; inter Angelos illos Dominus apparuit Abrahæ, ſine nativitate, cum carne.* 1. Concupiſcentia eſt fornax ardens: *Ignis eſt uſq; ad perditionem devorans.* 2. Dæmones fornacem accendunt; concupiſcentiæ ſcilicet ardorem injicientes mendacia & terrena bona: idcircò Tertull. vocitat *mendacium cupiditatis miniſtrum.* 3. Voluntas in medio ignis comburitur, quia poſt dignam comunionem, *Vox Domini intercidentis flammā ignis*; fornacis ſeu concupiſcentiæ temperat ardores. *Sedat ſævientem legem membrorū*; & ſicut olim in ſolitudine, *panis cœleſtis in ſimilitudinem pruinæ roriùvè apparebat, quia corpus Domini à fervore pravæ concupiſcentiæ refrigerat.* Chriſtus dignè comunicanti duplices largitur gratias: nonnullas ſupra corpus & appetitum ſenſitivum applicat, ut minuat quod ad peccatum allicit. *Sitim cupiditatis & peccati extinguit*: aliàs animæ & voluntati comunicat quibus dat vires, tùm ut reſiſtant concupiſcentiæ motibus: *Dulci potu refrigerat, ne carnalium cupiditatum æſtibus peruramur*; tùm ut carnis deſideria reprimant: *Ab æſtu deſiccat deſideriorum carnalium*: deinde voluntatē ab illis purgatā, per charitatē immutat: *Ex hujus ſumptione efficitur homo alius, non per naturā, ſed per gratiā, mutatus in melius.* Hanc imutationem denotatam vult Paſchaſius per converſionē quæ fit in Sacramento. Ante conſecrationem tria ſunt: nimirùm panis, vinū, & aqua. Poſt conſecrationem ex tribus illis rebus nihil remanet: mutatæ namq; ſunt in corpus & ſanguinem Domini. In homine ſunt velut tres partes: Concupiſcibilis, Iraſcibilis & Rationabilis. Sacramētia utē virtute concupiſcibilis & iraſcibilis mutantur in rationabilē, & homo qui ante vel concupiſcentia, vel paſſione agitabatur, nihil agit niſi ſecundùm rationis lucē.

Lib. 4 adv. Marc. 10. Tert. lib. de Car. Chr. 6 Job. 31. Lib. de Idol 11 Pſ. 28. Cyr. Alex. Lib. 4. in Joan: 17. D. Thom. Opuſc. 56. c. 6. Exod. 16 Hug Card. in c. 19. Joa. D. Paulin. Epiſt. 36. Greg. Mag. l. 33. Mor. Drog. l. 1 de ſacram. Do. L. de Corp. & Sang. Chr 11.

3. *Agnoſce ex imagine DEI quam habes tu & in teipſo rationem, qui es animal rationale, à rationali ſcilicet artifice factus.* Quia verò per Adæ peccatum ratio hominis ſuam amiſit venuſtatem, & paſſionibus obnubilatur; DEI Filius qui eſt primordialis ratio, humanatur; & *libens reconditur in præſepio, ut qui ſunt pecuini accurrant, & inveniant rationem in præſepio conſtitutā, ut ex ea retineant dignitatem rationalem*, & deperditam recuperent rationis perfectionem. Animadvertit autem Strabus Fuldenſis, quod *Bethleem domus panis dicitur, quia ibi naſciturus erat panis vivus qui de cœlo deſcendit, ut irrationales paſtos, faciat ſocios Angelorum.* Et ob hanc cauſam princeps Apoſtolorum Euchariſtiam nuncupat *lac rationale*: Eccleſia in Canone miſſæ, *oblationem rationalem per quam à beſtiali ſenſu exuamur*; & dignitate ho-

Tert. l. adv. Prax. 5. Heſich. l. 2. de B. Virg. In cap. 2. Matth. 1 Ep. 2. Paſch. l. de Corp. & Sang. Dom. c. 12.

hominis induamur. *Chriſtus naſcendo originem recreavit, genus generavit, naturam reddidit.* Paſſio naturam conſtituit pecuinam, ratio humanam efficit: Chriſtus incarnatur, & in Sacramento in cibum datur ut reddat homini amiſſam paſſione naturam. Quare præcipit ut poſtulemus in Oratione dominica Panem rationalem, *quippe qui eſſentiæ noſtræ conveniat*: ratio autem, non paſſio eſſentiæ noſtræ convenit.

Chryſol. Ser. 156.

Ger. Conſt. in expoſ. Orat. Dom

Miratur D. Auguſtinus quod Deus qui in lege Moſaica prohibuerat ſub pœna mortis ne animalium biberetur ſanguis, ſub eadem præcipit in Evangelio ut Chriſtiani bibant ſanguinem: *Res mira! quod in lege antiqua ne ſanguis bibatur ſub mortis ſupplicio præcipiebatur, nunc verò ſub eodem ſupplicio, ut bibatur, præcipitur: quid hoc myſterii?* In veteri Teſtamento prohibebat Deus bibere animalium ſanguinem, *ut doceret beſtialem vitam fugere; nunc vero ſanguinem ſuum vult ut bibamus, ut vitam rationalem ſuæ vitæ ſimilem agamus*: Sanguis eſt animæ ſedes & vitæ origo: idcircò talis eſt cujuſcunque vita qualis eſt ſanguis quo nutritur: unde in veteri Teſtamento *noluit DEUS ſanguinem beſtiarum bibi, ne homines beſtiarum retinerent mores*: In novo verò Teſtamento præcipit bibere ſuum ſanguinē ut eorum ratio quæ eſt Verbi imago, perfectionem acquirat: *Hic ſanguis operatur in nobis imaginem regiam, nobilitatem animæ non permittit marceſcere, protinus irrigans animam, magnamq; aſpirans virtutem*; nam ſi ex Tertulliano, *Iſrael in eremo manna cibatus, neque humanis paſſionibus contaminatus*: quanto magis Chriſtianus corpore & ſanguine dominico nutritus à paſſionum turbinibus debet eſſe liber? At proh dolor! divinum bibimus ſanguinem, & depravatis ſumus moribus, rationale potamus lac, & ſumus pecuini in noſtris affectibus. *Quænam erit nobis excuſatio cum talibus paſti, talia peccemus? cùm lupi fiamus agnum comedentes? cùm tanquam oves paſti, morte leonem diripiamus?* Cibo cicurantur belluæ etiam ferociſſimæ, & ſceleroſus Chriſtianus ipſis feris crudelior, ſeſe opponit virtuti Dominici corporis? *Corpore Chriſti fit homo manſuetior*: & ipſe irâ, furore, paſſione exaſperatur. Clemens Alexandrinus Chriſti ſanguinem nuncupat *verbale lac*; qui accuſat indigne potantes, qui pecuinos non deponunt mores, & defenſat digne ſumentes, quia rationalem ducunt vitam, bibentes ſanguinem Verbi, qui datur in Sacramento ut hominis vitam rationalem perficiat, & juſti vitam ſupernaturalem conſervet.

Quæſt. 57. in Levit.

D. Chryſoſt hom. 45. in Joan. Lib. adv. Iud. 3.

Chryſoſt. hom. 60. ad Pop. D. Thom. Opuſc. 58. c. 5. L. 1. Pædag. 7.

II. PARS. Tert. lib. de Orat. 9. D. Ambr. l. de peccat. Merit. cont. Pelag c. 24 Tert. lib de Pœna. 6.

Petitio vitæ in pane. Dum panem Euchariſticum petimus, vitam poſtulamus: non tantùm rationalem quæ ad hominem pertinet, ſed etiam ſupernaturalem quæ juſtum ſpectat. Quapropter *optime Punici Chriſtiani Sacramentum corporis Chriſti nihil aliud quàm vitam vocant.* Et hoc ut mihi videtur triplici potiſſimùm de cauſa. Quia in digno ſuſcipiente vitam ſupernaturalem gratiæ 1. expoſtulat, 2. conſervat; 3. incrementat.

1. *DEUS theſauro ſuo providet, nec ſinit obrepere indignos.* Dei theſaurus eſt Euchariſtiæ ſacramentum, quod non vult accipi à peccatoribus indignis, ſed

ſed à juſtis,quos gratia ſancti myſterii participatione efficit dignos. D.Bo- In Pſ. 1.
naventura trinum diſtinguit paradiſum. Cœleſtem in quo habitant Angeli;
terreſtrem, cujus fuit incola homo quamdiu fuit innocens: & myſticum,
nempe Eccleſiam, in qua boni cum malis ſimul demorantur. Quilibet pa-
radiſus habet alimentum vitæ. In cœleſti eſt divinum Verbum quod *victus* Rupert. l. 3.
& vita eſt Angelica ſubſtantia:in terreſtri erat lignum vitæ plantatum ad con- in Exod.
ſervandam hominis innocui vitam: in myſtico eſt panis vitæ, & *hic panis fa-* D. Ambr.
ctus eſt eſca Sanctorum. In paradiſo cœleſti ſoli Sancti verbo vitæ nutriri poſ- de Bened.
ſunt; 2. dæmones & reprobi, ait Rupertus, *æternam hujus panis patiuntur ine-* Patriarch.
diam. In paradiſo terreſtri ſolus homo innocens valebat comedere de ligno c. 9.
vitæ,ſtatim ac Adamus deliquit de illo loco ejectus eſt. In paradiſo ſpiritali
Eccleſiæ, *Panis vitæ Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt*, non enim eſt inſti- D. Cyp. in
tutus pro peccatoribus, & ſceleroſis, ſed duntaxat pro juſtis & DEI Filiis: Expoſ. Or.
Iſte filiorum DEI eſt cibus ut inde alantur unde vivunt. Dom. Paſch.

Quærit D. Cyprianus cur mane ad altare accedimus, cum veſpere Ep 63.
Chriſtus Euchariſtiam inſtituerit. Reſpondet,*Chriſtum offerre oportebat jux-*
ta veſperam diei,nos autem Reſurrectionem Domini celebramus. Agnus paſcha-
lis qui Euchariſtiam figurabat, nocte manducabatur: quare Chriſtus veſpe-
re inſtituit Sacramentum ut figuram illam adimpleret: nos verò Reſurre-
ctionem Domini celebramus, qui mane ſurrexit: & memoria dominicæ re-
ſurrectionis erudit nos ut reſurgamus à morte peccati antequam ſumamus
panem vitæ: alimentum enim non eſt niſi viventis. Chriſti autem *caro digne*
ſumpta eſt cibus vitæ; & ob hanc cauſam, ut acutè animadvertit D. Augu-
ſtinus; dum Apoſtolus ait: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto,dixit fidelibus corpus &* Hug. Car.
ſanguinem Domini accipientibus. Sacramentorum enim alia dicuntur mortuo- in cap. 9. Ioan.
rum, alia vivorum. 1. Illa primam ſanctitatem conferunt & ſuſcitant ani- Coloſ. 3.
mam à morte peccati ad vitam gratiæ: hæc ſupponunt in ſuſcipiente ſancti-
tatem & gratiam ſanctificantem adaugent & conſervant. Baptiſmus & Pœ-
nitentia ſunt Sacramenta mortuorum,quia baptiſmus primario confert ſan-
ctitatẽ;& pœnitentia deperditam per lethale reſtituit ſanctitatẽ. In baptiſmo
naſcitur ſpiritualiter peccator,in pœnitentia reſurgit:*Quia inviſibiliter naſci-* D. Aug.
tur,inviſibiliter ſaginatur. Inviſibiliter naſcitur per baptiſmũ,inviſibiliter ſa- Tract. 26.
ginatur per Euchariſtiã quæ eſt Sacramentũ vivorũ;quia *puras ſincerasq́, men-* in Ioan.
tes ſanctũ quærit convivium,quo nutriri ſpiritualiter non poſſunt niſi juſti & vita D. Cypr. de Cœn. Dom
ſupernaturali gratiæ viventes. *Purgatis enim ſolis & lavacro indulgentiæ cœle-* D. Aug.
ſtis expiatis,percipiendi corporis Chriſti facultas porrigitur. Nulli ſiquidem præ-
betur alimentum, neque ante nativitatem neque poſt mortem; idcircò ne-
ceſſe eſt ut qui volunt vitæ panẽ ſumere,ſint vel renati per baptiſmũ, vel ſu-
ſcitati per pœnitentiã;& ob hanc cauſã notoriè ſceleroſis non debent ſacer-
dotes miniſtrare Sacramentum: *Nolite ſanctum dare canibus*: & alias in Ec- Tert. lib. de
cleſia Græca antequam ſacerdos præberet corpus Chriſti accedentibus ad Bapt. 18

 men-

Chryſoſt hom 17. in Ep. ad Hebr. Seſſ. 15 c. 3. Juſtinia. de Regi. Præſ. c. 26.

menſam, Diaconus Miſſæ inſerviens alta voce clamabat: *Sancta ſanctis, hoc eſt ſi quis non eſt ſanctus, non accedat.* Et concilium Tridentinum declarat quod *nullus ſibi conſcius peccati mortalis abſq; præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam debet accedere.* Et hoc ob honorem Sacramenti quod eſt *ſanctitatis pabulum*, & ob bonum ſuſcipientis, quia Euchariſtia in digno ſuſcipiente vitam ſupernaturalem gratiæ conſervat.

Tert. l. de Orat 6. D. Cypr.

2. *Panem noſtrum quotidianum ſpiritualiter potius intelligamus.* Eodem modo ratiocinandum eſt de conſervatione vitæ ſupernaturalis, ac naturalis. *Sicut in vita corporali cibus neceſſarius eſt ad conſervandam vitam: ita in vita ſpiritali hoc Sacramentum neceſſarium eſt, tanquam vitæ conſervativum.* Ad hunc finem inſtitutum eſt altaris Sacramentũ, ut animã ſpiritualiter nutriret, & in vita ſupernaturali conſervaret. *Sicut in paradiſo lignum vitæ fuit, quo jugis ſubſiſteret ſtatus hominis, ita proviſum eſt in Eccleſia hoc myſterium ſalutis*; quod non eſt minoris virtutis ad conſervandam animæ vitam, quam alimentum materiale & inanimatum, ad conſervandam corporis vitam. *Si in mortali cibo tanta vis ineſt, ut quotidie vitam labentem raperet, viresq; reſtituat: idem ſentiendum de hoc immortali cibo, in quo vita æterna præſtatur.* Quod innuere voluit ipſemet Chriſtus docens nos poſtulare *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem.* Dicitur autem ſuperſubſtantialis, non ſolùm ut vult Caſſianus, quia eſt *ſuper omnes ſubſtantias: omnesq; creaturas magnificentiæ & ſanctitatis ejus excedit ſublimitas*: ſed etiam, ait D. Ambroſius, *ſubſtantialis dicitur, quia anima noſtra ſubſtantiam fulcit*: cui idem præſtat munus quod ſubſtantia accidentibus. Accidentia ad ſui conſervationem indigent naturaliter ſubſtantiæ fulcro: anima quoque ad conſervationem vitæ ſpiritalis indiget Euchariſtiæ ſuſtentaculo, *Sicut corpus ſine corporali cibo non ſuſtentatur, nec permanet in vita naturali; ita anima ſine hoc cibo mirifico non perſiſtit in vita gratiæ ſpiritualis.* Vult autem Salvator ut poſtulemus panem noſtrum quotidianum: multi tamen corpus opipare nutriunt, animam verò eſurientem relinquunt. Singulis diebus corpori cibum ad ejus conſervationem neceſſarium tribuũt, animam verò hypoſtaſi & ſubſiſtentia ad vitam ſpiritalem neceſſaria fruſtrant. Quos redarguit D. Ambroſius: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? ſic vive ut quotidie merearis accipere.* Quidam ex impietate, alii ex fucata pietate abſtinent à Sacramento. Illi ne à ſuis ſceleribus convertantur. *Qui non perſeverant in bona vita, ſeparabuntur ab illo pane.* Iſti quia ſacrâ menſâ ſeſe exiſtimant indignos: ſed timendum eſt ne prætextus ille humilitatis ſuggeratur à diabolo: *Caveamus nos, ne loco laquei, diabolus damnoſã prætendat religionẽ: quod judicium ſibi manducat & bibit, qui manducat indignè: quando igitur tu qui iſta dicis, dignus eris?* De tempore autem quo accedendum eſt D. Ambroſius vult ut quotidie ſumatur corpus Chriſti. *Accipe quotidie quod quotidie tibi proficiat; qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.* D. verò Auguſtinus diebus Dominicis Euchariſtiam ſumendam deſiderat. *Omnibus diebus Dominicis commu-*

Paſch. l. de Corp. & Sang. Dom. c. 2. Paſch. c. 19. Matth. 6. Collat. 9. c. 21. L. 5. de Sac. 4. Dion: Carth inc. 6. Ioan; L. 5. de Sac. 4. D. Aug. hom. 24. D. Cyrill. Alex l. 4. in Joan. 17. L. 5. de Sac. c. 4. L. de Eccleſ. Dogm. c. 3.

communicare ſuadeo & hortor. De frequẽti cõmunione nulla certa regula ſtatui poteſt, attẽdendus eſt ſtatus & profectus ſpiritualis eorũ qui cõmunicant. Quos hortatur Laurentius Juſtinianus. *Quod ordinatũ eſt ſanctè ſanctificatus accipe, ut ſanctificeris adhuc*: quia Euchariſtia digne ſumpta gratiã incrementat. Lib. de Triumph. Ago: Chr.

3. *Dubitandum, & inquirendum, & deliberandum eſt, an ideò ſit inveſtis dotalibus, cui DEVS cenſum ſuum tradidit.* Non eſt inquirendum an anima ſit nuda opibus, ſeu non veſtita dotibus, cui DEUS cenſum ſuum tradidit. Euchariſtia eſt DEI cenſus, opulenter locupletans gratiæ gazis eos qui illam digne ſuſcipiunt. Hoc eſt diſcrimen inter corpus & animam, quod corpus habet terminum magnitudinis, ultra quem quantumvis alimenta ſuſcipiat creſcere non poteſt, animæ autem perfectio ſemper per nutritionem incrementatur. *Per totum tempus præſentis vitæ, ſumus in ſtatu augmenti.* Euchariſtia duplici potiſſimùm titulo inſignitur ab Scriptura ſacra. Nam *panis pinguis* vocitatur, & adhuc nuncupatur *convivium pinguium.* Dum dicitur panis pinguis, denotatur quã ſit gratiarũ fœcundus divinus ille panis, *quo mens omnium ſpiritualium charismatum abundantia impinguatur.* Cùm verò vocitatur panis pinguiũ, denotat ſuſcipientium ſanctitatem & gratiam neceſſariam ut panis pinguis dignè ſumatur. Quod prodigi exemplo oſtentat Tertull. *Recordatur Patris, DEI; ſatisfacto redit: veſtem priſtinam recipit: ſtatum ſcilicet eum, quem Adam transgreſſus amiſerat: atq; ita exinde opimitate dominici corporis veſcitur, Euchariſtiã ſcilicet.* Eodem modo philoſophatur Rupertus, qui vult ut cõmunionem præcedat pinguedo ſpiritûs: (Videlicet ſicut tunc quando per ſemetipſum hoc Sacramentum condidit, ita & nunc ubicunq; idem per Eccleſiæ manus ipſe conficit, pinguedo ſpiritûs & vitæ adſit: ne quem noſtrum propter peccata ſua, divinæ virtutis adeps refugiat, & ipſum macrum ſacrificium, corpus ſolummodo dentibus conterendo, corporis & ſanguinis dominici reus exiſtat.) Macies indignè ſuſcipientis Sacramentum macrum reddit, impediens ne gratiæ largiatur pinguedinem. Quare Chriſtiane, diligenter attende ut *holocauſtum tuum pingueſiat*, ſitq; *quodam fidei pabulo, & devotionis al moniа ſaginatum.* Deprecare cum Regio Vate: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Si adipe ſanctitatis & gratiæ impinguatus accedas ad Sacramẽtũ, ſaginaberis adhuc pinguedine cœleſtis menſæ. Etenim *caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima de DEO ſaginetur.* De juſtis cõmunicantibus decantat Regius Vates: *Manducaverunt omnes pingues terræ.* Addit Theodoretus, *Vt qui ab illo divino cibo tales effecti ſunt.* Binã vides pinguedinẽ, præcedentem, quã habent pingues; alteram ſubſequentẽ quã Euchariſtia largitur. Etenim *menſa tua erat plena pinguedine.* Patres Græci addunt, *pinguedine vitæ æternæ.*

Tert. l. 2. ad Uxor: 9.

Cajet 3. p. q. 80 art: 10.

Gen: 49.

Eſai: 25.

D. Thom. Opuſc. 57.

L. de Pudicit

Pſ: 19.

D. Ambr: l. 1. de Cain & Abel.

Pſ: 62.

Tert. lib. de Reſ: 8.

Pſal: 21.

Job 31.

Chriſtus carnem ſuam panem quoq; cœleſtem pronuntians, aperte demonſtrat quam ſit efficax, non ſolùm ad vitam rationalem hominis exornandam, neque duntaxat ad vitam ſupernaturalem Juſti incrementandam, ſed etiam ad vitam cœleſtem & beatam comparandam. Quod ipſemet aſ-

III. PARS.

Tert. lib de Reſ. 37.

ad eos qui apud Romanos ambiebant dignitates: vel potius ad baptizatos qui Tert. lib. de Idol. 18.
olim candidâ induebantur veſte: *Apud nos à toga candida candidati, dicebantur*
duplici ratione. Baptizatos veſte candida Eccleſia induebat: 1. Ut denotaret
eorũ munditiã. *Sordes baptiſmate abluuntur, maculæ candidãtur.* 2. Ut demon- Tert. Scorp. 12.
ſtraret jus æternitatis quod renati in baptiſmo acquiſierãt. Qui poſt baptiſ-
mũ peccant lethaliter, amittunt ejuſmodi jus æternitatis, quod tamen per
verã pœnitentiã ſimul cum gratia ſanctificante recuperant. *Agebatur baptiſ-* Tert. lib. de Bapt. 10.
mus pœnitentiæ, quaſi candidatus remiſſionis & ſanctificationis. Tale autem jus
multũ incrementatur per dignam Euchariſtiæ ſumptionẽ, in qua anima gra-
tiæ recipit augmentũ. *Ex quo jam ſpecioſa per lavacrũ amplius pulchreſcit, & cã-* Paſch.
dore lilii, & rubore ſanguinis in hoc myſterio decoratur. Duplici titulo habetur
aliquod jus: vel nativitate, vel donatione. Jure nativitatis filii habent jus ad
hæreditatem paternam: *Si filii & hæredes.* Jure donationis legatarii habent jus Rom. 8.
ad donũ ſibi à teſtatore factũ. Hoc duplici titulo Euchariſtia dat nobis jus ad
vitã æternã. 1. Jure hæreditatis, quia Filios Dei nos efficit, *Quotquot autem* Hug. Card.
receperunt eum digne in Sacramento, dedit eis poteſtatẽ filios DEI fieri. 2. Jure do-
nationis, quia Euchariſtia eſt teſtamẽtũ quod fecit Chriſtus, ut *vitæ haberemus* D. Ambr. l. de Noë & Arca 11.
conſortiũ: & ita dignâ ſumptione habemꝰ jus ad beatã vitã, qua Angeli potiũ-
tur. *Proinde igitur & nos Angelorũ, ſi meminerimus, cãdidati.* Et ut nulla ſit dubi- Tert. lib. de Orat. 3.
tãdi cauſa, Chriſtꝰ in Sacramẽto dat nobis adhuc pignꝰ vitę cœleſtis & beatę.

3. *Arrhabonẽ nos Spiritus dicit habere à DEO.* Hujuſmodi autẽ arrhabonem Tert lib. 5. adv. Marc. 12.
dat nobis Chriſtus in Euchariſtia, quæ eſt *pignus futuræ gloriæ & æternæ felicita-*
tis. Pignus tres importat conditiones. 1. Ad minus tantũ valet ac res pro qua Concil. Trident. Seſſ. 13. c. 3.
datur: *Totũ dedit qui pignus dedit.* 2. Intra determinatũ diẽ reddenda eſt res cre-
dita & repetendũ pignus, alias trãſit in dominiũ creditoris. *Pignus eſt quod da-*
tur propter rem creditã, quæ dũ redditur, ſtatim cõfertur. 3. Reddendũ eſt pignus D. Aug. in Pſ. 110.
ſtatim ac res credita redditur. Inde tres concluſiones eliciũt Patres. Prima eſt S. Iſidor. l. 5 Ethim. 25.
D. Chryſoſtomi, qui ex valore pignoris quod dat nobis Chriſtus in Sacramẽ-
to, certitudinẽ fulcit vitæ æternæ. Quapropter Dominũ ſic loquentẽ inducit;
Bonã ſpẽ de futuris vobis præbens, quippe qui vobis hic meipſũ tradidi, multò magis Hom. 61. ad Pop.
id in futuro. Quaſi dicat: Vobis plus dedi in Euchariſtia, minus vobis dabo in
cœlo. Secunda, niſi daret gloriã, tantũ pignus perderet Salvator; veriſimile
autem non eſt quod adeò precioſũ voluerit perdere pignus. *Non enim niſi to-* D. Chryſoſt hom. 36. in 1 Cor.
tũ daturus erat, voluiſſet arrhabonẽ exhibere & perdere. Tertia, ut habeatur glo-
ria, reddendũ eſt Chriſto ſuũ depoſitũ iiſdẽ conditionibus quibus nobis illud D. Chryſol Ser. 95.
dat, per dignã ſcilicet cõmunionẽ quæ eſt pignus cœleſtis & beatæ vitæ. *Qui*
ſe nobis hic nobis mãducandũ dedit, quid denegare poterit in futurũ, & qui tantum
nobis viaticũ præparavit, quid in illa nobis perpetua mãſione parabit? Ex nobis de-
pendet acquiſitio beatę ac cœleſtis vitę cujus in Euchariſtia habemꝰ pignus.
Quot conſecratas ſumpſimus hoſtias, tot ſunt pignora beatitudinis: illas à
nobis expoſcet Chriſtus, eruntq; in ſacrilegis pignus mortis æternæ; in Juſtis
verò ſemen vitæ beatæ, & pignus æternæ felicitatis.

CONCIO OCTAVA.

Tert.lib.de Jejun.5. Hom.36 in 1.Cor.

MAnna *cælum fragrare* dicitur, quia eſt figura Euchariſtiæ. Hanc D. Chryſoſtomus vocitat *cælum in anguſtum redactum.* Jobum ſic alloquitur Deus: *Nunquid noſti ordinem cæli, & ponis rationem ejus in terra?* Homines depinxerunt quidem ſupra globum cœli conſtellationes, planetarum ſitum & diſtantiam, & ad compendium redegerunt im̃enſam orbium cœleſtium molem. Verùm repræſentârunt tantùm cœlos planetarum; Firmamentum & primum mobile; non Empyreum in quo Beati perfecta fruuntur felicitate. Attamen quod Aſtronomorum vincit induſtriam, Chriſti Domini non ſuperat ſapientiam, qui mira ingenii ſagacitate cœlum reduxit ad terram; & in

D.Chryſoſto ho 24. in 1.Cor.

Euchariſtia quidquid eſt auguſtius & glorioſius in patria, occultat. *Vt terra noſtra ſit cælum; facit hoc myſterium.* Quod adeò ſtupenda præditum eſt virtute, ut 1. per ipſum cœlũ in terram deſcendat; 2. terra in cœlum aſcendat: 3. & infauſta metamorphoſi tùm cœlum tùm terra in infernum cadat.

I. PARS

Lib.1.adv. Marc.14. Iſido Clar. Orat. 20.

Arguit Marcionẽ Tertull. *Adverſaris cælum, & libertatem cæli in habitationibus captas.* Non redarguendus, ſed laudandus eſt Chriſtianus, qui cœlũ diligit, & in terra demorans cœli potitur felicitate, media Euchariſtia, quæ cœlũ in terrã adducit *Per hæc myſteria cœlũ terra facta eſt; quid enim in cælo eſt, quod magis honeſtet quã ipſe Chriſtus? At hic per hoc Sacramẽtũ in terra eſt, nobiſcũq; verſatur.* Quid enim eſt in cœlo quod in Euchariſtia non reperiatur; ubi Deus 1. poſſidetur: 2. omne cum illo poſſidetur: 3. à ſingulis poſſidetur.

Tert.l adv. Prax. 21.

Hug.Card. in c. 28 Ezech. Eccleſ. 40. Gerſon.

1. *Panem quoque ſe affirmat, quem Pater præſtaret de cælo:* ſcilicet ut cœlo fruantur in terra homines Deumq; poſſideant. Cœlum eſt Dei ſolium, ut ipſemet aſſeverat apud Prophetã Evangelicum: *Cælũ mihi ſedes eſt.* Verùm, ſicut *ubi Rex, ibi regnum:* ita *paradiſus dicitur anima Iuſti, delectatur enim Chriſti præſentiâ.* Dei autem potitur præſentia, non ſolùm ob ſanctitatem, ſed præſertim ratione Euchariſtiæ quæ eſt *gratia ſicut paradiſus:* quia ut expendit Joannes Gerſon; (nunquid non Euchariſtia quæ per excellentiã dicitur bona gratia, rectè dicitur paradiſus? Eſt igitur recipiens Euchariſtiã illius promiſſi particeps, quod Dominus latroni jurejurãdo dixit: Hodie mecũ eris in paradiſo.) Quare meritò exclamat D. Bernardus: *Tuta habitatio paradiſus; dulce pabulũ Verbũ: habeo ego Verbũ, ſed in carne; veritas mihi apponitur, ſed in Sacramẽto.*

Ser 33 in Cant.

Pſ.17 Abul. quæſt 2. in c. 2 l. 2. Reg. D. Athana apud Lippo 8 Decemb.

Eodem modo ratiocinandum de Euchariſtia. In utroque myſterio Deus *inclinavit cælos & deſcendit:* (Et ut ipſe ſemper maneat in ſolio ſuo excellenti, dicitur inclinare cœlos & deſcendere, quaſi ſedes ſua ſimul cum eo veniat.) In Incarnatione inclinavit cœlos; *ubi enim Chriſtus, ibi & cælum: nam ſtabulum viſum eſt, eſſe cælum in terra.* In Euchariſtia, ubi *pa-*

nis vivus qui de cœlo deſcendit, vitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat; & præbet felicitatis objectum quod Beati in cœlo poſſident juxta iſtud Davidis: *Impleta eſt terra poſſeſſione tuâ.* S. Antoninus per terram hominem; per poſſeſſionem verò Dei Filium intelligit, quem terra, id eſt homo, in Sacramento poſſidet: & ob hanc cauſam dum Dominus ſervum ad cœleſte invitat convivium, *non dixit: Intra ad gaudium, ſed in gaudium, ut poſſeſſor ſit gaudii, non ſpectator; jam non miniſter in gaudio, ſed particeps gaudiorum*; quibus fruitur ex poſſeſſione Chriſti quo cum omne poſſidetur.

Alger. l. 1. de Sac. 21 1. Pſ. 103. 1. Par. in Prol. Hug Card. in c. 25. Matth.

2. *Omnia dixeris cum id dixeris, quod ex omnibus conſtat.* Omnia dixeris cùm Chriſtum dixeris qui omnia continet. *Quid quæris quod in illo non invenias*, qui deſcendit de cœlo & datur in Euchariſtia ſub forma panis, ut in illo omnia habeamus? *Panis eſt ſermo DEI vivi, qui de cœlo deſcendit.* In mundo *ſæculares multiplicant fercula, quia cum qualitate rerum appetitus eorum ſatiari non poteſt*: nullum enim eſt ferculum quod omnes dapes contineat. At in Sacramento *omnia Chriſtus eſt nobis.* Quapropter Euchariſtia bellè nuncupatur à Gregorio Nicæno, *cibus varius ſimul & ſimplex. Simplex viſu atq; unicus: varius ad ſingulorum cupiditates ſe vertens.* Quod perfectè denotatur in convivio Evangelico, in quo paterfamilias mittens ſervos quærere invitatos præcepit eis ut dicerent: *Quia parata ſunt omnia.* Ubi Clemens Alexandrinus: *Quomodo omnia, ſi unum tantum ferculum exhibetur? quia DEVS hic nobis datur & DEVS omnia eſt.* Res quidem mira! *imò magis mirum eſſet, ſi non conſequerentur Dominum bona ſua.*

Tert. lib. de vel. Virg. 4. D. Bernar. Ser. 29. de Paſſ. Tert. lib. de Orat. 6. Greg. Mag. l 8. Mor. D. Ambr. l. 3. de Virg. In vita Moyſis. Guer. Ser. 1 de Nat. Do.

In cœlo nihil deeſt Beatis, quia Deus eſt omnia omnibus. Et *quia DEVS Pater cum Chriſto nobis omnia donavit, ſit tantum nobis cibus, & omnia in eo ſimul noſtra erunt.* Accedamus ad ſacram menſam, & ut ait S. Joannes Damaſcenus; *eſcam comedite; nam ipſe eſt omne, & per quem homo eſt omne.* Sed nemo melius ad propoſitum D. Ambroſio, qui de Euchariſtia ſic fatur. *Hic eſt cibus in quo vita definitur æterna.* Definitio æquatur definito; Euchariſtia eſt vitæ æternæ definitio: quapropter *jucunditatem infundit vita æterna*; quia omnia in illa poſſidentur, & à ſingulis poſſidentur.

Paſch. in c. 6. Matth. L. de Parad. c. 9. D. Ambr. in Pſ. 11.

3. *Iſrael in eremo Angelorum panibus cibatus ad inſtar æternitatis redactus.* Chriſtiani in Euchariſtia pane Angelorũ cibantur & ad inſtar æternitatis rediguntur; & ſicut ſinguli Angeli & Beati, cibãtur in cœlo divino Verbo, ita ſinguli Chriſtiani pane illo cœleſti fruũtur in Sacramento, quod in manna quo Deus nutrivit Iſrael in deſerto præfiguratur. *Paſcit populum in ſolitudine, non uno die, ſed annis quadraginta: nec de inferioribus materiis panis & piſcis, ſed de manna cœleſti; nec quinq; circiter, ſed ſexcenta millia hominum protelavit.* Quod ſi mãna omne delectamentũ præbuit cuilibet Iſraelitæ, non ſecus ac ſi fuiſſet ſolus, quãto magis Euchariſtia, quæ eſt figuræ illius veritas, & *beneficium quod largitate nõ minuitur?* Et ſicut in cœlo Deus *pariter & ſingulis & totum ſe dedit univerſis*: ſic in Sacramento *corpus divinum quod in divina menſa ſanctè conſecratur, & uni-*

Tert. l. adv. Judæ. 3. Tert. l. 4. adv. Marc. 21. Caſſiod. l. 1 Var. c. 14. Salv. l. 2. ad Eccleſ.

& univerſo cœtui ſacra, absque ſui ſectione dividitur, & absq; defectu participatur.

Quanto majora ſunt bona quæ cuique largitur Sacramentum, tanto majori deſiderio cœleſtis illius panis ardere debent Chriſtiani, ut fatur Tertullianus, *de cibo, de poculo, invadere, deſiderare, in mente habere.* Noluit Deus ut in lege naturali vel Moſaica Euchariſtiam deſiderarent homines, *ut omnia deberentur & reſervarentur deſideria erga perceptionem illius, & nihilominus non ardemus*; ſimiles Iſraelitis qui abominati ſunt panem Angelorum omnem ſaporem ſuavitatis continentem: *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum.* Pithagoram irridet Tertullianus *cui tanti fuit faſtidium cœli*, Non ſolum ridendi, ſed etiam deflendi ſunt Chriſtiani, quibus faſtidium eſt Euchariſtia, in qua continetur cœlum. Omnis nauſea mala, ſed panis peſſima. *Vnus ſit nobis dolor hac menſa privari.* Plura ſunt, ſed maximè quatuor, quæ Euchariſtiæ deſiderium ingenerant: Omnimoda Euchariſtiæ perfectio, quæ vitæ æternæ velut præludia largitur: *Accedentes ad vivificam menſam omnium, noſtri Salvatoris panem edentes.* 2. Chriſti voluntas qui à nobis deſiderium illud expoſtulat. *Adeò ſibi placet deſiderium hujus myſterii, ut mirabiliter occurras, & acquieſcas animæ te cupienti.* 3. Poſſidendi tam pretioſum theſaurum facilitas: *Omnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, comedite absq; ulla commutatione vinum & lac.* 4. Faſtidientium pœnæ, nam *hujus panis æternam patientur inediam.* Hæ rationes deſiderium ingenerant Euchariſtiæ quæ cœlũ defert ad terram, & terram in cœlũ ſublevat.

Lib. 2. ad Uxor 4. Euſe. Emiſſ l. 3. c. 11. Pſal. 106. L. de An. 26. D. Chryſoſto. ho. 83. in Matth. D. Cyr Alex l. 1. in Joan. 11. Euſe. Emiſſ. Eſa. 55. Rupert. l. 3. in Exod.

II. PARS.

Sed tu peregrinus mundi hujus, civis ſupernæ Ieruſalem. Filii Iſrael exeuntes de Ægypto peregrinorũ more paſchalem agnum comederunt, *Iudæi ſtantes, calceamenta in pedibus habentes, & baculos in manibus tenentes, agnum cum feſtinatione comedebant: in Palæſtinam profecturi, viatorum figuram habebant, tu verò debes migrare in cœlum.* Hæc figura denotat nos eſſe in mundo peregrinos & viatores, & ut valeamus ad cœlum (cujus ſumus cives) pervenire, debemus muniri Euchariſtia; quæ 1. cogitationes mentis & cordis affectus ad cœlum ſublevat: 2. ſpem cœli præſtat: 3. media ad comparandũ cœlũ ſubminiſtrat.

Tert. l. de Cor. Mil. 12. D. Chryſoſto. ho. 83. in Matth.

1. *Suſcitans & quidem de terra in cœlum, ubi noſtrũ municipatum quoq; Philippenſes ab Apoſtolo diſcunt.* Verùm nihil adeò de terra ſuſcitat in cœlũ ac Euchariſtia, cujus ſpecies ſolis figuram repræſentãt. Ideò *Chriſtus ſol dicitur: ſol quaſi ſurſum levans, quia ad ſe trahit aquas maris & humores terræ; id eſt humiles conſtitutos in terra: illos ſurſum trahit & elongat de terra*; & ut homines avellat à terra & ſurſum trahat, procidit ſuper terram Chriſtus: *Et cùm proceſſiſſet pauhulum procidit ſuper terram; quia quærebat illum ponere ſupra cœlum*: quod potiſſimùm exequitur virtute Sacramenti *Nemo te ſublevat in cœlum, niſi hic panis qui deſcendit de cœlo.* Subminiſtrat namque alas ad volandum in aerem divinum. *Chriſtus immolatus eſt & ſanguis ejus nos aſpergens, fecit ut naſcerentur nobis alæ ad volandum ſine ullo impedimento in aerem divinum.* Aquilæ ſeſe elevant usque ad ſupremam aeris regionem: Euchariſtia aquilarum alimentum eſt

Tert. l. de Reſ. 47. Rich. à S. Lau. l. 12. de Laud. Virg. Bernardin. Sen. to. 1. Ser. 55. art. 4. c. 2. Rupert. l. 6. in Joan. S. Machar. hom. 47.

Aquilas

Aquilas autem appellat, ut oſtendat ad alta eum debere contendere, qui ad corpus accedit, & nihil cum terra ei debere eſſe commune, neque ad inferiora trahi, ſed ad ſuperiora ſemper volare: aquilarum enim non graculorum hæc menſa eſt. Qui dignè accedunt ad Sacramentum, in cœlum mentis cogitationes & cordis affectus ſublevant, & omnem ſpem ſuam in cœlo collocant. D.Chryſoſtom. hom. 24. in 1. Cor

2. *Spem erigimus.* Tria ſunt quæ in cœlo ſpem noſtram erigunt: 1. Gratia quâ ſanctificati ſumus in baptiſmo, & in filios Dei adoptati. *Regeneravit nos in ſpem vivam.* 2. Pollicitatio Dei, qui nobis promiſit cœlum: *Et in verbū tuum ſuperſperavi.* 3. Et maximè Euchariſtiæ Sacramentum. Quod confirmat S. Vincentius Ferrerius ex iſto loco Baruch: (Scias ubi ſit longitudo & victus:) *Spes oſtenditur cùm dicitur ubi ſit victus: quia tota ſpes Chriſtiana conſiſtit in victu: quia victus ſacra Euchariſtia eſt radix ſpei noſtræ.* Regius Vates, ad menſam nos invitat, ut ſperare valeamus: *Guſtate & videte: Beatus vir qui ſperat in eo.* Beatum prædicat qui dignè ſumit cœleſtem cibum, & vult adhuc ut beatitudinem ſperet: Beatus eſt, quia per dignam perceptionem Sacramenti inchoatam habet felicitatem, & ſperat adhuc, quia inchoata illa felicitas ad gloriam conſumatam erigit ſpem: *Veniet autem quandoq; tempus, quando hujusmodi ſuavitatis prælibatio, ad perfectam pertinget fruitionem.* Idipsū ſapit D. Cyprianus dum Euchariſtiam nuncupat *Omen præmii, & præmium cœleſtium coronarum.* Omen in via, præmium in patria: Omen ob ſpem quam erigit: corona ob mercedem quam acquirit. Chriſtus qui in Sacramento eſt ſpei noſtræ fulcrum, in cœlo erit noſtræ beatitudinis objectum: *Tu es ſpes mea in terra viventium.* Chriſtus in altari, eſt ſpes & portio noſtra in terra viventium. Spes quia eſt ejus fundamentum: portio, quia ut advertit D. Cyprianus, *Sacramentum appellat portionem vitæ æternæ;* tùm quia objectum vitæ æternæ continet: tùm quia media ad vitam æternam conſequendam ſubminiſtrat. Tert. Apol. 37. 1. Epiſt. Pet c. 1. Pſ. 118. Cap. 3. Ser. 2. de Epiph. Pſ. 35. Baſil. Mag. Epiſt. 56. Pſ. 141. Ser. de Cœ. Dom.

3. *Utique cœna paratura, vitæ æternæ ſaturitatem figurat,* quæ per dignam Sacramenti ſuſceptionem comparatur. Quapropter de ſanguine quem potandum dat Chriſtus: ſic fatur D. Chryſoſtomus: *Hic ſanguis adibile facit cœlū.* Idem de corpore aſſeverat Theodoretus; juſti namque ad ſacram accedentes menſam, *per ſanctiſſimi corporis participationem civitatē cœleſtem adipiſcuntur.* Euchariſtia ſiquidem eſt *introductio ad divinitatem:* quod denotatum vult Hugo Cardinalis ab ipſomet Chriſto, *dum aſcendit in montem Oliveti, ut ſic oſtenderet, quod virtute dominici Sacramenti, aſcenditur ad culmen gratiæ, & exinde ad culmen gloriæ, quæ per oleum ſignificatur.* Germanus Conſtantinopolitanus Euchariſtiam vocat confinium terræ & cœli. *Confinium cœli & terræ eſt hæc menſa.* Quod confirmat Hugo Card. acutè advertens, quod *media petitio, ſcilicet, panē noſtrū quotidianum da nobis hodie, eſt communis & quaſi confinium utrarumq; confortans & dirigēs tranſeuntē de vita temporali, ad vitam cœleſtem.* Tert. l. 4. adv. Marc. 31. In c. 10. Hebræ. D. Dion. de Cel Hier. 3 In c. 22. Luc. In c. 11. Luc.

Verùm ſi Euchariſtia eſt cibus vitæ æternæ, cur panis quotidianus nuncupatur? Quia ſcilicet ita ſumendus eſt ſingulis vicibus, quaſi quælibet

communio eſſet ultima, & poſt hanc aſcendendum eſſet ad vitam æternam. *Quotidianum in diem vult Sacramentum ſui corporis panis viaticum poſtulare, ut per hoc ad perennem diem perveniamus.* Animadvertendū autē eſt cū Ruperto, quod quando Dominus promittit vitam æternam iis qui ad ſacram accedunt menſam, *ſemper dignè ſubaudiendum eſt.* Incognitus Euchariſtiam, Jacobi appellat ſcalam; *Hæc eſt ſcala Iacob.* Vel quia terram tangit ex una parte & altera cœlum, eſtque medium uniens duo illa extrema; Vel quia Deus qui inerat ſcalæ Jacob, eſt verè præſens in Sacramento: Vel quia ſervit ut de terra in cœlum aſcendatur. Attamen ut Angeli per ſcalam Jacob de terra aſcendebant in cœlum, & de cœlo deſcendebant in terram, ita juſti & dignè cōmunicantes per Euchariſtiam aſcendunt in cœlū; ſacrilegi verò & indignè ſumentes corpus Chriſti, per Euchariſtiā deſcendunt in infernum.

Chryſol. Ser. 68. In Pſ. 31.

III. PARS. *Ex interpretatione figurata carnis & ſpiritûs, nos ſumus cœlum & terra.* Indigna autem communione, anima & corpus, cœlum & terra deſcendunt in infernum. Euchariſtia eſt alimentum vitæ, thronus gratiæ, viaticum vitæ æternæ. At infauſta metamorphoſi indignè ſumens immutat, 1. in venenū mortale, alimentum vitæ: 2. in tribunal Juſtitiæ, thronum gratiæ: 3. in viaticum mortis perpetuæ, viaticum felicitatis æternæ.

Tert. lib. de Orat. 4.

1. *Non poſſumus cœnā DEI edere & cœnā dæmoniorum.* Pulchrè animadvertit Philo Carphatius, quod *ea eſt divinarum humanarumq; rerum natura, ut quæ pro ſua dignitate & excellentia optima eſſe decet ac ſumma, eadē mutato ordine peſſima fiunt & infima:* ut conſtat ex Euchariſtiæ Sacramento quod juſtorū incrementat vitā, & affert ſacrilegis mortē. *Tantorum bonorum cauſa, & quæ vitā exhibet, judicium fit: minime propter ejus naturā, ſed propter accipientis voluntatem.* Euchariſtia ex ſe eſt vivificans, inſtituta etiā ad cōmunicandā ritè accedentibus vitā; per accidens tamē ex indiſpoſitione ſumentiū affert mortē: *Pro ſumentium diſpoſitione cibus hic diſpares operatur effectus.* Iis qui ſunt in gratia adauget ſupernaturalē animæ vitā; qui ſunt mortui peccato reos efficit mortis æternæ: *Cibus iſte vita eſt, quibus Chriſtus eſt vita: illis verò mors, qui ſunt membra diaboli.* Laurentius Juſtinianus Petri & Judæ proponit exemplum, Ambo pariter manducārunt corpus dominicū, ſed non pari ſucceſſu. *Vno Petrus & Iudas cœleſti paſcuntur alimento; aliter tamen: nam ad meritum & profectum Petrus: traditor verò manducat ad ruinā & interitum.* Non ex defectu Sacramenti quod bonū eſt & ex ſe vivificativū, ſed ex malitia Judæ quæ ſeſe oppoſuit virtuti & efficaciæ Sacramenti. *Iudas cui buccellā tradidit Dominus non malum accipiendo ſed male accipiendo, locum in ſe diabolo præbuit.* Hæc indigna cōmunio fuit præcipua cauſa deſperationis proditoris illius. *Vbi ſacrum cibum mens perfida tetigit & ſceleratum os panis ſanctificatus intravit: parricidalis vim tanti Sacramenti non ſuſtinens, quaſi palea de area exſufflatus eſt, & præceps cucurrit ad proditionē, ad deſperationē, & ad laqueum.* Peccator qui non vult ſimilē ſubire pœnā, mutet vitā. *Mutet vitā qui vult accipere vitam, nam ſi*

Tert. lib. de Spect. 13. In c. 7 Cant. D. Chryſoſto. hom. 17 in 1. Cor. Laur Juſt. l. de triumph. Agon. Chr. 4. Paſch. l. de Corp. & Sang. Dom. c 8. D Ambroſ Serm. 11. de Verb. Dom D. Cyp. Ser. Cœn. Dom. D. Aug. Ser. de Tem

non

non mutat vitam, ad Iudicium accipiet pœnam, & thronum gratiæ immutabit in tribunal juſtitiæ.

2. Deum judicem credendũ eſt, *aut ſi nõ judicem, certè perverſum ac vanum diſciplinæ non vindicandæ, id eſt non judicandæ, conſtitutorem.* D. Chryſoſt deſiderat ut quoties ad ſacrã Synaxim accedimus, in memoriã revocemus ultimũ diem, in quo corã ſupremo judice ſumus de cunctis rationem reddituri. *Vt animã tuã velut DEI habitaculum præpares, memento horrendi multum & tremendi illius diei, in quo omnes Chriſti throno aſſiſtentes, rerum hic geſtarum rationem reddemus.* Nõ ſine myſterio volebat Deus ut Judæi caput agni paſchalis ſimul cũ pedibus manducarent, erudiens illos, ait D. Cyrillus Alex. ut attenderent & ad divinã majeſtatem per caput denotatã, & ad auctoritatem ſupremi Judicis per pedes ſignificatã, & in fine mundi exercendã. Agnus paſchalis Euchariſtiã figurabat, & qui ad illã accedũt debent ſeriò cõſiderare, quod Dei Filius quem ſuſcipiũt, eſt ſummè adorãdus & metuendus. Adorandus ob infinitã qua pollet majeſtatem: metuendus ob judiciariã poteſtatem quã potiſſimũ demõſtrabit adverſus indignè cõmunicantes. D. Ambroſius expendens iſtud Michææ: *Et tu Bethleem domus Ephrata,* acutè animadvertit quod *Bethleem domus panis, Ephrata domus furorem videntis* interpretatur: innuens quod indignè comedentes dominicũ panem, ſuũ mãducãt judicem, cujus furorem experientur in ultimo judicio: *qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Judicium criminale complectitur & judicem in tribunali ſedentem, & ſententias adverſus reos propalatas, & tortores ad torquendũ paratos, & inſtrumenta juſtitiæ ad puniendũ deſtinata. Hæc omnia mãducat ſacrilegus, qui eſt trinæ indignationis reus: erga Deum, erga Sacramentũ, & erga ſeipſum: 1. indignitatis erga Deum, cujus majeſtatem cõtemnit: Euchariſtia inſtituta eſt ad Dei gloriã: *Date operã ut crebrius congregemini ad Euchariſtiã & DEI gloriã,* & impius Dei gloriã cõvertit in ejus contemptũ. 2. Indignitatis erga Sacramentũ quod prophanat & *quantum in ſe eſt, vitiorum ſuorum conjunctione polluit.* 3. Indignitatis erga ſemetipſum: nã mãducat *damnationem æternam,* & bibit *vinum damnatorum.*

Tert. l. 2. adv. Marc. 11.
Ho. 22. ad Pop.
Exod. 12.
L. 2. Glaphi
Cap. 5.
1. Cor. 11.
D. Igna. Ep. ad Ephes.
Clem. Alex l. 2. Pæd. 10.
D. Anſelm. Amos. c. 2.

Deploranda, imò execranda impii temeritas. S. Bonaventura divino ſufflãmatus amore, à Sacramento abſtinet, ſeſeque exiſtimat indignũ participatione cœleſtis myſterii, & impius vitiis cõtaminatus ad ſacrã menſã inſolenter accedit? Maria expaveſcit & turbatur dũ ei Angelus annuntiat humanationem Verbi, quia *ſenſit ad ſe ſupremum venire judicem?* & ſceleroſus peccator ſupremi illius judicis nõ formidat ſeveritatem? Terra *ad onus Domini in ligno pendentis intremuit, eum qui moriturus erat intra ſe cõteſtata non capere,* & ſacrilegus abſq; ullo tremore dominicũ in pectore ſuo recipit corpus? *Sepulchrum accepto corpore depoſito terretur, quod Patris theſaurum acceperit,* & inſolens Chriſtianus ad Chriſti majeſtatem nullatenus movetur? Cui dicendum eſt hoc idem quod Iſidorus criminoſo ſacerdoti Zoſimo nuncupato: (Non horres vereriſque talia committere, ac altaria frequentare? quomodo intima-

Chryſol. Ser. 42.
D. Hil. li. 3. Trin.
D. Chryſo-ſto. in Pſ. 21
L. 5. Ep. 12.

[illegible] igitur te ut vel committe-[illegible] beneficiis deſiſtas:) ne impie-[illegible] ſacroſancto myſterio de-[illegible] viaticū mortis æternæ

[illegible] gravioribus ſuppliciis puni-[illegible] Chriſto *manum intulerunt*, [illegible] Altaris myſterium dici-[illegible] dignè ſuſcipientes aſcen-[illegible] *ipſe currus Iſrael & auriga* [illegible] vitæ æternæ viaticum, [illegible] *qui indignè communicant.* [illegible] quatuor fructus ex eo [illegible] *& ipſam bonorum cæleſtium* [illegible] animadvertit Liranus, (per [illegible] de bono in melius, usque ad per-[illegible] (panis corporis Chriſti [illegible] pœnitentiæ, quoadus-[illegible] & ſacietatem æternæ gloriæ.) 3. [illegible] aſſeverat Salvator: (Qui mā-[illegible] habet vitam æternam.) Etiā [illegible] *vita æterna.* 4. Eſt viaticum [illegible] *vita, valens ad deſtructio-*[illegible] Ac econtra qui indignè ſumunt Sa-[illegible] maxima: 1. *In ſceleribus exce-*[illegible] *tractant*, 2. De die in [illegible] impoſſibile eſt ut convertantur, [illegible] *atque ad emendationem vitæ ſunt tardio-*[illegible] & inchoatum infernum deſe-[illegible] *moriantur, & poſt mortem merguntur* [illegible] incurrunt damnationem: *Nec* [illegible] *myſteria Chriſti.* Ex Scypho quem [illegible] augurari ſolebat: *Scyphus quem furati eſtis,* [illegible] *& in quo augurari ſolet.* Calix in quo Dominus [illegible] tradit, auguratur vel vitam vel mortem æternā. [illegible] auguratur damnationem; nam indigna communio & [illegible] Digna ſumptio Euchariſtiæ eſt fau-[illegible] *iudicium*: quam exopto cunctis di-[illegible] accedentibus, humiliter ſubjiciens auctoritati ſan-[illegible] omne quod in hoc volumine continetur.

FINIS.

BIBLIOTEC

INDEX

INDEX MATERIARUM

QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

A.

ADulterium multum ſceleroſum. fol. 295
Æternitatis natura declaratur 199
Amicitia multis commendatur 8
Angeli dignitas prædicatur 210
Anima criminoſa in corpore velut tumulatur 144
Apoſtolorum vocatio 2
Apoſtolorum dignitas 2.25
Apoſtolorum miniſterium 5
Apoſtolorum miſſio 20
Apoſtolorum prædicatio 51
Apoſtolorum paſſio 57
Apoſtolorum triumphus 45
Apoſtoli religionem Chriſtianam multiplicaverunt 58
Avari egeſtas 60
Avari cæcitas 69
Avari captivitas 72
Avari iniquitas 78 86
Avari crudelitas 94
Avari impietas 104
Avari ſupplicium 74.97

B.

BAcchanalia culpantur 109
Baptiſmi dignitas oſtentatur 55
Baptiſmi multiplex effectus denotatur 380
in Baptiſmate Chriſtianus diabolo renuntiat 134.136
Beatitudo non eſt in terra 158
Beatitudo in cœlo collocatur 165
Beatitudo æſtimatur 213
Beatitudinis perfectio declaratur 194
Beatitudo comparatur 203
Beati impeccabiles 185
Beati uniuntur fini ultimo 184
Blaſphemia damnatur 113.156

C.

CArnis dignitas 217
Carnis vilitas 223
Caro neceſſaria 227
Caſtitas generalis commendatur 260
Caſtitas integratur 266
Caſtitas conſervatur 272
Caſtitas matrimonialis 278
Caſtitas vidualis 299
Caſtitas virginalis 315
Caſtitas ſacerdotalis 330
Caſtitas regularis 345
Centri proprietates 217
Charitas 195
Choreæ multum periculoſæ 114
Chriſtiani nota 136
Chriſtiani innocentia 39
Chriſtiani dignitas 360
Chriſtiani ſanctitas 305
Chriſtianus ſceleroſus Chriſti negator. 372
Chriſtianus cœli diſcipulus 196
Chriſtianus Chriſto compatiens 249
Chriſti nativitas 440
Chriſti circuncisio 456
Chriſti dignitas regia 472
Chriſti paſſio 485
Chriſti reſurrectio 503
Chriſti aſcenſio 515
Chriſtus redemptor 466
Chriſtus plenus gratia 464
Chriſtus ſponſus 322
Chriſti ſanctitas 35
Chriſti veritas
Chriſti obedientia
Chriſti patientia
Cogitationes pravæ 131
Conſuetudinis vigor 47
Conſuetudo inveterata 48
Converſatio multiplex 12
Convivia depauperant 342

D.

DEi exiſtentia demonſtratur 526
Dei ſanctitas commendatur. 371.381
Dei immutabilitas declaratur 157
Dei infinitas prædicatur 174
Dei ſufficientia oſtentatur 180

Chryſoſt menſam, Diaconus Miſſæ inſerviens alta voce clamabat: *Sancta ſanctis, hoc*
hom. 17. in *eſt ſi quis non eſt ſanctus, non accedat.* Et concilium Tridentinum declarat quod
Ep. ad He- bræ. *nullus ſibi conſcius peccati mortalis absq; præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad ſa-*
Seſſ. 15. c. 3. *cram Euchariſtiam debet accedere.* Et hoc ob honorem Sacramenti, quod eſt
Juſtinia. de *ſanctitatis pabulum,* & ob bonum ſuſcipientis, quia Euchariſtia in digno ſu-
Regi. Præſ. ſcipiente vitam ſupernaturalem gratiæ conſervat.
c. 26.
Tert. l. de 2. *Panem noſtrum quotidianum ſpiritualiter potius intelligamus.* Eodem
Orat 6. modo ratiocinandum eſt de conſervatione vitæ ſupernaturalis, ac naturalis.
D. Cypr. *Sicut in vita corporali cibus neceſſarius eſt ad conſervandam vitam: ita in vita ſpiri-*
tali hoc Sacramentum neceſſarium eſt, tanquam vitæ conſervativum. Ad hunc
finem inſtitutum eſt altaris Sacramentũ, ut animã ſpiritualiter nutriret, & in
Paſch. l. de vita ſupernaturali conſervaret. *Sicut in paradiſo lignum vitæ fuit, quo jugis ſub-*
Corp. & *ſiſteret ſtatus hominis, ita proviſum eſt in Eccleſia hoc myſterium ſalutis;* quod non
Sang. Dom. eſt minoris virtutis ad conſervandam animæ vitam, quam alimentum mate-
c. 2.
Paſch. c. 19. riale & inanimatum, ad conſervandam corporis vitam. *Si in mortali cibo tan-*
ta vis ineſt, ut quotidie vitam labentem raperet, viresq; reſtituat: idem ſentiendum
de hoc immortali cibo, in quo vita æterna præſtatur. Quod innuere voluit ipſemet
Matth. 6. Chriſtus docens nos poſtulare *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem.* Dicitur au-
Collat. 9. c. 21. tem ſuperſubſtantialis, non ſolùm ut vult Caſſianus, quia eſt *ſuper omnes ſub-*
ſtantias: omnesq; creaturas magnificentiæ & ſanctitatis ejus excedit ſublimitas: ſed
L. 5. de Sac: 4. etiam, ait D. Ambroſius, *ſubſtantialis dicitur, quia anima noſtræ ſubſtantiam ful-*
cit: cui idem præſtat munus quod ſubſtantia accidentibus. Accidentia ad
ſui conſervationem indigent naturaliter ſubſtantiæ fulcro: anima quoque ad
Dion: Car- conſervationem vitæ ſpiritalis indiget Euchariſtiæ ſuſtentaculo, *Sicut corpus*
th in c. 6. *ſine corporali cibo non ſuſtentatur, nec permanet in vita naturali; ita anima ſine*
Joan: *hoc cibo mirifico non perſiſtit in vita gratiæ ſpiritualis.* Vult autem Salvator ut
poſtulemus panem noſtrum quotidianum: multi tamen corpus opipare nu-
triunt, animam verò eſurientem relinquunt. Singulis diebus corpori ci-
bum ad ejus conſervationem neceſſarium tribuũt, animam verò hypoſtaſi &
ſubſiſtentia ad vitam ſpiritalem neceſſaria fruſtrant. Quos redarguit D. Am-
L. 5. de Sac. broſius: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? ſic vive ut quotidie*
4. *merearis accipere.* Quidam ex impietate, alii ex fucata pietate abſtinent à
D. Aug. Sacramento. Illi ne à ſuis ſceleribus convertantur. *Qui non perſeverant in*
hom. 24. *bona vita, ſeparabuntur ab illo pane.* Iſti quia ſacrâ menſâ ſeſe exiſtimant indi-
gnos: ſed timendum eſt ne prætextus ille humilitatis ſuggeratur à diabolo:
D. Cyrill. *Caveamus nos, ne loco laquei, diabolus damnoſã prætendat religionẽ: quod judicium*
Alex l. 4. in *ſibi manducat & bibit, qui manducat indignè: quando igitur tu qui iſta dicis, dignus*
Joan. 17. *eris?* De tempore autem quo accedendum eſt D. Ambroſius vult ut quotidie
L. 5. de Sac. c. 4. ſumatur corpus Chriſti. *Accipe quotidie quod quotidie tibi proficiat; qui non mere-*
L. de Eccleſ. *tur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.* D. verò Auguſtinus die-
Dogm. c. 3. bus Dominicis Euchariſtiam ſumendam deſiderat. *Omnibus diebus Dominicis*
commu-

communicare ſuadeo & hortor. De frequẽti comunione nulla certa regula ſtatui poteſt, attẽdendus eſt ſtatus & profectus ſpiritualis eorũ qui comunicant. Quos hortatur Laurentius Juſtinianus. *Quod ordinatũ eſt ſanctè ſanctificatus accipe, ut ſanctificeris adhuc*: quia Euchariſtia digne ſumpta gratiá incrementat. Lib. de Triumph: Ago: Chr.

3. *Dubitandum, & inquirendum, & deliberandum eſt, an ideò ſit inveſtis dotalibus, cui DEVS cenſum ſuum tradidit.* Non eſt inquirendum an anima ſit nuda opibus, ſeu non veſtita dotibus, cui DEUS cenſum ſuum tradidit. Euchariſtia eſt DEI cenſus, opulenter locupletans gratiæ gazis eos qui illam digne ſuſcipiunt. Hoc eſt diſcrimen inter corpus & animam, quod corpus habet terminum magnitudinis, ultra quem quantumvis alimenta ſuſcipiat creſcere non poteſt, animæ autem perfectio ſemper per nutritionem incrementatur. *Per totum tempus præſentis vitæ, ſumus in ſtatu augmenti.* Euchariſtia duplici potiſſimùm titulo inſignitur ab Scriptura ſacra. Nam *panis pinguis* vocitatur, & adhuc nuncupatur *convivium pinguium.* Dum dicitur panis pinguis, denotatur quá ſit gratiarũ fœcundus divinus ille panis, *quo mens omnium ſpiritualium charismatum abundantia impinguatur.* Cùm verò vocitatur panis pinguiũ, denotat ſuſcipientium ſanctitatem & gratiam neceſſariam ut panis pinguis dignè ſumatur. Quod prodigi exemplo oſtentat Tertull. *Recordatur Patris, DEI; ſatisfacto redit: veſtem priſtinam recipit: ſtatum ſcilicet eum, quem Adam transgreſſus amiſerat: atq; ita exinde opimitate dominici corporis veſcitur, Euchariſtiá ſcilicet.* Eodem modo philoſophatur Rupertus, qui vult ut comunionem præcedat pinguedo ſpiritûs: (Videlicet ſicut tunc quando per ſemetipſum hoc Sacramentum condidit, ita & nunc ubicunq; idem per Eccleſiæ manus ipſe conficit, pinguedo ſpiritûs & vitæ adſit: ne quem noſtrum propter peccata ſua, divinæ virtutis adeps refugiat, & ipſum macrum ſacrificium, corpus ſolummodo dentibus conterendo, corporis & ſanguinis dominici reus exiſtat.) Macies indignè ſuſcipientis Sacramentum macrum reddit, impediens ne gratiæ largiatur pinguedinem. Quare Chriſtiane, diligenter attende ut *holocauſtum tuum pinguefiat*, ſitq; *quodam fidei pabulo, & devotionis alimonia ſaginatum.* Deprecare cum Regio Vate: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Si adipe ſanctitatis & gratiæ impinguatus accedas ad Sacramẽtũ, ſaginaberis adhuc pinguedine cœleſtis menſæ. Etenim *caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima de DEO ſaginetur.* De juſtis comunicantibus decantat Regius Vates: *Manducaverunt omnes pingues terræ.* Addit Theodoretus, *Vt qui ab illo divino cibo tales effecti ſunt.* Binã vides pinguedinẽ, præcedentem, quã habent pingues; alteram ſubſequentẽ quãEuchariſtia largitur. Etenim *menſa tua erat plena pinguedine.* Patres Græci addunt, *pinguedine vitæ æternæ.*

Tert. l. 2. ad Uxor: 9.

Cajet. 3. p. q. 80 art: 10.

Gen: 49.

Eſai: 25.

D. Thom. Opuſc. 57.

L. de Pudici

Pſ: 19.

D. Ambr: l. 1. de Cain & Abel.

Pſ: 62.

Tert. lib. de Reſ: 8.

Pſal: 21.

Job 31.

III. PARS.

Chriſtus carnem ſuam panem quoq; cœleſtem pronuntians, apertè demonſtrat quam ſit efficax, non ſolùm ad vitam rationalem hominis exornandam, neque duntaxat ád vitam ſupernaturalem Juſti incrementandam, ſed etiam ad vitam cœleſtem & beatam comparandam. Quod ipſemet aſſeverat

Tert. lib de Reſ. 37.

ad eos qui apud Romanos ambiebant dignitates: vel potius ad baptizatos qui olim candidâ induebantur veſte: *Apud nos à toga candida candidati, dicebantur* duplici ratione. Baptizatos veſte candida Eccleſia induebat: 1. Ut denotaret eorũ munditiã. *Sordes baptiſmate abluuntur, macula candidãtur.* 2. Ut demonſtraret jus æternitatis quod renati in baptiſmo acquiſierãt. Qui poſt baptiſmũ peccant lethaliter, amittunt ejuſmodi jus æternitatis, quod tamen per verã pœnitentiã ſimul cum gratia ſanctificante recuperant. *Agebatur baptiſmus pœnitentia, quaſi candidatus remiſſionis & ſanctificationis.* Tale autem jus multũ incrementatur per dignam Euchariſtiæ ſumptionẽ, in qua anima gratiæ recipit augmentũ. *Ex quo jam ſpecioſa per lavacrũ amplius pulchreſcit, & cãdore lilii, & rubore ſanguinis in hoc myſterio decoratur.* Duplici titulo habetur aliquod jus: vel nativitate, vel donatione. Jure nativitatis filii habent jus ad hæreditatem paternam: *Si filii & hæredes.* Jure donationis legatarii habent jus ad donũ ſibi à teſtatore factũ. Hoc duplici titulo Euchariſtia dat nobis jus ad vitã æternã. 1. Jure hæreditatis, quia Filios DEI nos efficit, *Quotquot autem receperunt eum digne in Sacramento, dedit eis poteſtatẽ filios DEI fieri.* 2. Jure donationis, quia Euchariſtia eſt teſtamẽtũ quod fecit Chriſtus, ut *vita haberemus conſortiũ*: & ita dignâ ſumptione habem⁹ jus ad beatã vitã, qua Angeli potiũtur. *Proinde igitur & nos Angelorũ, ſi meminerimus, cãdidati.* Et ut nulla ſit dubitãdi cauſa, Chriſt⁹ in Sacramẽto dat nobis adhuc pign⁹ vitę cœleſtis & beatę.

Tert. lib. de Idol. 18. — Tert. Scorp. 12. — Tert. lib. de Bapt. 10. — Paſch. — Rom. 8. — Hug. Card. — D. Ambr. l. de Noë & Arca 11. — Tert. lib. de Orat. 3.

3. *Arrhabonẽ nos Spiritus dicit habere à DEO.* Hujuſmodi autẽ arrhabonem dat nobis Chriſtus in Euchariſtia, quæ eſt *pignus futuræ gloriæ & æternæ felicitatis.* Pignus tres importat conditiones. 1. Ad minus tantũ valet ac res pro qua datur: *Totũ dedit qui pignus dedit.* 2. Intra determinatũ diẽ reddenda eſt res credita & repetendũ pignus, alias trãſit in dominiũ creditoris. *Pignus eſt quod datur propter rem creditã, quæ dũ redditur, ſtatim cõfertur.* 3. Reddendũ eſt pignus ſtatim ac res credita redditur. Inde tres concluſiones eliciũt Patres. Prima eſt D. Chryſoſtomi, qui ex valore pignoris quod dat nobis Chriſtus in Sacramẽto, certitudinẽ fulcit vitæ æternæ. Quapropter Dominũ ſic loquentẽ inducit; *Bonã ſpẽ de futuris vobis præbens, quippe qui vobis hic meipſũ tradidi, multò magis id in futuro.* Quaſi dicat: Vobis plus dedi in Euchariſtia, minus vobis dabo in cœlo. Secunda, niſi daret gloriã, tantũ pignus perderet Salvator; veriſimile autem non eſt quod adeò precioſũ voluerit perdere pignus. *Non enim niſi totũ daturus erat, voluiſſet arrhabonẽ exhibere & perdere.* Tertia, ut habeatur gloria, reddendũ eſt Chriſto ſuũ depoſitũ iiſdẽ conditionibus quibus nobis illud dat, per dignã ſcilicet cõmunionẽ quæ eſt pignus cœleſtis & beatæ vitæ. *Qui ſe nobis hic nobis mãducandũ dedit, quid denegare poterit in futurũ, & qui tantum nobis viaticũ præparavit, quid in illa nobis perpetua mãſione parabit?* Ex nobis dependet acquiſitio beatę ac cœleſtis vitę cujus in Euchariſtia habem⁹ pignus. Quot conſecratas ſumpſimus hoſtias, tot ſunt pignora beatitudinis: illas à nobis expoſcet Chriſtus, eruntq; in ſacrilegis pignus mortis æternæ; in Juſtis verò ſemen vitæ beatæ, & pignus æternæ felicitatis.

Tert. lib. 5. adv. Marc. 12. — Concil. Trident. Seſſ. 13. c. 3. — D. Aug. in Pſ. 110. — S. Iſidor. l. 5. Ethim. 25. — Hom. 61. ad Pop. — D. Chryſoſt hom. 36. in 1 Cor. — D. Chryſol Ser. 95.

CONCIO OCTAVA.

Tert.lib.de Jejun. 5. Hom. 36. in 1.Cor.

MAnna *cælum fragrare* dicitur, quia eſt figura Euchariſtiæ. Hanc D. Chryſoſtomus vocitat *cælum in anguſtum redactum*. Jobum ſic alloquitur Deus: *Nunquid noſti ordinem cæli, & ponis rationem ejus in terra*? Homines depinxerunt quidem ſupra globum cœli conſtellationes, planetarum ſitum & diſtantiam, & ad compendium redegerunt im̃enſam orbium cœleſtium molem. Verùm repræſentàrunt tantùm cœlos planetarum; Firmamentum & primum mobile; non Empyreum in quo Beati perfecta fruuntur felicitate. Attamen quod Aſtronomorum vincit induſtriam, Chriſti Domini non ſuperat ſapientiam, qui mira ingenii ſagacitate cœlum reduxit ad terram; & in Euchariſtia quidquid eſt auguſtius & glorioſius in patria, occultat. *Vt terra noſtra ſit cælum; facit hoc myſterium.* Quod adeò ſtupenda præditum eſt virtute, ut 1. per ipſum cœlũ in terram deſcendat; 2. terra in cœlum aſcendat: 3. & infauſta metamorphoſi tùm cœlum tùm terra in infernum cadat.

D.Chryſoſto ho 24. in 1.Cor.

I. PARS

Lib.1.adv. Marc. 14. Iſido Clar. Orat. 20.

Arguit Marcioné Tertull. *Adverſaris cælum, & libertatem cæli in habitationibus captas.* Non redarguendus, ſed laudandus eſt Chriſtianus, qui cœlũ diligit, & in terra demorans cœli potitur felicitate, media Euchariſtia, quæ cœlũ in terrã adducit *Per hæc myſteria cælũ terra facta eſt; quid enim in cælo eſt, quod magis honeſtet quã ipſe Chriſtus? At hic per hoc Sacramẽtũ in terra eſt, nobiſcũq; verſatur.* Quid enim eſt in cœlo quod in Euchariſtia non reperiatur; ubi Deus 1. poſſidetur: 2. omne cum illo poſſidetur: 3. à ſingulis poſſidetur.

Tert. l adv. Prax. 21.

1. *Panem quoque ſe affirmat, quem Pater præſtaret de cælo*: ſcilicet ut cœlo fruantur in terra homines Deumq; poſſideant. Cœlum eſt Dei ſolium, ut ipſemet aſſeverat apud Prophetã Evangelicum: *Cælũ mihi ſedes eſt.* Verùm, ſicut *ubi Rex, ibi regnum*: ita *paradiſus dicitur anima Iuſti, delectatur enim Chriſti præſentiâ.* Dei autem potitur præſentia, non ſolùm ob ſanctitatem, ſed præſertim ratione Euchariſtiæ quæ eſt *gratia ſicut paradiſus*: quia ut expendit Joannes Gerſon; (nunquid non Euchariſtia quæ per excellentiã dicitur bona gratia, rectè dicitur paradiſus? Eſt igitur recipiens Euchariſtiã illius promiſſi particeps, quod Dominus latroni jurejurãdo dixit: Hodie mecũ eris in paradiſo.) Quare meritò exclamat D. Bernardus: *Tuta habitatio paradiſus; dulce pabulũ Verbũ: habeo ego Verbũ, ſed in carne; veritas mihi apponitur, ſed in Sacramẽto.*

Hug. Card. in c. 28 Ezech. Eccleſ. 40. Gerſon.

Ser 33 in Cant. Pſ. 17 Abul. quæſt 2. in c. 21 2. Reg. D. Athana apud Lippo 8. Decemb.

Eodem modo ratiocinandum de Euchariſtia. In utroque myſterio Deus *inclinavit cælos & deſcendit*: (Et ut ipſe ſemper maneat in ſolio ſuo excellenti, dicitur inclinare cœlos & deſcendere, quaſi ſedes ſua ſimul cum eo veniat.) In Incarnatione inclinavit cœlos; *ubi enim Chriſtus, ibi & cælum: nam ſtabulum viſum eſt, eſſe cælum in terra.* In Euchariſtia, ubi *panis*

nis vivus qui de cœlo deſcendit, vita æterna ſubſtantiam ſubminiſtrat; & præbet felicitatis objectum quod Beati in cœlo poſſident juxta iſtud Davidis: *Impleta eſt terra poſſeßione tuâ.* S. Antoninus per terram hominem; per poſſeſſionem verò DEI Filium intelligit, quem terra, id eſt homo, in Sacramento poſſidet: & ob hanc cauſam dum Dominus ſervum ad cœleſte invitat convivium, *non dixit: Intra ad gaudium, ſed in gaudium, ut poſſeſſor ſit gaudii, non ſpectator; jam non miniſter in gaudio, ſed particeps gaudiorum*; quibus fruitur ex poſſeſſione Chriſti quo cum omne poſſidetur.

Algèr. l. 1. de Sac. 21 1. Pſ 103. 1. Par. in Prol. Hug Card. in c. 25. Matth.

2. *Omnia dixeris cum id dixeris, quod ex omnibus conſtat.* Omnia dixeris cùm Chriſtum dixeris qui omnia continet. *Quid quæris quod in illo non invenias*, qui deſcendit de cœlo & datur in Euchariſtia ſub forma panis, ut in illo omnia habeamus? *Panis eſt ſermo DEI vivi, qui de cœlo deſcendit.* In mundo *ſæculares multiplicant fercula, quia cum qualitate rerum appetitus eorum ſatiari non poteſt*: nullum enim eſt ferculum quod omnes dapes contineat. At in Sacramento *omnia Chriſtus eſt nobis.* Quapropter Euchariſtia bellè nuncupatur à Gregorio Nicæno, *cibus varius ſimul & ſimplex. Simplex viſu atq; unicus: varius ad ſingulorum cupiditates ſe vertens.* Quod perfectè denotatur in convivio Evangelico, in quo paterfamilias mittens ſervos quærere invitatos præcepit eis ut dicerent: *Quia parata ſunt omnia.* Ubi Clemens Alexandrinus: *Quomodo omnia, ſi unum tantum ferculum exhibetur? quia DEVS hic nobis datur & DEVS omnia eſt.* Res quidem mira! *imò magis mirum eſſet, ſi non conſequerentur Dominum bona ſua.*

Tert. lib. de vel. Virg. 4. D. Bernar. Ser. 19. de Paſſ. Tert. lib. de Orat. 6. Greg. Mag. 18. Mor. D. Ambr. l. 3. de Virg. In vita Moyſis. Guer. Ser. 2 de Nat. Do.

In cœlo nihil deeſt Beatis, quia DEUS eſt omnia omnibus. Et *quia DEVS Pater cum Chriſto nobis omnia donavit, ſit tantum nobis cibus, & omnia in eo ſimul noſtra erunt.* Accedamus ad ſacram menſam, & ut ait S. Joannes Damaſcenus; *eſcam comedite; nam ipſe eſt omne, & per quem homo eſt omne.* Sed nemo melius ad propoſitum D. Ambroſio, qui de Euchariſtia ſic fatur. *Hic eſt cibus in quo vita definitur æterna.* Definitio æquatur definito; Euchariſtia eſt vitæ æternæ definitio: quapropter *jucunditatem infundit vita æterna*; quia omnia in illa poſſidentur, & à ſingulis poſſidentur.

Paſch. in c. 6. Matth. L. de Parad. c. 9. D. Ambr. in Pſ. 11.

3 *Iſrael in eremo Angelorum panibus cibatus ad inſtar æternitatis redactus.* Chriſtiani in Euchariſtia pane Angelorũ cibantur & ad inſtar æternitatis rediguntur; & ſicut ſinguli Angeli & Beati, cibãtur in cœlo divino Verbo, ita ſinguli Chriſtiani pane illo cœleſti fruũtur in Sacramento, quod in manna quo DEUS nutrivit Iſrael in deſerto præfiguratur. *Paſcit populum in ſolitudine, non uno die, ſed annis quadraginta: nec de inferioribus materiis panis & piſcis, ſed de manna cœleſti; nec quinq; circiter, ſed ſexcenta millia hominum protelavit.* Quod ſi mãna omne delectamentũ præbuit cuilibet Iſraelitæ, non ſecus ac ſi fuiſſet ſolus, quãto magis Euchariſtia, quæ eſt figuræ illius veritas, & *beneficium quod largitate nõ minuitur?* Et ſicut in cœlo DEUS *pariter & ſingulis & totum ſe dedit univerſis*: ſic in Sacramento *corpus divinum quod in divina menſa ſanctè conſecratur, & uni-*

Tert. l. adv. Judæ. 3. Tert. l. 4. adv. Marc. 21. Caſſiod. l. 1 Var. c. 14. Salv. l. 2. ad Eccleſ.

& univerſo cœtui ſacra, absque ſui ſectione dividitur, & abſq; defectu participatur.

Quanto majora ſunt bona quæ cuique largitur Sacramentum, tanto majori deſiderio cœleſtis illius panis ardere debent Chriſtiani, ut fatur Tertullianus, [Lib. 2. ad Uxor 4.] *de cibo, de poculo, invadere, deſiderare, in mente habere.* Noluit Deus ut in lege naturali vel Moſaica Euchariſtiam deſiderarent homines, [Euſe. Emiſſ. l. 3. c. 11.] *ut omnia deberentur & reſervarentur deſideria erga perceptionem illius, & nihilominus non ardemus*; ſimiles Iſraelitis qui abominati ſunt panem Angelorum omnem ſaporem ſuavitatis continentem: [Pſal. 106.] *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum.* [L. de An. 26] Pithagoram irridet Tertullianus *cui tanti fuit faſtidium cœli*, Non ſolum ridendi, ſed etiam deflendi ſunt Chriſtiani, quibus faſtidium eſt Euchariſtia, in qua continetur cœlum. Omnis nauſea mala, ſed panis peſſima. [D Chryſoſto. ho. 83. in Matth.] *Vnus ſit nobis dolor hac menſa privari.* Plura ſunt, ſed maximè quatuor, quæ Euchariſtiæ deſiderium ingenerant: Omnimoda Euchariſtiæ perfectio, quæ vitæ æternæ velut præludia largitur: [D. Cyr Alex l. 1. in Joan. 11.] *Accedentes ad vivificam menſam omnium, noſtri Salvatoris panem edentes.* 2. Chriſti voluntas qui à nobis deſiderium illud expoſtulat. [Euſe. Emiſſ. Eſa. 55.] *Adeo tibi placet deſiderium hujus myſterii, ut mirabiliter occurras, & acquieſcas anima te cupienti.* 3. Poſſidendi tam pretioſum theſaurum facilitas: *Omnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, comedite abſq; ulla commutatione vinum & lac.* [Rupert. l. 3. in Exod.] 4. Faſtidientium pœnæ, nam *hujus panis æternam patientur inediam.* Hæ rationes deſiderium ingenerant Euchariſtiæ quæ cœlũ defert ad terram, & terram in cœlũ ſublevat.

II. PARS.

[Tert l. de Cor. Mil. 12] *Sed tu peregrinus mundi hujus, civis ſuperna Ieruſalem.* Filii Iſrael exeuntes de Ægypto peregrinorũ more paſchalem agnum comederunt, [D. Chryſoſto. ho. 83. in Matth.] *Iudai ſtantes, calceamenta in pedibus habentes, & baculos in manibus tenentes, agnum cum feſtinatione comedebant: in Paleſtinam profecturi, viatorum figuram habebant, tu verò debes migrare in cœlum.* Hæc figura denotat nos eſſe in mundo peregrinos & viatores, & ut valeamus ad cœlum (cujus ſumus cives) pervenire, debemus muniri Euchariſtia; quæ 1. cogitationes mentis & cordis affectus ad cœlum ſublevat: 2. ſpem cœli præſtat: 3. media ad comparandũ cœlũ ſubminiſtrat.

[Tert. l. de Ref 47.] 1. *Suſcitans & quidem de terra in cœlum, ubi noſtrũ municipatum quoq; Philippenſes ab Apoſtolo diſcunt.* Verùm nihil adeò de terra ſuſcitat in cœlũ ac Euchariſtia, [Rich. à S. Lau l. 12 de Laud. Virg.] cujus ſpecies ſolis figuram repræſentãt. Ideò *Chriſtus ſol dicitur: ſol quaſi ſurſum levans, quia ad ſe trahit aquas maris & humores terra; id eſt humiles conſtitutos in terra: illos ſurſum trahit & elongat de terra*; & ut homines avellat à terra & ſurſum trahat, procidit ſuper terram Chriſtus: [Bernardin. Sen. to. 1. Ser. 55. art. 4 c 2.] *Et cùm proceſſiſſet paululum procidit ſuper terram; quia quærebat illum ponere ſupra cœlum*: quod potiſſimùm exequitur virtute Sacramenti [Rupert. l 6. in Joan.] *Nemo te ſublevat in cœlum, niſi hic panis qui deſcendit de cœlo.* Subminiſtrat namque alas ad volandum in aerem divinum. [S. Machar. hom. 47.] *Chriſtus immolatus eſt & ſanguis ejus nos aſpergens, fecit ut naſcerentur nobis alæ ad volandum ſine ullo impedimento in aerem divinum.* Aquilæ ſeſe elevant usque ad ſupremam aeris regionem: Euchariſtia aquilarum alimentum eſt

Aquilas

Aquilas autem appellat, ut oſtendat ad alta eum debere contendere, qui ad corpus accedit, & nihil cum terra ei debere eſſe commune, neque ad inferiora trahi, ſed ad ſuperiora ſemper volare: aquilarum enim non gracularum hæc menſa eſt. Qui dignè accedunt ad Sacramentum, in cœlum mentis cogitationes & cordis affectus ſublevant, & omnem ſpem ſuam in cœlo collocant. D.Chryſoſtom. hom. 24. in 1. Cor

2. *Spem erigimus.* Tria ſunt quæ in cœlo ſpem noſtram erigunt: 1. Gratia quâ ſanctificati ſumus in baptiſmo, & in filios Dei adoptati. *Regeneravit nos in ſpem vivam.* 2. Pollicitatio Dei, qui nobis promiſit cœlum: *Et in verbū tuum ſuperſperavi.* 3. Et maximè Euchariſtiæ Sacramentum. Quod confirmat S. Vincentius Ferrerius ex iſto loco Baruch: (Scias ubi ſit longitudo & victus:) *Spes oſtenditur cùm dicitur ubi ſit victus: quia tota ſpes Chriſtiana conſiſtit in victu; quia victus ſacra Euchariſtia eſt radix ſpei noſtræ.* Regius Vates, ad menſam nos invitat, ut ſperare valeamus: *Guſtate & videte: Beatus vir qui ſperat in eo.* Beatum prædicat qui dignè ſumit cœleſtem cibum, & vult adhuc ut beatitudinem ſperet: Beatus eſt, quia per dignam perceptionem Sacramenti inchoatam habet felicitatem, & ſperat adhuc, quia inchoata illa felicitas ad gloriam conſūmatam erigit ſpem: *Veniet autem quandoq; tempus, quando hujusmodi ſuavitatis prælibatio, ad perfectam pertinget fruitionem.* Idipſū ſapit D. Cyprianus dum Euchariſtiam nuncupat *Omen præmii, & præmium cœleſtium coronarum.* Omen in via, præmium in patria: Omen ob ſpem quam erigit: corona ob mercedem quam acquirit. Chriſtus qui in Sacramento eſt ſpei noſtræ fulcrum, in cœlo erit noſtræ beatitudinis objectum: *Tu es ſpes mea in terra viventium.* Chriſtus in altari, eſt ſpes & portio noſtra in terra viventium. Spes quia eſt ejus fundamentum: portio, quia ut advertit D. Cyprianus, *Sacramentum appellat portionem vitæ æternæ*; tùm quia objectum vitæ æternæ continet: tùm quia media ad vitam æternam conſequendam ſubminiſtrat. Tert. Apol. 37. 1. Epiſt. Pet c. 1. Pſ. 118. Cap. 3. Ser. 2. de Epiph. Pſ. 35. Baſil. Mag. Epiſt. 56. Pſ. 141. Ser. de Cœ. Dom.

3. *Utique cœna paratura, vitæ æternæ ſaturitatem figurat*, quæ per dignam Sacramenti ſuſceptionem comparatur. Quapropter de ſanguine quem potandum dat Chriſtus: ſic fatur D. Chryſoſtomus: *Hic ſanguis adibile facit cœlū.* Idem de corpore aſſeverat Theodoretus; juſti namque ad ſacram accedentes menſam, *per ſanctiſſimi corporis participationem civitatē cœleſtem adipiſcuntur.* Euchariſtia ſiquidem eſt *introductio ad divinitatem*: quod denotatum vult Hugo Cardinalis ab ipſomet Chriſto, *dum aſcendit in montem Oliveti, ut ſic oſtenderet, quod virtute dominici Sacramenti, aſcenditur ad culmen gratiæ, & exinde ad culmen gloriæ, quæ per oleum ſignificatur.* Germanus Conſtantinopolitanus Euchariſtiam vocat confinium terræ & cœli. *Confinium cœli & terræ eſt hæc menſa.* Quod confirmat Hugo Card. acutè advertens, quod *media petitio, ſcilicet, panē noſtrū quotidianum da nobis hodie, eſt communis & quaſi confinium utrarumq;, confortans & dirigēs tranſeuntē de vita temporali, ad vitam cœleſtem.* Tert. l. 4. adv. Marc. 31. In c. 10. Hebræ. D. Dion. de Cel Hier. 3 In c. 22. Luc. In c. 11. Luc.

Verùm ſi Euchariſtia eſt cibus vitæ æternæ, cur panis quotidianus nuncupatur? Quia ſcilicet ita ſumendus eſt ſingulis vicibus, quaſi quælibet

communio eſſet ultima, & poſt hanc aſcendendum eſſet ad vitam æternam.
Chryſol. Ser. 68. *Quotidianum in diem vult Sacramentum ſui corporis panis viaticum poſtulare, ut per hoc ad perennem diem perveniamus.* Animadvertendū autē eſt cū Ruperto, quod quando Dominus promittit vitam æternam iis qui ad ſacram accedunt menſam, *ſemper dignè ſubaudiendum eſt.*
In Pſ. 33. Incognitus Euchariſtiam, Jacobi appellat ſcalam: *Hæc eſt ſcala Iacob.* Vel quia terram tangit ex una parte & altera cœlum, eſtque medium uniens duo illa extrema; Vel quia Deus qui inerat ſcalæ Jacob, eſt verè præſens in Sacramento: Vel quia ſervit ut de terra in cœlum aſcendatur. Attamen ut Angeli per ſcalam Jacob de terra aſcendebant in cœlum, & de cœlo deſcendebant in terram, ita juſti & dignè cōmunicantes per Euchariſtiam aſcendunt in cœlū; ſacrilegi verò & indignè ſumentes corpus Chriſti, per Euchariſtiā deſcendunt in infernum.

III. PARS. Tert. lib. de Orat. 4. *Ex interpretatione figuratâ carnis & ſpiritûs, nos ſumus cœlum & terra.* Indigna autem communione, anima & corpus, cœlum & terra deſcendunt in infernum. Euchariſtia eſt alimentum vitæ, thronus gratiæ, viaticum vitæ æternæ. At infauſta metamorphoſi indignè ſumens immutat, 1. in venenū mortale, alimentum vitæ: 2. in tribunal Juſtitiæ, thronum gratiæ: 3. in viaticum mortis perpetuæ, viaticum felicitatis æternæ.

Tert. lib. de Spect. 13. 1. *Non poſſumus cœnā DEI edere & cœnā dæmoniorum.* Pulchrè animadvertit Philo Carphatius, quod
In c. 7 Cant. *ea eſt divinarum humanarumq; rerum natura, ut quæ pro ſua dignitate & excellentia optima eſſe decet ac ſumma, eadē mutato ordine peſſima fiunt & infima:* ut conſtat ex Euchariſtiæ Sacramento quod juſtorū
D. Chryſoſto. hom. 17 in 1. Cor. incrementat vitā, & affert ſacrilegis mortē. *Tantorum bonorum cauſa, & quæ vitā exhibet, judicium fit: minime propter ejus naturā, ſed propter accipientis voluntatem.* Euchariſtia ex ſe eſt vivificans, inſtituta etiā ad cōmunicandā ritè accedentibus vitā; per accidens tamē ex indiſpoſitione ſumentiū affert mortē: *Pro ſumentium diſpoſitione cibus hic diſpares operatur effectus.* Iis qui ſunt in gratia adauget ſupernaturalē animæ vitā; qui ſunt mortui peccato reos efficit mortis æternæ:
Laur Juſt. l. de triumph. Agon. Chr. 4. *Cibus iſte vita eſt, quibus Chriſtus eſt vita: illis verò mors, qui ſunt membra diaboli.* Laurentius Juſtinianus Petri & Judæ proponit exemplum, Ambo pariter manducârunt corpus dominicū, ſed non pari ſucceſſu.
Paſch. l. de Corp. & Sang. Dom. c 8. *Uno Petrus & Iudas cœleſti paſcuntur alimento; aliter tamen: nam ad meritum & profectum Petrus: traditor verò manducat ad ruinā & interitum.* Non ex defectu Sacramenti quod bonū eſt & ex ſe vivificativū, ſed ex malitia Judæ quæ ſeſe oppoſuit virtuti & efficaciæ Sacramenti.
D Ambroſ Serm. 11. de Verb. Dom *Iudas cui buccellā tradidit Dominus non malum accipiendo ſed male accipiendo, locum in ſe diabolo præbuit.* Hæc indigna cōmunio fuit præcipua cauſa deſperationis proditoris illius.
D. Cyp. Ser. Cœn. Dom. *Ubi ſacrum cibum mens perfida tetigit & ſceleratūm os panis ſanctificatus intravit: parricidalis vim tanti Sacramenti non ſuſtinens, quaſi palea de area exſufflatus eſt, & præceps cucurrit ad proditionē, ad deſperationē, & ad laqueum.* Peccator qui non
D. Aug. Ser. de Tem vult ſimilē ſubire pœnā, mutet vitā. *Mutet vitā qui vult accipere vitam, nam ſi non*

non mutat vitam, ad Iudicium accipiet pœnam, & thronum gratiæ immutabit in tribunal juſtitiæ.

2. Deum judicem credendũ eſt, *aut ſi nõ judicem, certè perverſum ac vanum* Tert. l. 2.
diſciplina non vindicanda, id eſt non judicanda, conſtitutorem. D. Chryſoſt deſi- adv. Marc.
derat ut quoties ad ſacrã Synaxim accedimus, in memoriã revocemus ultimũ 11.
diem, in quo corã ſupremo judice ſumus de cunctis rationem reddituri. *Vt a-* Ho. 22. ad
nimã tuã velut DEI habitaculum præpares, memento horrendi multum & tremen- Pop.
di illius diei, in quo omnes Chriſti throno aſſiſtentes, rerum hic geſtarum rationem
reddemus. Nõ ſine myſterio volebat Deus ut Judæi caput agni paſchalis ſimul Exod. 12.
cũ pedibus manducarent, erudiens illos, ait D. Cyrillus Alex. ut attenderent L. 2. Glaphi
& ad divinã majeſtatem per caput denotatã, & ad auctoritatem ſupremi Ju-
dicis per pedes ſignificatã, & in fine mundi exercendã. Agnus paſchalis Eu-
chariſtiã figurabat, & qui ad illã accedũt debent ſeriò cõſiderare, quod Dei
Filius quem ſuſcipiũt, eſt ſummè adorãdus & metuendus. Adorandus ob infi-
nitã qua pollet majeſtatem: metuendus ob judiciariã poteſtatem quã potiſ-
ſimũ demõſtrabit adverſus indignè communicantes. D. Ambroſius expendens
iſtud Michææ: *Et tu Bethleem domus Ephrata*; acutè animadvertit quod *Bethleem* Cap. 5.
domus panis, Ephrata domus furorem videntis interpretatur: innuens quod indi-
gnè comedentes dominicũ panem, ſuũ mãducãt judicem, cujus furorem ex-
perientur in ultimo judicio: *qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi* 1. Cor. 11.
manducat & bibit. Judicium criminale complectitur & judicem in tribuna-
li ſedentem, & ſententias adverſus reos propalatas, & tortores ad torquendũ
paratos, & inſtrumenta juſtitiæ ad puniendũ deſtinata. Hæc omnia mãducat
ſacrilegus, qui eſt trinæ indignationis reus: erga Deum, erga Sacramentũ, &
erga ſeipſum: 1. indignitatis erga Deum, cujus majeſtatem cõtemnit: Eucha-
riſtia inſtituta eſt ad Dei gloriã: *Date operã ut crebrius congregemini ad Euchari-* D. Igna. Ep.
ſtiã & DEI gloriã, & impius Dei gloriã cõvertit in ejus contemptũ. 2. Indi- ad Epheſ.
gnitatis erga Sacramentũ quod prophanat & *quantum in ſe eſt, vitiorum ſuo-* Clem. Alex
rum conjunctione polluit. 3. Indignitatis erga ſemetipſum: nã mãducat *damna-* l. 2. Pæd. 10.
tionem æternam, & bibit *vinum damnatorum.* D. Anſelm.
Amos. c. 2.

Deploranda, imò execranda impii temeritas. S. Bonãventura divino ſuf-
flammatus amore, à Sacramento abſtinet, ſeſeque exiſtimat indignũ participa-
tione cœleſtis myſterii, & impius vitiis cõtaminatus ad ſacrã menſã inſolen-
ter accedit? Maria expaveſcit & turbatur dũ ei Angelus annuntiat humana-
tionem Verbi, quia *ſenſit ad ſe ſupremum venire judicem*? & ſceleroſus peccator Chryſol.
ſupremi illius judicis nõ formidat ſeveritatem? Terra *ad onus Domini in ligno* Ser. 42.
pendentis intremuit, eum qui moriturus erat intra ſe cõteſtata non capere, & ſacri-
legus abſq; ullo tremore dominicũ in pectore ſuo recipit corpus? *Sepulchrum* D. Hil. li. 3.
accepto corpore depoſito terretur, quod Patris theſaurum accepiſſet, & inſolens Trin.
Chriſtianus ad Chriſti majeſtatem nullatenus movetur? Cui dicendum eſt D. Chryſo-
hoc idem quod Iſidorus crimino ſo ſacerdoti Zoſimo nuncupato: (Non hor- ſto. in Pſ. 21
res vererisque talia committere, ac altaria frequentare? quomodo imma- L. 5. Ep. 121

culata ſacrorum myſteria audes attingere? Hortor igitur te ut vel committe-
re hujusmodi deſinas, vel à venerandis altaris beneficiis deſiſtas:) ne impie-
tatis tuæ luas pœnas, & ſi non moveris veneratione ſacroſancto myſterio de-
bita, time, ne tuo ſacrilegio vitæ viaticũ convertas in viaticũ mortis æternæ.

3. Sacrilegos ipſis Judæis crimonoſiores & gravioribus ſuppliciis puni-
L. de Idol. 7 endos, cenſet Tertullianus. *Proh ſcelus! Semel Iudæi Chriſto manus intulerunt,
ipſi quotidie corpus ejus laceſſunt. O manus præcidendæ!* Altaris myſterium dici-
tur viaticum, quia ducit ad Deum, & quia per illud dignè ſuſcipientes aſcen-
Incogn. in dunt ad cœlum. *Caro Chriſti eſt viaticum: ipſa eſt cibus, ipſa currus Iſrael & auriga
Pſ. ejus.* Verùm uti Euchariſtia dignè ſumpta, eſt cœli & vitæ æternæ viaticum,
Guerr. Ser. *ita & myſteria majoris punitionis præbent viaticum his qui indigne communicant.*
1. Reſ. D. Chryſo- Qui digne ſuſcipiunt corpus Chriſti, ex hac etiam vita quatuor fructus ex eo
ſto. ho. 17. præſertim ſuſcipiunt: 1. A terrenis cor avellunt, & *ipſam bonorum cœleſtium
in 1. Cor. ſitim bibunt*; 2. In bono proficiunt: Ut autem animadvertit Liranus, (per
Euſeb. Emiſ ambulationem Eliæ ſignificatur proceſſus de bono in melius, usque ad per-
ho. 2. Epiph fectionem vitæ:) quia ut docet Angelicus Doctor, (panis corporis Chriſti
In l. 3. Reg. 19. confortat nos in bono opere, toto tempore præſentis pœnitentiæ, quoadus-
Opuſc. 58. que veniamus ad altitudinem ſecuritatis, & ſatietatem æternæ gloriæ.) 3.
Cap. 22. Præſtat inchoatam fœlicitatem: quod ipſemet aſſeverat Salvator: (Qui mã-
Joan. 6. ducat meam carnem & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.) Etiã
Dion. Cart. pro præſenti, quia *habet Chriſtum qui utique eſt vita æterna.* 4. Eſt viaticum
D. Thom. conſummatæ beatitudinis. *Corpus Chriſti eſt fructus vitæ, valens ad deſtructio-
Opuſc. 58. nem gehennæ, & acquiſitionem vitæ æternæ.* At econtra qui indignè ſumunt Sa-
Cap. 1. cramentum, quatuor incurrunt damna, eaque maxima: 1. *In ſceleribus exce-
Laur. Juſt. Ser. de Eu- dunt alios, dum regem gloriæ contemnunt & irreverenter tractant,* 2. De die in
chariſtia. diem fiunt criminoſiores, & moraliter quaſi impoſſibile eſt ut convertantur,
Laur. Juſt. *Sumentes indigne pertinaciores in malo, atque ad emendationem vitæ ſunt tardio-
D. Bernar- res.* 3. Dæmonem intra ſemetipſos ſuſcipiunt & inchoatum infernum defe-
din. Sen. to. 4. Ser. 44. runt. *Incipiunt eſſe in inferno antequam moriantur, & poſt mortem merguntur
D. Hieron. in profundo.* 4. Æternam, eamque maximam incurrunt damnationem: *Nec
in c. 14. ſitim extinguit ignis æterni, qui indignè ſumit myſteria Chriſti.* Ex Scypho quem
Marc. in ſaccum Benjamin miſit Joſeph, augurari ſolebat: *Scyphus quem furati eſtis,
Gen. 44. eſt in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Calix in quo Dominus
ſanguinem ſuum bibendum tradit, auguratur vel vitam vel mortem æternã.
Dum indigne ſumitur, auguratur damnationem; nam indigna communio &
Tert. lib. de *fidem prævaricatur & ſpei male ominatur.* Digna ſumptio Euchariſtiæ eſt fau-
Pat. 9. ſtum omen & *notiſſimum futuræ fœlicitatis indicium*: quam exopto cunctis di-
Jul. Firm. gnè ad ſacram menſam accedentibus, humiliter ſubjiciens auctoritati ſan-
ctæ Romanæ Eccleſiæ omne quod in hoc volumine continetur.

FINIS.

BIBLIOTEC

INDEX

INDEX MATERIARUM

QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

A.

ADulterium multum ſceleroſum. fol. 295
Æternitatis natura declaratur 199
Amicitia multis commendatur 8
Angeli dignitas prædicatur 210
Anima criminoſa in corpore velut tumulatur 144
Apoſtolorum vocatio 2
Apoſtolorum dignitas 2.25
Apoſtolorum miniſterium 5
Apoſtolorum miſſio 20
Apoſtolorum prædicatio 51
Apoſtolorum paſſio 57
Apoſtolorum triumphus 45
Apoſtoli religionem Chriſtianam multiplicaverunt 58
Avari egeſtas 60
Avari cæcitas 69
Avari captivitas 72
Avari iniquitas 78 86
Avari crudelitas 94
Avari impietas 104
Avari ſupplicium 74.97

B.

BAcchanalia culpantur 109
Baptiſmi dignitas oſtentatur 35
Baptiſmi multiplex effectus denotatur 380
in Baptiſmate Chriſtianus diabolo renuntiat 134.136
Beatitudo non eſt in terra 158
Beatitudo in cœlo collocatur 165
Beatitudo æſtimatur 213
Beatitudinis perfectio declaratur 194
Beatitudo comparatur 203
Beati impeccabiles 185
Beati uniuntur fini ultimo 184
Blaſphemia damnatur 113.156

C.

CArnis dignitas 217
Carnis vilitas 223
Caro neceſſaria 227
Caſtitas generalis commendatur 260
Caſtitas integratur 266
Caſtitas conſervatur 272
Caſtitas matrimonialis 278
Caſtitas vidualis 299
Caſtitas virginalis 315
Caſtitas ſacerdotalis 330
Caſtitas regularis 345
Centri proprietates 217
Charitas 195
Choreæ multum periculoſæ 114
Chriſtiani nota 136
Chriſtiani innocentia 39
Chriſtiani dignitas 360
Chriſtiani ſanctitas 365
Chriſtianus ſceleroſus Chriſti negator. 371
Chriſtianus cœli diſcipulus 196
Chriſtianus Chriſto compatiens 249
Chriſti nativitas 440
Chriſti circuncißio 456
Chriſti dignitas regia 472
Chriſti paſſio 485
Chriſti reſurrectio 503
Chriſti aſcenſio 515
Chriſtus redemptor 466
Chriſtus plenus gratia 464
Chriſtus ſponſus 322
Chriſti ſanctitas 35
Chriſti veritas
Chriſti obedientia
Chriſti patientia
Cogitationes pravæ 131
Conſuetudinis vigor 47
Conſuetudo inveteratá 48
Converſatio multiplex 12
Convivia depauperant 342

D.

DEi exiſtentia demonſtratur 526
Dei ſanctitas commendatur. 371.381
Dei immutabilitas declaratur 157
Dei infinitas prædicatur 174
Dei ſufficientia oſtentatur 180

Dei majeſtas adoranda 536
Dei mandata obſervanda 546
Deus omnia continet 170
Deus eſt objectum beatitudinis 174
Deus à quovis beato poſſidetur 170
Diabolus mendax 129
Diaboli ſacramenta 135
Divitiæ non ſatiant 159
Divitiæ laborem, mœrorem & dolorem afferunt 82
Divitiarum contemptus 103

E.

EBrietas turpis 148
Ebrietas ſceleroſa 154
Ebrietas laſciviens ibid.
Ebrietas furens 155
Eccleſia diaboli 138
Æternitas quanta 171
Euchariſtia panis ſacierum 591
Euchariſtia panis induſtriæ ibid.
in Euchariſtia Chriſtus præſens 592
in Euchariſtia Chriſti præſentia fragilitati noſtræ contemperata 595
in Euchariſtia præſentia Chriſti quodammodo immenſa & æterna 599
Euchariſtia ſacramentum fidei 603
Fides Euchariſtiæ philoſophiam detriumphat 604
Fides Euchariſtiæ reparat injuriam Deo factam per idololatriæ impudentiam 610
Euchariſtia illuminat 614
in Euchariſtia Chriſti majeſtas dejicitur, 617
in Euchariſtia Chriſtus ſuum occultat ſplendorem 621
in Euchariſtia Chriſti majeſtas contemnitur 627
Euchariſtia eſt magnum convivium 630
in Euchariſtia menſæ Dei ſumus participes, 131
in Euchariſtia præbentur cibi regii, Angelici, divini 633
Euchariſtia eſt panis Regum, Angelorum, Deorum 636
qui digne ſumunt Euchariſtiam, habent cum Chriſto conſubſtantialitatem, unitatem & circuminceſſionem 640
Euchariſtia eſt panis munificentiæ 648
in Euchariſtia Deus ſe dat liberaliter hominibus non poſtulantibus, neque merentibus 649
in Euchariſtia Chriſtus dat quod accepit à Patre ab æterno, à Matre in tempore, & etiam quod paſſione ſua meruit 651
Euchariſtia rationem perficit 655
Euchariſtia gratiam incrementat 660
Euchariſtia ad gloriam conducit 664
Euchariſtia cœlum in terram adducit 666
Euchariſtia terram in cœlum evehit 668
Euchariſtia indigne ſumpta, viaticum cœli in viaticum inferni, convertit 670
Exemplum Chriſti 386
bonum Exemplum præſtandum 430
bonum Exemplum eſt lex animata 434
bonum Exemplum, ſtudioſos in virtute confirmat 438
pravum Exemplum exitioſum 49

F.

FAmæ amor 117.285
Familiaritas 11
Fidelitas ſervanda 292
Fidei vita 375
Filius Dei duplex 399
Filii parentibus oneroſi 310
Filii inhumani in parentes 96
Finis trinus 185
Fœlicitas mundi quàm exigua 169

G.

GAudium Beatorum quale 167
Gaudium mundi triſte 450
Gratiæ neceſſitas 394.584
Gratiæ diverſitas ibid.
Gratiæ ſuavitas 585
Gratiæ operatio 394
Gratia extinguitur 254
Gulæ voluptates 143
Gula vitiorum origo 146
Gula homicida 144
Guloſus cœlum vendit 140
Guloſus diabolo ſervit 145
Guloſus ventrem tanquam Deum colit. 147

H.

HAbitus lenocinium 126
Hæreditas terrana diviſione minuitur. 170
Hæreditas mundana germanos ſeparat 95
Hæreticorum temeritas 611
Hæreticorum iniquitas 612
Hæreticorum cæcitas ibid.
Homo beatus 592
Hominis ultima perfectio 186
Homo vetus 245
Homo carnalis 251
Hominas cœli & terræ 197
Humilitas Chriſti 441
Humilitatis faſcina 226

I. Ig-

I.

IGnominia 140
de Ignominia gloriari 282
Infamia 233
Immodeſtia 123. 125
Impietas 120
Impudentia 123 125
Impudicitia 132
Impudicus Chriſti membrũ contaminat. 256
Impudicitia fœminam dedecorat. 265
Judæi puniti 23
Judices mercenarii 93
Juſtitiæ leges 296
Juſtitia in Deo 401
Juſtitia Dei ſplendet 404

L.

LArvæ damnantur 121
Lex divina ſancta 386
Lex divina obſervatu facilis 552
Liberalitas divina 403
Libertas Dei eſſentialis 348
Libertas trina 393
Libertas indifferentiæ 185
Libido culpatur 455
Lilium ſymbolum caſtitatis 325
in Lilio tria conſideranda 326
Ludi damna 110
Luxuria quàm criminoſa 117. 131

M

MArtyrum dignitas 222
Martyres honorati 18. 57
Martyrii merces 248
vivi Martyres 306. 321
Mendacium 118
Mercator fraudulentus 91
Militia Chriſti 155
Miracula 25
Miſſionem hæretici non habent 20
Modeſtia 121
Monſtrum in religione 122
Mortificatio 246
Mulier ſubdita viro 308
Mulier virilem non ſumat habitum 121
in Mundo omnia imaginaria 198
Mundus inſufficiens 180
Mundus mutabilis 177
Mundus triſtitia permixtus 176

N.

ad NEgotiationem quæ requiſita 212
Negotiatio aliquid perdit ut lucretur 214
Negotioſa omnia 229
Nominis cenſus 334
Nominis phantaſma 371
Nominis crimen 372
Nuptiarum bonitas 210
Nuptiarum honeſtas 302
Nuptiarum incommoda 311

O.

OBedientia 460
Oculi laſcivientes 123
Oculi contaminati 129
homo ad Operandum productus 414
Operatio 229
ad Operandum urgetur Chriſtianus 392
Operarius triplex 396
bonum Opus quid 248
ad bonum Opus quæ neceſſaria 362
boni Operis fructus 398
boni Operis merces 402
bonum Opus diſtinguit electum à reprobo. 405
prava Opera culpantur 395

P.

PAupertas commendatur 446
Pauperes dilecti à Deo 92
Pax vera in cœlo 168
Pax inter conjuges requiſita 289
Peccator voluntarius 185
Peccator Chriſtiano nomine indignus. 370
Perſecutio Eccleſiæ trina 378
Pietatis munus triplex 368
bonus Prædicator Chriſto parturit filios. 52
pravus Prædicator reus 53
Præſumptio periculoſa 118
Præſumens cadit 276
Prodigalitas culpatur 243
Providentia Dei demonſtratur 554
Providentia univerſalis vindicatur 557
Providentia non tollit hominis libertatem. 562
Providentia cum impii proſperitate conciliatur 563
Providentia cum juſti adverſitate componitur 565
Pudicitia commendatur 117
Pulchritudo animi laudatur 263
Pulchritudo corporis dedecoratur 264

Q.

QUies 188
Quieſcimus in ſublimi 189

R.

REgia dignitas 221
Regia dignitas unde ſumenda 476
Rex regum Chriſtus 361
Reges honorand. 481

Reges ſunt qui ſanctitate fulgent 361
Religio ſanctimoniæ diſciplina 385
Religionis Chriſtianæ vetuſtas 41
Religionis Chriſtianæ latitudo 48
Religionis deſertor quis 376
Religionis perſecutor quis 373
Religio coacta 96
Repudium erroris 137
Reſtitutio facienda 99
Reſtitutio cur difficilis 101
Roſæ pulchra deſcriptio 324

S.

Sacerdotum dignitas 15.322
Sacerdotales veſtes 340
Sacramentum ſanctificationis 232.385
Sacrificium Deo offertur 243
Sacrificium caſtitatis 331 338
Scandalum 114
Sermo mentis interpres 218
Sermones inhoneſti 129
Servus Chriſti 137
Servus diaboli ibid.
Simonia 89
Sirenes 240
Spes 191
Spiritus ſancti proprietates 329
Spiritus ſanctus à Filio procedit 114
proceſſio Spiritus ſancti qualis? 582
Spiritus ſancti miſſio 583
Spiritus ſanctus non agnoſcitur 586
Spiritus ſanctus non recipitur 587
Spiritus ſanctus ejicitur 588
Superbia 443
Superbus egens 359

T.

Templum Dei 337
Temporis natura 413
Temporis jactura 111
Tempus tendit ad æternitatem 416
Tempus bene impendendum ibid.
Tempus in otio aut in malo deperditum. 418
Temporis reparatio 426
Terminus vitæ 184
Terra deſpicienda 196
Terrena bona non ſatiant 218
Teſtimonium Chriſto datum 32
Theatrum culpatur 127
Timor præcavet 118
Tragœdia exitioſa 139
Trinitas declaratur 568
Trinitas prima virgo 327
Trinitas honoranda 579
Trinitas amanda 580
Trinitas imitanda 579

V.

Vanitas 119
Vectigalium exactores crudeles 94
Verba inhoneſta 124
Verecundia laudatur 123
Veritas 199
Vidua multiplex 298
Viduarum pietas 314
Vinum fomes libidinis 154
Virtutes commendantur 247
Virginum laus 315
Viſio beatifica qualis 595
Vitiorum patroni 333
Voluptas fidei adverſatur 337
Voluptates impiæ 314
Voluptates laſcivæ 228
Voluptuoſus egens 358
Votum ſolemne vindicatur 334
Voti conditiones 147
Uſura declaratur 90

Z.

Zelotypia. 292

FINIS.

LABOR. [illegible] [illegible]
[illegible]